Digitized by Google

NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
3 P
21

M. T. CICERONIS libri tres de Officiis, unà cum

HIERONYMI VVOLFII COMMENTARIIS: QVIBUS EA POtiſsimùm tractantur, quæ ſunt huius argumenti propria, quæq́ue & à uitijs atque erroribus reuocant, & ad ueritatis atque uirtutis amorem ingenia non diſtorta impellunt, quatenus id quidem oratione mediocri conſequi licet.

Acceſsit locuples Rerum ac uerborum in his memorabilium Index.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΗΣ β. ΗΘΙΚΩΝ:

οὐχ ἵν' εἰδῶμεν τί ἐστιν ἀρετή, σκεπτόμεθα: ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γινώμεθα.

CICERO:

Omnis uirtutis laus in actione conſiſtit.



Cum Cæſ. Maieſt. & Chriſtianiſſ. Galliarum Regis priuilegio, ad decennium.

BASILEAE, PER IOANNEM Oporinum. 1563.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COL. S. BONAVENTURAE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 P
21

AD NOBILES ET MAGNIFICOS VIROS, VIRTVTE ET AVTORItate præſtantes, D.D.D. Tutores, Conſules & Senatum Auguſtanæ Reipub.

HIERONYMI VVOLFII IN COMMENtarios Officiorum Ciceronis, Præfatio.

POSTEAQVAM EXIMIA VEſtra liberalitate, Viri ampliſsimi, Domini & patroni obſeruãdi, rebus meis ita proſpectũ fuit, ut nihil amplius mihi requirendum putarem: in animo habebã, id quod ab ineunte ętate ſemper optaram, quicquid Scholæ & Bibliothecæ ueſtrę curatio uacui tẽporis cõceſsiſſet, in optimi cuiuſq; autoris Gręci Latini'que lectione conſumere: ac tandem adamata bibliotheca mea, per annos complures conquiſita, & non paruo bonorum librorum numero inſtructa, frui: laborioſis Græcorum oratorũ & hiſtoricorum conuerſionibus, & ſcholaſticis operis fatigatus, atq; ipſa etiã ætate iam feſſus. Putabam enim honeſtam illam delectationem, & à munere meo non adeò abhorrentem, ut ad auditores meos ex ea non minor fructus, quàm ad meipſum rediturus eſſet, à nemine poſſe reprehendi. Sed cùm aliàs ſæpe, tum hoc ipſo tempore ſperatæ quietis, expertus ſum ueriſsimum eſſe, id quod eſt ſacris oraculis proditum, Humana conſilia diuinitùs gubernari: ut ipſi quidem multa conſtituamus: ſed ea tum demum, ſi Deo uiſum fuerit, exitu comprobentur. Nam quum generoſus & magnificus uir D. ANTONIVS FVGGERVS, quem honoris & grati animi cauſa nomino, pro magnitudine animi ſui, & literariæ reipublicæ iuuandæ ſtudio, Byzantinam hiſtoriam, me interprete, Græcè Latinèq; edere ſtatuiſſet integram, & tandem Nicephori Gregoræ τὰ λει-

πόμψα,quæ poſt Laonici Chalcocõdylæ editionem ſola deerant,nactus eſſet: patrono tam benigno,in re præſertim honeſtiſsima,negare meam operã non debui. Et hæc quidem neceſſaria mihi penè cauſa fuit (nam ſi fato quodam trahi me ad operas huiuſmodi dicerem, fortaſſe riderer)ab inſtituta uariç lectionis amœnitate,ad ſcriptionem haud ſanè iucundiſsimã redeundi. Poſtea,cum chartaceam meam ſupellectilem excuterem, & Epicteti, præſtantis philoſophi opera iam pridem à me conuerſa, ſed nondum abſoluta, nec ſatis emendata reperiſſem, è quorum lectione maximũ animi fructum ſtudioſos homines percepturos iudicarem: corrigendi laborem publicç utilitatis cauſa mihi nõ eſſe fugiendum putabam. præſertim cum non multo pòſt (ſic enim ſperabã,non ſatis expenſa illius Operis difficultate)ad delicias meas quaſi poſtliminio mihi reuerti liceret. Sed quid fit? Cum M.T. Ciceronis libros de Officijs in Schola ueſtra tandẽ qualicunque mea explicatione finiuiſſem, mecꝙ in portu nauigare planè crederem: ex ipſo portu, neſcio cuius Iunonis ira, in mediũ pelagus non paruæ occupationis (ut mihi quidem uidetur,& idem tentanti fortaſſe uidebitur) diuturnæ certè quidem & ſolicitæ,ſum reiectus. Nam & collegæ mei MATTHIAE SCHENCKII,uiri prudentis & docti,quicꝙ plus habet in receſſu, quàm prima fronte præ ſe ferat, hortatu, & diſcipulorũ precibus, atꝙ in primis temerariæ & mendoſæ editionis metu, quam nonnulli minabantur potius, quàm ominabantur,Commentariolos meos ueluti ſub incudem reuocare, & expendere ſingula diligentius, ſum coactus. Nec in ea re meo unius iudicio ſteti: ſed eodem,quẽ modò dixi,hortatore,cenſore etiam & Ariſtarcho ſum uſus: decꝙ illius ſententia & iudicio, multa tam in genere orationis,quàm ipſis rebus mutaui, nonnulla detraxi, quædam etiam adieci. Quid præſtiterim poſt tot doctiſsimorũ uirorum lucubrationes, & an aliquod operæprecium fecerim: prorſus (ut ingenuè fatear)

tear) ignoro. Neq; enim mihi unquam uel per ſomnium quicquam huiuſmodi uenit in mentem. Etſi enim (ut fert cæcus amor ſui) meæ cogitationes mihi non magnoperè diſplicent, & ſtudioſis adoleſcentibus (modò obtemperent) profuturæ uidentur, aut certè nō nociturae: tamen id ſatis haudquaquam eſt, niſi publico etiam lectorum teſtimonio in lucem editi libri comprobentur.

Tres mihi conuiuæ propè diſſentire uidentur,

Poſcentes uario multum diuerſa palato:

ait Horatius. Quid de me fiet: qui non tres, ſed mille conuiuas, & amplius, ad cœnulam hanc parum opiparè apparatam inuitarim? Quorū palatis tam uarijs, id eſt moroſis, & ſæpe iniquis iudicijs, in tanta opinionum & affectuum uarietate, quis ſatisfecerit? Sed omiſſo hoc loco, ut in quo tractando eum uerſari deceat, qui huc me induxit: Amplitudinem ueſtram etiam atq; etiam oratam uolo, ut impudentiæ meæ ac temeritati det ueniam, ſcholaſticum & puerile munus grauiſsimorum uirorum concilio, & ſalute ac dignitate patriæ procuranda occupato, offerre, ac potius obtrudere non dubitanti. Nam ſi edendum hoc Opus fuit (quod equidem, ut dixi, in medio relinquo: aliter enim alij iudicabunt) & libri ſine patronis non minus, quàm qui nomen autorū diſsimulant, ſuſpecti, minusq; graues habētur: qui mihi potius patroni deligendi fuerunt, quàm uos, in quorū Schola hæc dicta dictataq; ſunt? quorum munificentia ſingulari ſuſtentor? quorum deniq; fidei & patrocinio me totum cōſecraui? Quòd ſi me & miniſtrum & clientem non aſpernamini, ſed uobis & retinendū & defendendum atq; ornandum ducitis: eodem animo (ut mihi perſuadeo) has lucubrationes meas qualeſcunque, quæ liberûm loco mihi ſunt, unà mecum habebitis cōmendatas. Non peto, ut in Prytaneo, qui honos erat Athenis maximus, alantur (neque enim ita de Republica meriti ſunt, aut mereri poterunt) ſed ut uel in extremo angulo nouæ ac luculentæ Biblio-

thecæ ueſtræ loci aliquid hos fœtus meos habere patiamini. Quæ ut mediocri copia optimorum librorũ in omni genere diſciplinæ inſtructa eſt, ueſtroq́ꝫ ſtudio & benignitate indies magis ac magis exornabitur (in quo ego, ſi uita ſuppetet, omnem fidem, curam, diligentiam, ſolicitudinem meam, ut debeo, polliceor) ita ne mediocria quidem ſcripta, uti ſpero, repudiabit: uel eo nomine ferenda, ut reliquorũ præſtantia ſit illuſtrior, & ex collatione magis conſpiciatur. Deus optimus maximus Amplitudinem ueſtram, cui me ea qua decet modeſtia & obſeruantia cõmendo, & urbem uerè Auguſtam, ac Germaniæ noſtræ decus, quàm diutiſsimè incolumem & florentẽ conſeruet. Auguſtæ Vindelicorum: Calend. Martij, Anno reſtitutę humano generi ſalutis

M. D. LXIII.

Amplitudinis ueſtræ

Obſeruantiſsimus

Hieronymus Vuolfius, utriuſq; linguæ in Schola ueſtra profeſſor.

EIVSDEM, AD MATTHIAM SCHENCKIVM, Auguſtanæ Scholæ moderatorem, collegam ſuum, Epiſtola.

VIDE quantum iudicio tuo tribuam, & uoluntati: qui non modò Muſas & delicias meas, te autore, neglexerim, ac penè pro derelictis habuerim, longo iam tempore, dum commenta hæc mea (ſic enim rectius fortaſſe, quàm Commentarios dixerim) retexo, & tanquam malè materiatam, nec ratione ædificatam domum, ruinasq; minitantem, undiq; ſarcio, & quaſi tibicinibus quibuſdam fulcio: ſed & Ampliſs. Senatui noſtro dedicem, & in publicum prouolare patiar, non ſine impudentiæ & temeritatis reprehēſione. Qui enim de me ſermones erunt? Ita'ne Vuolfium, tanti nugas ſuas facere? & pueriles operas tantis uiris, tam occupatis, ut uix reſpirandi ſit ocium, obtrudere non dubitare? Adeò perfrictæ frontis eſſe hominem, ſi non doctum, at literatum tamen, & magnorum uirorum cōſuetudine tam diu uſum, qua & prudentiorem & uerecundiorem factum eſſe decebat? Num ignorat, hoc exulceratiſſimo ſeculo, non tam ornari dedicationibus librorum, quàm onerari τοῖς προσφωνουμένοις? Quòd ſi liber ipſe talis eſſet, ut grauitati & autoritati tam illuſtris concilij aliqua ex parte reſponderet: minus eſſet mirandum. Nunc principis urbis principibus uiris offerre neſcio quid, quod puerili ætati ſit aptius, toties præſertim & olim & nuper tractatum, ut crambe non bis, ſed millies repetita uideatur: quis adeò lenis eſt, ut æquo animo ferre poſsit? Quid enim afferet Vuolfius, quod ab alijs non præſcriptum ſit & eruditius & luculentius? Tanta eſſe uæcordia, ut ullo ſe fore numero, poſt Omnibonos, Marſos, Melanchthones, Eraſmos, Amerpachios, Betuleios, alios complures, arbitretur? Quid ille dicet, quod non dictū ſit prius? Nam in Scholis quidem eoſdem libellos ſępius repeti, & adhibitis doctorum uirorum commentarijs adoleſcentiæ declarari: adeò non eſt uituperandum, ut magnoperè probandum etiā eſſe uideatur. Sed in tanta multitudine librorum: ut eos nulla penè ullius Bibliothecæ amplitudo capiat: quorſum attinet canoris nugis chartas implere? Et hæc dicentur à multis primo aſpectu libri. quem tot paginis conſtare, tanta eſſe mole uideant: ut tametſi optimus eſſet, à legendo tamen uel ipſa prolixitate quemuis deterreat. Quid uerò tum fiet, ſi qui eum euoluere cœperint, & in marginibus, quid quaq; pagina tractetur, notatum uiderint? Ea uerò quàm multa & uaria ſunt? Nam cum libri de Officijs, totius penè ætatis degendæ rationem contineant, nec ullum uitæ aut ſtudiorum genus in ijs non attingatur: multa mihi dicenda fuerūt,

quibus

quibus homines moroſiores, qui uitia ſua laudari quàm reprehendi malunt, offendi neceſſe erit. Nec tamen aliter ego facere potui, ſaluo quidem officio. Nec enim tam quid fieri oporteat, quàm quid uitandum fugiendumq́ʒ ſit, in tot peſſimis exemplis, eſt imperitæ rerum ac rudi adoleſcentiæ demonſtrandum: quæ quod conſuetudine fit, rectè fieri etiam cenſet. Quid autem inter τὰ δέοντα καὶ τὰ γινόμενα interſit: uel in ſemetipſo quiuis, opinor, ſæpius quàm deceat, experitur. Quàm pauci rationem ducem (quid enim de Euangelio loquar?) in degenda uita ſequuntur? An non pleroſqʒ praui affectus tranſuerſos agunt? Quis non eſt φιλοκόλαξ μᾶλλον καὶ φιλήδονος, ἢ φιλαλήθης καὶ φιλόθεος; Quòd ſi tu à contentionibus & rixis ad ſimplicis ueritatis ſtudium & amorem homines reuoces, & motus animi à ratione auerſos cohiberi ſedariq́ʒ iubeas: eius tu quidem ſententiæ fueris autor, quæ ad Reipublicæ tranquillitatem & felicitatem pertineat: ſed eadem pleriſqʒ moleſta & odioſa ſit futura, qui ſe non admoneri, ſed reprehendi & ſuggillari cenſeant. Eſt, ut ſcis, in Prooemijs Demoſthenis ſententia: Non modò uera & publicè utilia dicenda eſſe, ſed ita etiam eſſe dicenda, ut Athenienſes ferre poſſint. Laudatur à Comico Pamphilus, cuius ſic uita erat, facilè omnes perferre ac pati cum quibus erat cunqʒ unà, ijs ſeſe dedere: eorum obſequi ſtudijs, aduerſus nemini. Qui, ſi ſapienter uitam inſtituit, quòd hoc tempore obſequium amicos, ueritas odium parit: ego ſtultè ac temerè, qui & ea præcipiam, quæ non niſi optimi quiqʒ faciant libenter: & ea reprehendam, ſine quibus uitam pleriqʒ nullam putent. Monet & Græcum Epigramma, Omnibus omnia bona dicenda eſſe, etiamſi qui non digni ſint. Quid uerò noſter Iſocrates? Δέδεικται (inquit) τοῖς ἐπιθυμοῦσι τοὺς ἀκροωμένους ψυχαγωγεῖν, ὅτι τοῦ μὲν νουθετεῖν καὶ συμβουλεύειν ἀφεκτέον· ἐκεῖνα δὲ λεκτέον καὶ γραπτέον, οἷς ὁρῶσι τοὺς ὄχλους χαίροντας. Cuius rei & illuſtre & triſte exemplum uiderat. Nam ipſius ętate contra Socratem & Poetæ & Opifices & Oratores & Demagogi, quód uera loqui, & ſalutaria potius quàm grata & iucũda multis dicere ſoleret, capitali odio exarſerant, & capitis hominem innocentiſſimum, nec Apollinem ueriti, cuius ille oraculo per totam Græciam ſapientiæ principatum teneret, condemnarant. Quòd ſi tanto uiro ſua libertas tam malè uertit: quid mihi proletario & capite cenſo literatori, & garrulo philoſophaſtro (his enim elogijs me quidam ornare ſolent) erit expectandum? Accedet fortaſſis illud quoqʒ crimen, cuius odio atqʒ inuidia noſtra ætate plurimi conflagrarunt: idqʒ & multiplex, & uarium. Quid ſi diſſentientes alioqui inter ſe & capitalibus odijs diſsidentes diſciplinæ, ſyncretiſmo quodam ad tempus reconciliatæ, in mei unius caput

omnia

omnia tela, fulmina omnia ſua coniecerint? Ne Hercules quidem contra duos. Quid uerò Therſites unus cõtra tot Hercules, Achilles, Vlyſſes, Agamemnones? Quòd niſi me de uirtute & candore tuo, ac ſingulari erga me beneuolentia perſuaſio, ſiniſtri quicquam de te ſuſpicari prohiberet: id te callidè crebris adhortationibus ad hanc editionem tuis egiſſe putarem, ut aut omnium ordinum odijs ſuſceptis, oſtraciſmo quodam, etſi non Ariſtides, expellerer: aut pulchro Critiæ non lactis gallinacei hauſtum, etſi minimè Theramenes, propinarem. Vide, uide inquam quò me induxeris. Tute hoc intriſti, omne exedundum eſt tibi. Nam ea quidem quæ in Schola noſtra & dixi & dictaui, eiuſmodi eſſe credo, ut in loco & tempore dicta dictataq; fuerint: nec aliter facere ego debuerim. Cum enim ex auditoribus noſtris aliqui & Eccleſiæ & Reipublicæ, in uarijs ac diuerſis uitæ generibus, operam ſuam nauaturi eſſe uideantur: ut de multis peccatis & uitijs in quouis degendæ uitæ inſtituto maturè præmonerentur, officium & fides mea poſtulauit. Sed illa eadem γραώδη καὶ βεκκεσέληνα καὶ ἀπεσβλόνυσα καὶ φιλαπεχθήμονα μᾶλλον ἢ κοινωφελῆ, è tenebris in lucem, ex angulo gymnaſij in forum, in curiam, in Eccleſiam, in palatia Principum, in omnes ſummorum, mediocrium, infimorum cœtus & concilia eduxiſſe: & à pueris atq; adoleſcentibus, qui æquis animis è præceptore quiduis audire ac probare ſolent, ad uiros ætate & autoritate graues, ingenio & doctrina præſtantes, & dicendi & agendi artibus inſtructos & paratos, tranſtuliſſe, & minimè cupientibus, ac potius faſtidientibus & auerſantibus obtruſiſſe & ingeſsiſſe: id iam non Vuolfij (qui nec ipſe negocium habere, nec alijs exhibere, multoq; magis in hortulis non quidem Epicuri aut Adonidis breui perituris, ſed Muſarum & Charitum perpetuò florentibus, literato quietoq; ocio frui ab ineunte ætate concupiuit, eaq; de cauſa & honores & opes & indignas homine docto uoluptates contempſit) ſed Schenckij crimen erit. Quis Vuolfium, ut ſuas nugas relegeret, impulit? Schenckius. Quis Vuolfium, ut Momum audacter ageret, induxit? Schenckius. Quis ut commenta illa ederet, Senatuiq; dedicaret, perſuaſit? Schenckius. Quis, ſi res malè ceciderit, infortunium feret? Schenckius.

Iam tua res agitur, paries quia proximus ardet.

Imò non proximus, ſed tuus. Fac igitur meditère cauſam tuam: etſi fortè

Cauſa patrocinio non bona maior erit.

Fac ad omnes inimicorum inſidias cauendas ſis paratus, fac ad

hoſtium tela excipienda, & repellenda, uel Achilleo clypeo ſis munitus. Ego enim aduerſariorum impetum ſuſtinere me poſſe diffidens, abiecto & gladio & clypeo fugere decreui, τὸν Δημοσθένην τὸν πάνυ μιμησάμενος. ἀνὴρ γὰρ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. ὁ δ' ἅπαξ ἀποθανὼν, οὐκ ἔστιν οὐδενὶ φοβερὸς, οὐδ' ἂν μηδέποτε τρόπαιον στήσαιτο τῶν πολεμίων. σὺ τοίνυν τὸ δεύτερον παρ' ἀσπίδα στησόμενος, φυλάττεσθαι τὴν λειποταξίου δίκην ἀνάγκη. Vale: & eo animo defendendum eſſe Vuolſium, quo cohortatus es, & in hoc diſcrimen adduxiſti, memento.

MATTHIAE SCHENCKII AD HIE-*ronymum Vuolſium Epiſtola Apologetica.*

EGo uerò uideo, Vuolfi doctiſsime, ac facilè quidem, quantum iudicio meo tribuas: tantum ſcilicet, quantum par eſt, & mea ſtulticia dignum: qui quod de meo conſilio feciſti, aut facere certè decreuiſti, prudenti nemini poſſe probari putes. Nam certè quidem, ſi ſatis intelligo, huc tota illa tua ad me ſcripta benè longa Epiſtola ſpectat, autorem me tibi fuiſſe & cõſilij imprudentis, & facti temerarij. Eſſe enim primùm ſtulticiæ cuiuſdam magnæ, poſthabita priuatæ lectionis ſcriptionisq; uoluptate, (quam maximi ſemper feceris, unamq; propè ſpectaris) laborem ſuperuacaneũ inutileq; capere ſcribẽdi poſt Homerũ Iliada: hoc eſt, poſt Omnibonos, Marſos, Eraſmos, Melanchthones, Amerpachios, Betuleios, & neſcio quos alios, in officia Ciceronis, commentarios: eiuſmodi præſertim, quales ſint tui: prolixiores quàm par ſit, & ad tempora hæc noſtra, quibus (ut ille de tyrannis dicebat) ἢ ὡς ἥκιστα, ἢ ὡς ἥδιστα ſcribere neceſſe ſit, minimè accommodati. Deinde, impudentiæ & temeritatis eſſe non paruæ, eos ipſos pueriſi ætati confectos, principis urbis principibus uiris, quibus ab occupationibus publicis uix reſpirandi, nedum nugas tales ſcholaſticas legendi ſpacium concedatur, dedicare atq; offerre. Quo cum nihil mihi obijci poſſe turpius uideatur (quis enim, ut de denegata mihi abs te iudicij integritate nihil dicam, ſe æquo animo de uiolata amicitia accuſari patiatur?) officio meo conuenire arbitror, hanc ut neglectæ famæ hominis eruditiſsimi, mihiq; coniunctiſsimi maculã eluam, & refutandis rationibus, quibus & conſiliũ meum & commentarios tuos exagitas, me tibi facti neq; inhoneſti neq; ſtulti autorẽ fuiſſe, Lectori candido oſtẽdam. Ac primùm quidem ad autorẽ ipſum quod attinet, dubium non eſt, quicquid ad explicandos ſcriptores optimos cùm temporis tum laboris à uiris doctis confertur, id optimè collocari. Optimos autem cenſendos, qui & res tradunt hominum uitæ utiles, cognitioneq; dignas, & orationis genere utuntur puro copioſoq;: hoc eſt, & ad benè dicendi, recteq; ſentiendi facultatẽ conferunt: & ad uirtutẽ, morũq; confirmationẽ ac temperantiã, momenti aliquid afferunt. Quo in numero Ciceronis libros, quos de Officijs ſcripſit, eſſe, adeò eſt manifeſtũ, ut qui id neget, ſe ſano eſſe iudicio neget. Nã ſi res ipſas ſpectemus, cũ multa ſint in Philoſophia & grauia & utilia, accuratè copioſeq; à philoſophis diſputata: certũ tamen eſt, ea quæ de Officijs ab illis præcepta ſunt & cõſummata, non latiſsimè modò patẽre, ſed & ad inſtituendã honeſtè uitã plurimùm prodeſſe. Si orationis genus cõſideremus, obſcurũ nemini eſt, qui uel à primo limine literas ſalutauit, eſſe diuinã quandã Ciceronis in dicẽdo cùm copiam atq; ubertatẽ, tùm elegantiã atq; ſuauitatem: ac tantam quidem, ut eloquens ſolus propè, etiam ſuo illo literatiſsimo ſeculo, ſit habitus: atque laudatum illorum ſemper ſtudium ſit, qui in ſcriptore tam graui atq; diſerto explanãdo, elaborandum ſibi du-

xere. Quod idem cum tu quoq; feceris Vuolfi, prælegendis ijs quos paulò antè dixi de Officijs libris, imprudentiæ nota inuri certè quidem tibi eo nomine nullo modo poteſt: ut nec ob Annotationes in eos ipſos libros conſcriptas atque editas. de quibus, quoniam magis laboras, reliquum eſt, ut quemadmodum inſtitui, nunc aliquid dicam. Neq; enim neſcio, nō id inter nos nunc agi, quid ſit abs te prudenter in Schola propoſitum: ſed illud, mea'ne prudentia, uel ætate potius (nam prudentia certè quidem nulla, aut perquam exigua eſt) dignum fuerit, ſuadere: tua autem, committere, ut quæ dictaſti illic pueris, in lucem etiam proferantur, & in conſpectum ſummorum uirorū ueniant. Hic uerò (inquam) noſtræ diſcrepant ſententiæ, diſsident uoluntates, & non conſentiunt animi. Tu enim premenda ea tanquā puerilia putas, ego ut erudita proferenda cenſeo. Tu fraudi tibi atque dedecori futura ducis, ego contrà non paruam tibi laudem allatura iudico. Tu, ut ſuperuacanea nullum ea habitura eſſe uſum clamitas: ego, futura ſtudioſis eſſe utiliſsima diſputo atq; contendo. Quam uerè uterq;, iudicabit facilimè Lector: qui, ſi à literis alienus non ſit, qualem nos requirimus, ea minimè eſſe uulgaria ac contemnenda, facilè, me tacente etiam, intelliget: ſi uir bonus, non araneæ inſtar ſuccos optimos, unde uel mel dulciſsimum confici queat, in uenenum uertet: & propter næuum unum aliquem, ſi quis fortè apparuerit, corpus totum, cætera pulcherrimum, illudet: ſed diſsimulatis, pro ſuo candore, uitijs atq; næuis, conremplandis conſiderandisq́; eius dotibus atq; uirtutibus, ſe oblectabit. Quod cum ita ſit, illud unum ad explicandum mihi probandumq́; reſtat, non eſſe ſuperuacaneum hunc tuum commentarium iudicandum: nec, ſi aliorum, & eorum quidem doctiſsimorum uirorum, quos nominaui iam antè, Eraſmi, Melanrhonis, &c. iam extant in eum ipſum librum ſcriptæ Annotationes, tuas edendas propterea non eſſe, ut quodam opinionis errore tu putas. Nam ut miſsis longis uerborū ambagibus, rem ipſam uideamus: Num quod uſum in uita habet magnum, ſuperuacaneum dici ullo modo poteſt? aut poſteriores quiq; Commentarij uſum in ſtudiorum ratione habent nullum? An uerò potius hîc quoq; habet illud Græcorum locum, ὅτι καὶ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι? ita quidem, ut poſtremi quiq; nō rarò ſint prioribus anteferendi: aut certè quidem ea complectantur, quæ in reliquis non reperias. Magna enim eſt, ut corporum, ita ingeniorum diſsimilitudo atq; uarietas, non eſt par omnium erudirio, non diligentia atq; induſtria eadē: ſed alius intelligendi acumine, alius inueniendi ſolertia, alius explicandi facultate, alius deniq; alia re præſtat atq; excellit. Quo fit, ut unus ferè quiſq; interpres, aliquid peculiare & ſuum, idq́; non contemnendum ex ſuo iſto eruditionis penu depromat atq; afferat: neq; facilè duo aliqui inter ſe ita modis omnibus conſentiant, ut carere alterutro uelis. Etenim ut ingenium alij aliud eſt, ita aliud ferè etiam in enarrandis autoribus conſilium: unde fit, ut cum plures eundem explicent ſcriptorem, eundem tamen finem non ſpectent, aut ſcopum ſibi proponant. id quod etiam ab huius ipſius Operis (quo de iamdudum agimus) interpretibus factum eſt: quorum alius uocabula tantum rariora, & ſententiolas

tentiolas obſcuriores, quas explanaret, excerpſit: alius lectionis uarietatem & hiſtotias annotauit: alius in συνοψίᾳ Operis oculis lectoris ſubijcienda: alius deniq; in congerendis conferendisq; aliorum autorũ ſimilibus dictis elaborát: nemo auté omnium propè, te uno excepto, cauſas etiam præceptorum indicauir, ueritatem falſitarem ue oſtendir, uſum monſtrauir, ad ſua tempora accommodauit, & cũ ſui ſeculi moribus cõtulit. Quo magis equidem miror, quid in mentem tibi uenerir, Cõmentarios longè præſtantiſsimos, laborem inutilem & ſuperuacaneũ identidem uocare, & odioſa crambes recoctæ appellatione, tanquam ignominia quadam notare. Non enim hęc crambe eſt: aut ut ſir, certè ira recocta non eſt, ut non gratiſsima ſit futura palato etiam faſtidioſiſsimo, delicatiſsimoq;. Etenim ſi cibum eundem, aliter atq; aliter coctum, à conuiuatoribus etiã lautiſsimis ditiſsimisq; apponi ſæpius, citra reprehenſionem, uidemus: quòd illa condimentorum uarietas & coquendi induſtria, non faſtidium tantùm leuat, ſed & laudem mereri quandam uidetur: quid in Librum eundẽ, modò hac, modò illa quaſi cõdîtum Annotationum acceſsione, gratũ accidere Lectori poſſe ſperemus? Quare tu loco crambes ſæpius repetitę, illud Platonis poſthac uſurpa Vuolſi, ὅτι δὶς καὶ τρὶς τό γε καλῶς ἔχον: & contra obtrectatores, ſi ſit opus (neq; enim defuturi illi ſunt: aut tu ita fœtum hũc tuum abijcies, ut nullas eſſe tuas in eo fouendo tuendoq; partes putes) Si ergo ſit opus, te cõtra obtrectatores, cùm ijs quas iam expoſui rationibus, tùm aliorum interpretum, Homericorũ præſertim, defende: qui ſi turpe eſſe crediſſent, eundem autorem à pluribus explanari, non ſexaginta & amplius fuiſſent. Iam ad prolixitatem Operis quod attinet, quam tu ipſam quoq; parum gratam Lectori futurã putas, ſcio ipſe, non eam prolixitarem eſſe, cum de rebus amplis lateq; patentibus, longior paulò inſtituitur oratio: ſed cum res tenues atq; exiles tractãtur copioſius, & dilatantur latius. quod abs te factum adeò non eſt, ut ſæpè mecum, inter relegendum, breuitatem, in tanta rerum ampliſsimarum copia, accuſarim tuam. Nam quid doctrina de officijs excogitari poteſt uberius ac copioſius, quæ uniuerſam generis humani ſocietatem complectitur, & ad omnem ætatem atque Fortunam pertinet, ita quidem, ut nulla uitæ pars, neq; publicis neque forenſibus neq; domeſticis in rebus, neq; ſi tecum agas quid, neq; ſi cum altero contrahas, uacare officio poſsit. quod tamen quia non pauci hodiè turpiter, ſiue inſcitia & ignoratione officij, ſiue malicia & improbitate negligunt: admonendi utiq; illi in his de Officijs libris, officij ſui abs te fuere. Quis enim, officij ratio quid poſtulet, ira exponat, ut non ſimul cum eo quid pugnet aut diſcrepet, præſertim ſi in promptu id ſit, lectorem admoneat? quis, uitę honeſtę ratio quid requirar, alios doceat, ut non quid improbè ab hominibus ſiat, commemoret atq; indicet? aut uirtutis præcepta citra uitiorum inſectationẽ tradat? eo pręſertim tempore, quo non corrupta, labefactata, afflicta, ſed fracta, extincta, ſublata diſciplina bona & uitę honeſtas omnis eſſe uideatur. Nam certè quidem uir bonus & doctus nemo eſt, quin cũ ferri ſurſum deorſum omnia uidet, nulla propoſita uirtuti eſſe pręmia cernit, nulla conſtituta uitio ſup-

plicia animaduertit, ſed eſſe ſentit ὅ τ' ἐνὶ θυμῷ, ὅ μὲν κακὸν, ὅ δὲ καὶ ἐσθλὸν: ſæpius exclamet, O' tempora, ò mores: Imò uerò, qui non dolorem quem incluſum animo reprimere & diſſimulare nō poteſt, inſectandis quanta poteſt maxima orationis uehementia uitijs prodat? præſertim ſi, ut tu, id argumentum tractet, cuius hæc, quam dixi, uitiorum inſectatio eſt quaſi propria. Neq; enim is ſum, qui quærere quenquam eius rei occaſionem uelim, aut caninam eorum facundiam probem, qui carpere mores aliorum, quàm agnoſcere ſuos malunt, magisq; exagitandis hominum uitijs, quàm prædicandis uirtutibus delectantur: ſed illud contendo, hoc uolo: uerſari in declarandis honeſtę uitæ præceptis, his quidem hominum moribus, uirum bonum non poſſe, quin multa, ut turpia nobis, ita parū grata in nos dicat, idq; non tam ſua aliqua culpa quàm ſtulticia & improbitate noſtra: qui, ſi homines eſſemus, reprehenſionem iuſtam profectò non tam odiſſemus, quàm emendandis moribus caueremus, nec tā obiurgatione quàm delicto doleremus. Quæ omnis eò pertinet oratio, ut intelligas Vuolfi, facilitatem nimiam iſtam, omnia omnium dicta factaq;, etiam non honeſtiſsima, ſi non approbantium, diſsimulantium certè, probari uiro bono nemini poſſe: tibiq; metuendum nequaquam eſſe, ne Lector candidus atq; cordatus (cęteros enim *ἐς κόρακας* ablegemus) inſectatione illa uitiorum, quæ aſperſa interdum tuis his Commētarijs eſt, offendatur. uſus enim ea es primùm, ut dixi, rara: tum ſcilicet demum, cum res poſtulauit ipſa, nec citra præuaricationis ſuſpicionē prætermittere potuiſti: deinde loco minimè alieno, ſed quo decebat maximè: poſtremò citra ullam contumeliā, & nullo cuiuſquam hominis aut ordinis odio, ſed ut homine philoſopho dignum eſt, ſolo propagandæ uirtutis amore, & abſterrendę à uitijs adoleſcentię ſtudio. In qua tanta calami moderatione, cauſa nulla eſt, cur triſtem aliquem & Socratis ſimilem pertimeſcas uitæ exitū. Eum enim ſi te metuere dicas, illud dicere nobis uidebere, futurū ut tui interfectores, nō minus quàm illius, crudelitatis atq; impietatis ſuæ mox pœniteat: quippe qui audituri ipſi quoque paſsim ſint, *ἐκτάνετ' ἐκτάνετε τὰν μηδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα μουσᾶν*. Quod cum ad laudem tuam pertineat (quam te ut ſpectare, ita ſperare ex hoc ſcripto tuo, ullam negas) uide ne cui eôdem pertinere illa quoque tua de Socrate narratio uideatur. Niſi fortè metuis, ne de hæreſeos crimine ſuſpectum te Commentarius hic tuus reddat: qui quæ ad religionis doctrinam attinent, adeò in eo nō tractas, ut metuendum ſit, ne eo ipſo nomine malè apud nonnullos audias. Notas interdum paucis Theologorū noſtri ſeculi mores, *φιλονεικίαν* præſertim, qua fieri uides, ut omiſſo *τῷ ἔργῳ*, ad neſcio quę *παρέργα*, ſubtilia magis quàm utilia, & ad oſtentationem magis quàm Eccleſiæ commodum comparata, delabantur: quod qui diſplicere ſibi dicet, ſe aut cæcum eſſe, qui fieri hoc non uideat, aut iniquum, qui reprehendendum non eſſe putet, fatebitur. Sed deſino, atq; ad dedicationē ipſam Operis accedo, cuius te non magis quàm editionis pudere, meo iudicio, debet: me certè quidem dati ea de re conſilij nequaquam pœnitet. Neque enim feciſſe mihi ineptè uideor, ſi cum te lucubrationes alias tuas omnes dedicaſſe alijs

anima-

animaduerterem, & pletaſq; quidem ijs, quorum quàm plurima exta-
rent in te maximaq́; merita: Librum pubi Auguſtanę ſcriptum, ijs potiſ-
ſimùm offerendum dedicandumq́; cenſui, qui Rempublicam Auguſta-
nam adminiſtrant: quorum benignitati referre accepta, quæ in hoc ge-
nere ſcribuntur abs te, debemus (mea ſententia) omnia, à quibus es in
hac ſtatione collocatus, & ocium tibi (ut de cæteris ſubſidijs nihil dicã)
ad conſcribendos Commentarios hos eſt liberaliter ſuppeditatum. Se-
natui dico, Reipublicæ huius ampliſsimæ: cui nõ uideo cur hoc tam il-
luſtre eruditionis diligentiæq́; tuę teſtimonium, diſcentium ſtudijs uti-
le, Scholæ honeſtum, ipſi Reipublicæ glorioſum, non ſit futurum longè
gratiſsimum. Me certè quidem beatum iudicarem, ſi uel umbram cor-
poris, hoc eſt Operis tam ptæſtantis imitati, atq; ex ingenij mei paupere
penu depromptam, offerre teſtificandæ gratæ uoluntatis ergò, uiris tan-
tis poſſem. Sed quia denegatũ id mihi, neſcio quo fato, eſt, homini ob-
ſcuro, & Scholæ pulueribus tenebriſq́; nato: quod proximũ eſt, quodq́;
unum poſſum, facio, ut ad idipſum alios, te præſertim Vuolfi humaniſ-
ſime, in hac hatena iam diu & magna cum laude uerſantẽ, incitem atq;
cohorter. neq; id ſanè infeliciter: quippe cuius beneficio, hoc eſt inſtin-
ctu atq; horatu, nunc Commentarius hic exit, nõ tuus iam magis quàm
meus, qui eum repugnanti ac tergiuerſanti, imò inuito tibi extorſi. Quis
enim eum ut puerilem & lúce indignum, contempſit, exagitauit, riſit?
Vuolfius. Quis, ut ad nullam rem utilem, relegere atq; emendare diu re
cuſauit? Vuolfius. Quis intra Scholę noſtræ parietes contineri eum, atq;
deliteſcere perpetuò uoluit? idem ille (inquam) Vuolfius. Quis contrà
eum ut eruditum, ut utilem, ut aureolum, probauit, magnifecit, lauda-
uit? Schenckius. Quis retexendi, expoliendique eius laborem ſuſcipere
Vuolfiũ improbè flagitando coegit? Schenckius. Quis deniq; ut diuul-
gatetur atq; exiret, effecit? Certè Schẽckius. Quid reliquũ, niſi ut Vuolfio
nulla referatur à quoquam, pro hoc Opere, gratia: Schenckio uerò maxi
ma: & quia dubium nõ eſt, caſutam rem quàm optimè, ut laudem is pro
infortunio ferat. Habes epilogum (reliqua enim Epiſtolæ tuæ, lubens,
ne ſim longior, ptætereo) ἀκκισμῷ tuo dignum. Quod reliquum eſt, be-
nè uale: quoſq́; in manibus habes in Catonem Commẽtarios, quàm pri
mum abſolue: ut ſi coniungi cum his minus poſſunt, non longo
tamen eos interuallo ſequantur. Auguſtæ, poſtridie
nonas Febr. Anno 1563.

EMENDATIONES ERRATORVM IN Commentarijs de Officijs.

HIERONYMVS VVOLFIVS CANDIDO LECTORI S.

QVia plurium opera in deſcribendis his Cõmentarijs utendum fuit, eorumq́; adoleſcentum, ac propè puerorum: facilè præuîdi errata fore plurima: quorum inſigniora nunc τὸν δεύτερον πλοῦν anno tabimus, additis etiam Caroli Langij (qui utinam pro eruditione, & diligentia ſua totum Ciceronem nobis expoliat, ut cœpit) correctionibus. Quas ſi maturius accepiſſem, nonnulla fortaſsis aliter tractaſſem. Prodierũt interim & Melanthonis, & Cracouij, & Corneri, celeberrimorum & doctiſsimorum uirorum lucubrationes: quas ſi præſciſſem, magis etiam laborem meum contempſiſſem. Nunc quia quod factum eſt, infectum fieri nequit: peto atq; oro, candide Lector, ut æquitatem, uiro bono ac docto, id eſt ueritatis & æquitatis amante dignam adhibeas, abiectis uulgaribus iſtis præiudicijs, μεθ' ὅμηρον ἰλιάδα. Dixerunt & ſcripſerunt alij plura & meliora (quis enim neget?) Sed & nos neq; pauca, neq; (modò æquis animis accipiantur) prorſus aſpernãda. εἷς γὰρ ἀνὴρ οὔτε πάνθ' ὁρᾷ, οὔτε ἴσως παρορᾷ. Σὺν δὲ δύ' ἐρχομένω. Vale, atq; etiam (quod penè exciderat) ſicubi in citãdis autoribus falſi ſumus: τὰ μνημονικὰ τῶν σφαλμάτων (quæ haud ferè quiſquam τῶν πολυγράφων, niſi abundans & ingenio, & ocio quorum ego neutro gloriari poſſum, cauere ſolet) pro eruditione tua ipſe corrigito.

Pagina 2. Verſu 35. utriuſq; linguæ, adeò, &c.

3.1. *habere utilitati*

7.1. *κοινωφέλειαν*

10.30. † *faciundum*

14.5. *inculcanda ſunt: eaq́; de cauſa iudicium Rhetores quidem cum inuentione coniunxerunt, ſed tantum, &c.* *uerſ.42. ex admiratione, Rhodi præſertim, ubi Apollonius Molonis*

Pag. &c. Plutarchus in Cicerone: Σὲ μὲν, ὦ κικέρων, ἐπαινῶ καὶ θαυμάζω· τῆς δ' ἑλλάδος οἰκτείρω τὴν τύχην, ὁρῶν, ἃ μόνα τῶν καλῶν ἡμῖν ὑπελείπετο, καὶ ταῦτα ῥωμαίοις διὰ σοῦ προσγινόμενα

16.27. *quibus eas diſcendi*

17.10. *conduplicari*

34. *Aliquantum autem*

20.20. *in margine, Magiſtratus intereſſe*

36. *examinationes*

21.27. *quàm nos Stoici*

23.20. *ſed etiam præferantur. Et quidem eſt hæc conceſsio facilis, ſi id tibi ſerues, quod aut eſt, aut habetur præſtãtius: ut ſi Iuriſconſultus aut Medicus Grãmatico utriuſq; linguæ ſcientiam concedat, iuris & naturæ rerum cognitionem ſibi aſſumens. Idem & Virgilius 6. Aeneidos facit, his uerſibus:*

Excudent alij ſpirantia mollius æra,
Credo equidem: uiuos ducent de marmore uultus,
Orabũt cauſas melius, cœliq́; meatus

Deſcri-

Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent:
Tu regere imperio populos Romane memento,
(Hæ tibi erunt artes) paciq́; imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

24.7.δι' ἀληθείας
22.*Carolus Langius, quem poſthac literis C.L. notabo: qui iam illis ferè æquarunt*
24.40.ἀντιπάλων
28.24.τοῦτ'
26.πυθαγόρου)
31.14.*ſententiarum ueritatem*
32.23.*C.L. ad te ſcribere, multa poſthac*, ἀσυνδέτως
35.32.*pleriq́; magis*
36.28.*Sed hic locus etſi ad*
29.*haud tamen eſt ab*
39.*Deo paret.* ὁ λόγος γάρ ἐστιν ὁ διάκτορος ἑρμῆς, ὁ ὑπὸ Διὸς τοῖς ἀνθρώποις πεμπόμενος*: ut ingenioſè ſcribit Epictetus noſter.*
37.3.*C.L. in eoq́; & colendo, & negligendo*
38.14.καρδιογνώστης
39.12.*nec hic*
42.*deprehēdit homo indoctus. ſibi*
40.41.*peruertunt*
41.10.*hac noſtra calamitoſa ætate.*
43.22.*Dialectici quidam*
46.13.*morbis & morti*
47.3.*Phalanthi*
48.27.*unde Poetæ, ut alia quoq;*
52.5.*quæ è ratione, quæ ratione*
19.*uulgari ſermone*
53.6.*quid fugiendum ſit. In quo genere ſedulò cauendū, ne cum uita mirabiliter pugnet oratio. Nam unde aliàs tantus doctorum, præſertim ſacrorum, contemptus?*
20.*ſe uerſari erroribus*
30.*præceptorū eſſe dicūtur. Quod ſi quis à me in hoc ipſo factū eſſe Opere negarit: ei ego reſpondebo, ſicubi id non fecerim, uel Ciceronem ipſum id præſtitiſſe: uel non eſſe opus, fuiſſe uiſum: uel prolixitatis tædium fuiſſe declinandum. Nam ſi quis me fortè putet (ſunt enim ieiuni quidam atq; maleuoli homunciones, qui alios omnes ſuo pede metiantur) uel in hiſtorijs & poeſi minus uerſatū eſſe, uel memoria deſtitutū, inquiſitionis fugere tædium cenſeat: is cogitet uelim, quàm exiguo, ac nullo potius labore, quantam copiam ſuppeditare mihi potuerint, quæ uulgò etiā ſtudioſorū ſunt in manibus, Apophthegmatū, Gnomologiarū, & id genus ſcriptorum farragines.*
55.31.ἀνθρωπότητα
35.*C.L. Hoc autem commune: officium uocant. Atq;, &c.*
56.23.*C.L. id eſſe dicant*
61.4.*quam Cæſar oppreſſum it*
64.10.*C.L. Nā aut honeſtū ne factu*
63.29.*C.L. tum aut anquirūt, aut conſultant*
64.3.*autem intelligo*
65.9.*naturalem hominis cum*
66.42.*calumniatorem uitare, difficilius*
68.5.*utile eſſe definit*
71.17.*opinioni confirmatæ*
73.3.*in luſtris ac ganeis*
8.*quid Chriſtianos*
25.*tantum quantum ſenſu mouetur, ad id ſolum*
40.*Sed inter hominem*
74.32.*in margine, ſi quis beſtia*

76.15. ὡς γὰρ ὀνείρῳ
40. *oculus quidam*
78.8. *non rectè argumenteris*
79.4. *C.L. Eadem natura, ui, &c.*
27. ἀνομοιότητος
82.31. *coniunctæ*
83.22. *mercedis, diuites adoleſcentes*
89.34. *res corporeæ & fortuitæ*
35. *cernitur*
90.24. *C.L. Qui ſit ordo, qui modus*
33. *de Phiſon enim*
36. *uirtutis. Naturæ rationiſque) Græcè fortaſſe dixiſſet, τῆς λογικῆς φύσεως. Sed, &c.*
93.1. περφυσημένους
24. ἔτλης
95.30. *ducem & gubernatricem*
96.20. *pietas. nam de Deo*
98.25. πᾶσ' ἀρετή 'στι
99.18. *certa officiorum*
105.14. *Atq; etiam*
108.34. ἀρεσκεσθαι λόγους
36. συμποσιαγωγοῖς
110.31. *Mentem illius meliorem*
111.5. *ſcholaſtici*
115.42. *animi cura & morum*
118.17. *indices*
36. *C.L. Beneficentia*
121.17. *C.L. quod cuiq; obtigit, id quiſq; teneat. Ex quo ſi qui ſibi appetit*
122.1. *C.L. partem patria uindicat, partem amici, atq;, ut placet Stoicis*
3. *C.L. ad uſus hominum*
32. τοῖς θεοῖς
123.2. *expreſſiſſe*
124.2 *ut ſit agricolæ*
41. *C.L. timet niſi id fecerit ipſe*
126.1. *C.L. aggrediuntur, ut adip. (uoce nonnulli repudiata)*
127.11. *ut eos*
12. *C.L. gloriæ cupiditatem*
32. ἄλλοι ἐπ' ἄλλοις

129.31. *culpa contaminabitur*
139.14. *C.L quos tutari*
132.34. *C.L. Nam alterum iuſticiæ genus aſſequuntur, non inferunda iniuria ne cui noceant: in alterum iniuſticiæ incidunt, quos tueri debeat*
133.27. *quàm inſequentes*
134.24. *magna ex parte*
135.16. *Timon, & Demoſthenis ſenis uox orcum populi intemperijs præferentis*
34. *C.L. Quando igitur duobus*
136.8. *afficimur. Pindarus:* τὸ οἰκεῖον πιέζει, ἀλλοτρίων δ' οὐ μέλει. *Sua quenq; premunt, aliena non mouent.*
134.34. *Carolus Langius, qui utinam de Cicerone benè mereri pergat, eã lectionem reſtituit ex antiquis codicibus: quam, ut coniecturæ meæ declarant, ego ueram eſſe ſum ſuſpicatus. Is igitur locum hunc ita reſtituit: Commutantur, fiuntq; contraria: ut reddere depoſitum, facere promiſſum: quæq; pertinent ad ueritatem & ad fidem, ea migrare interdum, & nõ ſeruare, ſit iuſtũ.*
139.30. *C.L. cõmutatur officium: & non ſemper eſt idem*
33. *grauis momenti*
140 36. χρυσολόγοι
142.32. *C.L. quæ deceptus dolo,*
143.28. *mandati ageretur*
145.13. *C.L. Labeonem, ſeu quem aliũ*
147.14. *C.L. ut & ipſe ne quid tale poſt hac, & cæteri*
149.20. *C.L. Sed credo aliquid ſecutos, opportunitatem loci maximè*
150.38. *utcunq; excuſare*
152.4. *murum aries*
23. *abuti, ut fecerunt olim Græci. minus enim hoc odioſum eſt, quàm ſi de*

ſi de noſtris temporibus loquamur
153.6.*C.L.M.Popillius Imperator*
14.*C.L.iure cum hoſtibus pugnare*
29.*C.L. eum dimiſſum eſſe factum*
156.21.*C.L.quòd peieraſſent*
34.*in nonnullis enim*
159.17.*exigendam*
163.34.*neq; liberalitatem*
167.24.*omnes uirtutes*
168.22.*C.L.ſed cũ ijs, quib. præclarè*
171 30.*C.L.An imitari*
172.23.*negligi ſine*
173 13.*à perpaucis grato animo*
177.41.*diſertiſsimus*
180.14 *cum illi.C.L. nihilominus ipſi lucet,cũ illi accenderit.Si qui uelit*
30.*non hominum tantùm*
181.41.*C.L.Vt enim ab illa infinita*
182.29.*Linguæ qua*
183.17.*utcunq; conſuimus*
184.2.*C.L. id quod Pythagoras ultimum in amicitia putauit*
185.9.*C.L.ex beneficijs ultrò & citrò datis acceptisq;*
20.*C.L.nulla eſt gratior*
31.*perclitentur*
186.21.*principes ſint*
188.4.*C.L.& addendo ducendoq; uidere*
27.*in margine,& riſui & prædæ*
190.16.*C.L.ex quo ortum eſt officiũ*
191.13.*De uirtutibus, &, ſi qui fortè ſunt his meliores*
30.*C.L.Illa uirago uiri*
192.6.*C.L.Declaratur autem*
194.34.*C.L.ita uult princeps omniũ maximè,uel potius ſolus eſſe*
195.11.*erudiri eſt opus*
204.9.*quæ continet*
205.10.*Aeſchinis exulantis*
20.*ad ſuum arbitrium*
207.33.*à Republica*
227.10.*C.L.Nec uerò audiendi qui grauiter*
228.18.*impudenter*
229.20.*C.L.qui punitur aliquem*
231.18.*C.L.ſuperbiam magno operè,faſtidium,arrogantiamq; fugiamus*
233.13.*inflati opinionibus,hos Græci* οἰηματίας καὶ φρονηματίας *dicũt*
20.*agnitione ſpoliant*
234.1.*C.L.qui Reſp.regant, quòd eorũ adminiſtratio*
14.*beneficentiæ pateat*
40.*uitæq; hominum*
244.18.*C.L.natis ſepulcro*
245.17.*natis ſepulchro*
250.36.ψυχικὸν
251.11.*multò &*
14.*C.L.cuius non poſsis*
255.13.*C.L.ioco,uti illo quidẽ licet,ſed ſicut ſomno,& cæteris,tum*
256.34.*C.L. Alter eſt, ſi tempore fit, ut ſi remiſſo animo, homine dignus:alter, ne libero quidem*
257.9.*eſſe natam? Idem* ταῖς χάρισι σπένδειν, *eundem monuit*
10.*ſeueritatis*
258.2.*ita pleni*
3.*ludat'ne*
258.29.*C.L. ut ne nimis profundamur,elatiq;:* ὅπως μὴ ἄγαν ἀρχεώμεθα, ἢ ἐκχεώμεθα. *Quid ſi? ut ne omnia profundamus*
259.13.*hoc eſt,neq;*
33.*C.L.ad eamq; feruntur impetu*
34.*C.L.alitur & cogitãdo,ſemper*
260.26.*quenquam magis*
263.25.*C.L.exiſtunt etiam maiores*
266.26.*C.L.alium quidem quamuis*
29..*C.L.Q.Mutio Mancia*
267.18.*tenenda)alij tuenda*
268.16.*fertur: de quo illud dicteriũ, Facetum magis quàm humanum*

(*neque enim inſultandum calamitoſis*) ἑρμογένης ὁ ἐν παισὶ γέρων, ἐν δὲ γηράσκουσι παῖς
30.*C.L.æqualitas uniuerſæ*
32.*C.L.naturam imitans,*
269.17.*deinde ſi magnitudo*
34.*fortè hæc*
40.*C.L.mortem ſibi ipſe* αὐτόχειρα γενέσθαι ἑαυτοῦ.*Sic alibi ſæpe ipſe,pro ipſi & ipſis, legitur*
270.4.*C.L. Catoni cum incredibilē*
32.*C.L.& cum mulieribus*
271.9.*C.L.maximè ſuum*
39.*C.L.Mediumq́;*
42.*C.L.non uidebit ſapiens in uita*
272.15.*C.L.Si aliquando neceſſitas*
38.*C.L.nobiſmetipſi*
274.2.*ſtudiorum finis*
276.6.*C.L aliqua gloria*
277.13.*C.L.amiſſa imitatione*
31.*Plutonia illa*
278.34.*C.L.quod optimum eſt*
279.38.*cum doctoribus*
286.39.*conſilio adeſſe. In promptu ſunt, Aeſchyli, Sophoclis, Ennij, Virgilij, Silij Italici,aliorūq; plurimorum exempla.*
287.12.*deditus:quo Reip.*
20.*minor fuerit*
288.31.*imitandos*
292.15.*C.L.ætatis inſcientia*
293.14.*Sarpedon magiſter*
295.18. ὀνειρωγμὸς, καὶ ἐξονειρώξεως *attinet:hi rariſsimi*
23.*uixerit*
34.*in margine,pericula ferri*
299.42.*repulſas*
301.28.*C.L.ſi in eiuſmodi rebus*
302.10.*in marg.præſertim ignaua*
303.6.γῆρας. 10.*Iouis & Veneris*
15.*oppreſſa*
18.*Sol,& ☉ pars Fortunæ*

37.*propter*
40. τὸ χαλεπώτατόν ἐστιν οὐ μόνον τὸ ἑαυτὸν γνῶναι καὶ ἀδικούμενον ἀνέχεσθαι, ἀλλὰ καὶ τὴν σχολὴν εὖ διαθέσθαι:*hoc eſt, Difficillimum eſt nō modò ſe noſſe,& ferre iniuriā,ſed etiam rectè ocium collocare.*
304.13.*hic diſtinguat*
26.*togati*
307.38.*tam à uulgo*
39.*abitus*
42.ὀρθοῖς
308.1.*parui defendant*
29.*C.L.anquirere. ſic alijs etiam pleriſq; in locis*
310.4.*C.L.apud quoſq;*
311.36.*C.L.deaudiendi,* κατακούειν
38.*quæ turpia non ſint*
312.23.*ſed uita*
28.*C.L.accubitio,teneant*
34.*Nam iſti certè quidem*
313.6.*ut in ſcena*
314.15.*Hinc Iſocrates.* τὸ *ſic, dele*
34.*quæ ad morum ſiue ciuilitatē, ſiue urbanitatem &*
315.39.*ingreſſu*
41.*ora torquentur*
317.34.*inuentrix & autor*
318.35.*applicata conſideratio*
40.*in os inſeratur*
319.14.*cumulandis*
22.*aſpectu tabido*
320.17.*immenſa*
26.*impetrare*
321.8.*dijudicandis*
322.8.*incidamus:ſic, Ariſtippū imitati,ſuauius dormiemus,quàm importuni uictores*
17.*inſectatione*
34.*qui ſtudeant*
323.13.*Athenæi*
324.4.*in margine,manca pro matura*
38.*C.L.*

38.C.L.nihil fuit in Catulis
325.34.in nullis exemplis
35.eumq́; imitari
327.40.ſtultè.Inſcitiam enim, ut Heraclitus ait, cælare præſtat
328.33.id fiat.Epictetus autem de alijs dicere multum ſiue laudando, ſiue reprehẽdendo, uetat: fortaſſe quòd alios non ſatis nouimus, ἀνθρώπους γε, ζῷον φύσει δυσμετάβολον, ὄντας. & ijs pleriq; ſunt ingenijs, ut neq; ſe & ſuos reprehendi, neq; alium quenquã laudari, æquis animis patiantur. De rebus igitur tutius, quàm de perſonis dicitur: etſi ne hic quidem offenſio moroſitatis caueri poteſt. Quam qui reformidarit: aut perpetuò taceat, aut aſſentetur omnia neceſſe erit.
330.26. † V.L.cœpit
39.æquè ſudent
331.9.C.L.utcunq; aderunt.Neq; enim eiſdem de rebus
332.2.C.L.ſed quo modo in omni
333.6.ſermonem conferemus
35.hominum.Sunt quidam
334.10. C.L.id agendum etiam, ut ea facere uideamur irati. Sic Iſocrates ad Nicoclem: ποίει μὴ μηδὲν μετ' ὀργῆς· δόκει δὲ τοῖς ἄλλοις, ὅταν σοι καιρὸς ᾖ. Et Fabius: Oratorem, inquit, iraſci non decet: ſimulare non dedecet.
12.ueniamus
335.33.C.L.ipſius id cauſa
336.8.delinquentes
7.remiſſius
341.1. Rebuſpublicis. Ibidem 3. occurri
356.29.admiramur
360.21.perſequatur
366.16.deſertores
367.21.uitula
372.40.idiotiſmi
375.39.ἡγεμονικὸν
379.32.philoſophiaq́;
391.1.temperato
408.4.γοῦν) Ibidem 8.gratiſſimis, et 25.non modò non, & 28.aliàs eã. item 39.cogamur
413.21.irritentur
Ibidem 41.hominum
425.10.fefellit
431.11.inuidum
462.4.fauetur
470.37.teneræ
475.3.beneficentiæ
484.17.conferretur
487.14.unde uiuant
501.1.ſilent leges
504.41.cum alios
508.2.inopes bene
515.19.ſuæ potius
Ibidem 31.uectigalibus
531.21.creditoribus
649.26.tractata ſunt

Hæc, mi Oporine, annotare uiſum eſt, pluſcula fortaſſis expectatione tua. ſed mea longè pauciora, propter & meam & meorum κακογραφίαν. ὡς δυνάμεθα γάρ. Ex luxatione dextri brachij, oſſe etiam confracto, ut noſti, anno 1548 calendis Iulij, dum Baſileæ in Demoſthene laboraremus, & dextra manu interim bis diſtorta, id mihi accidit, ut uacillent literæ meæ, maleq́; cohæreant, δυσαναγνώστως ἔχοντα, niſi magna diligentia pinxero: quam naturâ moræ impatiens, raro adhibere ſoleo: nec temporis iacturã, melius collocãdi, ferens. Puerilis uerò ætatis, atq; etiam adoleſcentiæ quæ incogitantia, quæ inſcitia ſit, te nõ fallit. Itaq; nobis & ignoſces, & in nos omnem culpam iſtiuſ-

modi erratorum conferes. Nam illud quidem nec tibi moleſtum, nec Lectoribus ingratum accidiſſe reor, ſi quid αἱ δεύτεραι φροντίδες inter relegendum melius attulerunt. Et quia perexigua mihi ſpes eſt reliqua emendandi (nam priuſquam hic tabellarius iſthinc reuerſus, Baſileam redeat, tu in nundinas opinor abieris) ipſe corrigito, ut & quantum licebit, deprauata: quæ ſic agnoſces, ſi aut uerborum ſalebras, aut ſententias obſcuras atq; abſurdas continebunt. Ego enim & perſpicuitatis uerborum, & ſimplicis ueritatis ſum, ut qui maxime, ſtudioſus. Idem de inchoato etiã Indice facias uelim, ſi temporis breuitas & occupationum tuarum magnitudo patientur. Vale, & è nundinis reuerſus (niſi me quis caſus impedierit) magnam Latini Suidæ partem expectato. Ad quem exprimendum quo ſis alacrior, propitium tibi precor Mercurium tuum, atq; etiam noſtrum. Quem quidem λόγιον ὄντα διατελεῖν ita uelim, ut tandem aliquando incipiat eſſe κερδῷον etiam, noſtrosq́; labores longiſsimi temporis diurnos & nocturnos, pro dignitate remuneretur. Sed hæc Deo & bonis uiris curæ erunt. nos officio fungemur: dum noſtri memores, dum ſpiritus hos reget artus. Iterum uale: & (quod penè præterieram, quodq́; non tam ad te, quàm ad Lectorem pertinere uolo) ueniam dato, nõ omnes ſcriptionum & codicum uarietates conſectato. Nam quæ ab alijs aliter ſcribuntur, in ijs annotandis laborare nolui, ſuũ cuiq; liberum eſſe uolens iudicium, ut mihi meum. Annotabo tamen quædam. Autoritas, Rodolpho Agricolæ magis probatur, quàm auctoritas, aut authoritas. Pt, & pſ, etiam præcedente m ſcribendũ putat Priſcanus, τῶν παρεμπιπτουσῶν literæ p: ut contemptus, promptus, deprompſi. Camerarius p repudiat, itemq́; Carolus Lãgius, è uetuſtis codicibus: contemtus, promtus, depromſi, ſcribentes. & eſt ſanè mollior pronunciatio, ut & tentatio quàm temptatio, Capernaum quàm Capharnaum, quæ inuexiſſe Barbarica aſperitas uidetur. T pro c, non ſcribo ego, niſi in deriuatis t habentibus: ut lectio, ſolertia, quia ueniunt à lectu & ſolerti. Item amicitia, in penultima ſyllaba per t, non ratione originis, ſed quia ſi amicicia ſcribas, duo c c continenter ſeſe conſequentia, minus bella uideantur. In alijs deriuatis, quorum primitiua t nõ habent, c ſcribo: ſicut pronuncio, iuſticia, patricius: quia ueniunt à iuſti, & patri, adiectis ſyllabis cia, & cius. Iuſtitium uerò per t, ſi modò rectè dici putant, quaſi iuris ſtationem: & uitium, à uitando. Hæc & ſimilia plerique confundunt, c & t promiſcuè ſcribentes. Videndum tamen, utrum in pronunciatione, an in ſcriptione peccetur. alterutrum enim neceſſe eſt. Item Gerundia, & Gerundiua quædam, alij in penultima per u, alij per e: ut faciundum, faciendum. Eodem modo quaſdam literas alij geminant, alij ſimplicibus ſunt contenti: annulus anulus, litteræ literæ, Iuppiter Iupiter, aſciſco adſciſco aſſciſco, aſſcribo adſcribo aſcribo, exſtare extare, Paullus Paulus, cauſſa cauſa. Item alij diphthongis, alij ſimplicibus uocalibus utuntur: ut fœlix felix, obœdio obedio, ædo edo. Multa deniq; contra analogiã, ut à doctis ex negligentia, ſic ab indoctis ex inſcitia ſcribũtur. Aſpirationem quoq; alij addunt, alij detrahũt: pulcher pulcer, Hannibal Annibal. Eſt

& in ma-

& in maiuſculis & minuſculis, quas uocant, literis non eadẽ omnium obſeruatio. In ratione autem diſtinguendi, cùm uarietas, tum confuſio & perturbatio longè maior. Sunt & qui nimium uetuſtis libris, & marmoribus (mihi quidem) tribuere uideantur: haud reputantes, opinor, nec ipſum illam antiquitatem ubiq; inter ſeſe conſentire: & tam librarios quàm artifices, partim fuiſſe barbaros & indoctos, partim negligentes & temerarios, partim naturalia ſua uitia in libros & ſaxa tranſtuliſſe. Equidem puto, illum, quem ridet Martialis, ſi librarius fuiſſet, in libris ſcripturum: ſi ſtatuarius, in æs & marmor inciſurum fuiſſe, Fluctus non Ionios, ſed Hionios. neq; tamen obſcurum eſt, quid rectum & uerum ſit. Sic & alij fortaſsis aut idiotiſmos ſuos ſunt ſecuti, aut pronunciatione aliorum obſcuriore decepti, aut ſenſu aurium obtuſiore lapſi. Verùm ego cum nemine pugno, & ſuum cuiq; pulchrum eſſe facilè patior. Non de ui, neq; cæde, nec ueneno: Sed lis eſt mihi de tribus capellis. Vale candide Lector: & ſic Orthographiam, & dictionis elegantiam tuere, ut ea tamen ſtudio ſolidæ rerum cognitionis, & ueritate iudicij, & (quod multo præſtantius eſt) moderatione animi & uitæ integritate præponderetur.

ORATIO AD EXCELLENTISSIMVM VIRVM, D. HIERONYMVM VVOLfium, Præceptorem meum ſumma obſeruantia colendum, ut ſuos in Officia M. T. Ciceronis Commentarios, in publicum edat.

ETSI multa, uenerande Præceptor, à ueteribus excogitata, quæ diuina benignitate ad noſtra uſq; tempora propagata ſunt, in informandis & erudiendis pueris obſeruantur: nihil tamen eſt quod ætatem eam uel magis iuuare, uel ad colenda ſtudia impellere, quàm examinationes (quas uocant) poſſe uideatur. Neq; enim ſolũ in ijs eruditio eorum perſpicitur, & quaſi oculis cernitur: ſed (quod multo pluris eſt) de ingenio quoq; & induſtria (ſi dextrè omnia fiant, quæ ad illam, ut ita dicam, doctrinæ explorationem attinẽt) liquidò & dilucidè iudicatur. Quo fit, ut non difficile ſit conijcere præceptoribus, qui ad perdiſcendas artes liberales ſint apti, aut aliò detrudendi: & quorum ſtudijs ſit conſulendum, quorum minus. Palmæ deniq; contentione animos puerorum excitari uidemus, qui turpe ducunt cedere pari, pulchrum ſuperaſſe maiores: & quiduis ſibi potius faciendum arbitrantur, quàm committendum ut à Scholarchis (uiris eruditione, pietate & doctrina præſtantiſsimis) iuſta de cauſa accuſari queant. Hæc illis acriores ad ſtudia diſcendi faces ſubdere, quàm uerbera, exhortationes, cuſtodiam præceptorũ, uota parentum, omniaq́; quæ ad incitandos eos adhibentur: homines literati, ſingulari ingenij acumine, perſpexerunt. Atque hæc à nullo in dubium uocari poſſe exiſtimo, cum puerorum eruditionem explorari hoc modo quotidie uideamus. Quod minimè profectò fieret, niſi ad ſpem euentus reſponderet, & maximus inde fructus ad eos perueniret. Quod niſi animaduertiſſent uiri docti, mos ille pręclarus, qui magno ſtudioſorũ commodo in Gymnaſijs pleriſq; tenetur, iamdudum eſſet repudiatus. Cum igitur nos quoque eò huc accerſiti ſimus, ut quaſi decertaturi in arenam prodiremus, & ſpecimen eruditionis noſtræ perexiguæ, aut potius nullius, proferremus, temporisq́; inſumpti (hominum enim, Cicerone teſte, qui aliquo numero ſunt, & è natura uiuunt, non minus ocij quàm negocij rationem extare oportet) rationem redderemus: diu cogitantibus nobis, & cõſiderãtibus, quid'nam potiſsimùm exhibere uellemus, hoc occurrit, ut oratiunculam, aut aliquam ſaltem epiſtolam, ad te, de tuis in Officia Ciceronis Cõmentarijs edendis, ſcriberemus. Quãquam autem iam antea magna tua in nos extant beneficia, tantosq́; cauſa noſtra labores ſuſtines, ut potius de leuandis ijs, quàm nouis imponendis ſit cogitandum: tamen cum exploratum habeamus, nihil adeò eſſe difficile, laboris moleſtiæq́; plenum, quod ſtudiorum noſtrorum cauſa refugias: hac tua freti alacritate & humanitate, inſuper etiam aliquid à te petere non dubitauimus, maioremque commodi publici quàm priuati

rationem

rationem habendã eſſe duximus. Nam ſi hac petitione omiſſa, alia quapiam de re uerba feciſſemus, nobis id contuliſſet ſolum, ſolisq; Scholarchis ſatisfactum eſſet: in hoc autem argumenti genere, tum Magiſtratui Scholæ ſatisfacere: tum nos, tum omnes bonarum literarum ſtudioſos, iuuare poſſumus, ſi noſtris precibus locum reliqueris. ſin minus, tamen conatus noſter & amor, quo omnium rebus conſulrum uoluimus, non erit improbandus. Sed te nobis hac in re obſecuturũ, planè confidimus. Quamuis enim multorũ, eorumq; doctiſsimorũ uirorum, iam antea in hoc opus (quod ampliſsimũ in uita uſum habet, &, ut Plinius monet, ad uerbum ediſcendum eſt) Commenrarij extent: ut ſunr D. Eraſmi Roterodami, Viti Amerbachij, Xiſti Betuleij, Cælij Calcagnini, Omniboni, Petri Marſi, & fortaſsis aliorum: ideoq; poſt Homerum Iliada ſcribere, & inanem operam nauare, uideri imperitis poſsis: tamen cum illi non tam texere Commentarium, quàm minus exercitatis uiam intelligendi autoris monſtrare uoluerint: hacq; de cauſa, Grammatica ferè tantum & hiſtorica ſint perſecuri, non quæ ipſius Operis ſunt propria: operæprecium omnino facturus es, ſi tuas Lucubrationes emiſeris. Nam neque Grammatica, ſi quid difficilius tibi uiſum, neq; Hiſtorica, neq; quod ad doctrinam de moribus attinet, quicquam omiſiſti: ſed potius (abſit adulandi ſuſpicio) ſi qui locus imperfectus eſt à Cicerone relictus, abſoluiſti: & ſi tempeſtiuè fieri potuit, alia præcepta addidiſti, aut loca his ſimilia cum eo contuliſti: aut ſi religioni Chriſtianæ contrarium aliquid uiſum eſt, ſacrarum literarum teſtimonijs, firmisq; rationibus refutaſti: omnia deniq; quàm diligentiſsimè explicauiſti, quod nullus inrerpretũ (pace illorum dixerim) quos modò poſui, feciſſe uidetur. Ea enim tantum quæ ad artes dicendi, & hiſtorias explicandas pertinent, rractauerunt: tu uerò omnibus ijs ſuperior, cum diſſerendi loquendiq; ſubtilitate doctrinam de moribus coniunxiſti, quæ poſt Chriſtianam religionẽ (hoc præſertim triſti & exulcerato ſeculo, quo in peius omnia ruere, & retrò ſublapſa referri uidetur) omnib. alijs diſciplinis eſt anteponenda, quòd hominẽ ſuo nomine uerè dignũ efficere ſtudet, in qua omnes uiri boni ſibi in primis elaborandum putant. Eleganter enim Ammonius: *ἦθος ἀνθρώπου κόσμος, κόσμος δ' ἡ ἑκάστου τελειότης.* Si has, doctorum quidẽ uirorum Annotationes, ad intelligendum autorem, & informandos mores ſufficere, perſuaſum habes: cur rantum temporis dictandis tuis conſumpſiſti? Neq; enim (quod mihi dubium non eſt) quæ tua eſt in diſpenſando tempore frugalitas, huic unicæ rei tantam operam impendiſſes, niſi id è re noſtra fore iudicaſſes. Quod cùm ita ſit, non abſterreberis ab edendis Commẽtarijs tuis, eo quòd iam anre multa in hoc Opus ab alijs ſunt ſcripta: nec quòd ea interdum affers, quæ ab alijs prius ſunt dicta. Cum enim tot doctorum uirorum Annotationibus hi libri de Officijs ſint expoliti, quomodo fieri poteſt ut perpetuò noua, anteaq; non dicta proferas? Quòd, qui Scholia in hoc Opus ſcripſerunr, docti & diligentes uiri fuere, quos ubiq; ingenio & induſtria uincere difficile fuerit. Non quenquam hercle inueniri poſſe puto, qui uitio tibi id uertere queat: & ut reprehendi hoc nomine à ſciolis quibuſdam & importunis hominibus

 poſſes,

poſſes, tamen quicquid deſiderari hic uideretur, id omne Ethices, & ipſius Operis propria doctrina compenſares: quę finis eſt & ſcopus totius libri, quæq; diſciplinis alijs omnibus, in quibus Interpretes reliqui, pleriq; toti uerſantur, longè antecellit. Veriſsimè enim Iſocrates: *ὅσοι μὲν πρὸς τοὺς ἑαυτῶν φίλους, τοὺς προτρεπτικοὺς λόγους συγγράφουσι, καλὸν μὲν ἔργον ἐπιχειροῦσιν, οὐ μὴν περί γε τὸ κράτιστον τῆς φιλοσοφίας διατρίβουσιν. ὅσοι δὲ τοῖς νεωτέροις εἰσηγοῦνται, μὴ δι᾽ ὧν τὴν δεινότητα τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀσκήσουσιν, ἀλλ᾽ ὅπως τὰ τῶν τρόπων ἤθη σπουδαῖοι πεφυκέναι δόξουσι, τοσούτῳ μᾶλλον ἐκείνων τοὺς ἀκούοντας ὠφελοῦσιν, ὅσον οἱ μὲν ἐπὶ λόγον μόνον παρακαλοῦσιν, οἱ δὲ καὶ τὸν τρόπον αὐτῶν ἐπανορθοῦσι.* Sed non dubium eſt, quin & ipſi interdum quædam à ſe inuicem ſint mutuati (non enim uno tempore omnia ſcripta eſſe poſſunt) aut ſi minus à ſe, tamen fortaſsis ab alijs huius generis ſcriptoribus. Nullum enim (ut prudenter monet Comicus) eſt nunc dictum, quod non dictum ſit prius. Ne ipſi quidem ueteres omnia ipſi excogitarunt: ſed multa ab alijs inuenta, in ſcripta ſua tranſtulerunt. Qui enim idem argumentum primi tractarũt, poſteriores furti ſuſpectos reddiderunt, ut ex Philoſtrato conſtat, qui de Panegyrica Iſocratis oratione ad hunc modum ſcribit: *ὁ πανηγυρικός τε αὐτῷ λόγος, ὃν διῆλθεν ὀλυμπιάσι, τὴν ἑλλάδα πείθων ἐπὶ τὴν ἀσίαν στρατεύειν, παυσαμένους τῶν οἴκοι ἐγκλημάτων, οὗτος μὲν ἂν εἴη καὶ κάλλιστος λόγων, αἰτίαν ὅμως παρέσχηκεν, ὡς ἐκ τῶν γοργίᾳ συνδαχθέντων εἰς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν συντεθείς.* Quanquã enim diſpoſitio & elocutio longè alia fortè fuit: probabile tamen eſt, materiam & inuentionem Gorgiæ, multum illi commodaſſe, aut ſaltem diligentius cogitandi occaſionem præbuiſſe. Furtorum huiuſmodi multi è ueteribus paſsim arguuntur. Mentionem facit Clemens Alexandrinus ſcriptoris cuiuſdam (ut ex te aliquando audiui) qui affirmarit, & multis exemplis demonſtrarit, *ὅτι οἱ ἕλληνες τῶν τε βαρβάρων, καὶ ἀλλήλων κλέπται εἰσί.* Ne ipſe quidem Cicero, etſi eloquentiæ omnis parens nuncupetur, ſuis ſe (ut dicitur) plumis ſemper exornauit: ſed ſæpenumero uetera, quæ partim mutauit, partim eleganter conuertit, partim ſolerti imitatione expreſsit, pro ſuis uenditauit. Quicquid enim eruditionis & elegantiæ Græci ſcriptores habuerunt, id ille ferè in ſcripta ſua tranſtulit. Vbiq; occurrunt in ijs Platonicæ, Ariſtotelicæ, Iſocraticæ, Demoſthenicę, aliorumq; (ut non ignoras) ſententiæ. Quod ſi eum qui non interpretem egit, ſed ſuopte ingenio aliquid ſcripſit, illum qui idem argumentũ antè tractauit, imitari fas fuit: cur non & tibi interpretum opera, in eodem autore explicando, qui iamdudũ prolixis Commentarijs ab ijs eſt illuſtratus, uti interdum liceat? Quamuis autem multa à Græcis deſumpſerit Cicero, ijs tamen nõ contentus, Latinos quoq; ſcriptores interdum eſt imitatus, ut lib. 3. Tuſc. quæſtionum: Hæc nimirum eſt illa præſtans & diuina ſapientia, & perceptas penitus & pertractatas humanas res habere: nihil admirari, cum acciderit: nihil antequam euenerit, non euenire poſſe arbitrari. Huic ſententiæ à ſe inuentæ, & è ſua (ut dicitur) pharetra deſumptæ, mox illud Terentij ſubijcit, nulla eius prorſus facta mentione: Quamobrem omnes cùm ſecundæ res ſunt tum maximè meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferant, pericula, damna, exilia. Peregrè rediens ſemper ſecum cogitet, aut filij peccatum, aut uxoris

uxoris mortem, aut morbum filiæ: communia eſſe hæc, ne quid horum unquam accidat animo nouum: quicquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro. Huiuſmodi exempla multa reperias, quæ proferre omnia, huius loci non eſt. Quàm multa ſumpſiſſe eum uerisimile eſt, è coætaneis ſuis, qui nobis iniuria temporum interciderunt: quod & ipſe ſæpe non diſsimulat? Verùm hoc Ciceroni commune fuit cum multis & Græcis & Latinis autoribus, qui ante illum, cum illo, & poſt illum uixerunt. Non abſtrahêris igitur à diuulgandis Annotationibus tuis, quòd quædam ab alijs interdum es mutuatus. Qui enim magis hoc ueteribus, in argumento à nullis ante tractato licuerit aſſumere libertatis, quàm tibi in re à tam multis antè uſurpata? Sed hæc hactenus. Dices fortaſsis: At in manibus habetis, ipſi me dictante ſcripſiſtis. Quæ autem ſua quiſque manu ſcripſit, ea illi gratiora utiq; & chariora ſunt, quàm quæ Typographus excudit: facilius intelliguntur, memoriæ mandantur & ediſcuntur. Quid ergo à me petitis, ut in publicum edam? Scripſerunt quidam, fateor: ſed ij pauci ſunt, & pleriq; è Schola diſceſſerunt, multa multis deſunt: tuum autem eſt, adiuuare alios: non ſunt ea ipſa, quæ habemus, ſatis emendata: & ut ſint emendatiſsima, tamen quid proſunt abſque præcedentibus? Nullus autem omnium, qui nunc quidem frequentant Scholam, ab initio habet. Si ergo labori iſti ſuperſedere, eaq; quę deſunt, deſcribere uellemus, nemo utenda illa nobis dare poſſet. Quidam enim partem Libri primi, quidam ſecundum, quidam partem ſecundi, quidam etiam tertium ſolum audiuerunt. Annotationes autem poſteriores ſine prioribus, in hoc doctrinæ genere, haud facilè à quoquam in hanc claſſem nuper traducto, intelligi poſſe, non eſt obſcurum. Quomodo enim quis ea quæ in ſecundum aut tertium librum dictata ſunt, niſi ea quæ in primum annotaſti habeat, probè aſſequatur? quomodo, quæ partes Officij ſint, uideat, ſi ignoret quid officium ipſum ſit, quomodo definiatur, qui ſit finis, quæ cognata, contraria? &c. Quæ omnia in Annotationibus libri primi, fuſe lateque es perſecutus. Verba quidem intelligunt, (ac ne id quidem omnes) & rem ipſam quoque quodammodo: ſed quid ſibi uelint iſta, unde dependeant, non item animaduertunt. Itaq; ſi Lucubrationes has tuas emiſeris, omnia uno uolumine comprehenſa habebunt: prioribusq; cum poſterioribus collatis, propoſitum & inſtitutum libri totius perſpicere, & omnes controuerſias quæ in toto Opere occurrunt, ſine ullo labore atq; difficultate dijudicare poterunt. Quemadmodum enim nec Orator, nec Dialecticus quiſquam facilè euadet, niſi Grammaticam probè fideliterq; perceperit (hæc enim ars, eſt cæterarũ omnium uelutì fons & origo: cuius fundaméta, ut Fabius inquit, niſi quis fideliter iecerit, quicquid ſuperſtruxerit corruet) ſic in hoc doctrinę genere, niſi quis priora audiuerit, poſteriora haud facilè intelliget. Neq; uerò ad nos ſolos maximus inde fructus perueniét, ſed ad omnes etiã bonarũ artiũ ſtudioſos, qui uiua præceptoris uoce deſtituuntur, atq; mutis magiſtris (qui homini docto perpetuò cõſulédi & uolutádi ſunt) cõtenti eſſe cogũtur.

Quare ſi minus noſtra (quod tamen plurimum apud te momenti habere confido) aliorum ſaltem cauſa, quorum ſtudia iuuabis, nobis morem geras. Cur inuenta eſt ars typographica? Nulla alia ſanè de cauſa, quàm ut lucubrationes præſtantium uirorum ea ratione in publicum prodirent, & è re omnium eſſent. Occultæ enim (quod aiunt) Muſices nullus eſt reſpectus:

Tu licet & Thamyram ſuperes, atq; Orphea cantu:
Non erit ignotæ gratia magna lyræ.
Si Venerem Cous nunquam pinxiſſet Apelles,
Merſa ſub æquoreis illa lateret aquis.

ut Ouidius ait. ἄφθονοι μουσῶν θύραι. In quam ſentẽtiam præclarè quoq; Theognis:

χρὴ μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον, εἴ τι περισσὸν
εἰδείη σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν:
ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι, ἄλλα δὲ ποιεῖν,
τί σφιν χρήσηται μοῦνος ἐπιστάμενος;

Cum enim omnes ingenij dotes, non per nos partæ, ſed diuinitùs ad nos delatæ ſint: decet utiq; eas cum alijs communicare. Sic enim Sacræ literæ docent: Quæ gratis accepiſtis, gratis date. Et: Deriuentur fontes tui foràs, & in plateis aquas tuas diuide. Qui autem alios iuuat, quamuis cum incommodo ſuo: ipſe quoq; aliquãdo iuuabitur, ſi minus ab hominibus, at à Deo, in beata illa immortalitate: quæ præmia omni felicitati humanæ, omnibus diuitijs & uoluptatibus ſunt anteponẽda. Quid nunc dicam, quantam laudem inde ſis conſecuturus? Immortalitati nomen tuum commendabis, paſsimq; innoteſces & laudabere. Etiamſi ex hac uita (ex qua omnibus migrandum) deceſſeris, ſemper tamen nomen tuum uiuet, doctisq; in ore erit: ut uerè & ſine reprehẽſione cum Ennio dicere poſsis, —— *Volito docta per ora uirûm.* Iam quanti à uiris eruditis ſcripta Ciceronis fiant, nemini eſt obſcurum: præſertim hi Libri de Officijs, quibus non extant abſolutiores de moribus, quiq; præſtantiſsimi inter omnia eius opera habentur. Quod ſi ij tanta laude digni ſunt: non minori certè laude digni erunt Cõmentarij, ad intelligẽdos eos aditum patefacientes, & quaſi uiam monſtrantes, ne aberremus, atque imperiti in errores incidamus. obſcura enim illuſtrant, inuoluta difficultatibus expediunt, explanationem ambiguis adhibent. Quàm uerò deceat homines literatos ſua cum alijs communicare, hi Ennij uerſiculi, qui in unare poſiti, transferri ad permultas poſſunt, ſatis declarant:

Vt homo qui erranti comiter monſtrat uiam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit.
Nihilominus ut ipſi luceat, cum illi accenderit.

Etſi autem iam antè uertendis Græcis, ad memoriam nominis ſempiternam tibi aditum pateſeciſti, ut cõuerſo Demoſthene, Iſocrate, Epicteto, quem etiã Scholijs exornaſti, Zonara, Niceta, Nicephoro & alijs: tamẽ multo maior tibi gloria, ex editis Commentarijs, quàm ex Græcis ſcriptoribus in ſermonem Latinum traductis, ſperanda erit. Nam illud quidem ſi cum hoc conferatur (neq; uerò, quæ tua prudentia eſt, & humanitas,

manitas, in malam iſta partem accipies) non magnæ artis eſt, tibiq́; cum multis commune: hac uerò in re non quiuis facilè excellit. Sicut enim is qui præclarum Opus in publicum edit, multo ſuperior eſt illo qui id elegantiſsimis literis deſcribit: ita ille qui induſtria ſua aliquid molitur, & Commentarijs ſcriptorem illuſtrat, multum illi antecellit, qui autorem Græcum Latinè conuertit. Ad illud enim cognitio tantum Græcæ linguæ, Latiniq́; ſermonis elegantia: ad hoc uerò tum ipſarum linguarum peritia, tum ſingularis quædam eruditio, & acre iudicium requiritur: quod partim ab ingenij bonitate, partim ab experientia & uſu rerum, partim ab accurata eorum lectione qui iudicio ualuerũt, id eſt qui nihil approbant temerè, nec ſpectãt quis, ſed quid, & cur quiſq; aliquid dicat, dependet. Eo enim iudicio quiuis qui priuato ſtudio aliquid conſcribit, aut autorem explicat (ſi uir bonus eſſe uelit) præditus eſſe debet: qui autem ſcriptorem aliquem uertit, carere eo etiam poteſt: hoc tantum curæ illi eſſe debet, ut nihil addat, nihil detrahat, nihil immutet, totidẽ uerbis ſi fieri poteſt interpretetur, etiamſi reliqua non perinde præſtet. Hic enim non eius de rebus iudicium, ſed autoris ſententia ſpectatur. Quapropter etſi antè maximam gloriam es adeptus, tamen hoc opere diuulgando multo maiorem cõſequêre. Et ut hoc tibi condonem ſanè: tamẽ cogitandũ (ut grauiſsimè diſertiſsimeq́; ſcribit Mimographus) Laus ubi noua oritur, etiã uetus admittitur. Efficies profectò ſi hoc Opus, quod alijs omnibus quæ emiſiſti præſtat, typis excudendum curaueris, ut cùm omnes tuum ſingularem in bonarũ artium ſtudioſos amorem perſpiciant, quippe qui, quamuis ſenex & imbecillis, nihil moleſtũ illorum cauſa recuſes: tum, ut non minus Latinarum quàm Græcarum ſtudioſus fuiſſe literarum uidearis. Quemadmodum enim non magnoperè honeſtũ, in unius iurare uerba magiſtri (ut Horatianis uerbis utar) cenſetur: ita multis non probatur, ſoli alicui linguæ frequenter adhærere. Latina quidem etiam tua opera extant: ut Scholia in octo Ioannis Riuij Grammaticę libros, in eiuſdemq́; Dialecticam & Rhetoricam: Libellus de diſcendi, docendiq́; ratione: ſed ea tantum ad linguarum cognitionem ſpectanr (quanquam etiam de moribus ibi interdum agitur, ſed obiter tantum, ὡς πάρεργως) hæc uerò ad mores corrigendos. Quocirca ſi nos (teipſum potius quàm nos dico, à quo ea quę habemus, pleraque habemus) audies, ad tua innumerabilia in nos officia hoc etiam addes, & has tuas Lucubrationes quamprimũ diuulgabis. Huius autẽ rei maximam tibi facultatem Deus immortalis dedit, quam complectere obſecro. Omnia iam conſcripta ſunt, non alium præterquam emendandi & deſcribendi laborem requirunt: qua in re tibi operam noſtram (ſi libuerit) non inuiti locabimus. Non deſunt Typographi, & quidem elegantiſsimis typis inſtructi (inter quos tui ſtudioſiſsimus, ingenio, doctrina, induſtria, innumerabili penè copia editorum à ſe librorum excellẽs, Oporinus, principatũ tenet) & paruo precio excudi poſſunt, idq́; alieno ſumptu. Neque uerò hominum iudicia tibi erunt pertimeſcenda. Nam cum uir tanta eruditione ſis, neq; prauis affectibus, ſed ueritati & publicæ utilitati (quantum quidem uel ingenio proſpicere, uel exequi indu-

ſtria poſsis) ſeruias, nemo, doctus præſertim & bonus, quicquam Theonino dente arrodere audebit. & ut Zoili quidam genuino (quod aiũt) mordeant: tamen conſiderandum, quod uerè Cato, ſiue alius quiſpiam præcipit,

Cum rectè uiuas, ne cures verba malorum:
Arbitrij noſtri non eſt, quid quiſq; loquatur.

Quis omnibus ſatisfaciat, cum

—οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
οὔθ' ὕων πάντας ἁνδάνει, οὔτ' ἀνέχων,

ut Theognis canit. Quis eſt ita ἐσθλὸς (ut Simonides inquit) καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου, ut nihil, quod alijs diſpliceat, faciat? Sunt quidam natura ita infortunati, ut quicquid agant, ſcribãt aut dicant, à pleriſq; improbetur: ita ut meritò exclames, ὅπου ἡ τύχη μέλανα γράφει, τοῦτο οὔτ' ὁ πᾶς χρόνος δύναται λευκᾶναι: & nihil aliud ſentias, quàm, Nihil agere ſemper infelici optimum.

Sed tamen non ob id à præclaris conatibus deſiſtendum eſt: πολυπραγμοσύνη enim hoc uerſu, nõ officium uetatur. Quid noſtra intereſt, quid uulgus de ſcriptis noſtris ſentiat, ſi utilia ſunt, præſertim adoleſcentibus, quos eruditi ſeminaria Reipub. eſſe dicunt? Quid intereſt inquam? Vulgus (ut Cicero teſtatur) ex ueritate pauca, ex opinione multa æſtimat. Grauior & ualidior eſt (ut idem inquit) decem uirorum bonorum ſententia, quàm totius multitudinis imperitæ. Quid eſt quod de uulgi opinione ſis ſolicitus? ſi modò uiris bonis (quod fiet certè, ut ſatis demonſtraui) probabitur hoc factum tuum? Ad hoc, uirorum bonorum autoritatem, accedet maximum illud ſolatium, quod nunquam prædicari ſatis poteſt, rectè factorum conſcientia: quæ iucundiſsima & ſuauiſſima eſt. De qua ſic Auſonius:

Quæ nam ſumma boni? Mens quæ ſibi conſcia recti.

Hæc omnibus diuitijs, opibus, dignitatibus anteponenda eſt. Vnde non minus uerè quàm eleganter Horatius:

—Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulli palleſcere culpa.

Præclarè quoq; Cicero: Nullum theatrum uirtuti conſcientia maius. Et alibi: Si optimorum conſiliorum atque factorum teſtis in omni uita nobis cõſcientia fuerit, ſine ullo metu, ſumma cum honeſtate uiuemus. Quàm iucundum autem ſit, ita degere, è contrarijs exemplis facile eſt colligere. Quàm multi, omnium rerum copijs affluentes, miſerè uiuũt? quàm nocte dieq; cruciantur? Timent utiq; τὴν δικαιοκρισίαν τοῦ θεοῦ: recordantur ſcelerum commiſſorum, quæ illis ὁ μυριοτέχνης ille, miro quodam artificio ob oculos ponit: ſcilicet ut antè, quò ad perpetranda ea illos adduceret, extenuauit, ita nunc amplificat: Iſocratis dicẽdi arte utens, qui interrogatus quid eſſet Rhetorica, reſpondit, τὰ μὲν μικρὰ μεγάλα, τὰ δὲ μεγάλα μικρὰ ποιεῖν. Atq; ille dolor non diem unum aut alterum tantùm durat, ut corporis morbi: ſed ad extremum uſque uitæ diem permanet. Vnde metuendum, ne ad illum animi cruciatum, æternum quoq; exitium accedat. Quod ſi is qui malè ſibi conſcius eſt, tantis angoribus conficitur,

ficitur: non ſine gaudio mehercule eſſe poterit, puræ atq; integræ mentis homo: & (contrariorum enim, ut uulgò loquuntur, contraria ſunt conſequentia) ſenectutem, quæ alijs ſic moleſta eſt, ut onus ſe Aetna grauius dicant ſuſtinere, leuiter ferre, ſeq; benefactorum memoria conſolari, quancunq; in partem ea ab improbis rapiantur. Quapropter etſi in reprehenſionem Zoilorum quorundam (quod planè non metuo) ſis incurſurus: non tamen ab hoc pręclaro conatu auocabere. Satis enim eſt, à uiris bonis has uigilias tuas comprobari, teq; in rectè factorum conſcientia poſſe acquieſcere: quiſquis ſit uulgi ſermo, ſiue animus. Quãquam quid ego ſolatium conſcientiæ tibi propono, quamuis ampliſsimum, καὶ αὐταρκέστατον: cum hactenus eam lucubrationum tuarum ſiue fortunam, ſiue genium fuiſſe conſtet, ut omnia exempla breui tempore diſtracta, iterum & ſæpius fuerint recudenda? Vnde colligi facilè poteſt, inuidiam potius paucorum, quàm iudicia eorum qui tua ſcripta legerunt, exiſtimationi tuæ hactenus nocuiſſe. Quamobrem cum his tuis in Officia Ciceronis, Commentarijs emiſsis, tum tibi tum alijs prodeſſe, nomenq́; immortale parare poſsis: deinde cum tibi à nulla æmulatione ſit magnopere timendum: idq́; ſine ullo labore, imò ſumma cum uoluptate expedire poſsis: quid te quæſo ab hoc egregio conatu abſterreat? Omnino me plura ſcribere, cùm tuum tantum conſiliũ, iudiciumq́; ſit, non ita neceſſe arbitrabar: ſed tamen ſententiam noſtram tibi ignotam eſſe nolui. Cuius eſt hæc ſumma: ut te, quanta augendæ dignitatis tuæ data ſit occaſio, conſiderare uelim: maioremq́; fructum in perpetuitate laudis, animo ſibi bene conſcio, ponere, quàm in iſta tergiuerſatione, ſeu potius Zoilorum metu. Hęc eadem omnes Scholæ noſtræ diſcipuli unà locuti ſumus, cum D. Matthias Schenckius, præceptor noſter obſeruandus, intereſſet. Omnibus uidebatur probari ſententia noſtra, ſed tu optimè iudicabis. DIXI.

GEORGIVS HAMAXVRGVS, CLARISSIMI *uiri D. Chriſtophori Peutingeri, Auguſtanæ Reipub. Tutoris, alumnus: Anno ætatis decimoquinto.*

EIVSDEM GEORG. HAMAXVRGI,

Encomium Bibliothecæ Auguſtanæ, ad Scholarchas.

Ad imitationem Ciceronis pro Archia.

SI quid eſt in me ingenij, uiri dignitate ampliſsimi, optimiq; ſimul adoleſcentes, quod ſentio quàm ſit exiguū: aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non affirmo eſſe uerſatum: aut ſi huiuſce rei ratio aliqua ab optimarum artium ſtudijs & diſciplinis profecta, à qua ego nunquam confiteor animum meum abhoruiſſe, nec in poſterum receſſurum confido: eàrum rerum omnium uel in primis Auguſtana Reſpublica fructum à me repetere propè ſuo iure debet. Quantum enim ad præteritorum memoriam animum meum reuocare poſſum, & pueritiæ ætatem recordari ultimam, id omne illi me debere uideo. Quare cum uel ijs, qui nos ſibi nullis unquam beneficijs obſtrinxerunt, eruditione noſtra (ſi quæ eſt) auxilio ornamentoque eſſe deceat: multo ſanè magis ij, qui optimè de nobis meriti ſunt, ingenij noſtri quantuliſcuq; facultatibus ſunt cohoneſtandi. Quàm difficile autem ſit, ſuſcipere ac profiteri, ſeſe omnibus ſilentibus unum maximis de rebus, in cōſeſſu doctiſsimorum uirorum audiendū, non ignoratis. Adeſt enim ferè nemo (ut Cicero inquit) quin acutius atq; acrius uitia in dicēte, quàm recta uideat. Ita quicquid eſt in quo offenditur, id etiam illa quæ laudanda ſunt obruit: & quoties dicimus, toties de nobis iudicatur. Nec quicquam eſt tam inſigne, nec tam ad diuturnitatē memoriæ ſtabile, quàm id in quo deliqueris. Non iniuria igitur impudentiæ & arrogantię nomine accuſari poſsim, qui & in tanta rei difficultate, & tot, qui me eruditione anteeunt, relictis, in conuentu omni liberali doctrina politiſsimorū hominum uerba facere nō dubitem: niſi me doctiſsimorum, fideliſsimorumq; præceptorum, & nihil niſi ſalutem meam ſpectantium, maxima autoritas defenderet: qui cum mihi hanc prouinciam tradidiſſent, malui parendo infantiam inſcitiamq; meam prodere, quàm reluctando & pertinaciter aduerſando, ingratus & impius uideri. Quocirca cum uiri literati, nihil in toto terrarum orbe, tum ad eruditionem aliquam, tum laudem conſequendam, libris, è quibus omnis ſapientia promanat, antiquius utiliusq; habeant: Bibliothecam eximiam huius urbis Auguſtæ, magnis ſumptibus, longo iam tempore, apparatuq; inſigni (ut non neſcitis) extructā, laudare decreui: librorum quidem, quaſi partis præſtantiſsimæ, primo, ipſiusq; ædificij poſteriori loco mentionem facturus. Neſcio an inter hominum inuenta omnia, quæ plurima & præclariſsima ſunt, literis aliud præclarius aut dici aut excogitari poſsit. Admirationis enim ſummæ eſſe uidetur, è pauculis admodum notis, infinitas hominum uoces, innumerabilia uerba, innumerabilesq; ſententias poſſe perſpici, tanquā cū homine uiuo colloquaris. Quàm magnū uerò Dei donū ſint literarum iſti characteres, uel hinc ſatis intelligimus: quòd ſine ijs non ſolùm non liberales diſciplinas, ſed ne minimas quaſque artes ediſcere aut tueri poſſumus: quodq; nec mercatura nec agricultura ſine eis ſatis tuta, aut nullo po-

tius

tius modo, eſſe poteſt. Hæ enim memoriā rerum prçteritarū conſeruāt, poſteritatē inſtituunt, prçterita futuris cōnectunt: & bene beateq́; uiuendi uiam cōmonſtrant. Si hac legendi & ſcribendi arte aliquādiu caruiſſemus, eaq́; nuper inuenta eſſet, multo pluris à pleriſq; fieret, neq; quiſquā in addiſcenda ea ulli ſumptui, labori aut moleſtiæ parceret. Cum autem nunc ita ſit peruulgata, & ubiq; obuia, negligitur, & nihili ducitur: cum gratia potius Deo pro tanto beneficio ſit habenda, libriq́;, ſine quibus ad poſteros peruenire hçc ars nequit, ſummo ſtudio aſſeruandi. Sublato enim hoc & legēdi & ſcribendi artificio, perſpiceremus, quāto ornamento & cōmodo priuati eſſemus. Nam (ut Plautus inquit)

Tum deniq; omnes noſtra intelligimus bona,
Cum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.
Sera autem in fundo parſimonia, ſerumq́;
Poſt facta conſilium. Idcirco dum in noſtra poteſtate eſt, diligenter id tueamur, & cuſtodiamus. Eius autem miniſtri ſunt libri, & quaſi inſtrumenta quædam, ſine quibus conſiſtere nequit. Ergo & ipſi non minori honore, quàm ipſa ars, afficiēdi. ἀδυνάτον γάρ, ἢ μὴ ῥᾴδιον, τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. Quid enim efficias, ſi peritiſsimus legēdi, & cupidiſsimus antiquitatis fueris, ſi nō habeas quos legas libros, & è quibus diſcas? Vnde facilè eſt colligere, quàm utile ſit, eruditorū ſcripta ſummo ſtudio in urbibus conquiri & congeri, quç philoſophorū (id eſt, eorum qui & uirtuti & ſapientiæ non ſimulatè, ſed ex animo ſtudent) uſui pateant. Libri autem nihil aliud ſunt, niſi muti magiſtri: quos euoluere cū uoles, & de grauiſsimis quibuſq; rebus & cauſis, quç in diſceptationē ueniunt, conſulere poſsis. Et ex ijs tum eruditiora fermè ſunt quæ diſcuntur, tū plura. Cum autē fides in magiſtris requiratur, eorumq́; ſit, nihil eorū quæ ad erudiendos ſuæ fidei commiſſos faciant, prætermittere: in eo genere nihil fidelius, nihil alacrius & promptius ipſis libris excogitari poteſt. Nā quicquid in ipſis ſitum eſt, id bona fide tradunt, nihil diſsimulāt, aut dedita Opera omittunt: quod in multis præceptoribus deſideres (neq; uerò de noſtris loquor: qui ut eruditione & prudentia, ita fide & dexteritate docendi, multùm alios ſuperant.) Iam (quod maximum eſt) præceptores erudiendis alijs, uictum ſibi (ut par eſt) quæritant: illi autem cum ſtrenuè, fideliterq́; & diligēter doceāt, grauiſsimas quaſq; difficilimasq́; cauſas & quæſtiones declarent, atq; in omni rerum aduerſarum genere prçſtò ſint, mercedem non flagitant: ſed tecto tantum, ne pluuia aut alijs tempeſtatibus pereant, ſunt cōtenti. Adde, quòd & prçceptores grauantur nonnunquam ſuam operam nobis impertire: & ſi qua in re alios ſuperant, non facilè id apud nos deponunt: ſæpe etiam numero hoc ſolùm agunt, ut ipſi doctiores euadant, quicquid de nobis fiat. At libri familiariter nobiſcum colloquuntur: quicquid habent, eius nos participes faciunt. Tantum quiſq; ex ijs diſcit, quantum ingenij acumine conſequi, & memoriæ fidelitate complecti poteſt. Quando libet, ceſſare licet. Accedit huc & ocium, & cogitandi ſpacium. Licet expeditius inſpicere ſingula, licet retractare, licet expendere, licet ſumma tranquillitate deſcribere inſigniores ſententias, & in locos communes referre. Quod in au-

diendo non item fieri poteſt. Sunt præterea libri cogitationum, conſiliorum monumenta,& quædam ſimulacra deſcribunt nobis,& ob oculos ponunt præſtantium uirorum & dicta & facta memorabilia : uiuendi, loquendi, ſcribendi præcepta tradunt: futura prædicunt,res naturales & obſcuras expilcant:elementa, & ea quæ ex his conſtant, cœli & ſiderum motus,terræq; deſcriptionem proponunt: hominum mores informant,Reipub.adminiſtrādæ rationes docent,leges ſanciũt,& (quod prȩſtantiſsimum eſt)animum cuiuſq; & mentem referunt. Qualis enim uir,talis oratio. Vnde Solon,τὸν λόγον εἴδωλον τῶν ἔργων eſſe ait:innuēs ſcilicet,haud aliter animũ hominis ex oratione ſpectari,quàm uaſa dignoſcantur crepitu, digito pulſata : qua ſimilitudine & Perſius utitur. Vnde ſenarius ille Græcis celebratus: ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.
Et hi,neſcio cuius uerſiculi: *Index eſt animi ſermo , morumq́; fidelis*

Hauddubiè teſtis : quoniam quiſq; illa libenter
Et crebrò loquitur,quibus oblectatur:arator
De bobus,raſtris,de uomere: nauita narrat
De uelis,remis,de reſtibus atq; carinis:
Miles equos memorat,gladios,haſtilia,pugnas.

Omne enim uitæ ſimulacrum, omnis animi uis, in oratione perinde ut in ſpeculo repræſentatur. Hinc Socrates apud Platonem loqui iubet Charmidem,ut eum uideat: ex oratione ſcilicet de homine iudicaturus. Idem in Gorgia ignorare ſe ait,utrum felix ſit Archelaus Perdiccæ filius, qui tum fortunatiſsimus habebatur: quòd nũquam cum eo locutus eſſet. Quis eſt qui non beatum ſe putet, ſi, non dicam Seruatoris noſtri & Apoſtolorum:ſed Ciceronis tantùm,Socratis,Platonis,& aliorum præſtantium uirorum imagines ad uiuum expreſſas habere ſibi contingat? Quanto autem præſtabilius eſt, animi effigiem , quæ in ſcriptis illorum (ut modò dixi)repreſentatur, habere effictam ? Sed & illud quanti æſtimandum , quamq; cùm utile tum iucundum putandum, intereſſe quoties uelis poſſe,doctiſsimorum omnium,quot quot multis ſeculis uixerunt, uirorum cœtui ? cum ijs familiariter quoties libeat colloqui , eorum conſilia uidere, & præceptis obtemperare ? Magna hæc res eſt, & plus quàm regia dignitas : quod qui perſuaſum habet, ita charos habet libros,ita in eos incumbit, ut uitam ſibi potius amittendam eſſe, quàm hoc ſuum ſtudium deſerēdum putet. Reuera enim illud eſt,quod Zenoni oraculo eſt reſponſum,συγχρωτίζεσθαι τοῖς τεθνεῶσι. Etſi enim nihil iucundius, nihil utilius colloquio uiri boni & ſapientis, præſertim amici : tamen ſi talium copia non eſt,concolorem fieri defunctis, quod Græcum illud ſignificat,& mortuorum conſuetudine uti, longè iucundiſsimum eſt. Quanta autem huiuſce rei cùm utilitas tum neceſsitas ſit, fortaſsis intelligi euidentius poterit, ſi ſublatis Bibliothecis (quod abſit) ire peſſum optimos quoſque autores fingamus. Quæ rerum humanarum confuſio & pernicies ſequeretur? Nemo docere populum,aut pueritiam inſtituere poſſet: nullis iudicijs,nullis legibus eſſet locus: beſtiarum more uiueremus,nec ratione animi quicquam,ſed pleraque uiribus corporis adminiſtraremus : & tantum unuſquiſq; haberet, quantum manu ac uiribus

tibus per cædem ac uulnera aut eripere aut retinere poſſet: nihil neque præteritorum (neſcire autem quid antea quàm natus ſis acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum, Cicerone autore) neq; futurorum nouiſſemus: ferinam deniq;, non humanam uitam degeremus. Cum igitur neq; religio abſque libris conſeruari, nec literæ florere poſsint, ubi Bibliothecis deſtituimur: ſatis conſtat, eos qui Bibliothecas adornant, eruditionem & pietatem, res aqua & igne magis neceſſarias, conſeruare. Quantis laboribus, quâtis uigilijs & moleſtijs Ciceroni, Platoni, Ariſtoteli, & alijs autoribus, ſcripta ſua uerimile eſt conſtitiſſe? utiq; maximis & plurimis: neq; uerò laboribus ſolùm, ſed & ſumptibus. Non habuerunt illo ſeculo chartam qualem nos habemus, ſed palimpſeſtos codices, tabellas ceratas. Tolerandum hoc aliquo modo fuiſſet: ſed acceſsit huc & excudendi inſcitia. Omnia manu deſcribere ſunt coacti. pluris conſtitit illis minutus aliquis libellus, quàm nobis duo aut tres iuſtæ magnitudinis libri. Quamuis autem magna opera, magnis lucubrationibus, magna ſolicitudine, magna rei familiaris & pecuniæ iactura ad edendos illos opus eſſet, nõ abſterreri tamen ab hac re potuerunt: ſed ita ingenuis ſtudijs & artibus delectati ſunt, ut nec ualetudinis, nec rei familiaris rationem haberent: & cum maximis curis & cum laboribus compenſarent eam, quam ex legendo & ſcribendo ceperunt uoluptatem. Hoc enim unum eorum ſtudium fuit, quo omnes & animi & corporis dolores leuarunt: quod inſtar uitę eſſe putarunt, & omnibus diuitijs antepoſuerunt. Quid autem immenſus hic labor nobis prodeſt, & incredibilis in poſteros amor, ſi ſcripta eorum non cuſtodimus? Omnis illorum opera fruſtra eſſet ſuſcepta: niſi in bibliothecis aſſeruata eorum monumenta ad poſteros eſſent tranſmiſſa. Iam quia maiores noſtri ea fuêre diligentia, ut illa nobis relinquerent, & quaſi per manus traderent: impium profectò fuerit, nos ea non cuſtodire, ac ab interitu uindicare. Neq; enim ſolùm nobis nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria uendicat, partem amici & poſteri: quo fit, ut perexigua pars nobis relinquatur. Nũc ſi Reipub non uiui ſolùm & præſentes, ſed etiam poſt obitum (quod ſapientis eſſe, Plinius affirmat) conſulere uolumus: enitendum ſanè eſt, ut ſtudioſiſsimi librorum ſimus, poſteroſque exemplo noſtro non eſſe negligendos, ſed ſummo in precio habendos moneamus. Quòd ſi nos ita animati fuerimus, ſimili etiam modo illi affecti erunt, pariq; prudẽtia Rempub. gubernabunt. Rectè enim Horatius:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed uim promouet inſitam,
Rectiq; cultus pectora roborant:
Vtcunq; defecêre mores,
Dedecorant bene nata culpæ. Vt igitur agricolę laborãt in ijs (queadmodũ Cato inquit) quę ſciũt nihil ad ſe omnino ptinere: ſerũt arbores quæ alteri ſeculo proſint, nec dubitãt, quãuis ſenes, quęrẽti cui ſerãt reſpõdere: dijs im-

dijs immortalibus: qui ſe non accipere tantummodo hæc à maioribus uoluerint,ſed etiã poſteris tradere: ſic nos quoq; libros qui à maioribus nobis relicti ſunt,ad poſteros tranſmittere debemus. ij enim (ut Cicero diſputat) poſteritatis cauſa reperti ſunt,qui obliuioni ſubſidio eſſent. Verùm (ut eleganter Ouidius)

Non minor eſt uirtus,quàm quærere,parta tueri.

Quòd ſi ſcriptoribus, qui magnis laboribus & impenſis opera ſua in lucem protulerunt,magnam gratiam debemus:eandem etiam ipſis conſeruatoribus habere decet. Quare magnopere, & ſumma animi contentione enitendum nobis eſt, ut ſcripta à maioribus accepta reſeruentur, magna cùm cura tum diligentia exornentur, & eorum numerus quotidie augeatur: exemplo ueterum & maiorum noſtrorum,qui ſummo ſtudio,labore & induſtria uolumina doctorum conquiſiuerunt. Quot millia librorum Ptolemęus Philadelphus à Neleo cuſtode bibliothecę Ariſtotelis, & qui ei poſt obitum ſucceſsit, Theophraſti, coemptorum,ex urbe Athenarum & inſula Rhodo Alexandriã tranſtulit? Tam inſignem bibliothecam belli ciuilis uæſania inter Cæſarem & Pompeiũ geſti,funditùs euertit, & in cineres redegit. Studioſus omnino librorum Ptolemęus ille fuit,adeò ut Hebraicas quoq; literas in linguam Græcã tranſferendas curauerit. Cum enim magnum codicum numerum comparaſſet,Demetrium Phalereum ijs prępoſuit. Qui aliquando à rege interrogatus, quot librorum millia conquiſiuiſſet? circiter ducenta reſpondit eſſe collecta: eſſe autem apud Hebræos, etiam libros de illorum legibus & inſtitutis,nõ contemnendos,eos quoq; conquirendos eſſe. Cum autem Rex id per literas à Iudæis petere ſtatuiſſet, Ariſtæas regis amicus ait: Cum Iudæorum leges nõ modò tranſcribere,ſed etiam interpretari ſtatuerimus,quo pacto id impetrabimus, cum multi Iudæi in regno tuo ſeruiant? eos igitur libertate donatos Rex dimitte, ut gentem alacriorem reddas ad Scripturas & tranſcribendas & interpretandas. Hoc conſilium ſecutus Rex,omnes Iudæos in Aegypto ſeruientes,miſſos fieri iubet, ſingulos à dominis ſuis drachmis centenis uicenis mercatus. Ptolemæus igitur ad Eleazarum pontificem ſcribit, eiq; & ſeruientium Iudæorum manumiſsionem,& ſuum erga populum animum ſignificat: petitq; & ipſas leges ſibi mitti, & uiros ſenos è qualibet tribu,tum uernaculæ,tum Græcæ linguę peritiſsimos,à quibus ſcripta illorum in linguam Græcam conuerterentur, miſsis unà in templum donarijs. Eleazarus autem literis & muneribus Ptolemæi acceptis, è qualibet tribu uiros ſenos ablegauit, legem ſecum portantes. Qui cum Alexandriam perueniſſent, & legem Regi aureis literis in membranis deſcriptam,unà cum miſsis à Pontifice muneribus attuliſſent: Rex magnopere lætatus, eos humaniter acceptos ſuæ menſæ adhibuit, & terna eis talenta diſtribuit, diuerſorijs amœniſsimis aſsignatis. Deinde à Demetrio in unam tranquillam domum omnes ſunt deducti, hortante ut operi inſtarent. Hi pro uirili accuratoq; ſtudio conuerſionem abſoluunt: qua intra dies 72 perfecta, exſcripta & recitata, Rex & uoluntati ſuæ ſatis eſſe factum, eſt gauiſus, & Legiſlatoris ingenium & ſapientiam ſupra modum eſt admiratus.

miratus. Diſſoluto autem illi quodam à Demetrio ſcrupulo, libros acceptos adorauit: & interpretes munificentiſsimè tractatos, donarijs templi & pulcherrimis muneribus Pontifici miſsis, Hieroſolyma remiſit. Hæc ideo à me recitata ſunt, ut ueterum in obſeruandis libris diligentia perſpiceretur: ut qui non ſolùm ſtudioſiſsimè cuſtodierint, ſed diuinis etiã honoribus affecerint. Quid de præclara Bibliotheca referã, quæ Cõſtantinopolitano incẽdio perijt? de qua Ioannes Zonaras, ſinceræ fidei hiſtoricus, ſcribit his uerbis: *λέοντος κρατοῦντος ἐμπρησμὸς ἐν Κωνσταντινουπόλει γέγονε μέγιστος, ἐκ τῶν χαλκοπρατίων ἀρξάμενος, καὶ πάντα τὰ τούτοις προσεχῆ νεμηθεὶς, καὶ ἀποτεφρώσας τάς τε τῶν δημοσίων πλατειῶν στοὰς, καὶ τὰς αὐταῖς ἐπικειμένας οἰκοδομάς: ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτὴν τὴν κεκλημένην βασιλικὴν, καθ' ἣν καὶ βιβλιοθήκη ἐτύγχανε, δώδεκα μυριάδας βιβλίων ἀποκειμένων ἐν αὐτῇ ἔχουσα. ἐν οἷς ἀναγέγραπται εἶναι καὶ δράκοντος ἔντερον, μῆκος ὂν ποδῶν ἑκατὸν εἴκοσιν, ἔχον ἐγγεγραμμένα χρυσοῖς γράμμασι τὰ τοῦ Ὁμήρου ποιήματα, τήν τε Ἰλιάδα καὶ τὴν Ὀδύσσειαν, ὡς καὶ ὁ Μάλχος τὰ περὶ τούτων βασιλέων συγγραφόμενος μέμνηται.* Quot libri in cõflagratione templi Pacis, quæ palatij Bibliothecas inuaſit, & codices alios in cineres uertit, perierunt: qui ſumma diligentia congeſti & cuſtoditi fuerant? Ariſtoteles primus omnium, quos ſcimus, libros congregauit, & Aegypti reges Bibliothecæ ordinem docuit: ut & (qui poſt obitum imitatus eum eſt) Theophraſtus, & qui hunc ſecutus Neleus, à quo Bibliotheca Ariſtotelica Scepſim eſt delata: eoq; mortuo, negligentia hominum in foſſa quadam ſub terra poſita, & tineis atq; humiditate labefacta, Apelliconi Teio magno argento uendita eſt: qui uitia emendare ſtudens, eos tranſcribendos curauit: deſcriptis uerò ijs perperam, erroribus plenos edidit. Piſiſtratus Athenienſis primus publicauit Athenis bibliothecam, quam Xerxes urbe potitus, ad Perſas tranſtulit. eam deinde multis pòſt annis Seleucus Nicanor, unus è ducibus Alexandri, reſtituendam curauit. Tarquinius Priſcus Sibyllæ libros trecentis philippæis, quod precioſum apud antiquos numiſma erat, ſibi comparauit. Plato Philolai Pythagorici libros decem millibus denariûm emit: quod apud nos circiter ſexcentos, id eſt mille & octingentos coronatos conficit. Scribit Plinius iunior, potuiſſe ſe, cum procuraret in Hiſpania, uendere ſuos commentarios Largio Licinio quadringentis millibus numûm. Quàm adamarit libros Antoninus Imperator, cognomento Pius, ſi nuſquam aliunde, uel ex hoc eius dicto, digno Imperatore, ſatis conſtat: *ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνίων, ἄλλοι θηρίων ἐρῶσιν: ἐμοὶ δὲ, βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος.* Proditur in hiſtorijs, Aſinium Pollionem, uirum doctiſsimum, quem Horatius lib. 2 Carminum ab hiſtoria belli ciuilis deterret, cuius etiam epiſtola extat ad Ciceronem: primum Romæ Bibliothecam in Herculis fano dedicauiſſe. Scribit Iulius Capitolinus, Gordianum Imperatorem 62 millia librorum habuiſſe. Tyrannion Grammaticus (ut Plutarchus in Sylla oſtendit) qui tempore Pompeii Magni floruit, ſupra tria millia librorum poſſedit. Quid nunc, omiſsis ueterum exemplis, de præclara Bibliotheca diſſeram, quam nunquam laudatus ſatis rex Hungariæ Matthias, omni ſcriptorum genere, & innumeris Græcis Hebraicisque uoluminibus (quæ ex media Græcia immenſis ſumpti-

bus coemerat) Budæ (quam uulgò Ofen uocant) inſtruxit? quę, proh dolor, Buda alijsq; oppidis quibuſdam à Turcis captis, à militibus & barbaris (paucis ex incendio illo ereptis) uaſtata & combuſta eſt. Atque hęc quidem, de ueterum in comportandis & aſſeruandis libris ſtudio. Neq; uerò etiam exempla deſunt ætati noſtræ, laudatiſsimæ præſertim huius Reipub. in qua, pręter cęteros, Fuggerana familia ut opibus, ita etiam in genijs & uirtute præſtans, non minimum ſtudium in conquirendis omnis generis libris, magna cum laude ponit. Laudandum itaq; in primis eſt ampliſsimi & prudentiſsimi Senatus Auguſtani conſilium, factumque: & ad cœlum uſq; efferendi, qui ei rei pręfuerunt Aediles: qui ut non tantùm noſtro ſeculo, ſed poſteris etiam conſuleretur, cuſtodiendis libris tam præclarum ædificium conſtruendum curauerunt: ad cuius laudes, ita ut erat ſuprà à me propoſitum, nunc mihi accedendum arbitror. Etſi autem architecturæ imperitus, ea de re haud facilè iudicare poſſum: tamen quantum à uiris doctis audio, & huius rei peritis, omni laude cumulatum & perfectiſsimum eſſe iudicatur. Nam neq; in loci commoditate, amœnitate & tranquillitate, quæ docti in primis ſpectant: neque in ſitu, cuius architecti rationem habent: quicquam deſideres. Quid enim commodius eſſe poteſt, cũ ſit Scholæ totius urbis celeberrimæ proximum, ubi quàm plurimi uiri docti conueniunt? Neq; uerò amœnitas aut tranquillitas deeſt, cum ex omnibus ferè partibus nihil niſi prata & horti appareant: & neq; curruum ſtrepitus, neque hominum frequentia interturbet. Quod uerò ad ſitum attinet, commodo in loco ædificata, nõ obeſt ei auſter, ſol per diem totum ab eo nõ recedit: elegantis eſt formæ ipſum ædificium, arci ſimilimum, iuſtæ altitudinis, ſcala & turribus celebratum. Non minima uerò laus eſt, quòd nullas habet ędes contiguas: ideoq; ab incendio tutiſsimum. Atq; hîc multa de tecto turriumq; elegantia dici poſſent: ſed hæc ij melius intelligunt & iudicant, qui architecturæ præditi ſunt ſcientia. Rectè enim Ariſtoteles: *ἕκαστος κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής.* Maximum uerò omnium ornamẽtum, Latini, Græci, Hebraici, & Germanici libri, qui & nunc adſunt optimi & plurimi: & augebuntur indies, maximo utiq; ciuitatis cõmodo. Cum enim copiæ ſingulorum paruæ ſint: eorum autem qui libris egeant, infinita multitudo: pauci, omnes ſibi autores comparare poſſunt. Quare opera à prudentiſsimis uiris, & publici boni ſtudioſiſsimis, quibus hæc curatio incumbit, dabitur, ut Bibliotheca optimis quibuſq; autoribus quotidie inſtructior & ornatior reddatur. Quàm uerò id deceat, Franciſcus Patricius Senenſis, egregius autor, his uerbis docet: Bibliotheca (inquit) in urbe, ſalubri ac quieto loco cõſtituenda eſt: nec committendum erit, ut ciues noſtri tanto munere fraudentur. Nam ſi palæſtra, quæ corpus adiuuat, tanto ſtudio tantaq; impenſa in pleriſq; urbibus ſtatuitur: quanto magis Bibliotheca adornanda erit, quę eſt pabulum mentis bene inſtitutæ, & exercitatio animi ingenui. Et, ſi certaminum uictores magnos honores meruerunt, ut in cõuentu ſtantes, palma & corona decorarentur, & redeuntes in patriam, quaſi uictoria triumphantes, quadrigis inueherentur, & ueſte publica, perpetuoq; uictu alerentur: quanto ma-

to magis efferendi ſunt uiri doctiſsimi, qui diſciplina & moribus Rempub. adiuuant, & ſcriptis ſuis ea omnia commendant quæ poſteris ſeculis profutura ſunt? Hactenus ille. Nulla uidetur eſſe regio, nulla ciuitas, nullum oppidum, quod ſuis ornamētis, quibus alijs præſtat, careat. Alia enim urbs ædificijs multis, alia hortis, alia deniq; aquà ſalubri præ reliquis prædita eſt. Etſi autem his omnibus hæc ciuitas reliquis urbibus Germaniç non eſt inferior: tamen quantum ad hoc elegantiſsimum ædificium, nec tam ad ędificium, quàm ad omnis generis libros attinet, infinito ſpacio ſuperior iudicabitur. Laudantur annales, quòd res iam olim geſtas, & uirtute præſtantes uiros ab interitu & obliuione uendicent, eorumq; memoriam conſeruent: quid uerò eſt Bibliotheca aliud, quàm cùm ipſorum, tum aliorum monumentorum & rerum geſtarum expoſitio atq; demonſtratio, teſtis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magiſtra uitæ, nuncia uetuſtatis? Hæc de Bibliotheca quæ dicerem habui: in quam ſumptus impendere cùm & honeſtum, & utile, & neceſſarium (ut declaraui) ſit, & id maiorum autoritate (quorum ueſtigia ſequi, ſi itinere præſertim recto præceſſerint, honeſtiſsimum eſt) comprobetur: omnibus mehercule tum animi tum corporis uiribus enitendum eſt, ut ea quotidie reddatur inſtructior, & numerus librorum indies augeatur: ne carbones loco theſauri inueniātur (ut in prouerbio eſt) & ingredientes ac inſpicientes eam, fallat quam ædificij amplitudo concitauit expectatio, atq; in eburnea uagina ſit plumbeus gladius: ut Diogenes Cynicus adoleſcēti cuidam, facie quidem formoſa, ſed oratione indiſerta, ait. Ornanda eſt etenim (ut Ciceronis uerba immutem) dignitas libris, non ex domo dignitas tota quærenda. Nec domo dominus, id eſt libri: ſed domino domus honeſtanda eſt. Odioſum eſt enim, cum à prætereuntibus dicitur: O' pulchra domus, heu quàm deformi dominaris domino. Quod quidem eo magis, quo magnificentius eſt ipſum ædificium, cauendum erit. D. I X I.

GEORGIVS HAMAXVRGVS, CLARISSIMI *uiri D. Chriſtophori Peutingeri, Auguſtanæ Reipub. Tutoris, alumnus.*

ΤΩ ΛΟΓΙΩΤΑΤΩ ΙΕΡΟΝΥ-μῳ Βολφίῳ.

Ἔπρεπε τῷ φρονίμῳ Πεισιστράτῳ, ὡς φάτις ὀξὺν,
ἰχνεύοντι σοφὸν Μαιονίδαο νόον·
θεῖος Ἀρίσταρχος, νόθον ὃς, γόνιμόν τε ποιητοῦ
λεπτὰ διακρίνειν οἶδεν ἕκαστον ἔπος.
τοῖος ἄρ' ἐξεφάνης πολυώνυμε Βόλφιε, κλεινοῖς
τίμια Φυχαίροις ἔργα χαριζόμενος.
οἱ γὰρ πλαζομένας δηρὸν στῆσαι μεμαῶτες
τὰς μούσας, μουσῶν τ' ἄξια μελψαμένους·
σοὶ μούνῳ χρῶνται συμφραδμόνι, εἰδότες ὅττι
καὶ μέγας ἐν βουλῇ ἐσσὶ, καὶ ἐν σοφίῃ,
ναὶ μάλα τοῦτο δίκαιον, ἐπεὶ προβέβηκας ἁπάντων,
ἑλλάδα τ' αὐσονίοις εἵμασιν ἀμφιέσας.
εἰ δ' ἄγετ' οὖν ἄμφω νῦν συνδέετε τοιάδε ῥέζειν
αὐγούσταν θέμενοι πᾶσιν ἀοιδοτάτην·
καὶ γὰρ Φυχαίρων τάχα ἔλπομαι οἶκον ἐλέσθαι,
πάντας ἀοιδοπόλους ἀνθ' ἑλικῶνος ἔχειν.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

τὴν εὐδαιμονίην ὁ μὲν ἐν τιμαῖσιν ἔθηκεν,
ὃς δ' ἐνὶ τῇ τρύφῃ, ἄλλος ἐνὶ κτεάνοις·
οὔ τις ἀληθείης σκοπὸν ἔλλαχεν, ἀλλ' ὁ μὲν ἧττον,
μᾶλλον ὁ δὲ, ὥστε λέγειν πάντας ἁμαρτινόους,
εἰ δέ τις αὐτ' ἀρετὴν εἴποι εὐδαίμονα τεύχειν
ἄνθρωπον, χ' οὗτος ἤμπλακ' ἐπητυμίης.
καὶ γὰρ ἀνὴρ εὕδων οὐκ ἔσσεται, οἵαπερ ἄλλοι,
εὐδαίμων, ἔργων παυσάμενος προτέρων.
οἱ τοίνυν εὐδαιμονίην εἰπόντες ὑπάρχειν
ἐν αὐτῷ καλῷ, εἰσὶν ἀνεκτότεροι.
αὐτὰρ ἁμαρτοεπεῖς καὶ αὐτοὶ, οὕνεκ' ἀληθῶς
εὐδαίμων, ὁ θεὸν μοῦνον ἀγασσάμενος.
ταῦτα ταλαντεύων σύ γε πάντα, καὶ ἐσθλὰ διώκων
Βόλφιε, τὸν χριστὸν προὔκρινας αὐτὸν ἔχειν·
μοῦνος ὅτι χρυσοῖο δοτὴρ, καὶ ἤδεος ἐσθλοῦ,
καὶ τιμὰς παρέχων, καὶ ἀρετὰς μεγάλας.
τοὔνεκ' ἀριστονόοις Φυχαίροις πᾶσι φιληθεὶς,
ναίει διαπλώεις σὺν χαρίτεσσι βίον.

ΤΩ ΛΟΓΙΩΤΑΤΩ ΚΑΙ ΦΙΛΤΑΤΩ

Ἱερωνύμῳ Βολφίῳ, Πέτρος Κορτωναῖος ὑγιαίνειν.

Βόλφιε πιερίδων λάτρι φίλτατε, Βόλφιε κύκνου
ἀείδων λιγυροῦ πολλὸν ἀρειότερον,

Βόλφιε

βούλεται ῥωμαϊκῆς γλώσσης φάος, ἑλλαδικῆς τε,
ὅττι ἀμαυρῶσαι ὁ χρόνος οὐ δύναται.
πρὸς φοίβου δέομαι, πρός τε ζηνὸς φιλίοιο,
σύγγνωθι βραδέως ταῦτα γράφοντι φίλῳ.
οἶδα δικαιοτάτης ὅτι μέμψιος ἄξιος εἰμί,
καὶ χρέος εἰσπράττειν πρῶτον ἔχεις παρ' ἐμοῦ.
ἀλλ' ἄρα πειθόμενος σέθεν ἔμπεδον εὐμενίῃσι
θαρσέω συγγνώμης νῦν παρὰ σεῖο τυχεῖν.
μοῦσα καὶ ἀμετέρα δύναται αἰσχρὰν ἐπιμομφὰν
καλὰ τόκῳ λῦσαι τῇδε πολυπλασίῳ.
οὐκ οὖν προφρονέως τάδε δίστιχα λάμβανε νυνί,
εὖ μάλα πιστεύων μ' ἔμπεδον ἐν φιλίῃ.
ἐκπάγλως φιλέω γὰρ ἐγώ σ' ἐνὶ φρεσὶ φυλάττων
σὸν τύπον, ἠδ' ἀρετῶν φέγγος ἀριστεπέων.
μαρτυροῦσ' οἱ συνομιλοῦντές μοι, μαρτυροῦσ' ἄλλοι,
τοῖς σέο κηρύσσω κόσμον ἀεὶ πραπίδων,
πρὶν δ' ἔμ' ὀφειλόμενον χρέος σοὶ νῦν ἀποτῖναι,
καὶ φθονερῶν ἐνιπὰν ἐξελάσαι χαλεπάν,
βούλομαι, οἷα πρέπει, καὶ ὁ καιρὸς ἔοικεν ἀπαιτεῖν,
αἴτια σιγῆς μου τοσσατίης προφέρειν.
κλεινὸς Ἰωάννης Ἰάκωβος ἄωτος ἀγαυῶν
φουχαίρων πρώην πέμψ' ἐμ' ἐς Ἰταλίην,
ὄφρ' ἐπιτασσομένων μεμνημένος, ἠδὲ παλαιῶν
τῶν εὐεργεσιῶν πάντα κινοῖμι λίθον.
δὴ τότ' ἐγὼ τελέσων τοῦδ' ἤλυθον, εὐθὺς ἐφετμὰς
ἣ θέμις, ἐνδυκέως ὅσση ἐμοὶ δύναμις·
ἔνθεν ἅπασαν ὁμοῦ μεταθεὶς σπουδὴν ἐπὶ τοῦτο
μοῦνον ἐπισπεύδω νῦν συνεχῶς τελέσαι.
οὔτ' ὀλίγην δ' ἢ ἐλπίδ' ἔχω κλέος ἐσθλὸν ἀρέσθαι,
νῆα θαλασσοπόρον προσελάσας λιμένι.
οὐ γὰρ ὃς εὖ ῥέζουσιν ἔχει χάριν ἀνταποδοῦναι
ἢ νόῳ, ἢ ἔργῳ, κ' οὐκ ἀπέδωκεν ὅλως,
ἄξιος οὐκέτι ζώειν, καὶ ἐσθλὸς ἀκούειν,
εἴπερ ἀχαρίστους πᾶσα τρέφει κακίη.
οὐ μὴν ἀκιστοείης στρωφώμενος ἔσθ' ὅτ' ἐπ' ἔργοις
πρὸς τὰς μούσας ἔχω ἀσχολίην ἀέκων.
πολλάκι σὺν μούσαις ποιήματα πρόσθεν ἔπαιζον
νῦν μὲν ἐρωτήσας, νῦν δ' ἀπαμειβόμενος.
γέγραφα καὶ πρώην ἐγκώμιον ὕμνον ἀείδων
ἀρχῶν Νωεικίας καίπερ ἀοιδοτάτων.
οὐχὶ δ' ὅμως σέθεν λαθόμην ποτέ· τίς λελάθοιτο
τοσσούτοιο φίλου πιερίδεσσι φίλου;

μουσοχαρῆ πρῶτον στέργεις βίον, ἠδὲ σοφοῖσιν
ἄμμιγα τόνδ' ἀσκεῖς δύστε βίην κατέχων.
ἔστα δ' ἀμωμήτοις παρὰ φυχαίροις ἐμ' ἐπαινῶν,
δείκνυσιν εὔνοιαν ἄμμι ποθεινοτάτην.
τοὔνεκα δὴ πολλόν σοι ὀφείλομαι, ἔξοχα τ' ἄλλων
ὡς ἐφίλησέ σε πατήρ, καὶ μάλα νῦν φιλέω
πέρασον εὐκαίρως, πεῖρα γάρ τ' αἰὲν ἐλέγχει
τὸν φίλον, ἐμφαίνει βένθεα καὶ κραδίης.
τί περὶ δέ σοι χρειὼ τούτων, ὃς μήδεα πυκνὰ
οἶδα, καὶ γὰρ πᾶσιν εὔσοχον ὑπερέχεις.
οὐδ' ἐμέ γ' ἀγνοίεις πόσσαις ἀρετῇσι φαείνεις,
πάντας ἐφελκομένας κάλλει θεσπεσίῳ.
τοσαύτη δύναμις σοφίης, καὶ φέγγος ὑπάρχει,
ὥστε βαλεῖν θνατοὺς εἰς γλυκὺ θάμβος ἀεί.
μαρτυρέει σεόθεν θεῖος πόνος, ἠδέ γε μουσῶν
δῶρα τεῶ μεγάλην δόξαν ἀειραμένων.
μαρτυρέω καὶ ἐγὼ τὰ βιβλία χερσὶν ἑλισσῶν,
ἔνθοτ' ἀρίζηλον σύμβολον ἀγρυπνίης.
ὧν ὄφελος πολλοῖς ἦλθεν, καὶ χάρμα βροτοῖσιν
κεῖνα μετὰ σπουδῆς πάντ' ἀναλεξαμένοις.
πλείονα δ' ἐλπίζω σ' ἐριθηλέα καρπόν τ' οἴσειν
οὐ μετὰ δηρόν, ὅπως ἄλκαρ ἅπασι φέροις.
οὕνεκεν ἐσσὶ νόον πεπυκασμένος, ἠδὲ παλαιῶν
τὰς γνώμας λεπταῖς φροντίσιν ἐξερύεις,
χ' ὡς μεγάθυμος ἀνὴρ σπουδάζεις ἤματα πάντα,
μνῆμα λιπεῖν ἀρετῆς καλὸν ἀκειχόμενος.
ψεύδεσιν οὐ τέγξω λόγον, οὐ βλάψω κολακείαις,
ἔργα τεὰ ἐναργῆ πάντοτε πίστιν ἔχει.
τοὶ γὰρ φύχαιροι κλῃνοῖσι τίσσιν ἅπαντες,
τὰν σεο θαμβοῦντες πουλυφόρον σοφίην.
ταῦτα δὲ μουσάων ἱερῶν φίλος Οὐλδερρῖκος,
αἳ μὲν ἀρίγνωτον θῆκαν ἅπασι πάλαι.
καὶ πάλιν Αὐγούστη πολλοῖς ἄθλοις σε γεραίρει,
ἄζυγος εὐεπίης κάλλεϊ γηθομένη.
ὧν περ ἐπαυγάζεις πόλιν, ἠδ' Ἑλικῶνος ἐπ' ἄκρου
πάντας ἄγεις ταχέως ἴχνεσιν ὀρθοβάτοις.
ἀλλὰ τί μούνιον γαίης ἔθι μάρτυρα μουσῶν,
Εὐρώπης τε μυχὸν Γερμανίην καλέω.
οἴδασιν Αὐσόνιοι καὶ αὐτοί, Κελτοί, Ἴβηρες,
οἶδέ σε κόσμος ἅπας καλὰ πονησάμενον.
σῶν ἀρετῶν γὰρ ὅλης τραφερῆς διακίδναται φέγγος,
θάλλει ὅπου χαρίτων εἶαρ ἐϋστεφάνων.

ὑμέλ.

ἦ μάλ' ἀοίδιμος ἐσσὶ δίκαιος, πᾶσί τ' ἀγαστός,
ἔξοχα δῶρα λαβών, ἔξοχα δῶρα νέμων.
κοὔποτε τέθνηξη, πάσης ὅτι κρείσσον' ἀέθλεις
βασκανίης, ἱδρῶν πιμπλάμενος λιβάδων.
νῦν δὲ σιωπήσω γ'· ὅτι κάλλιόν ἐστι σιωπᾶν,
ἢ τὸν ὀφειλόμενον πλείονα, παῦρα λέγειν.
δικροτάτης σιγῆς πρόφασιν μόνον αὐτὸς ἐνέγξω,
ἣν σὺ πρόφρων δέξαι ὥστε δικαιοτάτην·
εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον θαμινῶς σοὶ γράμματα πέμψω,
θεσμὸν ἀριπρεπέος ῥυόμενος φιλίης.
εἰ καὶ ἐν πενίῃ πάσῃ πανυπείροχον ἐστὶν
τὸν γράψοντα χερὶ θρέμματι Πιερίδων·
ὄφρα κατ' ἀξίαν λιγυρωτάτῳ ἄμμιν ἀείδοι,
αὐτὰρ ἐγὼ χθαμαλὸς κλήζομ' ἀοιδοπόλος.
ἔνθεν ἔδεξ' ἀσπασίως με γράφειν σοί, κόσμον ἐπειδὴ
μοῦνος ἐπῶν ἀσκεῖς ἄμμιγα ταῖς χάρισιν.
καὶ σὺ δὲ προφρονέως πέμψεις μέλος ἡδὺ πρὸς ἡμᾶς,
οὐκ ἀπανηνάμενος τὸν θρόον ἡμέτερον.

ΕΙΣ ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΝ ΚΑΙ
ἱερώνυμον Βίλφειν, Κάρολος
οὐθὲν ὁ βίος.

ὅττι σθενὸς δήμου πρότ' ἔην, λάχεν οὔνομα ῥήτωρ
οὐ σθένει κρατερὸς σώματος, ἀλλὰ νόου.
Βόλφειος νῦν δὲ λαχὼν δὲ βίης ἔθεν ἑρμηνευτὴν,
οὐ μόνον ἐστὶ νόον κρατερός, ἀλλὰ δέμας.
τοῦ γὰρ ἐν πενίης σὺ βίον καὶ κάρτος ὀπάζεις,
κυδαίνων πᾶσιν πατρίδι γ' ἐν πενίῃ.

ΤΕΛΟΣ.

HIERONYMI VVOLFII OETINGENSIS PRAEFATIO IN Officia Ciceronis, cum ea in Schola Auguſtana ad Diuæ Annæ declaranda ſuſcepiſſet.

CVM TOT DOCTORVM VIROrum lucubrationibus hi libri de Officÿs explicati ſint, itaq; tractati, ut quiuis uel mediocriter Latinæ linguæ peritus, in ÿs legendis præceptorum opera carere queat: breuitatis erit in enarrando habenda ratio, & id in primis agendum, ut adoleſcentes ſtudioſi ad utiliſsimarum præceptionum diligentem lectionem & meditationem excitentur. Quod qua ratione efficiendum ſit, ſuo loco indicabitur. Nunc de noſtra interpretandi ratione pauca ſunt dicenda. Rectè ait Terentius: NVLLVM eſſe nunc dictum, quod non dictum ſit prius. Et tamen cum circulus quidam ſit rerum humanarum, omniaq; uelut in orbem redeant: neceſſe eſt eadem ſubinde repeti, & adoleſcentiæ partim ignaræ, partim rudi & imperitæ inculcari. Doctis autem præceptore nihil eſt opus, quos nemo priuatis ſuis ſtudÿs frui prohibet: nec propter illos hic labor ſcilicet capitur. Seruimus eorum commodis, qui nec librorum copia inſtructi ſunt: & uiua præceptoris uoce magis fortaſsis excitantur, quàm muta lectione. Quòd ſi qui ueſtrûm ſunt, quibus hæc antea cognita ſint: tamen ÿ uel eum fructum hinc capere poterunt, ut eorum memoria renouetur, & altius infigantur animis omnia. Prudenter enim Plato monet: ὅτι δὶς καὶ τρὶς ἐπαναπολεῖν τῷ λόγῳ δεῖ τό γε καλῶς ἔχον: hoc eſt, res præclaras iterum & ſæpius eſſe repetendas. Quòd ſi ego interdum ea attulero, quæ ab alÿs antea quoq; dicta ſunt: non tam erit mirandum, quàm id à pleriſq; faſtidiri intelligo. Aut enim eadem ſunt dicenda, aut meliora & plura, aut deteriora & pauciora: quorum poſtremum ignauiæ ac ſtulticiæ fuerit, ne perfidiæ dicam: primum uerò ſæpè eſt neceſſarium, quòd ÿ qui Opus hoc explicarunt, docti ac diligentes uiri fuerunt: quos uel ingenio, uel doctrina, uel induſtria uincere, ſummæ difficultatis fuerit. Neque uerò ad oſtentationem hæ noſtræ operæ, ſed ad utilitatem auditorum ſunt referendæ. Quorum nihil admodum intereſt, ſiue aliena, ſiue noſtra, modò utilia, & neceſſaria cognitu, in medium afferamus.. Quare operam dabimus, ut obſcura huius libri loca, quoad eius fieri poterit, ſiue noſtra, ſiue aliorum opera (id enim auditorum nullam in partem, ut modò diximus, intereſt) declarentur. Erit autem hic noſtræ interpretationis ordo.

Adhortationibus magis opus eſſe, quàm interpretationibus.

Repetitionẽ utilis doctrinæ non incõmodam eſſe uel mediocriter doctis.

Nouitatẽ in opere multorum lucubrationibus illuſtrato, nõ eſſe ubiq; expectandam.

Fideli præceptori non oſtentationẽ ingenÿ & doctrinæ, ſed auditorũ utilitatem propoſitam eſſe oportere.

Ratio & ordo interpretationis.

I. *Variam lectionem, quam literæ V. L. deſignabunt, annotabimus in ſingulis periodis: citra curioſitatem tamen. Nam omnia perſequi, in tanta codicum uarietate, infinitæ, atq; adeò inanis operæ fuerit. Ea demum erunt obſeruanda, quæ uel compoſitionis ſuauitatem tollunt, uel ſententiarũ perſpicuitatem obſcurant. In cæteris non magnopere laborabimus. ut ſi quæ manifeſtæ & craſſæ mendæ occurrerint, quas cõſectari perinde mihi eſſe uidetur, ac ſi ſtercora cum pomis colligas. ſi fortè Nec pro Neque, Ac pro Atq; legatur. ſi quædam ὑφ᾽ ἕν, id eſt una uoce, ut quandiu, quodammodo: aut διαιρέτως, id eſt ſeparatis uocabulis, quàm diu, quodam modo ſcribantur. ſi uerba tranſponantur: ut, Magnum attulimus adiumentum: ubi alij legunt, Magnum adiumentum attulimus. Hæc & id genus alia, tametſi ſæpè orationem aptè poſita exornãt, contraq; inuerſa deformant: tamen difficile eſt iudicium ſæpenumero, quòd etiam eruditis ſeculis in hoc genere alijs aliud placuit. Quam opinionũ libertatem, ego per me nemini ademptam uolo: indicare, quid ego ſentiam, licebit: cuique uerò, quid malit ſequi, liberum erit.*

Varia lectio.

Orationis diſpoſitio.

II. *Breuiter indicanda erit diſpoſitio orationis, ut auditores animaduertant, quomodo quæque inter ſeſe cohæreant, ac totius Operis quaſi formam tandem animis complectantur.*

Rerũ & uerborum declaratio.

III. *Adijcietur declaratio breuis uerborum & rerum, non niſi ubi neceſſe fuerit: præteritis ijs, quæ ſuo quiſq; Marte ex ijs libris qui paſſim & proſtant, & in omniũ manibus uerſantur, Lexicis inquam ſiue Theſauris græcis & latinis, utiliter inquiret: ne cum faſtidio diutius in eodem opere hæreamus. Qua de re quid ſentiam, ipſe (quamuis non ignorem alijs contrarium uideri) paucis eſt dicendum. Haud facile ullum ingeniũ inuenias, puerili præſertim ætate, quod ea quæ ſemel tradita fuerint, & ſatis intelligat: & ita memoriæ mandet, ut nullum ſit obliuionis periculum. Cum autem perpetua eiuſdem rei frequentatio, humanis animis, qui uarietate gaudent, cùm moleſta ſit, & bis appoſita crambe mors prouerbio dicatur, tum fructus non maximus inde ſperetur: præſtat, paulatim ad ulteriora & maiora pergere: & quæ ſemel diſci non poſſunt, quantumuis ſedulò tradãtur, ipſa diuturnitate temporis, & repetitione rerum earundem, quæ alibi atq; alibi ſubinde recurrunt, ἕξιν δυσμετακίνητον (ut Ariſtotelico uerbo utamur) gignentes, ita infigere memoriæ ut nunquam excidere poſſint. Neq; tamen hæc ſic accipi uelim, quaſi pueris utriuſq; adeò linguæ rudimenta, præceptaq; grammatices atq; adeò cæterarum artium ſedulò & continenter inculcanda eſſe negem. Non inquam hoc dico: cum ſciam, niſi id fiat, parum profici. De ijs ego loquor, qui & ætate & doctrina nonnihil profecerunt. Deinde illam docendi rationẽ non probo, quæ uno in loco docet omnia, quæ τὰ πάρεργα πλείω τῶν ἔργων habẽt: ut ij faciũt, qui ubi aſtrologiæ aut philoſophiæ fit mentio, totas eas artes, ab ouo exorſi, tradunt. Nec tamen inficias iuerim, huiuſmodi quaſi aberrationes à propoſito, ſæpe dele-*

Inquiſitioni auditorũ & maturiori ætati quædam eſſe relinquenda.

ctationem

elatione habere utilitate parem. Sed eas & rariores & modicas eſſe uelim, & tempeſtiuas, ne in libello de Senectute aut Amicitia declarãdo triennium conſumatur: ſed uel ad alia, uel ad eadem Ciceronis opera, uel ad alios etiam autores aliquando tranſeatur. Quod ita (mea quidem opinione) fiet, ſi & inſtituti propria tractentur, quantum ad quenq; locum percipiendum ſatis eſt: & auditorum ingenijs atq; induſtriæ non nimiũ diffidat præceptor, ſed eos potius Socraticæ ſimilitudinis crebrò commonefaciat, qui ſe, id eſt magiſtros obſtetrici, diſcipulos parturientibus mulierculis comparabat. Ego uerò ſæpe dico, uideri mihi doctorem monſtratori & duci uiæ ſimilem, diſcentem uiatori, qui demonſtratã ſibi uiam regiam ſtrenuè ingrediatur, & diligenter teneat. Equidem docilitatem & memoriam præſtare poſſum nemini: ſed ſi quis mihi diſcipulus ingenioſus, diligens, dicto audiens contigerit, eum monere potero, qui autores, & qua ratione legendi, cæteraq; ut facienda ſint, quæ alibi perſecutus ſum, ut breuiſſimo tempore diſcendo exercendoq; ſe in linguarum eruditarum bonarumq; artium ſtudijs quàm longiſſimè progrediatur. Sed hæc hactenus.

Vide 2. tomum Riuij.

IIII. *Illud autem & maximè neceſſarium, & huius argumenti propriũ eſſe iudico, ut quæ ad bonos mores pertinent, in primis inculcentur. Hoc enim τὸ ἔργον & caput eſt huius operis. Cætera πάρεργα ſunt, & obiter accedunt: quæ inter repetendum indicari poterunt. Meminerint igitur auditores, enarrationem uerborum, & hiſtoriarum ac fabularum, aliarumq; rerum: indicationem item inuentionis & diſpoſitionis oratoriæ, accesſionem quandam eſſe: proprium autem huius doctrinæ finem, intelligere quid uerum, quid falſum, quid honeſtũ, quid turpe ſit: quid noceat, quid expediat: & quæ intellexerint, in omnibus conſilijs, in omnibus ſermonibus atq; actionibus in promptu habere, & ipſa uita & moribus præſtare: ut ueritas & honeſtas iucundiſſimæ huius lucis aſpectu ſit dulcior, mendacium uerò & turpitudo morte acerbior, falſaq; utilitatis ſpecies & maleſuada uoluptas magno animo contemnatur & repudietur. Quæ ſi faceremus, ſuus philoſophiæ & bonis literis rediret honos: qui pſeudophiloſophorum culpa, hoc eſt, eorum qui nec ſolidè docti ſunt, & ea quæ tenent, ad decipiendos homines & exagitandos conferunt, non modò planè concidit, ſed & in contemptum & acerbiſſimum odium doctorum penè omnium eſt conuerſus. Quis enim uir bonus & prudens amet aut magni faciat impoſtores, ſophiſtas, ſycophantas, priuatæ & publicæ quietis perturbatores: ac non potius oderit, contemnat, execretur? Pareant his præceptis homines ſtudioſi, eaq; non in ore, ſed in pectore geſtent, atq; omni loco & tempore uelut in aciem educant: ſi uiri boni & docti & eſſe & haberi, & præmia uirtutis atq; doctrinæ conſequi cupiunt. Sed hæc hactenus.*

Morum & uitæ correctionem in hoc opere præcipuẽ ſpectandam eſſe.

Inſcitia & improbitate eorũ qui ſe doctos perhiberi uelint, fieri, ut & doctrina & docti ſint in cõtemptu & odio.

M. T. CICERONIS† OFFICIORVM AD MARCVM FIlium Libri tres.

† *V. L. Alij, De officijs.*

Opera Ciceronis in manibus eſſe oportere.

NOMEN *autoris ita notum & charum eſt omnibus literatis, ut de eo quicquam dicere ſit ineptũ. Illud quidem optandum fuerit, ſcripta eius ea & diligentia & iudicio legi, ut maximos inde fructus cùm ad iudicandum & dicendum, tum ad benè beateq; uiuendum caperemus. Conſtat enim inter omnes eruditos, nullum linguæ Latinæ autorem cum Cicerone uel eloquentia, uel grauitate, & uarietate doctrinæ, poſſe comparari. Cum autem optima quæq; primùm diſcenda ſint: cur alium ſcriptorem Ciceroni, in hoc & Latini ſermonis, & philoſophiæ ſtudio anteponamus?*

Cauſę huius operis.

Vt autem (id quod rectè fieri à pleriſq; ſolet, aliena ſcripta enarrantibus) cauſas huius Operis explicemus: Efficiens Cicero eſt, conſul Romanus, ſummus orator, ſummus philoſophus, homo ditiſſimus, uir clariſſimus, & Romanæ facundiæ parens, & Pater patriæ dictus prouecta ætate. Scriptus enim hic liber uidetur non multò ante Antonianam proſcriptionem, ſub annum ætatis illius ſexageſimum tertium.

Principibus in Repub. uiris exemplũ Ciceronis imitandum.

Habent hic uiri magni & nobiles præclarum exemplum, philoſophiæ ſtudium & bonarum literarũ cultum, cum præſtantis naturæ muneribus, & fortunæ ornamentis coniungendi: quod in hac noſtra barbarie pauciſſimi imitantur. Sic tamen autor huius operis Cicero iudicandus eſt, ut ipſe non negarit, ſe pleraq; è fontibus Græcorum hauſiſſe, & multa à Panætio & Poſidonio eſſe mutuatum. Quare præcepta hæc, diſciplinã Stoicorum ubiq; ferè redolent.

Stoicos philoſophos, à quibus pleraque Cicero mutuatus ſit, iniquum petiſſe, ut æquũ ferrẽt.

Qui tametſi propter cenſoriam grauitatem, & propè nimiam ſeueritatem, à multis accuſentur: tamen prudens illorum fuiſſe conſilium uidetur, quòd ignauiæ mortalium eum ſcopum præfixerunt, ad quem quamuis per omnem ætatem ſedulò contenderent, nunquam tamen peruenturi eſſent: hoc eſt, ἀπάθειαν illi mihi docuiſſe uidentur, & res utiles ac iucundas à Boni appellatione excluſiſſe, ut μετριοπάθειαν & moderatum illarum rerum uſum obtinerent. Neq; uerò ita moroſi eſſe debemus, ut ſtatim id quod cum noſtra opinione & conſuetudine pugnat, reijciamus: ſed potius adhibendum tempus & diligentia, & finis ac ſcopus præceptorum conſiderandus.

Operis inſcriptiò, hoc eſt, materia libri.

Inſcriptio libri eſt OFFICIORVM, *uel* DE OFFICIIS: *Græci ſingulari numero περὶ τοῦ καθήκοντος, hoc doctrinæ genus appellarũt. Sed Ciceroni, ut ipſe ad Atticum ſcribit, plenior uiſus eſt titulus De officijs: in cuius iudicio & nos acquieſcemus, nihil morati quorundam cauillationes. Pertinet autem ad eam philoſophiæ partem, quæ de moribus agit, &*

cuius.

cuius finis eſt actio, in qua noſter autor ait omnem uirtutis laudem conſiſtere. Hæc doctrina, poſt Chriſtianam religionem (cui, quòd huius & alterius uitæ felicitas ab ea pendeat, principatus ubiq; debetur) omnibus alijs diſciplinis eſt anteponenda, quòd hominem uerè dignum ſuo nomine efficere ſtudet: in quo Socrates in primis elaborandũ ſibi eſſe cenſuit, cum quidem hunc Homeri uerſum in ore haberet:

Poſt doctrinam religionis, principatum deberi præceptis de moribus.

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακῶν τ᾽ ἀγαθῶν τε τέτυκται.

Hoc eſt, ut Eraſmus Roterodamus uertit:

Aedibus in proprijs quæ recta aut praua gerantur.

Per ædes autem intelligendus eſt ſuus cuiuſq; animus, cùm à uitijs repurgandus, tum uirtutibus exornandus. Atq; hæc eſt materia libri. Forma uerò cernitur in diuiſione tripertita, ſiue diſtinctione in tres libros. Huiuſmodi autem ſectiones operum, idem argumentũ tractantium, inuentæ eſſe uidentur cùm ad conſulendum memoriæ, id eſt, ut facilior eſſet & expeditior inuentio: tum ad occurendum faſtidio lectoris, cui grata ſunt huiuſmodi quaſi ad reſpirandũ interualla. Liuij hiſtoriæ Romanæ centũ & quadraginta libros, quis ſimul & ſemel perlegere potuiſſet? At ſingulos libros eodem tempore ſeorſim percurrere, homini ſtudioſo non eſt difficile. In tres igitur libros hoc Opus eſt diſtinctũ: quorũ primo honeſtas, altero utilitas, tertio comparatio harum inter ſeſe continetur, adhibitis uerborũ & ſententiarum ornamentis, æquabili & temperato genere orationis, quem μέσον χαρακτῆρα Græci καὶ ἀνθηρὸν dicunt. Hæc idea libri eſt, Ciceronis animo concepta, priuſquam ad ſcribendum accederet. Adiectæ autem paſſim ſunt præceptis inueſtigationes cauſarum, & illuſtria exempla Græcæ Romanæq; hiſtoriæ. Finis operis: per actionem uirtutis, felicitatis fieri compotem. quod non aliud eſt, quàm naturam ducem ſequi: quæ hominẽ ita uult curare & amare fragile corpus, ut in animo excolendo potiſſimùm elaboret, nec eum prauis cupiditatibus & importunis affectibus à uero & recto dimoueri ſinat. Felicitas autem ea intelligatur, quam homo in hac mortali ac miſera uita, in tanta ingenij caligine, & imbecillitate uirium, ac prauitate uoluntatis, inter aliorum inſidias atq; iniurias, & multiplices Fortunæ procellas conſequi ſuis uiribus poteſt. Quæ profectò non tam felicitas eſt, quàm diminutio quædam miſeriarum: hoc eſt, diſcuſſio tenebrarum mentis, & deprauatæ correctio uoluntatis. Humana enim uirtus quæ dicitur, & ſapientia, τὴν σύγκρισίν τε καὶ ἀφαίρεσιν τοῦ φαντὸς intelligenda eſt: ut is dicatur & bonus & ſapiens, qui minus & rarius errat ac delinquit quàm cæteri: ſicut beatum uſurpamus eum, cum quo non peſſimè agitur, etſi is quoq; ſuis curis angitur, ſuis incommodis laborat, ſuis periculis atq; doloribus urgetur. In cœlis igitur (quò, in terris reptans conſcendere philoſophia nequit) beata uita eſt quærenda, autore Deo, ac Euangelio duce, cuius & interpres & executor eſt diuinus Spiritus: qui utinã tam in multorum animis habitaret, quantum impudentis linguæ inſolentia

Forma operis.

Finis operis.

Nullã in terris ut perfectam uirtutẽ & ſapientiã, ſic nec ſolidam felicitatem eſſe.

In cœlis quærendam eſſe felicitatem.

Pſeudeulogicos exagitandæ philoſophiæ cauſam non habere.

iactatur à multis. Cuius afflatu inſulſiſſimè quidam gloriantes, cum profanis hominibus longè ſint deteriores, philoſophos petulanter derident: quorum egregij conatus certè non ſunt aſpernandi. Qui diuinæ lucis in Naturæ reliquias & ſemina uirtutum ſecuti, beatitudinis meſſem excolere ſtuduerunt: tametſi ſterilitas ſoli, & cœli inclementia, hoc eſt, diſtorta ingenia & exempla peſſima, laboribus illorum malè plerunq; reſponderunt. ut non abs re exclamare potuerint:

Vota iacent, longiq; perit labor irritus anni.

Educationis honeſtę & inſtitutionis diligentis aliquã eſſe uim in mediocribus ingenijs.

Quæ calamitas facit, ut hic nonnulla obijciantur, ad finem diſciplinæ huius euertendum. Dicunt, naturæ prauitatem, & mala exempla plus ualere ad corrumpenda ingenia, quàm rectam inſtitutionem & educationis diligentiam ad prauos mores corrigendos. Eſt ſanè dolendum, nimis uerè hæc dici: ſed tamen propterea non eſt nullus doctrinæ uſus. Cum enim, ut Iſocrates noſter ait, immanes feræ etiam, cura & aſſuefactione cicurentur: de humanis ingenijs non eſt deſperandum, quorum diſcrimina conſideranda ſunt. Naturæ excellentes, ad uirtutem ac ſapientiam natæ, quæ raræ ſunt, doctrinam non magnopere deſiderant, quamuis ea & exornari & augeri queant. Peſſimi & corruptiſſimi, non modò non emendantur, ſed magis etiam efferantur inſtitutione. de quibus accipiendus eſt Horatij uerſus:

Syncerum eſt niſi uas, quodcunq; infundis aceſcit.

Hoc eſt, doctrina in improbi hominis animo corrumpitur, & in perniciem tam ipſius quàm aliorum conuertitur. Sic pro Theologo, exiſtit hæreticus: pro Iureconſulto & ſacerdote iuſticiæ, rabula forenſis, legum contortor, bonorum diſtortor: pro Medico, ueneficus, aut leno, aut utrunque: pro Dialectico, ſophiſta: pro Oratore, ſycophanta, aut aſſentator: & ſic de reliquis. Mediocres autem naturæ, quæ plurimæ ſunt, recta inſtitutione plurimùm adiuuãtur, quam Iſocrates uerè appellat τὴν παρασκευὴν τῆς ἀρετῆς: id eſt, præparationem quandam uirtutis.

Ut ad omniũ artium & facultatum, ſic ad uirtutis quoq; perfectionem, requiri naturam, doctrinam, exercitationem ſeu imitationẽ.

Nam ad eius, ut & cæterarum rerum atq; artium, perfectionem, omnium philoſophorum conſenſu tria requiruntur: φύσις, pro qua alij dicunt φύσεως εὐμοιρίαν, Plato etiam θυμὸν ἁρμόζοντα appellat, hoc eſt ingenium excellens, & in eo genere felix, & ad rem quæ agitur paratum & incitatum. ἦθος ſiue ἄσκησις, uſus & exercitatio, (quò etiam imitatio, exempla, & familiaritates referendæ ſunt:) λόγος ſiue παιδεία, doctrina & inſtitutio.

Doctrinæ de moribus finis.

Cuius quidem finis & ſcopus eſt, ut peſſimis naturis & corruptiſſimis ingenijs errores & intemperias ſuas oſtendere: ſic & mediocres à uitijs atq; erroribus repurgare, & bonitate præſtantes expolire tanquam gemmas & aurum, magnoq; cumulo uirtutis & ſapientiæ augere & illuſtrare: ut ab ipſa natura excellentis formæ tributa dignitas, hac ueluti ſplendidiſſima ueſte exornata, magis etiam eniteſcat, & auguſtior appareat. Autoris autem in primis idem finis eſt, qui ipſius Operis, publica omnium utilitas, quam Græci uno

uerbo

uerbo κοινωφελεῖαν appellant. Quod enim maius in rempublicam beneficium conferri queat, quàm ſi curetur, quoad eius fieri poſſit, ut ciues, ſi non omnes (id enim optare uix audeas, nedum ſperare) at plurimi, aut certè nonnulli, & à uulgaribus erroribus repurgati, rectius ſentiant: & uitiorum fœditatem aſpernati, amore uirtutis inſlammentur? Multæ ſunt uitæ humanæ miſeriæ & ærumnæ, multorumq́ue deploratæ querelis. Sed ſi uerè conſideres, maior earum pars ab erroribus & uitijs hominum oritur. Plures'ne morbos cœli grauitas & corporis fragilitas, an gulæ & inguinis gignit intemperantia? Diſſidia uerò, rixæ, iurgia, ueneficia, latrocinia, & (caput omnium malorum) bella, unde oriuntur, niſi ex falſis opinionibus, prauisq́; cupiditatibus atq; affectibus, auaritia, ambitione, inuidia, odio, æmulatione? Sed de his alius dabitur diſſerendi locus uberior, atq; commodior. Nunc id quod propoſitum nobis eſt, exequamur.

Optimè eos de Republica mereri, qui homines ad uirtutis & ueritatis amorem excitent.

Mortales improbitate ſua, quàm natura eſſe miſeriores.

Vt igitur, inquam, Ciceroni publica utilitas, & honeſta ciuitatis diſciplina, felicitatis & autor & cōſeruatrix, in primis curæ fuit: ſic alij quoq; priuati fines acceſſerunt. ut excitatio filij ad capeſſendam philoſophiam: ut illuſtratæ Latinis literis & Eloquentiæ & Philoſophiæ gloria: ut honeſta oblectatio, uel potius auocatio animi à cogitatione publicarum calamitatum, & imminentium periculorum, propter triumuirorum M. Antonij, Auguſti Cæſaris & M. Lepidi conſpirationem: quam conſecuta eſt atrociſſima proſcriptio, in qua ipſe etiam Cicero, iuſſu M. Antonij, Cæſare conniuente, crudeliter eſt interfectus, cadauere etiam per contumeliam lacerato, & publicè priuatimq́; ueluti in triumpho circumducto. Lectorum uel auditorum finis eſſe debet, tum iudicium de aliorum dictis & factis, tum correctio & conformatio morum, tum expolitio linguæ & ſtyli. Quibus de cauſis à me quoque huius operis ſuſcepta eſt interpretatio.

Quæ Ciceronem ad hos libros cōſcribendos cauſæ impulerint.

Ciceronis interitus.

Quo fine legendum hoc opus?

OFFICII METHODICA TRACTATIO.

Primum, etymon ſiue etymologia. Fit hoc nomen ab efficio, ut ait Donatus: ab eo quòd quæritur, quid efficere unumquenq; conueniat, pro conditione perſonæ ſuæ. Ioachimus Camerarius, exquiſitæ doctrinæ & maximi iudicij uir, officium quaſi operificium τῶν συγκειμένων dici cenſet. D. Auguſtinus officium eſſe ait, quod ſit faciendum: finem uerò, propter quod ſit faciendum. Eodemq́; modo Cicero 1. de Inuentione: Officium, inquit, eſt, quod facere debet orator: finis, cuius cauſa facere debet. Zeno Citticus (poſt quem ſuperuacua quæſtio eſt, An ſit?) nouorum uerborum opifex, primus καθῆκον appellaſſe ſcribitur, ἀπὸ τοῦ κατά τινας ἥκειν: ab eo quòd ad aliquos ueniat, ſiue pertineat. Libellus Ariſtotelis περὶ ἀρετῆς, & Iſocratis παραινέσεις, cum hoc nomine conueniunt. Nec enim uideo, quid inter καλοκαγαθίαν καὶ ἀρετὴν, ἢ τὴν κατ᾽ ἀρετὴν ἐνέργειαν, hoc eſt actionem uirtutis & officium interſit. etſi non ignoro, hæc diſtinxiſſe Stoicos: qua de re alio loco agemus.

Etymologia officij atque καθήκοντος.

Ad

Officij uaria ſignificatio, & uſus multiplex.

Ad etymologiam pertinet etiam ἡ τῆς πολυωνυμίας ἀπαρίθμησις, enumeratio multiplicis ſignificationis, quæ ſæpe fallit incautos & imperitos. Quàm ridiculus enim fueris, ſi ubiq; taurum quadrupedem & cornutũ intelligas, ubi uel de Paſiphaes adultero, uel de ſigno cœleſti, uel de monte, uel de parte obſcœna corporis ageretur? Videtur igitur quatuor accipi modis. 1. *Pro obſequio, uel gratificatione. unde illa ſunt, Officium, uel merita potius: officiò ſibi aliquem deuincire: homo officioſus, & plenus officij.* 2. *Pro magiſtratu. unde, Commune officiũ Cenſuræ communi animo defendere: &, Alicui muneri atq; officio præeſſe: &, Officium imperij tui, Conſulis officium, Senatus officium.* 3. *Pro eo quod fieri debet: quæ ſignificatio ut noſtri inſtituti propria eſt, ſic etiam in ſuperiores duas ſparſa uidetur. Dicit autem Cicero ſæpe, Officium munusq;, & Munus officij. Poſtremò interdum declarat non id quod debet, ſed quod ſolet fieri. ut in Rhetoricis ad Herennium: Canes fungi officijs luporũ: &, Officium calumniatoris eſſe, uerba & literas ſequi. Sed his priuatæ cuiuſq; inquiſitioni relictis, ad alterum Methodi locum, qui definitionem rei continet, transeamus. Sit igitur*

Officij definitio.

Officium, actio probabilis, à cauſis honeſtis et utilibus, natura duce, orta. Zeno, Stoicæ ſectæ autor, ſic definit: ὃ πραχθὲν εὔλογον ἴσχει ἀπολογισμόν. hoc eſt, Cicerone interprete, Factũ cuius ratio probabilis reddi poteſt: uel, quod ratione actum eſt. Item, ἐνέργημα ταῖς τῆς φύσεως κατασκευαῖς οἰκεῖον: hoc eſt, Actio ſtatui uel conditioni naturæ humanæ conſentanea.

Cauſæ: Efficiens,

Tertiò, Cauſæ. Efficiens à philoſophis ſtatuitur propinqua προαίρεσις, hoc eſt, Voluntas rectæ rationi aſſentiens. Theologi ad primam & remotiſſimam cauſam, Deum, omnia referunt: rectè illi quidem. (is enim unus & eſt & facit omnia) Sed nobis inferiores etiã & propiores cauſæ quærendæ ſunt, & ipſæ diuinitus inſtitutæ.

Materia,

Materia, humanus animus, & ciuilis conſociatio, adeoq; omnes totius uitæ humanæ actiones: inter quas & dicta & geſtus, & cogitationes etiam referãtur, in primisq; affectus, dolores, uoluptates, lucra, detrimenta, & id genus alia.

Forma & partes.

Forma & partes ſunt, actiones honeſtæ, & uirtutes: quarum aliæ magis honeſtatem, aliæ magis utilitatem ſpectant.

Voluptatis cur non habita ratio.

Voluptatis autem nulla ferè habetur ratio, niſi quod obiter à Cicerone de ea agitur, & quidem dehortandi cauſa magis quàm approbandi. Nam cum (ut rectè ait Terentius) OMNIVM hominum ingenium à labore procliue ſit ad libidinem: uiri ſapientiſſimi oleũ camino (quod aiũt) addendũ eſſe non cenſuerunt.

Finis.

Finis. Pro Seſtio dicit Autor noſter, Officij, non commodi rationem eſſe ducendam. & 2 de Finibus, Officij fructum eſſe ipſum officium. Statuatur igitur finis, parére naturæ, honeſta diſciplina priuatim & publicè, ne utilitas aut uoluptas à uirtute nos abducat. Hunc finem comitatur bona conſcientia, & (naturæ quidem ordine. nam humana improbitas ſæpè aliud facit) bona fama, autoritas, felicitas. Fit autem etiam aliquando, ut propter uirtutem multæ ıacturæ tolerandæ ſint, & amittenda uita. Sed hoc fit τῷ συμβεβηκός,

non

non ipſius uirtutis culpa & natura, ſed uitio improborum, ut dixi: qui ſplendorem illius ferre non poſſunt, & ſua uitia, ſuos errores, inſtituta, ritus & mores ſuos reprehendi moleſtè ferunt. Quæ de retinenda eſt Ciceronis ſententia, quam D. Auguſtinus è libris eius de Republica citat: AVT INGRATI *(inquit) uniuerſi, aut inuidi multi, aut inimici potentes ſuis uirtutẽ præmijs ſpoliant. Nec illa ſe multis ſolatijs oblectat, maximeq; ſuo decore ſeipſam ſuſtentat. Hactenus Cicero. quod Græci ita exprimunt,* ὅτι τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετόν, *honeſtatem propter ſemetipſam eſſe expetendam: quòd ſcilicet ea naturæ humanæ maximè conueniat. Chriſtiani uerò aliud ſolatium longè firmius habent, præmium diuinum, quo omnes huius uitæ labores & ærumnæ, uirtutis & ueritatis cauſa toleratæ, abundè penſabuntur. Sceleratis autem hominibus ira diuina & ſempiternum exitium, dictu etiam horrendum, imminet: cum quo nullæ turpes uoluptates, nulla iniuſta lucra, nulla uiolenta imperia uel minima ex parte ſunt comparanda. Quid enim eſt huius (uel cum feliciſſima uita eſt) miſeriæ breuitas cum æternis cruciatibus comparata? Sed & hac de re, quam ſapientes, ut habentur, plerique ſuauiter derident, alibi commodius agetur.*

Chriſtianæ uirtuti præmium diuinũ eſſe propoſitum.

Impiorum ſupplicia.

Quartò, Diuiſio. Officium per ſe diſtribuitur in perfectum, quod Græci κατόρθωμα *ſiue* τέλειον: *& medium, ſiue cõmune, uel inchoatum, quod ijdem* καθῆκον μέσον *appellant. Ratione methodi autem, in* θεωρητικόν, *hoc eſt inueſtigationem cauſarum: &* πρακτικόν, *hoc eſt explicationem præceptorũ, tribuitur. quæ Ariſtoteli ſunt,* τὸ ὅτι, *rem ita eſſe: &* τὸ διότι, *cur ita ſit. Quanquam* τὸ θεωρητικὸν καὶ τὸ κατόρθωμα *ferè idem ſunt. Perfectionis enim inane ſimulacrum eſt, ut animis acutorum hominum conceptum, ad quod quidẽ actiones omnes dirigendæ ſunt, cum nunquam finem illum aſſequantur: ita nullo unquam, ut opinor, hiſtoriarum exemplo comprobatum. De quo tenenda eſt Fabij ſententia, qui Præclarum eſſe ait, ad prima contendentem, in ſecundis tertijsue conſiſtere. Ac mea quidem ſententia, Stoici quoque naturæ humanæ imbecillitatem intelligentes, & à ſuperbia deterrere, & ad uirtutis ardentius ſtudiũ excitare torpentes animos, proponenda illa perfectione tanquam ſcopo, uoluerunt. Zeno, apud Diogenem Laertium, accuratiorem officij diuiſionem habet, hoc ferè modo: Eorum quæ animi quopiam impulſu ſuſcipiuntur, partim* καθήκοντα *ſunt,* ὅσα λόγος αἱρεῖ ποιεῖν, *hoc eſt, quæ eſſe facienda, ipſa ratio hominem cõuincit: ut eſt, Honorare parentes. partim* παρὰ τὸ καθῆκον, *id eſt contra officium,* ὅσα λόγος ἀπαγορεύει, *quæ ratio uetat, uel quæ cum ipſius naturæ iudicio pugnant: cuiuſmodi ſit, Occidere aut uiolare innocentem aut benemeritum. partim* μήτε καθήκοντα, μήτε παρὰ τὸ καθῆκον, *hoc eſt, neq; ex officio, neq; contra officium, quæ ratio neq; iubet neque uetat, hoc eſt* ἀδιάφορα καὶ οὐδέτερα: *cuiuſmodi ſit, ſtantem aut ſedentem legere. Addit & aliam diuiſionem: Aliud officium eſſe* ἁπλῶς *ſiue* ἀπερίστατον, *quod ſuapte natura ſemper faciendum ſit, nec ullam admittat exceptionẽ: cuiuſmodi ſit, cura ualetudinis ac rei familiaris. aliud* κατὰ περίστασιν, *quod pro*

Officij diuiſio duplex.

Nihil eſſe perfecti in rebus humanis.

Zenonis officij diuiſio.

conditione loci, temporis, rerum & perſonarum rectè fiat, aut ſecus: cuiuſmodi ſit, præcidendum præbere aliquod membrum corporis, aut abijcere pecuniam. Præterea alia diuiſio addi poteſt: quod aliud officium magis honeſtatem, aliud utilitatem magis ſpectet.

Cognata officij.

Quintò: Cognata officij ſunt, ciuilitas morũ, quæ in externa ſpecie quadã potiſſimũ conſiſtit, & ab una officij parte, modeſtia maximè proficiſcitur: ὁμιλητικὸς τρόπος, ſuauitas morũ, comitas, humanitas: τὸ εὖ ἦχθαι, honeſta educatio, quam ualde confirmat conſuetudo bonorũ, & fuga improborum.

Pugnantia cum officio.

Sextò: Contraria ſunt, ignauum ocium, cum aliquis ueluti fucus alienis laboribus fruitur, nec quicquam opis aut operæ ad ciuilem conſociationem affert. de quo genere hominũ D. Paulus ſcribit: Qui non laborat, non edat. Quod dictum homines importuni perperàm in magiſtratus & eruditos detorquent. Quaſi uerò animi ſolicitudines atq; ingenij opera non longè maiora & utiliora ſint, quàm labor corporis. Item, facinora & omnis uiolatio humanæ ſocietatis cum officio pugnant: omnis item ſimulatio & diſſimulatio, nocendi fallendiq; cauſa ſuſcepta, maxima peſtis ætatis noſtræ: cuius hæc ſapientia eſſe & ſumma uirtus putatur, ſimulare ea quæ Cicero præcipit, & per occaſionem ea facere quæ uetat.

Falſa noſtri ſeculi ſapientia.

CICERO.

QVANQVAM te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum (idq; Athenis) abundare oportet præceptis inſtitutisq; Philoſophiæ († propter ſummam & doctoris autoritatem, & urbis: quorum alter te ſcientia augêre poteſt, altera exemplis) tamen ut ipſe, ad meam utilitatem, ſemper cum Græcis Latina coniunxi (neq; id in Philoſophia ſolùm, ſed etiam in dicendi exercitatione feci) † idem tibi cenſeo faciendum: ut par ſis in utriuſq; orationis facultate.

V. L. & propter ſummam doctoris. Idem.) identidem.

I. Tres procœmij partes.

QVanquam.) *Procœmiũ hoc tres partes complectitur: quarum prima eſt, cauſa ſuſcepti operis. Orditur autem ab occupatione, quæ ad attentionem pertinet, ne (quod prouerbio dicitur) Noctuas Athenas mittere uideatur. ἀντίθεσις eſt, (ſic enim cum Vlpiano loqui malo, quàm obiectionem aut oppoſitionem dicere) Ineptè facit, qui munus ſuperuacaneum offert: cuiuſmodi eſt doctrina de Officijs, quæ Ciceronis filio minimè deerat. λύσις. ſolutio ſeu reſponſio: Concedo ita eſſe: ſed, ut ſcriptum hoc doctrina te augere non poſſit, tamen ad Latinam eloquentiam multum proderit. Hic ultrò ſe offert locus exhortandi filij, idq; ſuo exemplo, ad perfectam philoſophiæ cognitionem comparandam, & ad eloquentiam Latinam cum Græca cõiungendam.*

Quod.

Quod perinde eſt, ac ſi quis apud nos Latinæ linguæ peritum hortetur, ut Germanica etiam ſcripta legat: quòd longè turpius ſit, patriæ linguæ rudem eſſe, quàm peregrinæ. Altera exordij pars, cōmendationem ſcripti huius habet, quæ & ipſa attentionem captat. Poſtrema, ad docilitatem pertinet. Monet enim, qua ratione docendi uſurus, & quos autores in hoc Opere potiſſimum ſecuturus ſit. Paſſim autem etiam beneuolentiæ loci inſperguntur, dum ſuum filij amorem, & præclarum de eius ingenio iudicium indicat: dum præceptorem eius Cratippum, dum urbem in qua uiuit, commendat: dum modeſtiam ſuam oſtendit, dum prauas quorundam opiniones refellit. Nam ipſius quidem officij, hoc eſt argumenti horum librorum commendatio, attentioni, ut dixi, non minus quàm beneuolentiæ inſeruit.

Et ſolidā eruditionem, & utriuſq; linguæ cognitionem II. III. ne adoleſcēti parandam eſſe.

Marce fili.) *Idem huic quod patri nomē fuit: ſed quantumuis initio ſpem de ſe optimæ indolis præberet, tamen poſt patris obitū expectationē hominū turpiſſimè feſellit, nulla re laudatiſſimo parenti ſimilis, niſi iocādi feſtiuitate. Collega tamen Auguſti Cæſaris in conſulatu, & Aſiæ proconſul fuit, patris magis (ut exiſtimo) gratia, quàm ſuo merito. Plinius enim lib. 14. cap. ultimo, ſic de eo ſcribit: Tergilla Ciceronem Marci filiū, binos congios ſimul haurire ſolitū, ipſi obijcit, Marcoq; Agrippæ à temulento ſcyphū impactū. Hæc Plinius. Quid aūt ſit, ſimul haurire binos congios, ea declarant, quæ de Nouello Torquato idem autor ſcribit: eum tribus congijs uno impetu epotis, Tricongij cognomentū accepiſſe. Sic habemus exemplū prouerbij, quo Herōū filij noxæ eſſe dicuntur. Nam hic pro patre patriæ, & eloquentiæ Romanæ parente, Bicongius & Cypellomachus dici meruit, ſiue improba natura recta inſtitutione potentior, ſiue praua exempla ad barbaricam eam immanitatem hominem impulerunt.*

Ea heroiſ filium noxam.

Iam annum.) *κατ' ἐπίτασιν, quaſi longiſſimū diſcendi ſpaciū ſit. Sed hic cōſiderari debet, Ciceronē filiū domi mediocriter inſtitutū, & Grææ linguæ nō imperitū, in Græciā abijſſe. Alioqui nos uel tarditatis uel ignauiæ noſtræ tædere oportebat, qui multos annos cū parua doctrinæ acceſſione in literis cōſumamus, et uix anno ætatis uigeſimo ex utrinſq; linguæ rudimētis eluctemur.*

Audientem.) *Prouerbio dicitur, ζώσης φωνῆς μείζω τὴν ἐνέργειαν εἶν: hoc eſt, uiuæ uocis maiorem eſſe uim. Idq; uerißimū eſt, præſertim ſi diſertus contigerit præceptor. Excitatur enim ingeniū, & ab alijs cogitationibus, quæ legenti plerūq; obſtrepūt, auocatur. Nulla igitur audiendi uiros doctos negligenda eſt occaſio: cùm præſertim & oculis interim lectione defatigatis parcatur, & pleraq; audiantur quæ fortaſſe priuata lectio & meditatio non obtuliſſent.*

Cratippum.) *Hiſtorica & Grāmatica (ut antè dixi) potius in repetitionibus erunt tractanda. Sed tamen nonnulla quæ inſtituto noſtro percōmoda ſunt, breuiter attingemus. Cratippus igitur hic Peripateticus philoſophus fuit, quē Cicero uirū optimū & familiarem ſuū appellat, & parem ſummis Peripateticis, & Peripateticorū omniū quos unquā audierit, facilè principē. De eodē Cicero filius quoq; lib. 16 Epiſtolarum familiarium ſic ſcribit: Cratippo*

Cratippum principē philoſophorum facit Cicero.

ſcito me non ut diſcipulum, ſed ut filium eſſe coniunctiſſimum. Videretur hoc nomen (ut Grãmatica etiam attingamus) rectius aſpiratione addita ſcribi, ἱερὰθιππος, τ tenui ob ἱ aſpiratum in craſſum θ migrante, niſi analogia etiam in alijs ab ἵππος compoſitis negligeretur: ut eſt ἀρίσιππος, λεύκιππος, & ſimilia.

Athenarum præſtantia.

Athenis.) *Multæ extant huius urbis cõmendationes. Græci ἑλλάδα τῆς ἑλλάδος appellant: hoc eſt, eam tantum præſtare reliquæ Græciæ, quantum ipſa Græcia Barbaricis nationibus antecellat. nomen habet παρὰ τῆς ἀθηνᾶς, à Minerua, ſapientiæ & artiũ præſide. Vnde apud Platonẽ ἀθηναῖος honorificentius nomen habetur, quàm ἀττικός. Videamus etiam Ciceronis elogia. Is primo de Oratore, Athenas omnium doctrinarum inuentrices appellat. Libro de Fato: Athenis, inquit, cœlum tenue eſt, ex quo acutiores etiã putantur Attici. Alibi, Athenarum proprium dicendi ſtudium fuiſſe dicit. Sic & cognitionem rerum, & eloquentiam: hoc eſt, perfectam doctrinam ſiue eloquentem ſapientiam, & eloquentiam ſapientem, illi urbi tribuit: qui titulus, ſi uerè æſtimes, omnibus Romanorum triumphis eſt præferendus. Quanquam ne militaris quidem atq; Imperij gloria, & ſingularis etiam in defendendis ſupplicibus humanitatis laus defuit Athenienſibus: de qua, quippe à Ciceronis & noſtro etiam inſtituto aliena, hic non eſt dicendi locus.*

Figurata adhortatio.

Abundare oportet.) *Efficax adhortãdi ratio, cũ ſimulamus nos exigere aliquid ab aliquo iam, in quo eum adhuc elaborare uolumus. Apertius dixiſſet: Niſi hoc iam aſſequutus es, malè tempus collocaſti, & meam expectationem fruſtratus es.*

Ciceronem uerba conduplicata nõ accuratè diſtinguere.

Præceptis inſtitutisq́.) *Paulo pòſt doctrinã & exempla eodem ſenſu coniungit. Gaudet Cicero pro ſua copia ſynonymis, & conduplicatis uerbis: quæ ſi quando diſcernit, in illa diſtinctione non ſemper ſibi conſtat, ſiue Academica libertate, ſiue quòd parum referre exiſtimauit. Cuius ego exempla pluris facio, quàm Grammaticorum nonnullorum curioſitatem.*

Inſtitutis.) *Græcè ſunt τὰ ἔθη, τὰ νόμιμα καὶ ἐπιτηδεύματα: mores & cõſuetudines ciuitatis, & priuatorum hominum inſtituta. Inſtitutio uerò eſt εἰσαγωγὴ, uel μεθοδικὴ διδασκαλία.*

Sine autoritate doctoris, ſtud a frigere.

Propter ſummã & doctoris autoritatẽ.) *Sine qua ſtudia frigere neceſſe eſt: ut fit, ubi pluris ſit pecunia & uoluptas, quàm doctrina & honeſtas. Tali enim in loco, ut uitæ integritate Xenocratẽ, Ariſtotelem doctrina, eloquentia Demoſthenem uincas: parua tua erit autoritas, ſi alia tractes, quàm quæ libidini & auaritiæ ſeruiunt.*

Et urbis.) *Atheuarum autoritatẽ his uerbis celebrat Iſocrates: τὰ ὑφ᾽ ἡμῶν κριθέντα τοσαύτην λαμβάνει δόξαν, ὥστε παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀγαπᾶσθαι. Quæ à nobis (inquit) decreta fuerint, ea ſunt autoritate, ut in ijs mortales omnes acquieſcant. Sed uide rerum humanarum inconſtantiam. Tanta, tam uetuſta, tam ſapiens, tam diſerta, tam ingenioſa, tam bellicoſa urbs, & ſi Ciceroni credimus, etiam bene morata, eò non ita olim redacta eſt, ut in ipſis Athenis Athenas quæras.*

Altera

Prudẽtia deligendi præceptoris, loci, ſodaliũ.

Altera exemplis.) *Conſiderãda eſt ſingularis prudentia Ciceronis, in deligendo & præceptore & loco ad filium erudiendum. Felices uerò eos, quibus tales præceptores contingunt: quibus in ijs urbibus uiuere licet, ubi doctrinæ ſapientum, populi mores reſpondent. Nunc amiſſa omni ferè honeſta diſciplina, concionatores & præceptores fideliter & rectè monentes, ſurdo (quod aiunt) narrant fabulam. Multo plus enim exempla nocent, quàm bona præcepta docent: nec immeritò ille exclamauit,*

Quid leges ſine moribus, uanæ, proficiunt?

Ac corruptelæ hæ minus mirandæ ſunt in aulis, & urbibus negociationi deditis: in quas unà cum mercibus & opibus, peregrinos etiam mores, eosq; diuerſos, & multis flagitijs inquinatos inuehi, ut neceſſe non ſit, uitari tamen uix poteſt. Academias uerò, quæ pietatis & omnis honeſtatis ſeminaria eſſe debebant, eò rediſſe, ut plerũq; corruptiores & indoctiores inde redeant adoleſcentes, quàm diſceſſerant: id uerò eſt dolendum. Quare qui ſuis conſultum uolunt, aut doctos & fideles præceptores filijs adiungant: aut eos domeſtica diſciplina, ad eam uſq; ætatem inſtituant, dum ipſi poſſint ſuæ uitæ habere modum: hoc eſt, dum ſciant, qua ratione & in ſtudijs ſit progrediendũ, & in uita quid fugiendum, quid expetendum ſit. Quod ſi fieret: & reſpublicæ, & eccleſiæ, & ſcholæ, prudentiores & meliores haberent gubernatores. Sed hoc ij uiderint, quorum intereſt. Nobis autẽ monendi ſunt adoleſcentes, qui iam (quod aiunt) manum ferulæ ſubduxerunt, & quò uiſum eſt, liberè abeunt: ut & præceptores doctiſſimos, & urbes ſibi benè moratas deligant: aut (ſi tales fruſtra quæruntur) eas familiaritates amplectantur, quæ & à Centaurica barbarie, & Sybaritico luxu abhorreant: contraq;, philoſophicam moderationem, diſcendiq; ſtudium ſequantur. Neq; paruum illis calcar ad diſcendum addere debet Cicero ἐργοδιώκτης, qui à filio annum audiente Cratippũ, abundantiam præceptorum inſtitutorumq; philoſophiæ flagitet. Ac multa profectò perdiſci uno anno præclara poſſunt ab homine ingenioſo, libero, aſſiduo, & cum prudentia diligenti.

Quas Cicero cauſas ſuæ ſcriptionis afferre potuiſſet.

Tamen ut ipſe.) *Hactenus ἀντίθεσις: hoc eſt, cauſæ quæ Ciceronẽ à ſcribendo deterrere poterant, expoſitæ ſunt. Nunc λύσις ſequitur, cuius hæc ratio eſt. Aduerſarias rationes non refutat: ſed ijs conceſſis, aliam ſui conſilij rationem affert: Latinæ eloquentiæ augendæ cauſa, hos libros ſe ad filium mittere, proptereaq; munus nec ineptum nec intempeſtiuum eſſe. Potuiſſet Cicero etiã alias adferre cauſas. Primum: Eam eſſe huius doctrinæ rationem, ut adoleſcentiæ nunquam ſatis inculcari poſſit, propter & naturæ prauitatem, & malorũ exemplorum multitudinem. Deinde exempla domeſtica, hoc eſt Romana, magis eius animum mouere poſſe, quàm peregrina, quibus Græci utebantur. Ad hæc, Iucundam eſſe & utilem eiuſdem argumenti uariam tractationem, cum (ut ait Iſocrates) τὰ κοινὰ καινῶς, καὶ τὰ καινὰ κοινῶς explicantur. Poſtremò, uarietate quadam etiam ipſarum præceptionum excitari ingenia poſſe, ut ex collatione intelligant, quæ quibus præferenda ſint. Poſtremam hanc*

cauſam obiter attingit Cicero, his uerbis: NOSTRA *legens non multum à Peripateticis diſsidentia. Reliquas cogitationi lectoris ingenioſi relinquit, ne ei nimium diffidere uideatur. Neq; enim omnia quæ in mentem ueniunt, & dici poſſunt (præſertim ſi cum doctis & acutis hominibus agas) inculcanda ſunt, ſed tantum maximè neceſſaria. Adhæc, ſi ſcrupuloſius iſta perſecutus eſſet, inſtitutionẽ Cratippi, ac ſuum ipſius iudicium, improbare uideri potuiſſet. Deniq; ſingularem modeſtiam præ ſe fert, dum ſermonis copiam & elegantiam duntaxat ſibi uendicat.*

Quædam acuti lectoris cogitationi relinquẽda.

Cicerone autore cum Latinis Græca cõiungenda.

Vt ipſe.) *Excellentis patris exemplum, meritò plurimum ponderis habet apud filium.*

Ad meam utilitatem.) πρὸς τὸ ἴδιον συμφέρον. *Rarior eſt locutio: pro utiliter, & cum fructu meo. Quanquam poteſt intelligi etiam* τελικῶς, *ut fructum ex coniunctione illa Græcarum & Latinarum literarũ caperem. Sed prior interpretatio magis mihi probatur: & parum tamen intereſt, ſiue* τῆς ἰδίας ὠφελείας ἕνεκα, *ſiue* πλεῖον ὠφεληθεὶς *Græcè reddas, niſi quod poſterius eſt ſignificantius.*

Semper.) *Non in adoleſcẽtia tantùm, ſed adulta & prouecta etiã ætate.*

Cum Græcis.) *ſcilicet, quorum cognitio ſola hominem doctum ab indocto diſcernebat ijs temporibus.*

Quibus non diſcendæ eſſe græcæ literæ uideantur.

Cum Græcis Latina coniunxi.) *Exemplum atq; autoritas Ciceronis, & de Græca lingua iudicium, anteferatur imperitorum & ſemidoctorum clamoribus: qui adoleſcentiam Græcis literis impediri magis, quàm erudiri, conquerũtur. Si qui tamen uel tardius ad literas diſcendas accedũt, uel hebetioribus ſunt ingenijs, uel ſolidam eruditionẽ non expetunt: ijs & ipſe autor fuerim, ut quod operæ in Græcis perderent, id Latinis perfectius cognoſcendis impendant. Sed hic quoq; & diſcipuli & præceptores, parentum culpam luunt: qui ſignificare non ferè ſolent, quo fine liberos in ſcholam mittant: ſi quo modò fine mittũt, & facti ſui rationem reddere probabilem ullam poſſunt: ut eſt uulgus hominũ de liberis erudiendis, & liberaliter inſtituendis parũ ſolicitũ.*

In Philoſophia ſolum.) *Quæ maxima ex parte à Græcis petenda erat. Neq; enim eo tempore multi erant, qui Latinè philoſopharentur.*

Progymnaſmata oratoria.

Dicendi exercitatione.) *Intelligenda ſunt Progymnaſmata oratoria, quas Græci* μελέτας, *Latini Declamationes appellant. Huius generis præcepta ex profeſſo tradiderunt Aphthonius & Theon, Græci ſcriptores: quos Moſellanus & Hegendorphinus, & plures forſitan alij imitati ſunt. Sed Camerarij, eruditiſsimi & diligentiſsimi uiri, Elementa Rhetorica, omnibus omniũ præceptis & multitudine & uarietate, & elegantia exemplorũ præſtare mihi uidentur. Declamationes autem habemus Libanij, Ariſtidis, Quintiliani, Senecæ, & aliorum.*

Feci.) *Declamauit enim Cicero non Latinè tantùm, ſed Græcè etiam, in conſeſſu doctorũ hominũ, maximaq; cum eorũ admiratione, præſertim Athenis: ubi Poſidonius hanc ei laudẽ tribuit, quod etiam eloquentiæ & doctrinæ palmam Græcis præripuiſſet.*

Vt

Vtidem.) *Alij legunt, identidem: ſed perperàm. Item, uel Itidem facilius admitterem. ſed & Idem rectè legi cenſeo: ut apud Græcos in προτάσει periodi inuenias ὥσπερ: & in ἀποδόσει, αὐτὸ τοῦτο.*

Cenſeo faciendum.) *Obtemperauit patri filius. Scribit enim ſe apud Caſſium Græcè, apud Brutum latinè declamitaſſe.*

Par ſis.) *Facilimè hoc poteſt fieri, ſi poſt mediocrem Latini ſermonis cognitionem eadem in Græcis quoq; ratio obſeruetur, quam in Latinis tenendā eſſe alibi monui.*

Facultate.) *Significans uocabulum eſt, & explicandi ea omnia quæ animo conceperis pura & eleganti dictione, uim complectitur: non mutilū quidam, ut certa quædam dicere poſſis, in alijs obmuteſcas. Hæc facultas paucis hoc tempore, uel in uernaculo ſermone, contingit.* Facultas ſermonis rara.

CICERO.

Quam quidem ad rem, nos (ut uidemur) magnum attulimus adiumentum hominibus noſtris: ut non modò Græcarum literarum rudes, ſed etiam docti, aliquātum ſe arbitrentur adeptos & ad† dicendum, & ad iudicandum.

† *V. L. diſcendum.*

Quam quidem ad rem.) *Modò dixit, ſe ad ſuam utilitatem Latina cum Græcis coniunxiſſe: nunc etiam alijs profuiſſe oſtendit. Sed uideamus in primis, quos fructus Cicero ex illa utriuſq; linguæ cōiunctione ceperit. Primùm, nec eloquentia nec philoſophia tum, niſi à Græcis, diſci poterat. Deinde, cum Orator eſſet, Latina utiq; lingua illi egregiè tenenda fuit. Legit igitur & poemata, & orationes, & hiſtorias latinas. Iam cum Latinorum ſcripta rudiora eſſent omnia, lectione Græcorum patrium etiam ſermonem, illorum imitatione excoluit, auxit, ornauit: ut ipſe quodam loco teſtatur. Poſtremò, id illi Græca lingua contulit, ut propter eius cognitionem inter eruditos haberetur, atq; inter hos ipſos dicendo & ſcribendo excelleret. Quicquid enim eruditionis & elegantiæ Græci ſcriptores habuerunt, id Cicero in ſuas orationes & libros tranſtulit. Qui ſi repetundarum à Græcis poſtularetur, & quæ ab eis mutuatus eſt, reſtituere cogeretur: parū admodum fortaſſe reſtaret illi. Vbiq; enim occurrunt Platonicæ, Ariſtotelicæ, Iſocraticæ, Demoſthenicæ, aliorū deniq; ferè omnium, in primis uerò Stoicorum & Epicureorum, in illius operibus partim conuerſæ, partim ſolerti imitatione expreſſæ ſententiæ. Quæ omnia duobus his uerbis, Dicendi & iudicandi facultate, comprehendi poſſunt. Quem eundem fructum etiam Latinis ſuis ſe communicaſſe, hic dicit.* Fructus ex Græcæ Latinæq; linguæ coniunctione capiendi. Ciceronem Græcis debere multa.

Quam quidem ad rem.) *Ad parem facultatem philoſophiæ & eloquentiæ, eiusq́ue Latinæ potiſſimum. Græcam enim aliunde didicerunt Romani.*

Græcarum literarū.) *Nō tam hic intelligēda eſt linguæ Græcæ cognitio, quàm Græcæ diſciplinæ, & eruditio Græcorū. Sic Cato etiam ſenex Græcas*

literas didiciſſe fertur, hoc eſt, Græcis diſciplinis, aut ſaltem hiſtorijs ſtuduiſſe, cum linguæ multò antè non planè imperitus fuiſſet: ut ex eius uita multis cõiecturis colligi poſſe uidetur. Ea certè quæ de Rei ruſticæ laudibus ſcripſit, uidetur ex Oeconomico Ariſtotelis mutuatus.

Rudes.) Omnibonus interpretatur, qui Græcarum literarũ principia attigerunt. quæ explicatio non abhorret ab his Ciceronis exemplis: Villa aperta, ac ne rudis quidem etiam nunc: item, Quæ pueris ferè nobis adhuc inchoata & rudia exciderunt. Sed rectius uidetur ut explices, imperiti Græcarũ literarum: οἱ μὴ πεπαιδευμένοι τὰ τῶν ἑλλήνων. Græcè rudis uel ἀμαθὴς, uel ἀπαίδευτος dici poteſt, cum ad homines refertur. cum ad alia quædam, ἄγναφος: ut rudes lanæ, rudes panni. Cicero plerunq; aliud adiectiuum huic nomini adiungit: Rudis & ferus, Hebes ac rudis, Impolitus & planè rudis, Rudis & indoctus, Tiro ac rudis, Rudis ac tiro: Rudis, ignarus, expers: Rude, hebes, impolitum. Conſtruit autem aliàs cum genitiuo, aliàs cum ablatiuo & præpoſitione: Homines imperiti, homines omnium rerum rudes ignariq;: Orator nulla in re tiro ac rudis, nec peregrinus atq; hoſpes eſſe debet. Liuius etiam accuſatiuum adiungit: Rudis ad pedeſtria bella. Sed hæc & id genus alia petantur ex alijs. Adhuc tamen unum addam, admonendi tantùm cauſa, id quod iam ſequitur.

Sed etiam docti.) Plinius, Grãmaticæ artis doctiſſimus, dicit. cuiuſmodi exempla complura apud recentiores inuenies. Sed hic abſolutè puto accipiendum, οἱ πεπαιδευμένοι, non repetito genitiuo Græcarum literarum. Soli enim (ut antè dictum eſt) Græcæ linguæ periti, tum (ut nunc, qui uel Græca, uel Latina, uel Hebræa norunt) in doctis numerabantur. Qua de re ſemel aliquid eſt dicendum.

Neq; obſtandum græcæ linguæ ſtudioſis: neque contemnendos eſſe eos, quibus illas diſcendi occaſio defuerit.

Cum Græcæ literæ ſic laudentur, & adoleſcentiæ cõmendentur, ut ſolidam eruditionem ſine ijs conſtare uix poſſe dicamus: uerendum eſt, ne qui ætate & autoritate graues uiri, quibus ea diſcendi occaſio defuit, exiſtimationem ſuam imminui putent. Quod qui ſuſpicantur, iniuriam faciũt doctis ac fidelibus præceptoribus. Conſtat enim, peregrinas iſtas linguas, non ipſam eruditionem, ſed eruditionis fores atq; aditum eſſe: ut eleganter Viues ait. Atq; utinam omnes bonas artes, earumq; procreatricem Philoſophiam, ita uernaculo ſermone traditas & illuſtratas haberemus, ut poſt percepta literarum elementa, ſine tot ambagibus, & tanti iactura temporis, expedito curſu ad rerum ipſarum atq; artium cognitionem contendere liceret. Quo quid nobis eſſet multis de cauſis optabilius? Sed profectò fores aperiendæ ſunt, ſi domum ingredi uelis, & non perfodere atq; euertere. Domus autem Eruditionis tres habet ſiue ianuas, ſiue conclauia potius: quarum Hebræa eſt intima, & ad ipſa penetralia ducit: media, Græca: primùm obuia, Latina: quæ ne ianua quidem eſſet, niſi hanc uim & dignitatem ab Hebræis & Græcis corrogaſſet, atq; alienis diuitijs ſuam cellam compleuiſſet. Quæ cum non peſſimè inſtructa ſit, ſed (ut poeta loquitur)

Diues opum uariarum, & pictæ ueſtis, & auri:

tam Me-

tam Medici & Theologi, quàm Iureconſulti eſſe poſſunt, qui Græca & Hebræa ignorant. Quod nos libenter eis concedimus. Ipſi uerò uiciſſim nobis cōcedant uelim, ſe magno & ornamento & adiumento carere, & neceſſe habere conſectari riuulos, ſæpe non optimarum interpretationum: cum longè præſtet & iucundius ſit, ex ipſis haurire fontibus. Sed hæc fruſtra dicuntur & ſcribuntur iis, qui ad quæſtum, ad ambitionem, ad inanem oſtentationem, ad impoſturam, ad peſſimas artes omnia ſua ſtudia, cogitationes omnes contulerunt: uſq; adeò ſordidè, ut non modò iacturam temporis deplorent, quæ homini cordato non ſine cauſa grauiſſima uidetur, ſed & Bibliothecæ inſtruendæ ſumptus conduplicati querantur. Memini me diſcipulis meis nonnullis uiſum aliquando miſerabilem, qui poſt tot ſtudiorum labores, (cætera enim quæ addebant, pudor meus, ut diſſimulem, poſtulat) nec dignitate ipſis, nec fortuna ulla ex parte comparandus eſſem. Videbantur & illi mihi tales, ut eos è Schola mea prodiiſſe dolerem, qui falſi nominis eruditionem, quam ψευδοπαιδείαν Cebes uocat, ueræ doctrinæ, & uanitatem ueritati, & calliditatem ſapientiæ antepoſuiſſent.

Non eruditio, ſed eruditionis præmia petūtur à pleriſq;.

Sed miſer ah quid agas? Noſtro ſic uiuitur æuo.
—— Pauci, quos æquus amauit
Iuppiter, atq; ardens euexit ad æthera uirtus.
Diis geniti, cupidè VERVM'QVE BONVM'QVE *ſequuntur:*
Cætera turba lucrum petit, & te, fœda uoluptas,
Ambitione tumens, ſequitur per faſq; nefaſq;.

Se arbitrentur adeptos.) *In genere propoſuit, etiam Latina ſcripta legenda eſſe filio. Nunc ad ſpeciem deſcendit, & uelut inſinuatione quadā, ſua illi ſcripta commendat, ut quæ à Romanis magnifiant: quorum, ut qui terrarum (ut ait Horatius) domini eſſent, ſumma erat apud omnes autoritas.*

Ad iudicandum & dicendum.) *Commendatio ſcriptorum Ciceronis breuis illa quidē, ſed longè ampliſſima. Quid enim ſapientia præſtantius? Quid admirabilius eloquentia? Hæc igitur cum è ſcriptis Ciceronis peti poſſint, omni ſtudio legenda, relegenda & ediſcenda ſunt. Quòd ſi quis actionem uirtutis, cuius caput eſt pietas, adiunxerit: perfectus is & abſolutus homo erit, & quaſi Deus quiſpiam inter cæteros eminebit.*

Lectione Ciceronis & ſapientiam augeri, & eloquentiam.

Aliquantum adeptos ad dicendum.) *Id eſt, eloquentiores & doctiores euaſiſſe. Aliquantum aut dicit, modeſta extenuatione: &, quoties de ſuis meritis & laudibus aliquis agit, ſolicitè cuſtodienda, propter paratos inuidiæ & obtrectationis aculeos.*

Ad iudicandum.) *Cum diuerſæ ſint philoſophorum ſectæ atq; opiniones, eæq; ſæpe inter ſe cōtrariæ: iudicio magnopere opus eſt, ne carbones (quod aiunt) pro theſauris exoſculemur. Iudicia autem hominum informauit Cicero ſuis diſputationibus, in utranq; partem de ſingulis fermè rebus diſſerendo: ut ex conflictione diuerſarum opinionum eæ deligerētur, quæ ad naturam & rationem proximè accederent. Eſt enim utiliſſimum, ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι:*

In tantis ſcriptorum diſſenſionibus iudicio magnopere eſſe opus.

C hoc eſt,

hoc eſt, eodem animo, pariq́; beneuolentia (ſic enim interpretatur Demoſthenes) & reum & accuſatorem audire. Quod Athenis iudicibus lege præcipiebatur. Qui enim in unius magiſtri (ut Horatius ait) uerba iurati, quicquid ille dixerit, pro oraculis habent, contentionis quàm ueritatis cupidiores euadere uidentur: cum re, non teſte moueri debeamus, & id amplecti quod uerißimũ eſſe uideatur.

Vtraq; pars audienda.

CICERO.

Quamobrem diſces tu quidem à principe huius ætatis philoſophorum: & diſces, quàm diu uoles. Tam diu autem † uelle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. Sed tamen noſtra † legens, non multum à Peripateticis diſsidentia (quoniam utriq; & Socratici & Platonici eſſe uolumus) de rebus ipſis † utere tuo iudicio: (nihil enim impedio:) orationẽ autem Latinam efficies profectò, legendis noſtris, pleniorem.

† *V. L. Velle debes. Leges ſcripta. V'tere, uel utere.*

Quamobrem.) *Scilicet, cum ſcripta mea tantum utilitatis lectoribus afferant. Non pertinet hæc particula ad prius, ſed ad poſterius periodi membrũ. Nam prius illud de Cratippi diſciplina, per conceßionẽ quandã inſeritur.*

Ciceronis artificium. Diſces tu quidem.) *Pedetentim & certis quibuſdã ueluti gradibus ad commendationem ſcriptorum ſuorum peruenit. Primùm proponit, Latina etiam ſcripta eſſe legenda. Deinde, ſua ſcripta à Romanis magni fieri, ait. Deniq;, creſcente (ut ſolet) oratione, apertè profitetur, ea ad augendam eloquentiam multum ualere. Sed cum omnis περιαυτολογία ſuſpecta & odioſa ſit, occupatione utitur. Qua, ubi arrogantiæ opinionem à ſe amouiſſe uidetur, per contentionem ſe Græcis præfert: ut fuit laudis auidior etiam quàm par eſt, ut ipſe fatetur. Quæ contentio cum & ipſa arrogantior uideretur, denuò σοφὸν φάρμακον adhibet, translatione cauſæ. Non, inquit, ingenium Græcis, ſed ſtudium & uoluntas defuit, quo minus ijdem & Oratores & Philoſophi eſſent, & πρᾶξιν cum θεωρίᾳ coniungerent.*

Parentũ eſſe, præceptorũ autoritatem augere apud filios. A' principe.) *Laudanda eſt Ciceronis, ut dixi, prudentia, qui optimum & locum & præceptorem ad inſtitutionem filij delegerit (qui delectus utinã his temporibus non eſſet & difficilimus, & dißimilimus) & magiſtrum filio collaudet. Libentius enim & auidius ab eis diſcimus, de quibus magnificè ſentimus. Oraculi autem ferè pondus habet, ſapientißimi patris apud bonum filium teſtimonium. In hac autem noſtra barbarie, & imperiti uulgi uæcordia, præceptores ſæpe ne colloquio quidem dignantis, quid miri ſit, & magiſtros ad docendum, & diſcipulos ad audiendum reddi frigidiores?*

Huius ætatis.) *Libro tertio, Huius memoriæ. προσδιορισμὸς uerecũdus: ne uete-*

ne ueteribus, Socrati, Platoni, Theophraſto, Ariſtoteli, per aſſentationē Cratippum conferre, aut anteferre uideretur. Libro tamen ſecundo huius Operis, ſimilimum ijs Cratippum dicit, qui iſta præclara, hoc eſt Peripateticam diſciplinam pepererunt. Sunt quidem laudationes liberiores, & multas admittunt hyperbolas, hoc eſt exaggerationes ſupra ueri fidem. Sed tamen ſeruandus modus eſt, & ubiq; cauenda uanitatis opinio.

In laudando cautos & uerecundos eſſe oportere.

Quàm diu uoles.) *O ſingularem felicitatem, habere præceptorem doctiſſimum, & parentes aut patronos liberaliſſimos, & diſcendi ocium ac iuſtum ſpacium. Quæ quibus contigerunt, ij diuinam erga ſe beneficentiam nunquam ſatis prædicare poſſunt. Mihi uerò cum & hæc omnia defuerint, & perpetua ferè ſeruitus, & uariæ ualetudinis offenſiones acceſſerint: qui labores, quæ uigiliæ, quantæ ærumnæ exantlandæ fuerint, ſi qui cogitarint, æquiores (uti ſpero) erunt lucubrationum mearum cenſores. Quas tamen Academici pleriq; doctores, more potius ſuo, hoc eſt maledicendi libidine, & oſtentatione acuminis ac multiplicis doctrinæ ſuæ, lacerare ac contemnere uidentur, quàm quòd nullum earum fructū eſſe iudicent. Sed illos, mores ulciſcentur ſui.* ὁ γὰρ φθόνος αὐτὸς ἑαυτὸν τοῖς βέλεσι δαμάζει.

Rara felicitas eſſe, iuſtū diſcendi ſpaciū & ociū.

Academicorum doctorum licētia.

Iam diu autem uelle debebis.) *Parentheſi hac, ratio ſtudiorum ex parte continetur. Quærat aliquis, quantum temporis impendendum ſit præceptoribus? Reſpondet Cicero: Dum ex ijs ea cognoſcere poteris, quæ tuo Marte priuataq; induſtria cōſequi nō poſſis. Sapientiæ ſtudio (ut Viues monet) nullus in uita præfigēdus eſt terminus: ſed is imitandus, qui (Iuliano iuriſconſulto autore) ſe, etiamſi alterum pedem in ſepulchro haberet, tamen adhuc uelle diſcere profitebatur. Libet & Græca propter adoleſcentes aſſcribere:* κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην. *Fertur & Plato cuidam ocioſo & uoluptatibus dedito, percontanti, Quoad puer eſſe uellet? quòd eum diſcendo non minus quàm docendo uideret occupari: reſpondiſſe, Quoad quantum doctrina & uirtute augear, me non pœnitebit. Cæterùm præceptoribus per omnem ætatem dare operam, minimè eſt opus: ſed perceptis rudimentis, & uia recta ſtudiorum ab ijs demonſtrata, cætera è mutis magiſtris, & uſu rerū petenda erunt. Eſt autē acutiſſimo & ſtudioſiſſimo cuiq; (nam eundem modeſtiſſimum quoq; fore quis dubitet?) præceptorum opera minimè diuturna opus. Hebetiores autem & ſegniores, ijdemq; ferè (quæ natura eſt ocij) ad uitia propenſiores, diutius diſciplinæ ſeueritate continendi ſunt in officio, donec repreſſa petulantia, & ingenia & induſtria eorum excitentur. Propter hanc naturarum uarietatem, ut cætera ſtudiorum uel ſubſidia uel impedimenta præteream prope innumera, certum diſcendi ſpacium præſcribi non poteſt: niſi quòd lubricam adoleſcentiæ ætatem diutius regi, quàm altius ſine pennis euolare ſinere, cōſultius eſt. Sed tamen qui nūc mores ſunt noſtro hoc tam ſapienti (ſi dijs placet) atq; acuto ſeculo, qui anno quinto, aut ad ſummū ſeptimo ætatis, in Scholā benè inſtitutā miſſus, ibiq; cōtinenter inſtitutus fuerit: is anno ætatis decimooctauo, utriuſq; linguæ fundamēta, dicendi artes et philoſophiæ*

Quādiu præceptorū opera ſit utenda.

principia facilè perceperit, niſi uel tardiſſimo ingenio, uel ſupina quadam negligētia, uel morbis aut calamitate aliqua impediatur. Deinde ſi à decimooctauo anno ætatis ſiue Theologiam, ſiue Iuriſprudentiam, ſiue Medicinam amplexus fuerit: ſub annum ætatis uigeſimumquartum, laureolam illius diſciplinæ cum laude conſequi, & relictis Scholis, conſtitutaq; re familiari, & (quam ad rem pleriq; nimium, & ſæpè infeliciter properant) procreandis liberis in honeſto pioq; matrimonio dare operam, & Reipublicæ inſeruire poterit, & πρᾶξιν cum θεωρίᾳ cōiungere, mutisq; magiſtris contentus eſſe, qui homini docto perpetuò conſulendi, & nocturna diurnaq; manu uolutandi ſunt: non autem (uti nunc magiſtellorum & doctorculorum uulgus facit) uel quò cerui cornua, abijciendi. Accedit deinde uocalis etiam magiſter, & is quidem acutiſſimus, VSVS RERVM*: qui multa docet, quæ nec in Scholis nec in Muſæis cognoſci ſatis potuerunt, & ſolertiſſimè cuiuſq; ingenium & eruditionem explorat, & quantum quiſq; adhuc ab eo ſcopo abſit, ad quem contendendum eſt, oſtendit. Hæc diſcendi ratio delectu acto ingeniorum in primis (ad quem quidē accedere publica debebat autoritas. Neq; enim è quouis ligno fit Mercurius) ſi obſeruaretur, & ij qui ad gubernacula Reipublicæ aliquando ſedebunt, ſapientiæ magis quàm uoluptatibus aut pecuniæ, florente ætate ſtuderent: quàm benè cum rebus mortaliū ageretur? Et quidem poſſent hæc fieri ſine ulla difficultate, ſi primùm parentes, deinde Reges & Principes, cæteriq; magiſtratus, (Sholaſtici & Eccleſiaſtici doctores præſertim) ſuo munere ita fungerentur, ut Deo adminiſtrationis ſuæ rationem redditur. Νῦν δὲ οἱ μὲν ἐν ταῖς μεγίσταις δόξαις ὄντες ἐπὶ μικροῖς σπουδάζουσιν, ἡμῖν δὲ τοῖς τῶν πολιτικῶν ἐξεστηκόσι, περὶ τηλικούτων πραγμάτων συμβουλεύειν καταλελοίπασιν: ut noſter grauiſſimè queritur Iſocrates.*

Vſus rerum cū doctrina ſcholaſtica & priuatis ſtudijs coniungendus.

Magiſtratui intereſſe, ut delectus agatur ingeniorum.

Cauendā eſſe falſam doctrinæ perſuaſionem.

Quantum proficias non pœnitebit.) *Periphraſis: pro, Dum te tuĩ profectus non pœnitebit. qua uoce utitur Seneca, cum apud Ciceronem uix reperiatur, ut arbitror. Eſt autem hic cauenda δοξοσοφία, ne nobis perſuadeamus, nos plura ſcire quàm ſcimus, & ingenijs noſtris nimium fidamus. Rectè enim Boryſthenites ille Bion dixit, τὴν οἴησιν εἶναι τῆς προκοπῆς ἐγκοπήν: hoc eſt, cum primùm quis ſibi perſuaſerit, ſe iam eruditum eſſe, actum eſſe de illius eruditione. Qui enim ſe conſecutum eſſe omnia putat, nullos amplius labores ſibi capiendos eſſe cenſet: &, ut Quintilianus ait, Multi ad ſumma peruenirent, niſi ſe iam eò perueniſſe, perſuaſum haberent. Ad falſam hanc opinionem animis euellendā, utiliter inſtitutæ ſunt Diſputationes, & quæ examina ſiue examitationes uulgo dicuntur, ἐξετάσεις græcè, latinè probationes fortaſſe rectius dicuntur. Sic enim Cicero probationem athletarum dixiſſe uidetur, quæ etiam δοκιμασία τῶν ἀθλητῶν uerti queat. Eôdem faciunt etiam congreſſus cum doctioribus, & naſutis hominibus, qui πειραστικῶς (ut Socrates facere ſolebat) καὶ εἰρωνικῶς, aliud ſentientes, aliud præ ſe ferentes, oſtendere cuique ſolent, quid ſciat, quid neſciat.*

Arrogantiæ remedia.

Noſtra legens.) *Cicero Academicus fuit, ut ipſe profitetur, cum ſe oratorem,*

torem, non è Rhetorũ ſcholis, ſed ex Academiæ ſpacijs extitiſſe ait. Hæ autẽ præceptiones de officijs, nõ ex Academia, ſed è Stoa ſunt petitæ, ut paulo poſt ipſe affirmat. Noſtra igitur, id eſt, hæc mea è Stoicorum fontibus hauſta præcepta.

Cicero alibi Academicus, hic Stoicus.

Non multum diſsidentia.) *Sunt qui controuerſiam uerborum potius quàm rerum, hoc eſt λογομαχίαν ſuperuacaneam, inter Peripateticos & Stoicos eſſe cenſeant: quos Cicero architectos nouorum uocabulorum appellat, & ut acutiſſimos homines laudat. Peripatici dixerunt, uirtutem ſummum eſſe bonum: Stoci, ſolum: Peripatetici, ad felicitatem abſoluendam corporis etiam & fortunæ bona requirebant. In quam ſententiã extat Alexandri Aphrodiſienſis diſputatio, ὅτι ἡ ἀρετὴ οὐκ αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν. Stoici uerò uirtutem ſe ipſa contentam eſſe quæ in ſumma egeſtate & morbo corporis nihilominus hominem beatum efficeret. Bona uerò corporis & fortunæ, non ἀγαθὰ ἢ καλὰ, ſed προηγμένα & ἀποπροηγμένα horum contraria, (ſic enim, & non ἀποπροηγμένα legendũ eſſe, etiam ἀποπροῆχθαι uerbum apud Laertium arguit) hoc eſt producta ſiue prælata, & reiecta appellabant.*

Controuerſia Stoicorũ & Peripateticorum.

Non multum diſsidentia.) *Conſtanti & conſentienti doctrina opus eſt adoleſcentiæ: alioqui uarietate opinionum, non modò perturbabitur & à diſcendi ſtudio deterrebitur, ſed etiam ad odium doctrinæ omnis, impelletur. Quare prodeſt non mutare præceptores, ſine graui cauſa. Quod idem & de lectione, & interpretatione librorum eſt intelligendum. Principiò cuiuſq; doctrinæ certa quædam methodus cõcipienda eſt, eaq; perfectè tenenda: ac tum demum etiam ad ea uenire licet, quæ ab illa non multũ diſſident. Sed hic precibus & uotis uehementer opus, ne initiò ſtudiorum dediſcenda diſcas, ſed ut in eum doctorem diuino quodam fato incidas, qui ad ueritatem in tot diſſenſionibus proximè acceſſerit.*

Non temere mutandã eſſe docendi formulam.

Vtriq;.) *Non tam ego Cicero, & præceptor tuus Cratippus, quàm uos Stoici atq; Academici, & uos Peripatetici. Nam Cicero (ut antè dixi) Academicos maximè amauit, propter libertatem illam in utranq; partem diſputandi, qua plurimum eloquentia (qua nihil ille habuit antiquius) augeretur: ſed ne à Stoicis quidem abhorruit, quorum grauitatem & orationis magnificentiam uehementer fuit admiratus.*

Cicero & Stoicus & Academicus.

Et Socratici & Platonici.) *Inter Socratem & Platonem hoc intereſt, uel quod inter magiſtrum & diſcipulum, uel quod inter imperatorem & hiſtoricum. Sit, uerbi gratia, Socrates Alexander Magnus, qui multa egregiè & dixit & fecit: Plato uerò Arrianus, qui ea dicta & facta deſcripſit. A Socrate igitur & Platone, omnes ferè philoſophorum ſectæ, quod quidem ad doctrinam de moribus attinet, promanarunt. Quarum progreſſiones & dogmata cognoſcenda ſunt è Diogene Laertio, aut è Tabula Morellij, quam cum noſtris Annotationibus aliquando fortaſſe ſtudioſis communicabimus: aut Deſiderij Iacotij de Philoſophorum doctrina libello, qui cum Ciceronianis ſententijs utiliter coniungi ſolet.*

Socratis & Platonis diſcrimen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tum urbanitatis habet, in loco ſi uſurpetur) εἰρωνεία προσποίησις ἐπὶ τὸ ἔλαττον: *Diſsimulationis eſt, nimium ſibi detrahere.* ἀλήθεια, *ſiue* φιλαλήθεια, διάνοια ἢ λόγος σύμφωνος τῷ πράγματι: *Veritas & candor eſt, ſiue ratio, ſiue oratio cum re ipſa congruens. Hæc definitio ex his Ariſtotelis uerbis,* ὁμοίως οἱ λόγοι ἀληθεῖς εἰσιν, ὥσπερ τὰ πράγματα, *in libro* περὶ ἑρμηνείας *colligi poteſt: Verba, inquit, perinde uera ſunt atq; ipſæ res.*

Diſsimulatio.
Veritas.

CICERO.

Nam philoſophandi ſcientiam cōcedens multis: quod eſt oratoris propriũ, aptè, diſtinctè, ornatèq; dicere (quoniam in eo ſtudio ætatem † conſumpſi) ſi id mihi aſſumo, uideor id meo iure quodammodo uendicare.

† *V. L. conſumpſimus.*

Scientiam.) *Quæ utique copiæ uerborum præſtat. Scientia autem eſt, ut uulgo definiunt, rei per cauſas cognitio: ut teſtatur dictum Ariſtotelis,* οὐδὲν ἴσμεν ἄνευ τῆς αἰτίας: *Ignorata (inquit) cauſa, nihil ſcimus.*

Concedens multis.) *Quaſi dicat, Non repugno, quò minus alij philoſophiæ cognitione mihi non modò conferantur, ſed etiam præferantur.*

Quod eſt oratoris proprium.) *Lib. I. ad Herennium: Oratoris (inquit) munus eſt, de his rebus poſſe dicere, quæ res ad uſum ciuilē moribus ac legibus conſtitutæ ſunt, cum aſſenſione auditorum, quoad eius fieri poteſt. Id uerò omnino fieri oportet aptè, diſtinctè, ornateq; dicendo.*

Oratoris proprium.

Aptè.) ἡ δεινότης, *ſiue* τὸ δεινὸν τῶν λόγων, *uel (ut Iſocrates)* ἡ περὶ τοὺς λόγους δεινότης, *græcè dici poteſt. Id uerò quod aptũ eſt, hoc eſt, rebus, perſonis, locis, temporibus accommodatũ, etiam in uerbis, non tantum in rebus ſpectatur: nec minus ad elocutionem quàm ad inuentionem pertinet, & aliquo modo diſpoſitionem quoq; attingit. Neq; enim parum intereſt, quo quidq; loco & ordine exponatur.*

Aptè dicere, & inuentionis & elocutionis & diſpoſitionis.

Diſtinctè.) *Hoc diſpoſitionis, ſiue collocationis eſt, tum omnium orationis partium, tum ſingularum: neq; rerum tantùm, ſed etiam uerborum. Vnde numeri oratorij, maximum orationis ornamentum exiſtunt.*

Diſpoſitio.

Ornatè.) *Hoc elocutionis potiſsimum eſt. Nunc conferamus uerba Iſocratis ex oratione* τῶν σοφιστῶν, *cũ hoc loco:* τὸ τῶν καιρῶν, *inquit,* μὴ διαμαρτεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐνθυμήμασι πρεπόντως ὅλον τὸν λόγον καταποικῖλαι, *hoc eſt aptè dicere:* καὶ τάξαι τῷ τρόπῳ, *hoc eſt diſtinctè dicere:* καὶ τοῖς ὀνόμασιν εὐρύθμως καὶ μουσικῶς εἰπεῖν, καὶ τῶν ἰδεῶν ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πραγμάτων, ἃς δεῖ προσελέσθαι, καὶ μίξασθαι πρὸς ἀλλήλας μὴ διαμαρτεῖν, *hoc eſt ornatè dicere, niſi fallor.*

Aetatem conſumpſi.) *Erat tũ ſexagenario maior Cicero, & haud dubiè ultra annos 50 in eloquentia & diſcēda & exercēda uerſatus. Nemo autē eſt (ut ali-*

Diligentiæ aſsiduitas, eruditionis mater.

(ut alibi dicit) tam afflictus, qui ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quod agit, non poſſit nauare aliquid, atq; efficere.

Non inuidenda laboribus ſua præmia.

Meo iure quodam modo.) *Videtur enim diuturnis laboribus quaſi ex pacto deberi fructus hic cognitionis eius artis, in qua elaboraueris: hoc eſt, ſedulò & diligenter uerſatus fueris. Nam diuturna incuria & negligentia, tempus quidem terit, ſed ſolidam eruditionem non parit,* ἀεὶ μὲν μανθανόντων, οὐδέποτε δ' ἐπὶ τὴν γνῶσιν ἀληθείας φθανόντων, τῶν παρέργως φιλοσοφούντων: *hoc eſt, ij qui obiter & leui (quod aiunt) brachio ſtudia literarum atq; ex interuallo attingunt, ſemper illi quidem diſcunt, nunquam autem perdiſcunt, erratis negligentiæ atq; incuriæ ampliores progreſſus & memoriam ſubinde impedientibus. Hinc ſemidocti iſti doctores, inanibus elati titulis, animi impudentia & uolubilitate linguæ magis freti, quàm ſolidæ cognitioni rerum innixi. Quorum exempla ſibi non imitanda ducet ingenuus adoleſcens. Inhoneſta enim ſunt, indigna bono uiro, inuiſa Deo, reipublicæ pernicioſa.*

Negligentia & intermiſſio ſtudij pernicioſa.

Vendicare.) *Paulo antè dixit, Si id mihi aſſumo. ubi emphaſis quædam latere uidetur: quaſi dicat, de palma eloquentiæ non ita multis conceſſerim, ut de ſcientia philoſophiæ.*

CICERO.

Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non ſolum orationes meas, ſed hos etiã de philoſophia libros († qui ſe iam illis ferè æquarunt) ſtudioſè legas.

† *V. L. qui iam illis ferè æquantur.*

Scripta Ciceronis cur legenda.

Quamobrem.) *Nunc tandem apertè proponit, ſua ſcripta diligenter legenda eſſe omnia. Cur uerò? Primùm ab effectu: quia utiliter cum Græcis latina coniunguntur. Id quod ſuopte exemplo comprobat Cicero: & per ſe turpis eſt atq; perincommoda linguæ uernaculæ ignoratio, quæ comitari ſolet eos qui peregrinas tantum conſectantur. Deinde, quia (inquit) Romani prudentiſſimi uiri &* κοσμοκράτορες, *ſcripta mea magnifaciunt. Præterea, quòd tuũ de philoſophia iudicium ea minimè perturbabunt. Hoc argumentum* προκαταληπτικὸν *ſiue* ἀνασκευαστικὸν *magis eſt, quàm* κατασκευαστικόν. *Potuiſſet enim reſpondere filius: At Stoica iſta, cum præceptoris mei doctrina diſſentiunt. Id quod Cicero non planè concedit. Poſtremò, quia orationem tuam facient pleniorem. Hinc ſuſpicor, filij dicendi genus patri uiſum fuiſſe tenuius, & aridius. Nam agro fœcundo, lætamine minus eſt opus.*

Philoſophica Ciceronis ſcripta, oratorijs potiora.

Hos de philoſophia.) *Intelligendi ſunt non hi tantum libri de Officijs, ſed etiam cætera philoſophica ſcripta: ut Academicæ & Tuſculanæ quæſtiones, libri de Finibus, de Legibus, de Fato, de Diuinatione, de Vniuerſitate, de Amicitia, de Senectute, de Natura deorum, Paradoxa: & qui (nobis quidem) unà cum alijs quibuſdam: ut ſunt, Oeconomici,* τῶν αὐτικάλων λόγων *& Arati conuerſio, Conſulatus ſui & rerũ geſtarum deſcriptio: ut Catonis laudatio perierunt: item Hortenſius, ſiue Philoſophiæ laudatio, de Gloria, de*

ria, de Conſolatione, libri de Republica: quorum fragmentum ſanè perelegans Macrobius nobis reliquum fecit, Somnium Scipionis.

Fere æquarunt.) *Scilicet numero & magnitudine, atq; etiam orationis elegantia & copia: quæ res in nouo iſto dicendi genere quantum difficultatis, tantundem admirationis etiam habuit. Itaq; ne dignitate quidem illis cedunt, ſed (ſi uerè iudicemus) longè præſtant: tantoq; ſuperiores ſunt, quanto maior dignitas eſt tranquillæ mentis, quàm turbulentorum affectuum. Reſtant adhuc duo genera ſcriptorum Ciceronis, quorum unum epiſtolas, alterum præcepta artis oratoriæ continet: quæ & ipſa, quamuis non præcipiente Cicerone, ſtudioſiſſimè ſunt legenda.*

Studioſe legas.) *Excludit ſegnem & oſcitantem lectorem, cuius plerunq; inanis labor eſt: ſi tamen labor in hominem ſocordem & oſcitantem cadit. Nec enim Iura tantùm, ſed & omnes eruditi libri uigilātibus ſcripti ſunt.*

Lector ſit attentus.

CICERO.

Vis enim dicendi maior eſt in illis: ſed hoc quoq; colendum eſt æquabile & temperatum orationis genus.

Vis dicendi.) *Orationes forenſes in primis, πολὺ τὸ παθητικὸν (ut ait Dionyſius) ἔχειν δεῖ. Aetiologia hæc eſt utriuſq; partis. Orationes ſunt legendæ, propter magnam uim dicendi: libri philoſophici, propter temperatum orationis genus. Vt autem pacis & belli uices ſunt in uita humana, & ad utrunq; paratos eſſe decet: ita etiam aliàs contentionibus eſt opus, in foro, in curia, pro concione: aliàs quietis diſputationibus, ut in ſcholis & circulis, & conuiuijs, ac re domeſtica.*

Hoc quoq; colendum eſt.) *Quaſi dicat: Etſi forenſis eloquentiæ laus in primis propoſita tibi eſt, tamen non ad eam unā omnia tibi referenda ſunt. Elici hinc ſententia poteſt non inutilis: Eſſe cuiq; in ſuo ſtudiorum genere potiſſimùm quidem elaborandum, cæterum ne alia quidem prorſus eſſe negligenda. cuiuſmodi ſit, ſi Theologus etiam Iuriſprudentiam attingat, & doctrinam de moribus: Medicus aſtrologiam, & philoſophiam de naturæ obſcuritate. Imò (ſi, quod ſentio, dicendum eſt, contempta inuidia, & eorum præiudicijs qui ſibi palmariū ducunt, etiam in Latini ſermonis & artium dicendi ignoratione, ad eas quæ uulgo magnifiunt diſciplinas contendere) turpe inquam mihi uidetur, & pernicioſum, in doctis eos haberi, qui ullius bonæ artis planè rudes ſunt & ignari, circulum illum diſciplinarum dirumpentes, & minutas quaſdam inde particulas arripientes. Cauſantur illi quidem non unum aliquid: ut uitæ breuitatem, ut anguſtias ingeniorum, ut diſciplinarum uarietatem atq; amplitudinem, qua mirabiliter animi diſtrahantur. Exaggerant etiam (ut à rebus ad uerba ueniamus) linguarum difficultatem. Sed profectò iſta tanti non ſunt, ut eorum excuſent ſiue luxuriam, ſiue ignauiam: de auaricia & ambitione ut nihil dicam. Nam ſi id poſtularetur, ut omnes omnium artium ſubtilitates & controuerſias pertractatas, & animo comprehenſas*

In ſuo cuiq; doctrinę genere ſic elaborandū, ut etiā cæteras diſciplinas per ociū attingat.

Cùm ut uirtutes, ita etiā artes cōmuni quodā ſocietatis uinculo ſint aſtrictæ: nullius diſciplinæ omnino rudes nos eſſe oportere.

Ignauię & luxuriæ noſtrę cauſas alias prætexi.

atq; in promptu haberent: haud ſanè iniuria nimium oneris imponi ſibi quererentur. Cum uerò in ſuo quenq; doctrinæ genere potiſsimùm elaborare atq; excellere uelimus, nec tamen aliarum diſciplinarum elementa ignorare, & ab imis quaſi per ſcalarũ gradus, naturæ ipſius ordine altius aſcendere, nihil iniqui poſtulamus: ſed id proponimus, quod plus habet tum uoluptatis, tum utilitatis, quàm difficultatis & moleſtiarum. Ingenium tamen in primis philoſophicum requirimus, quod ſit cognitionis quàm pecuniæ auidius: quod ſtudiorum labores ferre & poſsit, & uelit. Tantas etiam facultates deſideramus, quæ & libros & præceptores, & iuſtum diſcendi tempus atq; ocium ſuppeditent. Illud autem in primis flagitamus, ut maturè in Scholas mittatur puer, ut prudenter atq; fideliter à teneris annis inſtituatur, ut in hoc ſapientiæ ſtadio continenter decurrat, curſu alijs occupationibus non interrupto. At iſta optantis ſunt. Quotus enim quiſq; reperitur, cui hæc contingant omnia? Equidem noui complures, quibus hæc omnia ſuppeditata fuerint: qui ſuapte ignauia & libidine προδόται τῆς τύχης γιγνόμενοι, hoc eſt, uel non uſi, uel malè uſi occaſionibus, uitam ſilentio tranſeant ueluti pecora. Cæteris, quorum fortaſſe maior eſt numerus, (in quo utinam non & ipſe eſſem) uenia non grauatim, à me quidem, tribuetur.

Subſidia hominis ſtudioſi.

Vt multis deſint facultates: ſic nonnullis omnia ſuppeditari.

Sermoni ſtudendum nõ minus quàm contentioni.

Colendum eſt.) *Id eſt, ſtudioſe in eo uerſandum. Cauſam hic non addit: ſed obſcura minimè eſt. Sæpius enim ciuiliter & familiariter colloquimur atq; diſſerimus, quàm in iudicijs rixamur. Nec nullus eſt temperato dicendi generi in diſceptationibus forenſibus locus. Quàm enim indecorum eſt, de ſtillicidijs cum apud unum iudicem dicas, ampliſsimis uerbis & locis uti communibus? Omni enim in loco aptè & rebus accommodatè dicendũ. Imò in capitalibus etiam cauſis Areopagitæ oratores ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν dicere iuſſerunt. Quod ſi iudices ſapientes, & ad ueritatis ac iuſticiæ normam directos haberemus: (quam quidem normam uerborum lenocinijs emolliri, & affectũ turbinibus torquere atque inflecti, nefas eſſe rectè cenſet Ariſtoteles) omne propemodũ oratorũ artificiũ conticeſceret, & ueritatis ſimplicis uox ubiq; dominaretur. Quo ut nihil optabilius eſt omnib. bonis, ſic exiſtimo non deeſſe φιλολόγους τινὰς καὶ φιλορήτορας, qui interitũ Reipublicæ cum eloquentiæ interitu auidiſsimè cõmutarent. Tantũ ualet cæcus amor ſui, & ipſa ueritate potẽtior teneris animis inſtillata, et progreſſu ætatis roborata opinio.*

Aequabile & temperatum.) *Hic nobis philoſophicæ orationis χαρακτῆρα depingit Cicero. Aequabile autem appellat, non crebrò interruptum exclamationibus & uehementioribus affectibus. Eſt enim iudiciorũ τὸ παθητικόν, id eſt, acre quiddam & uehemens: philoſophiæ uerò τὸ ἠθικόν, hoc eſt, lenis & morata oratio.*

Oratores animos perturbare, philoſophi ſedare ſtudent.

Temperatum.) *A uino ſumpta metaphora. οἶνος ἄκρατος apud Græcos fuit uehemens: ſed κεκραμένος cum ſuam ſuauitatem retineret, non tamẽ lædebat ualetudinem. Sic Oratores mentem affectibus perturbant, quã philoſophi prauis affectibus repurgare, pacatamq; reddere ſtudent. Vt igitur uini*

uis aqua.

uis aqua infuſa nonnihil frangitur: ſic in philoſophia, naturæ uehementia cohibetur, nec indulgetur affectibus. Philoſophica igitur ſcripta cũ animis moderentur, moderato etiam ſiue medio dicendi genere conſtant: orationes ſublimi: epiſtolæ, tenui, ſiue ſubtili. Eodemq; modo præcepta Oratoriæ artis: præcepta inquam. nam procemia quidem ἠθικὰ pleraq; ſunt, & digreſſiones: interdum etiam παθητικά, nec eodem ſtylo eiuſdem artis & argumenti omnia perſcripta ſunt. Et hæc dicendi genera (etſi, ex eo quod in quolibet ſcripto excellit, nomen imponi haud ignoramus) ſubinde pro uarietate rei quæ tractatur, inter ſeſe permiſceri, ſæpe iam alibi diximus. Quod enim mihi ſcriptum paulò prolixius offeres, in quo ſint omnia ex æquo uel tenuia, uel grandia, uel moderata? An uerò non ea creditur optima eſſe oratio, quæ rebus ita congruit, ut corpori ueſtis? ut gladio uagina? Aelius Dionyſius certè, criticorum (ut mihi uidetur) acutiſſimus, in Iſocrate, quem cætera diuinis propè laudibus ornat, reprehendit τὸ μὴ πρεπόντως φράζειν τοῖς ὑποκειμένοις τῶν ἠθῶν: eũq; ait τὰ πολλὰ γίνεσθαι ψυχρὸν ἢ διὰ περίοδον λαμβάνειν, ἢ διὰ μὴ πρέποντα εἶναι τὰ σχήματα τοῖς πράγμασιν, ἢ διὰ τὸ μὴ κρατεῖν τοῦ μετρίου. His generalem ſubiungit ſententiam ab iis quæ nos & ſentimus & dicimus (niſi fallor) non abhorrentem: οὐ γὰρ ἅπαντα δέχεται οὔτε μῆκος τὸ αὐτό, οὔτε σχῆμα τὸ παραπλήσιον, οὔτε ῥυθμὸν τὸν ἴσον. Quin Horatio etiam permittente,

Interdum tamen & uocem Comœdia tollit,
Iratusq; Chremes tumido delitigat ore.
Et Tragicus plerunq; dolet ſermone pedeſtri
Telephus & Peleus: cum pauper & exul uterq;,
Proiicit ampullas, & ſeſquipedalia uerba.

Sed fruſtra hæc iis dico ſcilicet, qui tantum abeſt ut aliquid de dicẽdi genere iudicii mihi relinquãt, (quod iudiciũ ita ſubtile atq; perplexũ eſt, ut ex ueteribus ſummi etiã & Rhetores & Oratores in eo nõ cõſenſerint) ut in grãmatica quoq; interpretatione mea, pro autoritate magno cũ ſupercilio & inſectatione uehementi condemnẽt, quicquid ipſis τοῖς γε τῶν διδασκαλικῶν ἀναβεβηκόσι θρόνων non placuerit. Quicquid aũt iſti dixerint, tantã habet autoritatẽ, (quidni uerò apud pueros & adoleſcentulos præceptorẽ admirantes?) ut diſſentire ſit nefas: αὐτὸς γὰρ ἔφα. Soli enim illi & in bicipiti ſomniarunt Parnaſſo, & labra fonte proluerũt caballino: deuoratoq; lauri ramo, οἷοι πέπνυνται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. Quis neget? Pueri certè & adoleſcentuli, non. ἔλεγε γάρ τις ὄνῳ μῦθον, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει.

Permiſceri inter ſeſe dicendi genera.

Temerarii & inſolentes alienarum lucubrationũ cenſores.

CICERO.

Et id quidem nemini uideo Græcorũ adhuc contigiſſe, ut idem utroq; in genere laboraret: ſequereturq; & illud forenſe dicendi, & hoc quietum diſputandi genus.

Et id quidem.) *Poſtquam longa inſinuatione id conſecutus eſt, ut liberè filium ad ſua ſcripta legenda adhortari poſſet: ſeſe per collationem*

[illegible]

Græcis, hominibus qui & ingenijs & ocio (ut alibi teſtatur) abundabant, anteponit: idq́; non tam gloriandi cauſa (quamuis φιλόδοξος) quàm ad ſimilem excellentiam exhortandi filij gratia. Candoris enim eſt, in meliorem partem omnia interpretari.

Fr oratorem & philoſophum eſſe, difficile.

Laboraret.) *Modeſtè de conatu ſuo potius, quàm de effectu loquitur: ſimulq́; innuit, Græcis non tam facultatẽ defuiſſe, quàm uoluntatem: laboresque magnos eſſe capiendos ei, qui & Philoſophus & Orator haberi uelit. Magnis autem laboribus non inuidenda ſunt ſua præmia.*

Diſputationum ratio.

Quietum diſputandi.) *Diſputatio eſt methodica collocutio, ueritatis inquirendæ & confirmandæ cauſa ſuſcepta. Methodica dico, quia arte eſt opus: ueritatis inquirendæ cauſa ſuſcepta, ad excludendos prauos affectus, adtollendum partium & uincendi ſtudium, & auariciã, odium, inuidiam, &c. quos ueritatis inquiſitio minimè admittit. Qua de re operæ precium eſt, Cæſaris apud Saluſtiũ uerba meminiſſe, atq; in promptu habere: » Omnes homines, » (inquit) patres conſcripti, qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, » ira atq; miſericordia uacuos eſſe decet. Haud animus uerum peruidet, ubi illa » officiunt: nec quiſquam omnium libidini ſimul & uſui paruit. Vbi intenderis » ingenium, ualet. Si libido poſſidet, ea dominatur, animus nihil ualet. Quam ſententiam cum ſiue Cæſar, ſiue Saluſtius ex oratione Demoſthenis Cherſoneſitana, ut uidetur, rationibus firmatam ſuis deprompſerit: Græca etiam uerba non pigebit aſcribere, quo magis adoleſcentibus ueritas, cãdor, moderatio animorum commendentur.* ἔδει μὲν, *inquit,* ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, τοὺς λέγοντας ἅπαντας ἐν ὑμῖν, μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μήτε πρὸς χάριν ἀλλ' ὃ βέλτιστον ἕκαστος ἡγεῖτο, τοῦτ' ἀποφαίνεσθαι, ἄλλως τε καὶ περὶ κοινῶν πραγμάτων καὶ μεγάλων βουλευομένους. ἐπειδὴ δ' ἔνιοι τὰ μὲν φιλονεικίᾳ, τὰ δ' ἥτινι δήποτ' αἰτίᾳ προάγοντας λέγειν, ὑμᾶς ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τοὺς πολλοὺς δεῖ πάντα τἄλλ' ἀφέντας, ἃ τῇ πόλει νομίζετε συμφέρειν, ταῦτα καὶ ψηφίζεσθαι καὶ πράττειν. *Admonet autem Demoſthenes hoc loco non oratores tantùm & diſputatores, ſed auditores etiam & iudices, officij ſui: ut non affectus litigantium & rixantiũ, ſed ueritatem ipſam, utilitatem & dignitatem Reipublicæ in decernẽdo & agendo, rebus omnibus alijs relictis, ſequantur. Quod ſi ij omnes qui rerum potiuntur, facerent (debent id certè quidem, & poſſunt etiam, modò uelint) minus turbarum eſſet, ac tranquillius & rectius uiueretur.*

Veritas & publica utilitas ſpectanda.

CICERO.

Niſi fortè Demetrius Phalereus in hoc numero haberi poteſt, diſputator ſubtilis, orator parum uehemens, dulcis tamen, ut Theophraſti diſcipulum poſsis agnoſcere.

Δημήτριος ὁ φαληρεύς.

Niſi fortè Demetrius Phalereus.) *Demetrius hic poſt obitum Demoſthenis, cum Macedones Athenas ſubegiſſent, multum autoritate apud ciues ſuos ualuit, apud Macedones etiam gratioſus. Sed tandem per inuidiam, & cum ignominia pulſus, Alexandriam ad Ptolemæum Soterem (ſic enim habet Laer-*

bet Laertius) profectus, ampliſſimæ bibliothecæ præfuit: tandem à ſerpente occiſus.

Diſputator ſubtilis.) *Ergò docere potuit, & accuratè res eas de quibus diſſeruit, explicare, afferendis in medium rationibus, quæ rebus dubijs fidem facerent, & refellendis contrarijs. Hoc enim diſputatoris eſt proprium.*

Orator parum uehemens.) *Ergo τὰ πάθη illi defuerunt, & nerui oratorij. Cum autem philoſophia moderationem animorum & ueritatis amorem inprimis doceat, oratores uerò in amplificando & extenuando ſæpe uerſentur, quod ſine grauioribus affectibus fieri non poteſt, ac (ubi cauſa poſtulare uidetur) ne à mendacijs quidem & calumnijs abhorreant: mirum non eſt, moderato Demetrij ingenio eam laudem defuiſſe. Me quidem humanarũ rerum uanitatem conſiderantem, pudet atq; piget in nugis (quod aiunt) agere Tragœdias, & à ueritate ad uulgi præſtigias, ex opinione multa, ex ueritate pauca iudicantis, deflectere. Præſtare enim cenſeo, & frigidiorẽ Poetam, & dilutiorem Rhetorem, interdum etiam ruſticiorem & minus humanum uideri, quàm hominem uanum & impudentem.*

Vereconudiæ & ueritati cum artibus Rhetorũ nõ optimè conueaire.

Dulcis tamen.) *Suauitas hæc orationis ἐν τῷ ἠθικῷ ſita eſt, & æquabili ac temperato genere dicendi. Adimit autẽ ei perfecti oratoris laudem, quòd una è tribus partibus deſtituatur, cum docere tantùm & delectare, non etiam mouere poſſit.*

Theophraſti diſcipulum.) *Non ea ratio fuit ueterum philoſophorum, quæ Scholarum noſtræ ætatis eſt. Nam cum Græci, linguæ iam antea gnari, ſoli rerum cognitioni uacarent: unum plerunq; præceptorem, in uno doctrinæ genere, per annos complures audiuerunt. Vnde factum, ut non ſententias modò eius, ſed dicendi etiam genus plerunq; imitarẽtur. Quod huic Demetrio accidiſſe, Cicero teſtatur. De quo paulo aliter ſentit Diogenes Laertius, quem autorem ſtudioſis in manibus eſſe uellem: (eſt enim theatrum quoddam totius philoſophiæ ueteris) χαρακτὴρ, inquit, ὁ τοῦ Δημητρίου φιλόσοφος, εὐτονίᾳ ῥητορικῇ τῇ δυνάμει ἐγκεκραμένος: hoc eſt, Demetrij dicendi genus eſt philoſophicum, cõtentione & ui oratoria temperatum. Huius nihil, quod ſciam, nũc extat, præter libellum ſanè elegantem περὶ ἑρμηνείας: hoc eſt, de elocutione oratoria. Conſiderandum hic obiter, quantæ felicitatis ſit, incidere in præceptorem ingenio, doctrina, uirtute, eloquentia præſtantem: cuius non feliciſſima eſſe imitatio non poteſt.*

Diſcipulos ſtylum præceptoris ferè exprimere.

Diog. Laertius.

Theophraſti.) *Diogenes Laertius:* τὸν Τύρταμον λεγόμενον, Θεόφραστον διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον Ἀριστοτέλης μετωνόμασε. *& Cicero, hæc uerba quaſi interpretans: Theophraſtus (inquit) dicendi diuinitate nomẽ inuenit.*

Theophraſtus.

Agnoſcere.) *Scilicet ex ſimilitudine ſtyli. Dent operam & adoleſcentes, ut ſe in Cicerone uerſatos eſſe, ſtylo atq; dicendi genere probent: ut græcè cum ſcribunt, Iſocratis aut Demoſthenis lineamenta appareant: non autem omnia plena ſint uernaculis idiotiſmis, id eſt ſolœciſmis.*

CICERO.

Nos autem quantum in utroq; profecerimus, aliorum ſit iudicium, utrunq; certè ſecuti ſumus.

Nos autem quantum.) *Suprà dixit: Id quidem uideo nemini Græcorum, &c. deinde* προκαταληπτικῶς *negat Demetrium in oratorũ numero haberi poſſe. Nunc ſe talem eſſe, modeſtè ſignificat.*

Secuti ſumus.) *Quaſi dicat: Studium certè & recta uoluntas mihi non defuit, quicunq; fuerit euentus. Sic Eraſmus alicubi: Chriſtianam, inquit, uitam ſi non aſſequimur, certè ſequimur.*

CICERO.

Equidem & Platonem exiſtimo, ſi genus forenſe dicendi tractare uoluiſſet, grauiſsimè & copioſiſsimè potuiſſe dicere: & Demoſthenem, ſi illa quæ à Platone didicerat, tenuiſſet, & pronunciare uoluiſſet, ornatè ſplendidéq; facere potuiſſe.

Plato. Equidem & Platonem.) *Hic quoq; à parentibus Ariſtocles fuit appellatus: ſed διὰ τὴν πλατύτητα εἴτε τῶν ὤμων, εἴτε τῶν λόγων, ſiue ob latos humeros, ſiue propter orationis amplitudinem & maieſtatem, Platonis nomen inuenit. Huic eam laudem tribuerunt Græci: Iouem, ſi loqui more humano uoluiſſet, non alio quàm Platonico genere orationis uſurum fuiſſe. Etiam in libris de Oratore Cicero, Platonem in exagitandis Oratoribus, ſummum Oratorem agere, teſtatur.*

Demoſthenes. Demoſthenem.) *Fuiſſe auditorem Platonis Demoſthenẽ, Plutarchus ſcribit, his uerbis:* ἕρμιππός φησιν, ὑπομνήμασιν ἀδεσπότοις ἐντυχεῖν, ἐν οἷς ἐγέγραπτο, συνεσχολακέναι Δημοσθένη Πλάτωνι, καὶ πλεῖστον εἰς τοὺς λόγους ὠφελῆσθαι. *Et ipſe Demoſthenes quanti Platonem fecerit, epiſtola ad Heracleodorum (ſi modò illius eſt) his uerbis teſtatur:* ὁρῶν ὅτι δέξιος ὢν τυγχάνων καὶ παιδείαν ἀπεδέχου, καὶ ταύτην τὴν ἀπὸ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς, ἥπερ ὄντως ἀληθῶς τῶν μὲν πλεονεκτημάτων καὶ τῶν περὶ ταῦτα σοφισμάτων ἔξω, τοῦ βελτίστου δὲ καὶ τοῦ δικαιοτάτου παντὸς ἕνεκα ἐξητασμένη, ἧς μὰ τοὺς θεοὺς τὸν μετέχοντι μὴ οὐχὶ ἀψευδεῖν, καὶ πρὸς ἅπαντας ἀγαθὸν εἶν, οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι. *Interpretationem, qui uolet, è noſtra Demoſthenis conuerſione petat.*

Demoſthenem in ſuis orationibus populare honeſtũ potius quàm philoſophicum & naturale ſecutum uideri. Tenuiſſet.) *Hoc eſt: Niſi ex eloquentia populari maiorem laudem & autoritatem ſperaſſet, æmulatione Calliſtrati oratoris incitatus. Etſi autem à Philoſophia per ambitionem deſciuit, aut etiam ſe de patria benè mereri poſſe republica gerenda ſperauit: tamẽ multa philoſophica in eius orationibus paſſim occurrunt. quod & à Plutarcho annotatum eſt, his uerbis:* παναίτιος δὲ ὁ φιλόσοφος, καὶ τῶν λόγων αὐτοῦ φησὶ τοὺς πλείστους, ὡς μόνου τοῦ καλοῦ δι' αὐτὸ αἱρετοῦ ὄντος γεγράφθαι. *Etſi mihi Demoſthenes (quod uel Plutarchi, uel Panetij, uel ipſius etiam Oratoris pace dixerim)* οὐ τὸ φύσει καλόν, ἀλλὰ τὸ ἔνδοξον,

δοξον, τουτέστι τὸ κενόδοξον potius ſpectare uidetur. Quid enim ille aliud, niſi maiorum gloriam imitandam, & priſtinum principatum recuperandum, ut opibus, autoritate, potentia floreant, ſuadet, ac ſeruitutem cauendam monet: quaſi non multo turpius ſit, ſeruire ambitioni, auariciæ, uoluptatibus, libidinibus, quàm Philippo. Caſtigat ille quidē ſæpe ſuorum ciuiū ignauiam. Quamobrem? Ne imperium & libertatem amittant. Equidem ſæpe miror homines iſtos alioqui penè curioſos, τὸ ἰσόθεον καὶ τὸ ἔξωθεν καλὸν ἢ τὸ σεμνὸν non diſtinxiſſe accuratius: cū illud à natura, hoc à populari opinione pendere uideatur. Conſtat aūt populum uoluptates, diuitias, honores, potentiam facere pluris quàm ſapientiā & uirtutē. Quib. ſi quid tribuit, eò tribuit, quòd illa ſine his parari & retineri non poſſe exiſtimat. Quæ, ſi Ciceroni credimus, etiā Epicuri ratio fuit, uirtutes ut uoluptatis miniſtras & fortunæ ancillas non prorſus aſpernati. Sic ad externum ſplendorem & cōmoditatem referuntur omnia, non ad internum decus, non ad ſententiarū uirtutem, non ad moderationem & tranquillitatem animorum, & (quæ philoſophis ſubinde in ore eſt) humanarum rerum deſpicientiam.

CICERO.

Eodemq́ modo de Ariſtotele & Iſocrate iudico: quorum uterq́ ſuo ſtudio delectatus, contempſit alterum.

De Ariſtotele.) *Huius orationem Cicero (ut antè dixi) aureū eloquentiæ flumen appellat, eumq́; grauiſſimū & copioſiſſimū autorem eſſe teſtatur. Fuiſſe aūt æmulationem aliquā inter eum & Iſocratem, compluresſunt autores, ac Cicero in primis libro tertio de Oratore, his uerbis: Ipſe Ariſtoteles cū florere Iſocratē nobilitate diſcipulorū uideret, quòd ipſe ſuas diſputationes à cauſis forenſibus & ciuilibus ad inanē ſermonis elegantiam tranſtuliſſet: mutauit totam formam ferè diſciplinæ ſuæ, &c. Itaq́; ornauit & illuſtrauit doctrinam illam omnem, rerumq́; cognitionē cum orationis exercitatione coniunxit. Et eodem in loco: Ariſtoteles cum motus eſſet Iſocratis rhetoris gloria, dicere etiā cœpit, adoleſcētes docere, & prudentiā cum eloquētia iungere. Item paulo pòſt: Ars eſt utriuſq́;, ſed pluribꝰ eā libris cōplexus eſt Ariſtoteles.*

Ariſtotelis & Iſocratis æmulatio.

Suo ſtudio.) *Iſocrates eloquentia, Ariſtoteles philoſophia. Quanquam ipſe Iſocrates ſuum ſtudiū philoſophiam frequēter appellat: & Socrates apud Platonem, φύσει φιλοσοφίαν τινὰ ἐν τῇ ψυχῇ τοῦ Ἰσοκράτους ἐνεῖναι teſtatur.*

Diuerſa ſtudia parum amica.

Contempſit alterum.) *Ambiguū eſt, utrum hic contemptus ad perſonam, an uerò ad profeſſionem, uel ad utrumque potius ſit referendus. Sed & perſona propter profeſſionem, & profeſſio propter perſonam aliquando contemnitur. Ariſtoteles Iſocratem contempſit, quòd ſuas diſputationes ad inanem ſermonis elegantiam tranſtuliſſet. Quaſi uerò non grauiſſimas res tractarit Iſocrates, & philoſopho planè dignas. Eſt enim ἠθικώτατος καὶ πολιτικώτατος: hoc eſt, optima præcepta & morum & reipub. gerendæ tradit. qua de re conſulatur Dionyſius Halycarnaſſeus. Iſocrates, Ari-*

Iſocrates ἠθικώτατος καὶ πολιτικώτατος.

tes, Ari-

tes Ariſtotelem contrà, quòd in rebus obſcuriſsimis & penè inexplicabilibus uerſaretur. Videtur autem perſtringere Ariſtotelem, in oratione τῶν σοφιστῶν, *in Panathenaico, in epiſtola ad Alexandrum Magnum, cum* τῶν ἐριστικῶν λόγων *mentionem facit. Ariſtoteles autem æmulationẽ ſuam etiam Iambico uerſu eſt teſtatus:* αἰσχρὸν σιωπᾶν, ἰσοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν. *Quanquã aũt ſunt qui* ξενοκράτην *legant, qui Platoni poſt Speuſippum in Academia ſucceſsit: tamen Cicero teſtatur, Ariſtotelem Iſocrati infenſiſsimè aduerſatum eſſe, & artem dicendi deſpexiſſe. Etſi mihi profectò mirũ uidetur, eam artem & tradidiſſe diſcipulis, & tot uoluminibus eſſe perſecutum, quam deſpexerit. Sed ſi ita eſt, ex eo apparet, quæ inuidiæ uis ſit, quæ ambitionis importunitas: adeò ut ne philoſophi quidem his affectibus moderentur. Eodẽ modo etiã inter Xenophontem & Platonem inimicitias interceſsiſſe, propter eiuſdẽ gloriæ ſtudium, ſcribunt. Nec procul (ſi dicere fas eſt) D. Paulus & Barnabas à tali æmulatione abſuerunt. Quo magis uigilandum eſt bonis uiris, ne in eandem fraudem incidant. Fieri tamen poteſt, ut* ὁμωνυμίᾳ *labem hanc (quod uel innocentiſsimis ſæpenumero accidit) aſperſerit philoſopho, cum Diogenes* ἀριστοτέλους σικελιώτου ῥήτορος *mentionem faciat,* τοῦ πρὸς τὸν ἰσοκράτους πανηγυρικὸν ἀντιγεγραφότος. *Ac diſsidium quidẽ eius, uel potius defectionem à Platone, non diſsimulat: odij autem in Iſocratem nullo uerbo, quod recorder, meminit.*

Inuidia & ambitione præſtantes etiam uiros tranſuerſos agi.

CICERO.

Sed cum ſtatuiſſem aliquid hoc tempore ad te ſcribere, & multa poſthac: ab eo exordiri uolui maximè, quod & ætati tuæ eſſet aptiſsimum, † & autoritati meæ.

V. L. & autoritati meæ grauiſsimum.

Breuis ſententia copioſè tractata à Cicerone.

Sed quum ſtatuiſſem.) *Hactenus prima procœmij pars tractata eſt. Quã cum breuiter his uerbis eloqui potuiſſet, Hortor te, ut mea ſcripta ſtudioſè legas: uideut dilatarit, atq; ornarit? Primùm* προκαταλήψει *uſus, eaq́; amplificata circumſtantijs temporis*, Iam annum: *modi*, audientem: *perſonæ*, Cratippum: *loci*, Athenis. 2. *Diſtributione*, præceptis inſtitutiſq;, ſcientia & exemplis. 3. *Cauſis efficientibus*, propter ſummam &, &c. 4. *Exemplo*, ut ipſe ad meam utilitatem, &c. 5. *Generali dicto*, græca cum latinis. 6. *Diſtributione*, nec id in philoſophia. 7. *Cauſa finali*, ut par ſis, &c. 8. τῷ εἰδικῷ, quam quidem ad rem, *in quo ineſt locus ab autoritate.* 9. *Diſtributione*, rudes, *docti: dicere, iudicare.* 10. *Conceſsione, in qua perſona & tempus deſignatur. Nam circumſtantiæ, quas uocant, maximam dicendi copiam ſuppeditant, eædemq́ue figuræ ſæpius recurrunt.* 11. παραινέσει παραινετικῇ, Iam diu autem. 12. συστάσει, noſtra legens. 13. *Qualitate ſeu modo*, non multum. 14. παραινέσει ἀπολογικῇ, quoniam utriq;. 15. *Conceſsione, de rebus ipſis.* 16. *Aetiologia, ſeu potius ſynonymia. nam qui iubet, nõ certè impedit:* nihil enim impedio.

17. ὑποθε-

17. *ὑποθετικῶς κατ' ἀντιστροφὴν*, noſtra legens: *id eſt, ſi legere uolueris.* 18. *Alia προκαταλήψει*, nec uerò hoc, &c. 19. *Aetiologia τῶν διαστολὴν, ſiue μερισμόν*, nam philoſophandi: *Partes ſunt philoſophia & eloquentia.* 20. *Aetiologia, à cauſa efficiente*, quoniam in eo ſtudio. *Nam exercitatio diuturna facultatem artis gignit.* 21. *Nunc tandem apertè proponit*, quamobrem magnopere te hortor. 22. *Diſtributione*, non ſolum. *Partes ſunt, orationes, libri philoſophici.* 23. *Circumſtantia quantitatis*, qui iam ſe. 24. *Aetiologia συγκριτικῇ*, uis enim dicendi. 25. *παραινέσει*, ſed hoc quoque. *idq; προκαταληπτικῶς.* 26. *Contentione, ſeu collatione, ſe Græcis anteponit. Fit enim oratio progreſſu audacior, & à uerecundis principijs paulatim liberius progreditur. Ad eundem modum etiam cætera, ſi libeat, explicari poßint. Sed quia ſcrupuloſa hæc diligētia haudſcio plus'ne utilitatis an moleſtiæ habeat, καὶ δὶς ἡ κράμβη θάνατος: hæc exempli gratia ſemel indicaſſe ſatis eſto.*

Diligentia minuta.

Sed cum ſtatuiſſem.) *Argumentū libri ex ipſa inſcriptione ſtatim innotuit, quæ rectè ad docilitatis locum refertur. Sed ea non contentus, poſt longas ambages, quibus filio Latinam & ſuam in primis eloquentiam commendauit, copioſius proponit & explicat, qua de re ſcripturus ſit. neq; id ſimpliciter facit: ſed per contentionem argumenti dignitatē amplificat, qui locus propriè attentionis eſt. Quanquā etiam ad beneuolentiā & docilitatem pertinet.*

Inſcriptio & propoſitio.

Argumenti dignitas.

Sed cum ſtatuiſſem.) *Nihil neceſſe eſt curioſe quærere, cur hoc ſtatuerit: ſed tamen cauſæ in promptu ſunt, cùm paternæ beneuolentiæ ſignificatio, tum exhortatio filij ad Latinam eloquentiam cum uirtute coniungendam.*

Conſilium ſcribendi.

Hoc tempore.) *Poſt C. Iulij Cæſaris interitum, ſub initia triumuiratus M. Antonij, Lepidi, & Octauij, qui poſtea Auguſtus appellatus eſt.*

Et multa poſthac.) *Propoſitum enim Ciceroni fuit, omnem philoſophiā à Græcis potiſsimum inuentam & excultam, Latinis literis illuſtrare. Quod inſtitutum eruditi Itali nunc in ſua Barbara, & uaria exterorum colluuione corrupta lingua imitantur. Quod eatenus probari fortaſſe poteſt, ut indocti etiam uulgi animi ad moderationem aliquam, philoſophicorum ſcriptorum lectione, deducantur. Sed uerendum eſt, ne iſta res occaſionē aliquando præbitura ſit, linguæ & Latinæ & Græcæ negligendæ: quarū contemptū certiſſima barbaries, & grauiſsima comitatur. Eadem de cauſa non deſunt, qui etiā conuerſiones è Græco ſermone in Latinum minus probent. Sed ut ad Ciceronem redeam, quod ad doctrinam de moribus attinet, nihil ferè eſſet quod magnopere deſideraremus, niſi ſcripta quædam eius in hoc genere, quæ ſuprà expoſita ſunt, ſiue temporum iniuria, ſiue hominū incuria intercidiſſent. Etiā eloquentiæ præcepta ſatis multa ab eo relicta ſunt: in diſſerendi autem artificio nihil præter Topica, eaq; iuſto breuiora, habemus. De naturæ porrò obſcuritate, nihil ex profeſſo ferè tractauit, quod ad noſtram ætatem peruenerit. Quantulum enim eſt fragmentum de Vniuerſitate? Niſi fortè quiſpiam libros de Natura deorum, & de Fato & Diuinatione, & Quæſtiones Academicas,*

Propoſitum Ciceronis.

Vernaculæ linguæ uſus in artibus, & periculum.

In ſcriptis Ciceronis quæ deſiderentur.

ad Phyſiologiam referre uelit. Paſſim quidem artis diſſerendi exempla, & loci quidam de naturæ doctrina inſcriptis eius occurrunt: quam fortaſſis integram & explicatam haberemus, niſi M. Antonij crudelitas doctiſſimi & eloquentiſſimi ſenis præclaros conatus abrupiſſet.

Doctrinam de moribus, tradendā eſſe adoleſcentiæ.

Aetati tuæ aptiſsimum.) *Ariſtoteles* I. *Ethicorum ad Nicomachum, uidetur adoleſcentes, cùm ob rerum imperitiam, tum propter cupiditatum ardorem præcepta diſciplinæ huius aſpernantem, à doctrina morum excludere propemodum, his uerbis:* τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος. ἄπειρος γὰρ τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων. ἔτι δὲ τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς ὢν ματαίως ἀκούσεται, καὶ ἀνωφελῶς, ἐπειδὴ τὸ τέλος ἐστὶν οὐ γνῶσις, ἀλλὰ πρᾶξις. διαφέρει δ' οὐδὲν, νέος τὴν ἡλικίαν, ἢ τὸ ἦθος νεαρός. οὐ γὰρ παρὰ τὸν χρόνον ἡ ἔλλειψις, ἀλλὰ τὸ κατὰ πάθος ζῆν, καὶ διώκειν ἕκαστα. *Sed ut demus, in adoleſcētia hæc præcepta non ſatis ad uitæ uſum accōmodari poſſe (quanquā ſuo loco diuerſum oſtēdemus) tamen multa proponēda ſunt adoleſcētiæ, quæ adulta demū ætate maximè illis profutura ſunt: ut præclarè dixit Aeſchines, cuius aſſcribere uerba nō pigebit:* διὰ τοῦτ', *inquit,* οἶμαι ἡμᾶς παῖδας ὄντας τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν ἵν' ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρώμεθα. *Cū enim actionē cognitio neceſſariò antecedat (ut quæ illius dux & gubernatrix ſit) adoleſcentiæ omne tēpus rectiſſimè cognitioni impenditur, ut matura ætate inſtructiores ad agendum accedamus. Aptum igitur hoc munus Ciceronis fuit, ut & illud Iſocratis ad Demonicū & Nicoclem, cuius uerba Cicero uel imitatus uel interpretatus eſſe uidetur, quæ ſic habent:* ἡγησάμην οὖν ταύτην καλλίστην γενέσθαι δωρεὰν, καὶ χρησιμωτάτην, καὶ μάλιστα πρέπουσαν ἐμοί τε δοῦναι, καὶ σοὶ λαβεῖν. *Offert ſe hic locus dicendi de fructu ſtudiorū, comparato ſcilicet bonorū autorū aſſidua lectione uero & ſenili (ut ita dicā) iudicio. Cōferri poſſet doctus adoleſcens cum ſene deliro & illiterato. Nec alienum fuerit, de ineuntis ætatis felicitate dicere, omnib. propè rebus diſcendis aptæ, cū contrà* νεκρὸν ἰατρεύειν καὶ γέροντα νουθετεῖν ταυτόν. *Sed ne in proœmijs eſſundamus omnia, & iuſto longius immoremur: hæc & id genus alia in cōmodius tempus ſunt reſeruāda. Interim hoc ſaltem Ciceroni credamus, liberalem doctrinam, eam præſertim quæ mores format, eſſe adoleſcentiæ aptiſſimam.*

Autoritati meæ.) *Libro decimo quinto ad Atticū: Nos hic, inquit,* φιλοσοφοῦμεν. *Quid enim aliud? &* περὶ τοῦ καθήκοντος *magnificè explicamus,* προσφωνοῦμενque *Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio?*

Grauiſsimum.) *Quidā codices omiſſo hoc adiectiuo* ἀπὸ κοινοῦ, τὸ *Aptiſſimum etiā ad Ciceronē patrem referūt: quòd aliquanto inſolentior ſit locutio, Hoc eſt mihi graue, pro, grauitatem meam declarat. Sed & hoc tolerari fortaſſe poteſt, ac multum ad attentionem facit, cum doctrinam de Officijs grauiſſimam, hoc eſt* σεμνοτάτην *appellat..*

C I C E R O.

Nam cū multa ſint in philoſophia & grauia & utilia, ac-

curatè

curatè copioſeq; à philoſophis diſputata: latiſsimè patêre uidētur ea, quę de Officijs tradita ab illis & pręcepta ſunt.

Nam cum multa ſint in philoſophia.) *Non dicit philoſophica omnia (etſi quæ huiuſmodi nō ſunt, Sophiſtica potius, aut Poetica, quàm philoſophica cenſeri debent: ut olim in orationem τῶν σοφιστῶν Iſocratis annotaui) eſſe grauia & utilia, ſed multa: ut intelligatur, etiam lolium ſegeti alicubi eſſe admiſtum: & quiſq; meminerit, philoſophorum quoq; ſcripta cum iudicio legenda eſſe. In quo ſuam operam Cicero commendat. Quod enim Plato de magnis uiris dixit, non tantum ad politicos & imperatores, ſed etiam ad philoſophos pertinere poteſt:* αἱ μεγάλαι φύσεις *(inquit)* μεγάλας ἐκφέρουσι καὶ τὰς κακίας: *Id eſt, in magnis ingenijs magna etiam uitia exiſtunt. Sunt multa paſſim in ſcriptis philoſophorū, quæ non tam à uero iudicio, quàm à curioſitate, ambitione, æmulatione profecta eſſe uideantur. Fuerunt etiam qui philoſophorū nomen ſibi arrogarent, cum nihil minus eſſent, & ſenſu propè communi carerent. Neq; enim barba, & pallium, & ſupercilium, & auſcultatio, & ſcriptio librorum, philoſophum facit: ſed ingenij præſtantia, & ardens uirtutis ac ſapientiæ ſtudium. quæ dotes perpaucis contingunt: in longè autem pluribus uanitatem, auariciam, ambitionem inuenias. Quare iudicio uehementer eſt opus, ut è ſpinis roſæ non compunctis digitis ſeligantur.*

Non omnia eſſe philoſophica, quæ philoſophiæ titulo uenditentur.

Et grauia.) *Non difficultatem hic intelligo, ſed autoritatem & pondus. Quanquam uerum eſt, in ijs inueniendis, & ordine tradendis, ac confirmandis, multum fuiſſe difficultatis. Grauia autem ſunt, quia à recta ratione proficiſcuntur: quæ una dux & imperatrix eſt, cui neceſſariò obtemperatur. Qui autem eius imperium aſpernantur, non minus læſæ maieſtatis rei ſunt, quàm ij qui uiolant magiſtratus.*

Rationis autoritas.

Et utilia.) *Non utiq; ad parandas opes, honores, gloriolam: (nam harum rerum cupiditatē Philoſophia minuere ſtudet) ſed ad* εὐθυμίαν: *id eſt, ad tranquillitatem & moderationem animorum, ad acuendum de rebus omnibus iudicium, ad uitā ſapienter & honeſtè inſtituendā. Id enim eſt bene beateq; uiuere. Quæ res ut per ſe maximæ ſunt, & præſtantiſſimæ: ſic externū fortunæ ſplendorem plerunq; magis admirantur.*

Vtilitas philoſophiæ.

Accuratè.) ἀκριβῶς, *id eſt certa methodo: ut ea omnia complecterentur, quæ ad rem pertinerēt. Homines indocti atq;* ἀμέθοδοι, *tametſi multa præclara interdum dicant: tamen nec unde ordiendum, nec ubi reſiſtendum ſit, norunt: ſed temerè uagantur, multa ſuperuacanea admiſcent, multa etiam neceſſaria prætermittunt, quòd neglectis artis diſſerendi præceptis, nullis ſe circundant in dicendo quaſi limitibus & terminis, quibus coherceantur.*

Methodi utilitas.

Copioſeq;.) *Adhibito etiam ſplendore orationis, ut ea doctrina maiore cum uoluptate cognoſceretur. Eſt autem eloquentia quoddam doctrinæ quaſi condimentum. Videtur autem ad copiam Platonis reſpexiſſe, cuius in dicendo ubertatem paſſim & admiratur & prædicat.*

Eloquentia doctrinæ condimentum.

> Diſputatio- num finis, actio uirtutis.

Diſputata.)*non μεθόδῳ ὑφηγητικῇ, hoc eſt ſimplici expoſitione præceptorum: ſed ἀποδεικτικῇ, ut cauſas præceptorum afferrent, ueritatem ſententiæ ſuæ confirmarent, & quæ contrà afferrentur refutarent. hoc enim diſputare eſt, ex conflictione rationum inter ſeſe, repudiatis falſis, quid uerum ſit ſtatuere: & quæ uera cognoris, ijs aſſentiri: & quæ aſſenſione comprobaris, tenere, & agendo perſequi. Hæc enim niſi fiant, inanis fuerit omnis diſputatio, & ſuperuacanea.*

> Officium boni uiri latè patens.

Latiſsimè patêre.)*maximum in uita ciuili uſum habere. Pertinet enim ad boni uiri officium, quod nullis locis aut temporibus excluditur, adeò ut in ſomno etiam philoſophi locum id habere uelint, ut teſtatur hoc dictum Ariſtotelis: τῶν σπουδαίων σπουδαῖα καὶ τὰ ἐνύπνια. Et Plutarchus, è ſomnijs coniecturam capi iubet, quantum in uirtutis ſtudio profeceris.*

> Δοκεῖν, φαίνεσθαι, uideri.

Videntur.) *τὸ δοκεῖν καὶ φαίνεσθαι, καὶ οἴεσθαι, καὶ ὑπολαμβάνειν, καὶ κινδυνεύειν, & ſi qua ſunt id genus alia, Græcis ſcriptoribus uſitatiſsima eſſe, & modeſtiæ ſignificationem habere, & affirmandi periculoſam temeritatem declinare, alibi diximus. Conueniunt autem maximè ſectæ Academicæ, quæ probabilia ſe conſectari profitetur: etſi & ab Ariſtotele & Platone, atq; adeò ut quiſq; prudentiſsimus ſcriptor eſt, ita ab eo maximè uſurpantur. Quàm multi enim ſunt, quos approbaſſe aut improbaſſe quippiam pœnituerit? Nonnulli etiam ultrò, plures coacti, palinodiam cecinerunt.*

> Inſcriptio. De officio, uel officijs.

De officijs.)*Panætius & Poſidonius ſuos libros ſingulari numero περὶ τοῦ καθήκοντος, non plurali περὶ τῶν καθηκόντων inſcripſerunt. Huius autem ſuæ inſcriptionis Cicero libro ad Atticū 16, rationem his uerbis reddit: Quid? de inſcriptione quæris? Non dubito, quin τὸ καθῆκον officium ſit, niſi quid tu aliud. Sed inſcriptio plenior, De Officijs. προσφωνῶ autē Ciceroni filio. Item alia epiſtola. Τὸ καθῆκον quid dubitas, quin etiam in Rempublicam præclarè caderet? Non'ne dicimus, Conſulis officium? Senatus officium? Imperatoris officium? Præclarè conuenit: aut da melius. Sed ſic locus ad uerbi uim declarandam potius pertinet, quàm ad inſcriptionis mutationem, haud tamen ab inſtituto noſtro alienus.*

> Synonymiæ Ciceronis.

Tradita & præcepta.)*Delectatus eſt Cicero copioſo genere, & adipali (ut ipſe quodā loco, per iocū opinor, appellat) orationis. Itaq; (ut ſuprà dictū) ſynonymiæ apud illū plurimæ occurrūt: eandēq; rem, quoties datur, binis uocabulis idem notantibus explicat: quorū tamē poſterius plerunq; ſit paulo grauius & ſignificantius. Quod ſi contrà fieret, eſſet ridiculum, præterquam in exteuuaudo. Tradita ergo, expoſita: præcepta, cum autoritate, & parendi quadam neceſſitate in medium allata. Verè enim & utiliter docenti (ut antè diximus) eſt obtemperandum, propter autoritatem rationis: cui qui paret, Deo paret.*

> Rationis autoritas.

CICERO.

Nulla enim uitæ pars neq; publicis neq; priuatis, neq; forenſi-

forenſibus neque domeſticis in rebus: neq; ſi tecum agas quid, neq; ſi cum altero contrahas, uacare officio poteſt. † in eoq; colendo ſita uitæ eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo.

V. L. In eoq; excolendo.

Nulla enim uitæ pars.) *In genere propoſuit, latiſſimè patêre hanc doctrinam. Nunc idem prolixa enumeratione declarat, non Dialectica methodo, ſed Oratoria conſuetudine, quæ minus accurata eſt: etſi ratione non omnino caret. Solent enim ferè, & eleganter quidem, nec ſine prouerbij ſpecie, contraria membra in rebus enumerandis iungi: ut hoc loco, & alibi, magna parua, iuuenes ſenes: & Græcè, ῥητὰ καὶ ἄῤῥητα, δίκαια καὶ ἄδικα: quæ membra ferè ſingula rem totam comprehendunt. Quòd unũ in diuidendo enumerandisq; rebus ſpectatur. Si tamen accuratius agas, uitam partieris in publicam & priuatam. Publica diſtribuetur in Senatum, conciones, iudicia, rem militarem: aut (ſi breuitas magis placet) in pacem & bellum. Priuata, in domeſticam, contractus, & ſolitudinem. Neq; uerò à priuata uita, publica ſeiungi poteſt: non magis quàm hæc ab illa. Sic tamen diſtinguuntur, quòd altera publicam, altera ſuam rem curat in primis: tametſi etiam concionibus, iudicijs, militiæ interſit. Sed hic ordo de induſtria turbatur, ob maiorem Oratoriæ dictionis libertatem. Nam in re indaganda, explicanda, & iudicanda, methodus accuratè obſeruanda eſt. In eloquendo autem ſæpè ineptum ac puerile fuerit, anguſtos illos artis Dialecticæ limites ſuperſtitioſè obſeruare, & artium uocabula inculcare: niſi fortè præceptori diſcipulus ea ratione ſuam diligentiam demonſtret. Quod equidem laudo.*

Oratoria dictio dialecticorum anguſtias auerſatur.

Methodus accurata, elocutio libera.

Neq; publicis.) *Publica, quae ad ſtatum totius ciuitatis pertinent: Priuata uerò, quæ ad ſingulos. licet ad plures extendãtur, cuiuſmodi ſunt nuptiæ, commercia, &c. Fiunt aliquando priuata hæc, etiam publica: ut cum Romæ certatum eſt, Vtrum liceret plebeijs nubere patricias: item, Sit' ne concedẽdum alicui monopolium?*

Publica, Priuata.

Neq; forenſibus.) *Forum apud Romanos non tantum rerum uenalium, ſed iudiciorum etiam fuiſſe, ſatis conſtat. Eſt igitur Græcè & ἀγορὰ & δικαστήριον: hinc forenſis, δικανικὸς ſiue δικαστικὸς, & ἀγοραῖος. Solet & hic Cicero bina uocabula coniungere: ut, Iudicialis & forenſis oratio: item, Forenſe et concertatorium, & iudiciale dicendi genus nõ tractauit Thucydides: Item, ſe regnum forenſe amiſiſſe quodam loco queritur. Sunt autem qui forenſe & domeſticum, ut Græci τὰ ἔξω καὶ τὰ κατ' οἶκον, inter ſe opponant: cuius rei citatur exemplum è Liuio, cum forenſem populum appellat, quos Græci τοὺς ἀγοραίους dicunt. Sed expoſitio hæc mihi incerta & dubia uidetur.*

Forenſia.

Domeſticis.) *τὰ οἰκονομικὰ intelligo, quæ ad priuatam cuiuſque familiam pertinent.*

Domeſtica.

Tecum agas quid.) *καθ' ἑαυτόν: id eſt, ſi ſolus ſis, omnibus arbitris remotis.*

Secum quid agere.

moris. Mirum autem uideri queat, quid homo ipſe ſecum agere poſſit, cum actiones ſocium plerunq; requirant. Intelligēdæ autem uidentur cogitationes, conſilia, & ea quæ corporis neceſſitas poſtulat. Huc referatur locus Iſocratis è Nicocle: ῥητορικοὺς μὲν καλοῦμεν, τοὺς ἐν τῷ πλήθει λέγειν δυναμένους· εὐβούλους δὲ νομίζομεν, οἵτινες ἂν αὐτοὶ πρὸς ἑαυτοὺς ἄριστα περὶ τῶν πραγμάτων διαλεχθῶσι. *Eódem pertinet Scipionis dictum, quod tertio huius Operis libro recitatur: Se nunquam minùs eſſe ocioſum, quàm cùm ocioſus: neque minus ſolum, quàm cum ſolus eſſet. Continetur hic uerecundiæ præceptum, in quam ſententiam Auſonius præcipit:*

Verecundiæ præceptum.

Turpe quid acturus, te ſine teſte time.

Et Philolaus.) πάντων δὲ μάλις' αἰσχύνεο σαυτόν.
Theologi uerò, Deum & angelos teſtes in ſumma etiā ſolitudine reuerendos eſſe, piè uereq́; monent: idq́; non in actionibus tantum, ſed etiam in cogitationibus, quas Deus καρδιογνώστης ὢν *æquè perſpicit.*

Quid officium.

In eoq́ colendo.) *Officij definitio quædam, ſiue deſcriptio* κατ' ἔπαινον. *Quid eſt officium? Id, in quo colendo ſita uitæ eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo.*

Culturæ officij fructus.

Colendo.) *Metaphora, ſumpta à re ruſtica. Ager probè cultus, fert fruges: neglectus, ſentibus & tribulis obducitur. Sic officij cultura, bonam conſcientiam, laudem, gloriam, aliaq́; præmia gignit: contrà neglectus officij, animi cruciatum, probrum, dedecus, pœnas. Quæ cum ita ſint, ſatis apparet, quāti hæc doctrina facienda ſit: nec eā cognoſcendā tantùm, ſed etiam ad rem & actionem conferendā. Prolixa, quæ anteceſſit, enumeratio, pertinet ad locum ſiue prædicamentum Quantitatis. Poſtremum hoc membrum ſumitur ab effectu. Extat in Familiarium, quas uocant, libro quinto, epiſtola octaua, enumeratio, quæ non inutiliter cum hac conferetur. ea eſt huiuſmodi: Quamobrem uelim ita & ipſe ad me ſcribas, de omnibus minimis, maximis, mediocribusq́; rebus, ut ad hominem amiciſſimum: & tuis præcipias, ut opera, conſilio, autoritate, gratia mea ſic utantur, in omnibus publicis priuatis, forenſibus domeſticis, tuis amicorum, hoſpitum clientum tuorum negocijs: ut quoad eius fieri poſſit, præſentiæ tuæ deſiderium meo labore minuatur.*

CICERO.

Atq; hæc quidem quæſtio communis eſt omnium philoſophorum. Quis eſt enim, † qui nullis officij præceptis tradendis philoſophum ſe audeat dicere?

V. L. qui in nullis officij præceptis tractatis.

Doctrinę de moribus in philoſophia principatus.

Atq; hæc quidem.) *Alia cōmendatio, à proprio philoſophi: quæ quodā modo definitionē cōtinet. Quis eſt (inquit) philoſophus? Qui præcepta de Officijs tradit. Imperfecta illa quidē, (nā in philoſopho etiā* τὸ λογικὸν καὶ τὸ φυσικὸν *ineſſe debet:) ſed ad inſtitutū accommodata, & oratoria: utilitati magis ſeruiens,*

ſeruiens, quàm exquiſitæ rationis obſeruans. Ac poſt Socratem doctrina morum in primis frequentata eſt, cum ante illum οἱ ἠθικοὶ καὶ φυσικοὶ λόγοι magis celebrarentur. Vnde philoſophiam è cœlo in terras deuocaſſe ſcribitur.

Bonos mores docendos eſſe philoſophi conſentiunt.

Omnium philoſophorum.) *Quemcunq; illi autorẽ ſequãtur, ſiue Zenonem, ſiue Epicurũ, ſiue Ariſtotelẽ, &c. Et quamuis in alijs rebus diſſentiant, in hoc tamen cõſentiũt, Bonos mores eſſe docendos à philoſopho. Empedocles Agrigẽtinus, qui Phyſicus appellabatur, naturã rerũ tantùm tractabat, ac de ratione elementorũ diſſerebat: Philonicus, cognomẽto Dialecticus, quid uerũ, quid falſum, quid cõſentaneũ, quid repugnans eſſet in oratione, potiſſimùm exquirebat. Hos igitur & ſimiles hac ſua definitione Cicero è numero Philoſophorũ excludit, quemadmodũ Demetriũ Phalereum è numero Oratorũ: quòd nec hi omnes eloquentiæ, nec illi philoſophiæ omnes partes complecteretur: ac præcipuam quidem negligerent, in minus uerò neceſſarijs atq; utilibus elaborarent. Nos igitur neglecto quorundam ſiue faſtidio, ſiue ſapientiæ faſtigio, doctrinam hanc ut per ſe notam omnibus, & in promptu poſitam contemnentium: præcepta de moribus, Platonis, Ariſtotelis, Zenonis, Ciceronis, et ſui ſeculi atq; omnium penè philoſophorum, qui magnis uoluminibus hanc philoſophiæ partem perſecuti ſunt, autoritatem ſecuti, magnifaciamus, diligenter expendamus, meditemur, exequamur. Neq; uerò politicos homines improbo, qui hiſtorias admirãtur, & ueterũ exemplis prudentiores fieri ſtudẽt. Sed quia ibi τὰ γινόμενα, hoc eſt ea quæ fieri ſolẽt (pleraq; aũt perperã gerũtur) hîc τὰ δέοντα traduntur, hoc eſt ea quæ officij ſunt, quæ fieri debent, quæ cordatis omnibus, quæ ipſi Deo probantur: quis non hoc ſcriptorum genus illi anteponat, ac non potius utrunq; coniungat? Nam qui hæc uel pueris obuia eſſe dicunt, audiant Iſocratem noſtrũ ſic reſpondentem: οὐκ ἐν τοῖς λόγοις χρὴ, τοῖς περὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων, ζητεῖν τὰς καινότητας, ἐν οἷς οὔτε παράδοξον, οὔτε ἄπιστον, οὔτε ἔξω τῶν νομιζομένων οὐδὲν ἔξεστιν εὑρεῖν· ἀλλ᾽ ἡγεῖσθαι τοῦτον εἶναι χαριέστατον, ὃς ἂν τῶν διεσπαρμένων ἐν ταῖς τῶν ἄλλων διανοίαις ἀθροῖσαι τὰ πλεῖστα δυνηθῇ, καὶ φράσαι κάλλιστα περὶ αὐτῶν. In his, inquit, orationibus, quæ ad præceptiones de Officijs pertinent, non requirenda eſt nouitas. Nec enim in his admirabile, nec incredibile, nec inuſitatum quicquam reperitur. Is uerò doctiſſimus erit habendus, qui quàm plurima, in aliorum animis diſperſa, colligere, & elegantiſſimis uerbis potuerit explicare. Hactenus Iſocrates: qui eã hîc eruditioni laudem tribuit, ut & in oratione contra Sophiſtas, ut ea reddi ſtudioſos & copioſiores, & paratiores, & diſertiores affirmet. Quod qui negant: aut frontem perfricuiſſe mihi, aut cæca ſui ipſorum admiratione inflati eſſe uidentur. Quis enim eſt tanto ingenio, tanto uſu rerũ, tanta induſtria, ut ea ſolus, & ſuo (quod aiunt) Marte cõprehenderit, in quib. uiri ſapientiſſimi & diligentiſſimi ex Naturæ penetralibus eruẽdis, colligẽdis, repurgãdis, digerẽdis & exornandis, tot ſecula conſumpſerũt? Sed hæc opinio perpaucorũ eſt: et uel unius Ciceronis ſcriptorũ lectione ipſa ſeſe refellit, niſi fallor. Multa enim ibi deprehẽdit ſibi noua, & nõ modò nõ audita & cognita, ſed ne cogitata quidẽ, aut uiſa*

Doctrinam de moribus non eſſe ſuperuacaneã.

Philoſophiã hiſtoria potiorem, ac potius alteram cum altera coniungendam eſſe.

Doctrinæ laudes atq; cõmoditas.

Quæſtionis huius explicationẽ, Si neaſiquis do ctrinæ morũ uſus, &, an inter improbos eſſe bonum expediat: uide libro huius operis tertio.

aut uiſa in ſomnis. Illis autem difficilius (his præſertim moribus) reſpondetur, qui negant ullum in uita horum præceptorum eſſe uſum: imò aut contraria omnia eſſe facienda, aut omnes accipiendas & muſſitandas iniurias. Eſſe autem inſignis ſtulticiæ, inter omnes inſanos ſolum uelle ſapere, quo citius ijs aduerſando lacereris ac nõ potius ſui ſeculi & loci ſe tenere moribus, & (ut ait Ariſtophanes) εἶναι πανοῦργον, ἄδικον, ὑγιὲς μηδὲ ἕν, καὶ ἀσκεῖν τὸν ἐπιχώριον τρόπον: *eſſe callidum, mendacem, iniurium, nihil ſani agere. Ditari enim & florêre ſacrilegos, oratores, ſycophantas, improbos: bonos autem uiros ac religioſos, & egêre, & malè tractari. Quorum æmulari miſerias eo ſit inſanius, quòd honeſtas & turpitudo ſint inania uocabula, non ipſius Dei & naturæ fixa radicibus, ſed alijs atq; alijs & locorũ & temporũ iactata opinionibus & populorũ inſtitutis. Hæc dici ab ijs etiam ſolent interdũ, qui alijs autoritate antecellunt: pleroſq; autem ita ſentire quibus ſapientia eſt, acquirendæ pecuniæ intelligentia, non eſt obſcurum. Etſi autem hic locus quæſtionum harum explicationem poſtulat, ut omnis initiò ſtatim ſcrupulus tollatur: tamen, quia paucis hoc fieri nequit, & iam antè in procemijs prolixiores fortè quàm decuit fuimus: cauendæ ſatietatis ergò, in aliud tempus eas differemus: & utrunq; pro uirili demonſtrabimus, ſi Lector contigerit ueritatis quàm cõtentionis cupidior: & natura eſſe aliquid honeſtum & turpe, & uel inter improbos etiam bonum uirum incolumem eſſe poſſe: uel interire ab improbis præſtare, quàm eorum intemperias imitari.*

1. Honeſtũ eſſe natura.
2. Inter improbos eſſe incolumem.
3. Imitari improbos.
4. Interire ab improbis.

Expoſitio.
Argumentatio.

Quis eſt enim.) *Interrogatio loco rationis, quæ innuit* αὐτόπιστον εἶναι *hanc propoſitionem. Ea enim quæ traduntur, uel fidem faciunt perſpicuitate ſua,* καὶ ἁπλῆ ἐκθέσει, *ut hic: uel ſunt* λόγου δεόμενα, καὶ ἀποδείξεως, *ut loquitur Ariſtoteles. Sunt igitur & incerta confirmanda, & perſpicua breuiter exponenda.*

Nemo philoſophus, niſi officia doceat.

Officij præceptis.) περὶ τοῦ καθήκοντος μηδὲν ὑποτιθέμενος.

Se audeat dicere.) *Scilicet hac ætate, qua doctrina morum, ut debet, cæteris philoſophiæ partibus præfertur. Sumpta eſt hæc commendatio à collatione, ſi quis acutius introſpiciat. Eſt enim hæc ſententia: Philoſophus nomen ſuum ſine Dialectica & Phyſica doctrina tueri poteſt: ſine doctrina morum tueri non poteſt. Etiam ad effectum referri queat. Doctrina morum efficit philoſophum. Quòd ſi is qui docet alios: quanto magis is qui ipſe facit quæ recta ſunt, philoſophus eſt perhibendus? Quod nomen quamuis hac tempeſtate contemptiſſimum ac penè ridiculum effectum ſit, partim uitio eorum qui id impudenter ſibi arrogant: partim imperitia hominum, non res, ſed perſonas conſiderantium: tamen uti per ſeſe eſt, ita olim honeſtiſſimum eſt habitum.*

Philoſophi nomen honeſtum: uerùm ſapientiæ ſtudium longè honeſtius.

CICERO.

Sed ſunt nonnullæ diſciplinæ, quæ † propoſitis bonorum & malorum finibus, officium omne peruertant.

† *V. L. præpoſteris bonorum.*

Sed

Sed ſunt nonnullæ.) *Poſſunt quidẽ hæc ad beneuolentiæ locũ referri, quæ non tantum perſonarum & rerum commendatione paratur, ſed aduerſarijs etiam traducendis: (aduerſarius autem habetur, qui à nobis diſſentit) ſed tamen propriè ad docilitatem pertinent. Antea, qua de re ſcripturus eſſet, expoſuit: nunc, quemadmodum ſit facturus id, & quos autores ſecuturus, denunciat: quam tertiam Præfationis huius partem eſſe diximus.* Aduerſarius.

Sed ſunt nonnullæ diſciplinæ.) *Hæc πάθος quoddã continent, quaſi dicat: Dolendum eſt, tam præclaram & ſalutarem doctrinam, tam ſtultis ineptorum'que & uanorum hominum commentis contaminari. Quæ ſi unquam, hac noſtra calamitate locum habet querimonia. Locus hic poſtularet, dici aliquid de quatuor præcipuis philoſophorum ſectis, Academica, Peripatetica, Stoica, & Epicurea. Sed & Diogenes Laertius, & Plutarchus de placitis philoſophorum, ſunt in manibus: & hæc ex eo libello, quem ſuprà dixi, etiam à pueris peti poſſunt.* Querela de peruerſitate doctorũ. Sectæ quatuor philoſophorum præcipuæ.

Nonnullæ diſciplinæ.) *Hæ Græcè αἱρέσεις dicuntur. Poſſunt etiam φιλοσοφίαι καὶ παιδεῖαι appellari. Perſtringũtur autem hic primùm Epicurei, & Cyrenaici, qui uoluptatem admirati, diſcrimine honeſtorum & turpium naturali ſublato, ad ſemetipſos omnia retulerũt. deinde Academici σκεπτικοὶ ſiue ἐφεκτικοί, τῆς ἀδιαφορίας autores, qui ſemper amplius deliberabant, nihil affirmantes, niſi nihil inter res intereſſe, nec uitam morte, nec diuitias paupertate eſſe potiores: deniq; unius ſcientiæ immodici & importuni admiratores.* Epicurei. Cyrenaici. Sceptici. Herylli.

Propoſitis finibus.) *Id eſt: cum diſputant qua in re poſita ſit felicitas humana, & ſummum bonum hominis, in quo adipiſcendo in primis ſit elaborandum. Exempli gratia. ſtatuatur ſummũ bonum eſſe ſcientia: conſequitur, ſummo ſtudio cognitioni rerum eſſe incumbendum: & hoc unum eſſe ἔργον hominis, cætera uerò omnia πάρεργα. Idem erit de Virtute, de uoluptate, de ſanitate, de pecunia, de honore & gloria, de amicitia, & ſi qua ſunt alia id genus, iudicium. Extra controuerſiam eſt, ſummũ bonum eſſe felicitatem: hoc eſt, ut homo ſit ab omni parte beatus, ut omnia bona habeat, & malis omnibus careat. Sed hoc à philoſophis quæritur, nunquid felicitas ſtudio uirtutis, ſcientiæ, uoluptatis, aliarumúe rerum comparetur? Ac illi quidem, quantum humana ratione perſpicere potuerunt, tantum explicarunt: & ea potiſſimum ſpectarunt, quæ in hac caduca & miſera uita homo ſuapte induſtria parare poßit, neq; ſuas res ad Deum & æternitatem, deſperatione quadam diuinæ liberalitatis, & humanæ uanitatis cogitatione deterriti, magnopere retulerũt: nec niſi dubitanter & timidè admodum, neq; conſtanter id fecerunt. Quod Cicero de ſe fatetur. ſpem omnem ſibi immortalitatis excidere, poſito de manibus Platonis libro, in quo illa aſſeratur. Noſtra autem nos religio docet, Nihil eſſe in terra ueræ & ſolidæ felicitatis, ſed eam omnem in Deo ſummo & unico bono collocatam, contingere διὰ θεογνωσίας καὶ θεοσεβείας, id eſt uera Dei cognitione & cultu: quibus nihil homini melius, nihil utilius, nihil optabilius illius munere dari poteſt, à quo uno bona omnia proficiſcuntur.* Finis, ad quẽ omnia conſilia, dicta & facta omnia ſunt referenda. Beatitudo finis certus: ſed uia ad eũ finem ducẽs, cõtrouerſa. Chriſtiana felicitas.

f Itaq;

Itaq; nō magnificè magis quàm uerè prædicatur ab Hermete Triſmegiſto pietas & ſanctitas, his uerbis, quæ à Lactantio citantur: μία φυλακὴ εὐσέβεια. εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς, οὔθ' εἱμαρμένη κρατεῖ. θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. τὸ γὰρ ἓν καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἐστὶν ἀγαθὸν εὐσέβεια. Vnum, inquit, præſidium, una defenſio eſt pietas. Homini enim pio neq; malus genius, neq; Fatum dominatur. nam Deus eum ex omnibus malis eripit. Vnum enim & ſolum in rebus humanis bonum eſt pietas. Quibus de rebus nunc non eſt dicendi locus. Attingendæ tamen fuerūt, ut non ignoraretur, præcepta hæc non tam ad ueram felicitatem, quàm ad ciuilis uitæ conſuetudinem pertinere. Ex quo illud etiam conſequitur: non eſſe in his præceptis ſolis acquieſcendum, ſed Chriſtianæ religionis doctrinam longè antiquiorem habendam: & quicquid hic præcipitur, ad præſcriptum illius exigendū: eaq; duce & autore uel admittendū, uel improbandum. Huius admonitionis adoleſcentes perpetuò meminiſſe uelim.

Philoſophia non beatam, ſed ciuilē uitam tradit.

Theologia philoſophiæ iudex.

Peruertere officium.

Officium omne peruertant.) *tollendis ſcilicet honeſtatis & officij fontibus: id eſt, ab honeſtate ad turpitudinem traducant: aut certè rem ita inuoluant, ut lector incertior abeat quàm acceſſerat. Falſo enim fine poſito, nō magis ueritatem attinges, quàm ad locum deſtinatum diuerſa uia progrediendo peruenies. Vnde præclarè Ariſtoteles, τὸ ἅπαξ, inquit, παραβῆναι τῆς ἀληθείας, γίνεται πόῤῥω μυριοπλάσιον: hoc eſt, Si à ueritate ſemel receſſeris, in errores deinceps incides infinitos.*

CICERO.

Nam qui ſummū bonū ſic inſtituit, ut nihil habeat cum uirtute coniunctū: idq; ſuis cōmodis, nō honeſtate metitur: hic (ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum Naturæ bonitate † uincatur) neq; amicitiā colere poſsit, nec iuſticiam, nec liberalitatem.

V. L. Vincatur) ſit ut neq; amicitiam.

Epicurei uirtutem uoluptatis cauſa colunt.

Nam qui.) *Perſtringūtur οἱ φιλήδονοι καὶ ἀκολαστικοὶ, homines Epicurei, uoluptarij, gulæ & inguinis mancipia: καὶ οἱ φίλαυτοι, ſui tantùm amantes, omnis humanitatis ignari. Aetiologia aūt hæc ἁπλῇ ἐκθέσει cōſtat, quòd aut res ſit minimè dubia: aut dubia ſi ſit, non hoc loco diſceptanda.*

Sic inſtituit.) *Hoc eſt, qui apud animum ſuū talem opinionem ſibi fingit.*

Nihil cum uirtute coniunctum.) *Epicurus hoc negat. ait enim uirtutē colendā eſſe ut uoluptatis effectricē, & moleſtiarū depultricē: ut illud eius ſectæ dictū, quod apud Ciceronē extat, teſtatur: οὐκ ἔστιν ἡδέως, ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως, ζῆν. Et addit Caſſius: Difficile eſt hominib. perſuadere, τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν εἶν. ἡδονὴν uerò & ἀναλγησίαν uirtute, iuſticia τὸ καλὸν parari, & uerū & probabile eſt. Sic uirtus uoluptatis ancilla & miniſtra ſtatuitur: & ſi qua uirtus ſit, quæ aut grauiora (uulgi quidem opinione) mala nō uitet, aut maiores uoluptates non gignat, ea planè repudiatur.*

Suis commodis.) *Id eſt, qui ad ſe ipſum omnia refert, ſua cauſa facit quicquid facit.*

Non honeſtate.) *quæ etiā alijs cōſuli iubet: idq́; cū moleſtijs, laboribus, periculis, ſi ſit neceſſe. Eſt quidē omnibus inſita φιλαυτία, ut ſibi melius eſſe malint quàm alteri. Sed niſi hic ſui amor certa ratione gubern..r, conſociatio mortalium diſsipabitur, nec ipſa uita humana conſtare poterit: & publica utilitate ſublata, unà etiam priuata intercidet.*

Sui amor publica utilitate moderandus, & humanitate.

Si ſibi ipſe cōſentiat.) προκαταληπτικὴ παρένθεσις. *Nam cum doctrina Epicureorū à cæteris philoſophis omnibus nō tantùm reprehēderetur, ſed etiā derideretur: tamē, ea uitæ modeſtia & integritate pleriq; fuerūt, ut mores eorū cōmendarētur. Cæteri philoſophi cū philoſophicè de uirtute, de uanitate & deſpicientia rerū humanarū, de ſapientiæ præſtātia, de omni officio diſputarēt, pleriq; populariter uiuebāt. Cōtrà Epicurei, cū populariter loquerētur, uitā philoſophicā agebāt: ut Cicero multis locis teſtatur. Quare nōnulli putāt, Epicurū hoc ſuo dogmate, aliorū philoſophorū magniloquentiā inanem deriſiſſe: ſicut Eraſmus Theologaſtros noſtri ſeculi, qui cū multū de fide Theologica diſputēt, id cōſecuti ſint, ut ciuilis etiam fides è uita hominū penè ſublata eſſe uideatur.*

Vita Epicuri, doctrinæ contraria.

Si ſibi ipſe conſentiat.) *Hoc eſt, ſi ita uiuat quemadmodū docet: ſi à dogmate ſuo nō deficiat. In primis curandū eſt, ut dogmata firma & certa ſint: deinde cauendū, ne quid cum illis pugnās uel dicatur, uel admittatur. Hoc illud eſt, quod Ariſtoteles dicit,* τὴν θέσιν διαφυλάττειν, καὶ ὁμολογουμένως ταῖς ὑποτεθείσαις ἀρχαῖς εἰπεῖν. *Dialectici quidem obligationē uocant: quæ quidē obligatio longè arctior atq; aſtrictior eſt in eo, ut ne uita cum oratione pugnet, quàm ut uerba inter ſeſe cōſentiāt. Sophiſticū enim eſt, non philoſophicū,* τὰς ἐναντιώσεις ὑπὲρ μὲν τῶν λογιδίων τηρεῖν, ὑπὲρ δὲ τῶν ἔργων μὴ καθορᾶν: *ut ait Iſocr.*

Dogmatis uerum, conſtans, opere cernatur.

Interdum.) κατὰ μείωσιν, *per extenuationē. quaſi dicat, etſi aliquando rectè fecit Epicurus: tamen id neq; perpetuum fuit, neq; factum eſt* ἐκ προαιρέσεως, ἀλλὰ κατὰ τύχην: *non certo conſilio & ratione, ſed temerè ac fortitutò.*

Naturæ bonitate.) *Quæ etiam ſocietati humanæ conſulendum eſſe monet. Tangitur hic locus communis, Bona ingenia praua doctrina corrumpi: item, Naturam inſtitutione potentiorem eſſe.*

Natura. Doctrina.

Amicitiam colere.) *quæ ad iuſticiā referri poteſt. Primùm, quia uirtuti ſummū honorē tribuit. Sola enim uirtus ab humanitate, id eſt ab ipſa natura hominis orta, ueræ ac germanæ amicitiæ tū conciliatrix, tum gubernatrix & cōſeruatrix eſt. Deinde quia par pari reddit: et ut ametur, amat. Negat hoc crimē Epicurus, quòd ab amicitia uoluptas ſeparari nō poſsit, & uirtutes uoluptatibus ſemper inhæreant. Et primo de Finibus: Neq; uerò hæc (inquit Epicuri defenſor) oratione ſolùm, ſed multo magis uita & moribus comprobauit, amicitiam ſcilicet poſſe coli in hoc dogmate.*

Amicitia.

Nec iuſticiam.) *Non enim ſpectabit, quid ſuum, quid alienū ſit, ſed quid ſibi placeat atq; expediat: idq́; ad ſe (modò poſsit) rapiet.*

Nec liberalitatem.) *Si enim aliena rapiet, quanto minus ſua largietur?*

CICERO.

Fortis uerò, dolorem ſummum malum iudicans: aut temperans, uoluptatem ſummum bonum ſtatuens, eſſe certè nullo modo poteſt.

Articuli uis.

Iudicans, ſtatuens.) *ὁ κρίνων, ὁ εἰσηγούμενος. In Græco enim ſermone articuli additi, orationem magis perſpicuam reddunt. Aliàs participia hæc plerunq; περιφραστικῶς effert Cicero: Is qui iudicat, is qui ſtatuit.*

Dolor malum.

Summum malum.) *Eſt notanda ἔμφασις. Malum eſſe dolorem, exceptis Stoicis, omnes ferè confitentur: aut, ſi non confitentur, ita ſentiunt, ut diſſimulare non poſſint. Ringuntur enim, gemunt, ſuſpirant: etſi à querelis & clamoribus, exiſtimationis tuendæ cauſa, ſibi temperant. Sed ſummum malum eſſe negant, & in eius locum reponunt turpitudinem, quæ eſt defectio à præſcripto Dei & naturæ, & à conſcientiæ iudicio. Nam qui leges, qui infamiam, qui ſeruitutem & inopiam ut uitent, fortiter pugnant, & mortem oppetunt: eos Plato λέγει αὐδρείους metu fortes, quaſi frigore calidos dicas, facete appellat. ut Virgilius: Boreæ penetrabile frigus, adurens.*

Turpitudo ſummum malum.

Summum malum.) *Iudicabit utiq; id ſummo ſtudio fugiendũ: non oppetet mortem pro patria, non labores capiet Reipublicæ cauſa: non alia faciet, quæ aliquid laboris, moleſtiæ, periculi habebunt.*

Voluptas, bonum: uirtus, ſummum bonum.

Voluptatem ſummum bonum.) *Bonam eſſe uoluptatem cum honeſtate coniunctam, in confeſſo eſt. Omnes enim mortales, ipſa natura duce, & animo & corpori quàm optimè eſſe, id eſt (ut ego quidem exiſtimo) uoluptate perfrui cupiunt. Ac Iſocrates, cuius mihi pleræq; ſententiæ oraculi inſtar ſunt, uirtutem in primis commendat, ut ueræ, ſynceræ, conſtantis uoluptatis effectricem. Sed illi uirtutem anteponendam, ſi unà locum habere nequeant, pleriq; ſentiunt: ſcribũt certè quidem, & dicunt: etſi pauci ita uiuimus, ut nos ita ſentire arbitreris.*

CICERO.

Quæ quanquam ita ſunt in promptu, ut res diſputatione non egeat: ſunt tamen à nobis alio loco diſputata.

Diſputationes de finibus bonorũ.

Sunt in promptu.) *ἐναργῆ, πρόχειρα, αὐτόπιστα, καὶ λόγου μὴ δεόμενα: id eſt, euidẽtia, aperta, clara, perſpicua. ἀπόδειξις eſt. Nam cũ præcepta tradere inſtituerit: initiò ſtatim lectorẽ turbare intricatis diſputationibus, nõ conſultũ fuit. Qua de cauſa nos etiã illas in aliud tempus reſeruauimus. Si quis tamen eas quoq; requirat, libros de Finibus bonorũ & malorũ legendos eſſe innuit.*

Auditorum habenda ratio.

Sunt tamen.) *Cur uerò? Quia hominibus ſiue parum ingenioſis, ſiue pertinacioribus ſuus error oſtendendus, & eripiendus eſt, quem cordatiores & candidiores per ſeſe ſtatim & perſpiciunt & deſpiciũt. Ita fit, ut propter hæc diſcrimina ingeniorum, eadem diſputatio & ſuperuacanea ſit, & neceſſaria. Habenda igitur in omni oratione eſt eorum ratio, quibus cum agas. ut hic quoq;*

quoq; uulgatum illud locum habeat: ὅτι μέτρον δεῖ τοῦ λόγου οὐχ ὁ λέγων, ἀλλ' ὁ ἀκούων: id eſt, ut orationem quiſq; metiatur non ſuo commodo, ſed auditorum.

CICERO.

Hæ diſciplinæ igitur, ſi ſibi conſentaneæ eſſe uelint, de officio nihil queant dicere: neq; ulla officij præcepta firma, ſtabilia, coniuncta naturę tradi poſſunt, niſi aut ab his qui † ſolam uirtutem, aut ab his qui maximè honeſtatem propter ſe dicant expetendam.

† *V. L. ſolùm uirtutem.*

Hæ diſciplinæ igitur.) *Concluſio reprehenſionis Epicureorum & Cyrenaicorum, quæ huiuſmodi ſyllogiſmo penè ταυτολογικῷ (quantulum enim, ſi rem ipſam, non Stoicorum argutias ſpectes, inter uirtutes & officium intereſt?) comprehendi poteſt:*

Qui uirtutes tollit, officium tollit:

At uoluptatis admiratores tollunt uirtutes:

Ergo & officium tollunt. Diſcrimen uirtutis & officij an & cuiuſmodi ſit, alibi, nec ita multo pòſt, uidebimus.

Maior enumeratione iuſticiæ, fortitudinis, temperantiæ probatur: in qua etſi quarta pars omiſſa uidetur, Prudentia uidelicet, tamen qui in toto iudicio rerum fallatur, ei prudentiæ titulum relinqui non poſſe ſatis conſtat. Præterea cũ duplex uirtus ſit, ἠθικὴ καὶ διανοητικὴ: hic aũt περὶ τοῦ ἤθους καὶ πράξεως, non uerò περὶ θεωρίας agatur: non admodum neceſſe fuit nominare prudentiam. Quanquam illa dux & gubernatrix eſt cæterarum uirtutum omnium, ſine qua illæ nihil aliud ſunt, niſi Polyphemus ille ab Vlyſſe excæcatus: imò uirtutes non ſunt, ſed inanis uirtutum ſimulacra: qualia & in beſtijs reperias, quæ ſine prudentia, ipſius naturæ tantum inſtinctu, quædam non improbanda faciunt. Qua de re conſulatur Plutarchi Gryllus, & Dialogus de rationis ui in brutis animalibus.

Prudentia dux & moderatrix uirtutum, cur præterita.

Si ſibi conſentaneæ eſſe uelint.) *Hoc eſt, tenere τὸ κεφάλαιον καὶ τὰς κυρίας δόξας. Fuit autem horum κεφάλαιον, diſciplinæ fundamentum & illabefacta (ut ita dicam) ſententia: uoluptatem ſummum eſſe bonum, ad quam cætera omnia referenda eſſe. Si quando igitur præceperint, mortem oppetendam eſſe pro patria: pugnabunt cum ſuo dogmate. Mors enim ſuauitatis nihil habet, immatura præſertim, & uiolenta. Sin hoc fecerit: aut naturæ bonitate uictus, aut διὰ τὸ αὐθρώπινον factus, id fecerit. Sic de cæteris etiam iudicandum.*

Tenere diſciplinæ ſuæ caput.

Neq; ulla officij præcepta.) *τὴν ἀναίρεσιν τοῦ ψεύδους, ſequitur ἡ θέσις τοῦ ἀληθοῦς: hoc eſt, falſis repudiatis, uera nunc exponit. τὸ ἀληθὲς καὶ ψεῦδες, hic ſic accipiatur, ut non tam res ipſa quàm opinio autoris ſpectetur. Multa enim Epicurei arguta, & non ita refutatu facilia, pro defenſione ſui dogmatis afferre ſolent.*

Verum opinione autoris.

Epicurei arguti.

Inconſtantis orationis cauſæ.

Firma,ſtabilia.) *ὁμολογούμενα σφίσιν αὐτοῖς,inter ſeſe conſentientia, ut non aliàs aliud dicant,& ſecum ipſi pugnent:modò uoluptatẽ rebus omnibus præferendam,modò eam propter honeſtatem negligendam eſſe dicant. Accidit hoc non tantũ mendacibus & obliuioſis & perturbatis:ſed ijs etiam, qui ea quæ dicunt & ſcribunt,non ſatis diligenter meditati ſunt,nec accuratè per ueſtigarunt omnia. τῷ γὰρ ἀληθεῖ,Ariſtotele autore, πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα· τῷ δὲ ψευδεῖ,ταχὺ διαφωνεῖ τ᾽ ἀληθές.Hoc eſt,Cum ueris omnia uera conſentiunt:à falſis autem uerum ſtatim diſcrepat.*

Philoſophia corruptæ naturæ humanæ ignara.

Coniuncta naturæ.) *Philoſophi diuinæ illuſtrationis expertes,omnem ſuam doctrinam ex natura hominis,& diſcrimine eius à beluis arceſsiuerũt. unde Cicero naturam ſæpè optimam ducem appellat, & multis laudibus ornat:ignarus utiq; corruptionis illius,quæ à Protoplaſtis in omnem poſteritatem propagata,cùm corpora morbis et morbi obnoxia reddidit, tum mentẽ à uero,uoluntatẽ humanã à bono auerſam,in Cimmerias ignorationis et errorũ tenebras,& omniũ libidinũ & ſcelerũ Charybdin præcipites egit,exigua admodũ ſcintilla diuinæ lucis et bonitatis uelut in profundis cineribus deliteſcẽte. Ex ea corruptione,præter cætera mala,tot etiã diſſentientes philoſophorũ ſectæ extiterũt:qui alioqui ſimplicẽ ueritatẽ ex æquo omnes & perſpexiſſent, & explicaſſent. Nunc reliquũ illud naturæ lumen, ut in nemine perfectum, ita in alijs obſcurius eſt,in alijs illuſtrius. Vnde factum, ut etiam ex profanis hominibus,& Chriſtianæ religionis ignaris,alij & honeſtius uixerint, et ad ueritatis cognitionem propius acceſſerint.Hac de re ſemel admonuiſſe contentus,uberiorem huius loci explicationem Theologis relinquo.*

Aut ab ijs.) *Obſcurius,quaſi notis quibuſdam,Academicos,Stoicos & Peripateticos deſignat:quos paulo pòſt etiam apertè nominat.*

CICERO.

† Ita propria eſt ea præceptio Stoicorum,Academicorum,& Peripateticorum.

† *V. L. Itaq; propria.*

Et Academicorum.) *Etiam hos nonnulli à præceptione Officiorum excluſerunt:ut Cicero,præfatione libri ſecundi Operis huius indicat.*

CICERO.

Quoniam † Ariſtonis,Pyrrhonis,Herylli,iampridem exploſa eſt ſententia.

† *V. L. & Ariſtonis & Pyrrhonis & Herylli.*

Quoniam Ariſtonis.) *Alia ἀναίρεσις τῆς ψευδοῦς, quam de induſtria à ſuperiore ſeparauit, ad uarietatem orationi conciliandam.*

Ariſtonis dogma.

Ariſtonis.) *Huius ita Laertius meminit: ἀρίστων ὁ χῖος,ὁ φάλακρος, ἐπικαλούμενος σειρὴν, τέλος ἔφησεν,τὸ ἀδιαφόρως ἔχοντα ζῆν, πρὸς τὰ μεταξὺ ἀρετῆς*

ἀρετῆς καὶ κακίας μηδὲ ἡντιναοῦν ἐν αὐτοῖς παραλλαγὴν ἀπολείποντα, ἀλλ' ἐπίσης ἐπὶ πάντων ἔχοντα. *hoc eſt: Ariſto Chius, caluus ille, (niſi fortè legendũ ſit ὁ φαλάνθου, Phalante filius) cognomento Siren, finẽ eſſe dixit, ita uiuere ut neq; appetas, neq; auerſeris ea quæ inter uirtutem & uitium interiecta ſunt, nec ullum in iјs diſcrimen relinquas, ſed æquè ſis in omnibus affectus. Cuius ſententiæ rationem ſubiecit non inuenuſtam:* εἶναι γὰρ ὅμοιον τὸν ἀγαθὸν ὑποκριτῇ τὸν σοφὸν, ὃς ἄν τε Θερσίτου, ἄν τε Ἀγαμέμνονος πρόσωπον ἀναλάβῃ, ἑκάτερον ὑποκρίνεται προσηκόντως. *hoc eſt: Similem enim eſſe hiſtrioni ſolerti ſapientem, qui ſiue Therſitis ſiue Agamemnonis perſonã ſuſceperit, utranq; conuenienter repræſentet. Fuit autem Chius natione, profeſſione Stoicus: è cuius opere* περὶ γήρως, *Cicero in libello de Senectute pleraq; mutuatus eſſe uidetur. Meminit autem eius prima Academica, his uerbis: Ariſto nihil bonum eſſe cenſuit, niſi uirtutem: neq; malum, niſi quod uirtuti eſſet contrarium: in medijs ea momenta quæ Zeno uoluit, nulla cenſuit. Et pòſt, in eodem Opere: Ariſtonis (inquit) difficilis atq; ardua, iam tamen fracta atque conuicta ſecta. Huius dogma fuit, ἡ ἀδιαφορία: hoc eſt, neutram in partem moueri, ut interpretatur idem Cicero.* Vita, fabulas uir ſapiens Roſcius.

Pyrrhonis.) *Huius ita meminit Diogenes Laertius:* πύρρων ἠλεῖος γενναιότατα δοκεῖ φιλοσοφῆσαι, τὸ τῆς ἀκαταληψίας καὶ ἐποχῆς εἶδος εἰσαγαγών. οὐδὲν γὰρ ἔφασκεν οὔτε καλὸν, οὔτε αἰσχρὸν, οὔτε δίκαιον, οὔτε ἄδικον, καὶ ὁμοίως ἐπὶ πάντων μηδὲν εἶναι τῇ ἀληθείᾳ, νόμῳ δὲ καὶ ἔθει πάντα τοὺς ἀνθρώπους πράττειν. οὐ γὰρ μᾶλλον τόδε ἢ τόδε εἶναι ἕκαστον. *hoc eſt: Pyrrhon Eleus generoſiſſimè uidetur eſſe philoſophatus, acatalepſiæ et epoches autor. Negabat enim quicquam uel honeſtũ uel turpe, uel iuſtum uel iniuſtũ eſſe: eodemq; modo in omnibus quicquam reuera eſſe: legibus atq; inſtitutis hominum teneri omnia. nihilo enim magis unũquodq; eſſe hoc quàm illud. Hactenus ille. Quod ſi impudentia & ueſania generoſitas eſt, haud facilè quiſquam cum illo animi præſtantia conferetur. Abſurdiſſimi & pernicioſiſſimi huius dogmatis reliquiæ, in Sexti Academici uel Empirici fragmentis adhuc circumferuntur: non iniucundæ iјs, quos monſtra impenſius delectant, quàm naturá formoſa corpora.* Pernicioſum dogma Pyrrhonis de nullo diſcrimine honeſtorũ & turpium. Sexti fragmenta.

Herylli.) *Huius ita meminit Diogenes Laertius:* ἥριλλος χαλκηδόνιος *(perperam enim ibi καρχηδόνιος legitur)* τέλος εἶπε τὴν ἐπιστήμην· τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας, ἀδιάφορα. *id eſt: Heryllus Chalcedonius finem eſſe dixit ſcientiam: cætera inter uirtutem & uitium interiecta, indifferentia. His paulo pòſt ſubiungit:* ἔστι δὲ τὰ βιβλία αὐτοῦ ὀλιγόστιχα μὲν, δυνάμεως δὲ μεστὰ, καὶ περιέχοντα ἀντιρρήσεις πρὸς Ζήνωνα. *hoc eſt: Libelli eius paucis illi quidẽ conſtant uerſibus, ſed pleni ſunt neruorum, ac Zenoni contradicunt. Quod & Cicero confirmat, Acad. 4 ſic ſcribens: Et Heryllum omitto, qui in cognitione & ſcientia ſummum bonum ponit. Qui cum Zenonis auditor eſſet, uides quantum ab eo diſceſſerit.* Heryllus ſcientiæ admirator.

Exploſa.) *cum autoris ignominia repudiata atq; abiecta.*

CICE-

CICERO.

Qui tamen haberent ius ſuum diſputandi de officio, ſi rerum aliquem delectum reliquiſſent, ut ad officij inuentionem eſſet aditus.

Corporis neceſsitatibus, & uirtutes pleraſque & uitia potiſsimum excitari.

Qui tamen.) *Scilicet οἱ τῆς ἀδιαφορίας, propter uirtutis & ſcientiæ admirationem, ἀσυγγτοῦ. Locuti illi ita ſunt de homine, quaſi una mente, ſicut Deus & angeli: non autem corpore, ut & cæteræ animantes, conſtaret. Quòd ſi tam uerum eſſet, quàm falſum eſſe cuiuis conſtat: ſumma approbatione dignum eſſet eorum dogma. Nunc corporis neceſsitates, pleraſq; uirtutes non minus quàm uitia gignunt. Mens neq; cibo, neq; potu, neq; domicilio eget. Inter mentes igitur nullæ erunt controuerſiæ, & ita iuſticia euaneſcet: nec Iureconſultis erit opus, qui ſe iuſticiæ ſacerdotes appellant: neq; magiſtratibus, quorũ autoritate cohercentur improbi. Eadem ratione temperantia quoq; tolletur: & unà cum ea medicina, quæ ægris corporibus medetur. In ijs enim rebus quibus non utuntur, modum utiq; non excedent: niſi fortè modus ijs ſeruandus ſit in ſua de ſeſe opinione. Fortitudinis autem quis uſus erit, inter eos qui αὐτάρκεις ſunt, nec ulla re egent? Bella enim pleraq; propter Meum & Tuum, ut Plato ait, oriuntur. Vna illis uirtus relinquetur, ſapientia, ſiue prudentia. Quæ cum omnem ueritatem ex æquo illis demonſtret: ne opinionum quidem erit ulla uarietas, nullus error, qui ex mortali concretione materiæq; ſordibus exiſtere creditur, unde & praui omnes affectus pullulant. Ita nec inuidia, nec auaricia, nec æmulatio, nec ambitio bella ulla concitabit. Aemulatio enim unde niſi ex ignoratione ſui & aliorum, diuiniq; iudicij reprehenſione? Hæc uerò ignoratio in mentem purã non cadit, quæ ipſa nihil aliud eſt niſi Sapientia, ubi eſt ſeparata à corpore.*

Defectionẽ angelorũ ab homine intelligi non poſſe.

Quæ autem de defectione Angelorum à Deo, & pugna inter ſeſe traduntur, unde Poetæ alia quoq; complura ex monimentis Hebræorum, non ſine magna deprauatione ueritatis, mutuati, Gigantomachiam ſuam extruxerunt, admirabilia ſunt, & captum humanæ intelligentiæ ſuperãt, quæ ita ſtatuit: Puriſsimas illas mentes, (cuiuſmodi perhibentur. nam impuræ & corporeæ ſi eſſent, non mirum id eſſet) ut ſapientiſsimas, nihil quicquam in ſe admittere, cuius pœnitere poſsit. Non enim certè ſapientiæ eſt, arroganter de ſeſe ſentire, & bellare cum Deo cõditore ſuo. Qui ut ex nihilo fecerit: ſic in nihilum uno momento redigere poſsit, ſi uelit, omnia, ὅτι ἂν ἐν κεφαλῇ κατανεύσῃ. Sed hæc piè credenda: non curioſe, fruſtra præſertim & impiè, nobis indaganda ſunt. Videamus ipſi, ne Deum iratum, ſed operam demus, ut placatum habeamus, τὴν ἰδίαν σωτηρίαν ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ κατεργαζόμενοι, ut D. Paulus præcepit: qui profectò his uerbis Pſeudeuangelicam ſecuritatem atq; licentiam, quæ certè à timore & tremore plurimum diſcrepant, nequaquam probat.

Curioſis quæſtionibus repudiatis, piè uiuendum.

Qui tamen haberent.) *Eſt paulo æquior his, qui ab Academico dogmate non multum receſſerunt: ſimulq; cauet, ne eodem crimine & ipſe, ut Academicus,*

demicus, inuoluatur: diſerteq́; his uerbis teſtatur ſe delectum rerum & probabilitatem non tollere, quamuis affirmationis temeritatem libenter uitet. Sed hic locus libro ſecundo iuſta diſputatione explicatur.

Vt ad officij inuentionem.) *Officij ratio in deliberationibus actionũ, & ipſis actionibus uerſatur, & ad uitam ciuilem potiſſimum pertinet, in qua rarò de ſubtilitatibus philoſophicis agitur: ſed de rebus quæ neceſſitates corporis maximè attingunt. Si igitur inter uitam & mortem, inter pacem & bellũ, inter paupertatẽ & diuitias nihil intereſt: ex hoc dogmate, ut etiam è doctrina ſuperſtitioſa de fato, ſequitur ὁ ἀργὸς λόγος: id eſt, omnis & deliberatio & actio tollitur. Quo cum nihil ſit abſurdius: mirum eſt philoſophos illos ita docuiſſe, niſi rẽ ita tractarint & exornarint, ut illa abſurditatis opinio tolleretur atq; euaneſceret. Nam cum oratione quidem doctrinaq́; uitam eorum pugnaſſe, planè probabile eſt, ut qui & ruinoſam domum declinarint, neq; temerè ſe præcipitarint in ignem aut aquam, & occurrentibus beſtijs & curribus ceſſerint, quamuis inter mortem & uitam nihil intereſſe dicerent. In uita enim eſſe uolebant, ob hoc ipſum ſcilicet, quòd inter uitam & mortem nihil intereſſet. Quòd ſi Diogenes Laertius etiam hæc ipſa Pyrrhonem non curaſſe, uerè ſcribit, ſed à diſcipulis cuſtoditum fuiſſe, quo minus in perniciem rueret: illud profectò conſtat, diſcipulos fuiſſe magiſtro ſapientiores. Narratio certè quidem illa non minus portentoſa mihi uidetur, quàm Luciani ἀληθοῦς ἱστορίας λόγοι.*

Ἀδιαφορίαν & fatũ Stoicum ſequi ignauum ocium.

Vitã pugnaſſe uideri cũ dogmate.

Pyrrhonis ſtupor.

CICERO.

Sequemur igitur hoc tempore, & in hac quæſtione potiſsimùm Stoicos: non ut interpretes, ſed (ut ſolemus) è fontibus eorum, iudicio arbitrioq́; noſtro, † quantum, quoq́; modo uidebitur, hauriemus.

V. L. quantocunq; modo. Alij, quantum quoquo modo.

Sequemur igitur.) *Concluſio tertiæ partis Proœmij.*

Hoc quidem tempore.) *Nam alioqui ex profeſſo fuit Academicus: Stoicis tamen minimè inimicus.*

In hac quæſtione.) *Quia commodius tractari non poteſt, niſi uirtuti ſummus honos habeatur, ac cæterarum quoq; rerum delectus relinquatur.*

Potiſsimum.) *Laudanda eſt prudentia Ciceronis, qui iudicium ſuum ſibi integrum reſeruarit,*

Nullius addictus iurare in uerba magiſtri.

Quod qui faciunt, turpiſſimè & miſerrimè ſeruiunt: & ſæpè defendere aut impugnare propter eorum autoritatem, quorum diſcipuli ſunt, ea coguntur, quæ minimè uellent: niſi aut conſtantiæ cauſa ita faciendum eſſe ſtultè putarent, aut exilium aliaue incommoda timerent. Neq; hic ego de autoritate diuina loquor: hæc enim in dubium uocari non poteſt. Etſi hic quoq; dubitari ſæpe poteſt, an ſacras literas uerè intelligas, rectè accommodes, perpetuum Scri-

Non autoritati humanę, ſed ueritati ſeruiendum.

pturæ conſenſum tuearis. Multa enim loca, eaq́; nō parui momenti ſunt, quæ & docti & pij uiri & ueritatis amantes (tales enim ſe perhiberi uolunt, nec temerè aliter ſuſpicandum) non eodem modo interpretentur, ſed ſæpè diuerſo, interdum etiam planè contrario. Ad philoſophiam & humani ingenij inuenta, mea pertinet oratio. In quibus nouum autorem eſſe uelle, cùm periculoſiſſimum ſit, quid de ſacroſancta religione ſentiendum? qua illius decreta ueneratione tractanda, cuſtodiendaq́; ſunt? Non ignota mihi eſt Iſocratis ſententia, induſtriæ eorum qui nouare aliquid & loco mouere non dubitent, artium correctionem & incrementa accepta referentis. Sed iſta ſunt non cuiuſuis hominis, & timidiorem in hoc genere quàm temerarium eſſe præſtat: ea ſeruata moderatione, ut agnitam ueritatem neq́; reſpuas & oppugnes, & dubijs opinionibus non temerè aſſentiaris: ſed quæ captum ingenij tui ſuperant, hominibus ocioſis, & contentionis quàm ueritatis cupidioribus relinquas.

Stoicos.) *Non omnes (multi enim à magiſtro ſuo deſciuerunt) ſed eos tantùm qui dogma Zenonis περὶ τῶν προηγμένων καὶ ἀποπροηγμένων tenuerũt: hoc eſt, qui (ut Cicero interpretatur) in medijs momenta quædam reliquerunt.*

Interpretis munus. Non ut interpretes.) *Interpretis munus eſt, ea quæ aliena lingua dicta ſcriptáue ſunt, ſic explicare, ut ſi uerba non annumerentur, (quod ſæpè fieri nullo modo poteſt) at ſententiæ appendantur. Nihil addendum, nihil detrahendum, nihil immutandũ eſt, quod ad res ipſas & ſententias earũq́; pondus attineat. Magna hæc eſt ſeruitus, & periculoſæ plenum opus aleæ: à qua Cicero hic ſe uindicat. Fateatur tamen neceſſe eſt, ſe omnem philoſophiam ſuam Græcis acceptã referre, quòd inuentio illorũ ſit, unde philoſophica hæc ſcripta ἀπόγραφα quodã loco nominat: Elocutionem uero uendicare ſibi poteſt.*

Græca lingua fons eruditionis. E` fontibus eorum.) *Notetur ἀξίωμα: Græcã linguam fontẽ eſſe omnis eruditionis: Latinam, riuulos inde ductos. Vnde Cicero ſub perſona Varronis 1. Academica: Meos, inquit, amicos, in quib. eſt ſtudiũ, in Græciã mitto: ideſt, ad Græcos ire iubeo, ut ea è fontibus potius hauriãt, quàm riuulos cõſectẽtur.*

Iudicium ſine præiudicio, & amor ueritatis, affectuumq́; repreſsio, nulſas tollunt & inter ſe conciliant controuerſias. Iudicio arbitrioq́ noſtro.) *Finis philoſophi potiſsimus eſt, cognitio ueritatis: quam ubi inuenerit, ſibi adorandam eſſe putat, nulla habita autorum ratione. In quam ſententiam Iſocrates noſter præcipit, ὅτι χρὴ μηδενὸς μὲν ἀπείρως ἔχειν, ἁπανταχόθεν δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγειν: hoc eſt, nullum ſcriptorum genus ignorandum, ſed undecunq́; utilia colligenda. Et Ariſtoteles: ἀμφοῖν inquit φίλοιν ὄντοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν: Cum ambo ſint amici noſtri, ius faſq́; poſtulat, ut ueritatem illis antiquiorem habeamus. & addit: Philoſophi munus eſſe, non tantum à præceptorum & amicorum ſententijs recedere, ſed etiam ſuos errores agnoſcere, retractare, improbare, ſentienti rectius cedere & aſſentiri. Hæc φιλαλήθεια ſi in Scholas introduci poſſet, abolita ambitione, pertinacia, commodorum ſpe, incommodorum metu: inter multos conueniret melius, qui nunc omnem ætatem rixis terunt, & cœlũ terræ miſcent contentionibus. prouerbiũ quidẽ, ὑπερβολικῶς fortaſſe, quot capita, tot ſententias eſſe affirmat, quod uix duos unquam reperias, qui in*

qui in omnibus rebus & opinionibus conſentiant: quod non mediocre telū eſt Scepticorū. neq; negandum, alios alijs meliores & ueriores magiſtros uideri: ſed tamen acuta ingenia in ſumma rerum plerunq; conſentiunt, affectibus autem impelluntur ad diſsidia.

Quantum.) *Hoc pertinet ad* τὴν ὕλην: *Cum delectu, inquit, in noſtrum Opus transferemus, quæ à Stoicis præcepta ſunt, alijs omiſsis, alijs additis, alijs immutatis.*

Quocq; modo.) *Hoc ad* τὴν μορφὴν καὶ ἰδέαν τοῦ λόγου *pertinet. Exequemur, inquit, alia copioſius & dilucidius, alia noſtratibus exemplis illuſtrabimus, alia breuius perſtringemus, prout commodū nobis uidebitur,* τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς *explicaturi. Et hoc ſanè potiſſimū eſt, quod Cicero philoſophiæ præſtitit, Latina elocutio: etſi iudiciū rerum etiam ſe informaſſe profitetur.*

CICERO.

Placet igitur (quoniam diſputatio omnis de officio futura eſt) antè definire quid ſit officium: quod à Panætio prætermiſſum eſſe miror.

Poſtquā lectorē prolixiore, ſed elegāti proœmio beneuolū, attentū, et docilē uarijs rationibus reddidit: nūc tandē ad rem accedit, & quia cauſæ genus (cuiuſmodi ſunt philoſophica pleraq;) διδακτικὸν *ſiue* διδασκαλικὸν *eſt, de methodo & uia tractandi nonnihil præfatur, quod & ipſum ad docilitatē facit.*

De officio.) *Nō incōmodū fuerit (etſi id antè quoq; factū eſt)* τὴν πολυωνυμίαν *uocabuli indicare. Nā definitio nominis, rei definitionē neceſſariò antecedit. Officiū igitur in hoc Opere, Græcè eſt* καθῆκον, *uel (ut Demoſthenes loquitur)* τὸ τὰ δέοντα ποιεῖν: *ut Ariſtoteles,* ἐνέργεια κατ' ἀρετὴν, *actio uirtutis, ſiue* πρᾶξις, καλοκαγαθία. *Hæc ſignificatio per totū hoc Opus teneatur. Nā aliàs officiū idē eſt quod* ὑπουργία, *hoc eſt honeſtū aliquod obſequiū: unde homo Officioſus dicitur, qui libenter ſeruit aliorū cōmodis. Pro magiſtratu aut munere publico, apud Iurecōſultos in primis capitur. Quod aūt Cicero dicit, Officiū conſulis, aut iudicis: ut opinor, non eſt ἡ ἀρχὴ, ipſe conſulatus aut prætura: ſed* τὸ ἔργον ἢ καθῆκον ἢ τὸ τέλος, *munus quod à conſule uel iudice poſtulatur.* Officij nomen.

Quod à Panætio.) *Præfatione Tuſculanarum quæſt. Cicero ſuis Romanis hoc tribuit, ſuū iudiciū ſemper fuiſſe: omnia illos aut inueniſſe per ſe ſapientius quàm Græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora: quæ quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarent. Quod aūt ibi iactat, hic à ſe præſtari oportere cenſet. Cui tamen fortaſſè Græcis, quod reſpondeant, non deerit: fauere eū patriæ laudibus, & ſuis,* αὖ τοκόλακα ὄντα, καὶ ῥήτορα. *Quòd ſi leonibus ea eſſet (ut eſt in fabulis) pingendi facultas, quæ hominibus: non iam penes homines uictoriam fore in ædium parietibus ſed penes leones in ſyluarū ſolitudine.* Cicero fauet Romanis ſuis.

Miror.) *Leni uerbo utitur, ne ſit ingratus magiſtro: cui exprobrare nō debet, ſi paruum aliquid cōtulerit, cum tot & tanta ab illo acceperit. Facile eſt, aiunt, addere inuentis: & in multis rectè dictis pauca uel prætermiſſa, uel in* Candor in cenſura ag[illegible] da ad[illegible] dus.

commodius explicata reprehendere. Sed candor in ea re adhibendus eſt: de ijs quæ præſtitit autor, habenda illi gratia: eorum uerò quæ omiſit, danda uenia, ut Ariſtoteles optauit.

CICERO.

Omnis enim quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci: ut intelligatur quid ſit id de † quo diſputatur.

V. L. diſputetur.

Methodi quæſtiones.

Conſulantur hîc Dialecticorum quæſtiones thematis ſimplicis.

A' ratione.) *Siue E' ſiue A' ratione legatur, ſiue ſimpliciter Ratione, nõ aliud dicere uidetur, quàm quod Græcè eſt εὐλόγως, τὴν μέθοδον ſiue τὸν λόγον, aut ſi quid eſt aliud. Homines imperiti artis diſſerendi, confundunt & permiſcent omnia: nihil definiunt, nihil diſtinguunt, nihil partiuntur, &c. Quo nomine Epicurei reprehenduntur à Cicerone. Cuius uerba libet aſſcribere è prima Academica, ut quandam quaſi imaginem inſtitutionis ratione carentis, deformem illam quidem, & minimè imitandam, uideant adoleſcentes. Didiciſti, inquit Varro, non poſſe nos Amafanij aut Rabirij ſimiles eſſe: qui, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos poſitis uulgati ſermonis diſputant: nihil diffiniunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione cõcludunt: nullam deniq; artem eſſe nec dicendi nec diſſerẽdi putant. Nos autem præceptis dialecticorum & oratorum (quoniam utranq; uim unam eſſe noſtri putant) ſic paremus, ut legibus, &c.*

A' definitione proficiſci.) *ἄρχεσθαι ſiue ὁρμᾶσθαι, hoc eſt definitio, in omni doctrina methodica principem locum tenere debet.*

Definitio.

Vt intelligatur.) *Finis, ſiue definitio ipſius definitionis, quæ quid eſt? Oratio quæ facit, ut intelligatur quid ſit id de quo diſputatur.*

CICERO.

Omnis de officio duplex eſt queſtio. Vnum genus eſt, quod pertinet ad finem bonorum: alterum, quod poſitũ eſt in præceptis, † quibus in omnes partes uſus uitæ confirmari poſsit.

† *V. L. quibus omnes partes uſus uitæ confirmari poſſint.*

Omnis de officio.) *Vocabulum quia non uno modo uſurpatur, in primis diſtinguendum eſt, & conſtituendum quam eius ſignificationem in præſentia tenere uelimus. Sic enim commodè ad definitionem peruenitur.*

Philoſophia uel argumentatione, uel nuda expoſitione præceptorum docet, uel utrãque ratione coniungit.

Quod pertinet ad finem bonorum.) *Diuiſio hæc non tam ad rem ipſam, quàm ad rei tractationem, hoc eſt methodum, propriè pertinet. Sententia eſt: Aliàs inquiri ſolet, qua in re felicitas humana poſita ſit: num in uirtute, num in ſapientia, num in uoluptate, aut rebus alijs? Aliàs hoc pro confeſſo ſumitur, ſummum bonum in uirtute eſſe poſitum: & uirtus declaratur, & ob*

oculos

oculos quodam modo ponitur, ut actiones uitæ omnes ad illam referantur, cum eaq; conſentiant.

Quod poſitum eſt in præceptis.) *Cum τὸ ὅτι, ut Ariſtoteles appellat, nō τὸ διότι traditur: cum omiſsis intricatis diſputationibus, quæ non niſi eruditorum ſunt, rudi adoleſcentiæ atq; indoctis, pro autoritate præcipitur quid expetendum, quid fugiendum ſit.*

In omnes partes uſus uitæ.) *Idem dicit quod ſuprà, latiſsimè patêre præceptionem de officijs.*

Vſus uitæ.) *τὸν πρακτικὸν βίον intelligit, excluſo τῷ θεωρητικῷ.*

Confirmari poſsit.) *Hoc illud eſt quod Iſocrates dicit, γνησίως ἐφίεσθαι τῆς ἀρετῆς. Ars certior dux eſſe dicitur, quàm natura. Continetur igitur hic ampliſsima laus huius doctrinæ, quòd animis dubitationem eximat, nec eos temerè uagari ſinat, ſed ubiq; monſtret quid agendum, quid uitandum ſit. Harum pollicitationum ueritatem ſentiet, qui præcepta Ciceronis rectè perceperit, atq; experiendo comprobarit. Nam quid uulgo quidem fieri ſoleat, uidemus. Ad animi libidinem explendam, ad auariciam & ambitionem plerique tanto impetu feruntur, itaq; in ijs rebus per fas & nefas appetendis ſibi placent, ut eos qui ſecus faciunt, inſanire credant. In cauſa eſt ἡ ἀναγωγία, καὶ ἡ πολιτικὴ ἀταξία. Nam ſi & priuata inſtitutio accuratior eſſet, & diſciplina publica ſanctior: in maximis ſe uerſari motibus intelligerent.*

Præcepta de moribus in omnes partes uſum uitæ confirmant.

CICERO.

Superioris generis huiuſmodi exempla ſunt: Omnia'ne officia perfecta ſint? Nunquid officium aliud alio maius ſit? & quæ ſunt † eiuſdem generis.

† *V. L. generis eiuſdem.*

Præceptiones ipſæ propter ſubtilitatem & tenuitatem, ac breuitatem plerunq; obſcuriores ſunt. Quare ij demum præclarè docent, qui omnes doctrinæ ſuæ partes, in quibus aliquid difficultatis eſt, multis & idoneis exemplis illuſtrant, quæ rectè uita atque anima præceptorum eſſe dicuntur.

Exēplis præcepta illuſtrantur.

Omnia'ne officia perfecta ſint.) *Mirum eſt Stoicos collationem hāc admiſiſſe (probabile autem eſt, eam à Panætio in ſuis libris fuiſſe poſitam) cum alioqui ferè gradus & comparationes rerum tollant: ut qui ſtatuant, in eodem eſſe crimine, qui nauim palearum euertat, atque eum qui eandem auro onuſtam. Nimirum aciem mentis ſuæ ad perfectiſsimam quandam, in quolibet rerum genere, ideam intenderunt: à qua cum diſcederetur, res ipſa aut actio nomen ſuum amitteret, ac penè in contrarium uerteretur. Ex qua opinione uulgare etiam illud ænigma effloruit: Quod melius ſit, bonum non eſſe. quaſi uero, melius id tantum ſignificet, quod minus malum: eoq; uinum Rhodium malum eſſe dixerit Ariſtoteles moriens, quòd Leſbium illi prætulit. Cū autē iſtam ἀκρίβειαν craſſitudo materiæ, qua et ipſi quaſi ueſtiti ſumus, & in qua uerſamur, uix admittere uideatur: ad Platonicam ciuitatem relegetur.*

Paria Stoicis delicta.

Ab idea perfectiſsima diſceſsio.

Officia perfecta.

Perfecta.) *Id eſt, eo & iudicio & uoluntate ſuſcepta, & ad exitum perducta, ut nulla ignorantiæ nubecula, nulla prauæ cupiditatis labe admiſſa contaminentur, ut ad uerum ſcopum citra ullas ambages contendatur, nec uſquam ab eo deerretur.*

Nunquid officium.) *Hæc quæſtio ex altera pendet. Nam ſi non omnia officia perfecta ſunt: aliud officium alio eſſe maius aut minus, ſatis apparet. Perfecta enim, & magnitudine & dignitate imperfectis præſtant, minoraq; ſunt τὰ καθήκοντα τῶν κατορθωμάτων.*

παραλείπομενα ἀπεριολογίας ἕνεκα.

Quæ ſunt generis eiuſdē.) *Præciſio prolixioris enumerationis. Quanquam (ſi, quod ſentio, citra temeritatem afferre liceat) ea potius exempla ponenda fuiſſent, quæ propriè ad finem bonorum pertinerent, & caput totius negocij continerent: uidelicet qua in re poſita ſit felicitas hominis? num in cōtemplatione, an actione: an fructibus ijs qui uel ex alterutra, uel ex utraq; percipiuntur? Sed fortaſsis hæc exempla poſuerat Panætius, quem ne inciuilius reprehēdere uideretur, ſi ſæpius id faceret: autoritatem præceptoris ſequi, quàm aliquid exquiſitius afferre maluit.*

CICERO.

Quorum autem officiorum præcepta † traduntur, ea quanquam pertinēt ad finem bonorum: tamen id minus apparet, quia magis ad inſtitutionem uitæ communis ſpectare uidentur: de quibus eſt nobis his libris explicandū.

† *V. L. traduntur: quanquam pertineant.*

Minus id apparet.) *Eius generis quod in præceptis poſitum eſſe dicit, non affert exempla, quòd totum Opus in ijs explicādis uerſatur: ſed potius diuiſionis, quæ ſuperuacua uideri poteſt, rationem affert.*

Idem ſanè finis, ſed tractatio non eadem.

Ea quanquam pertinēt.) *Hæc ſiue ἀντίθεσις (ut Vlpianus appellat) ſiue obiectio, ut uulgò in Scholis loquimur, eſt huiuſmodi: Quæ eôdem referuntur, diſtinguenda non ſunt: Hæc duo membra officiorum, eôdem, uidelicet ad finem bonorum, pertinent: Ergo non ſunt diſtinguenda.* λύσις: *Concedit Cicero minorem, pertinere alterum quoq; genus ad finem bonorum: ſed addita diſtinctione, quæ ſumitur ἐκ τοῦ ἧττον καὶ τοῦ μᾶλλον, ἢ ἐκ τοῦ πλεονάζοντος, hoc eſt, ex eo quod uel plus uel minus apparet atq; eminet, hoc modo: Etiam τὸ θεωρητικὸν habet παραινέσεις: ſed ἔργον illius eſt inquiſitio ueritatis, πάρεργον præceptiones. E conuerſo τὸ παραινετικὸν ſuam quoq; θεωρίαν habet: ſed ea πάρεργον eſt, ἔργον uerò præceptiones. ἔργον autem id dico, quod in re aliqua potiſsimū ſpectatur. πάρεργον, quod obiter accedit. Vt in Helenæ Iſocratica laudatione, commendatio mulierculæ ἔργον eſt: Theſei & Democratiæ laudes πάρεργα. Etſi (dicere ſi liceat) πλείω σχεδὸν τὰ πάρεργα τῶν ἔργων: id eſt, plura præter rem propemodum quàm ad rem. Quanquā hic illud etiam innuitur, commendandi operis cauſa, Præceptiones has ad uitā beatam pertinere: hoc eſt, eos qui obtemperarint, non tantùm uirtutis, ſed felicitatis etiam*

ἔργα καὶ πάρεργα.

Fructus obedientiæ beatitudo.

etiam (quãtum ſcilicet natura humana in terris ſinat) fore compotes. Eſt autem ea felicitas non uulgi more accipienda, nihil præter opes, honores & uoluptates optantis, quas quidem res ne philoſophi quidem ſaniores aſpernantur: eas etiam, quatenus ad conſeruationem ualetudinis & ciuilis uitæ commoditatem faciunt, uſurpantes: ſed philoſophica ratione, qua is beatus habeatur, qui naturæ humanæ perfectionem aſſecutus eſt. Quæ quidẽ in eo ſita eſſe perhibetur, ſi mens erroribus & falſis opinionibus, animus prauis cupiditatibus & uitijs liberẽtur, & in uirtutis ac ſapiẽtiæ ſtudio perpetuò uerſentur: & caſus humanos, ſi uitare nõ poſſint, æquis animis ferãt. Sed hæc alibi copioſiꝰ.

Popularis & philoſophicæ felicitatis diſcrimẽ.

De quibus eſt nobis.) *Generalis propoſitio totius operis: Præcipiam (inquit) de officijs, quæ ad uitæ communis inſtitutionem ſpectant. Vitam autem communem appellat τὸν κοινωνικὸν βίον καὶ πολιτικόν, id eſt, eam quæ in ſocietate hominum & conſociatione ciuili atq; opere cernitur. Vt autem hæc propoſitio rectius intelligeretur, hac diuiſione uſus eſt, ut τὴν θεωρητικὴν διδασκαλίαν, quæ τοῦ φιλοσόφου βίου eſt, hoc eſt uitæ ſolitariæ, & inueſtigatione ac contemplatione ueri occupatæ, excluderet: quaſi dicat, Legendi erunt hi libri, non propter acumen & ſubtilitatem diſputationum, ſed propter utilitatem præceptionum: quarum finis eſt, nõ ſubtilis ac potius futilis cognitio, ſola ſi ſit, ſed honeſta actio.*

Generalis propoſitio totius operis.

CICERO.

Atq; etiam alia diuiſio eſt officij. nã & medium quoddam officium dicitur, & perfectum.

Prior, ut diximus, ad tractãdi rationem pertinet, quæ eſt aut ὑφηγητικὴ, aut παραινετική: hæc autem ad rem propriè pertinet, atq; perfectione aut imperfectione quadam iudicatur. Subtilis illa quidem diſtinctio eſt, ſed eiuſmodi, ut τὸ κατόρθωμα exemplis demõſtrare ſit difficillimũ, quòd id in uitam humanã cadere nõ uidetur. Nã CHRISTI IESV *Domini et ſeruatoris noſtri dicta & facta mirabilia atq; diuina, hic inculcanda eſſe non exiſtimo. Ea enim non ſimpliciter ἀνθρώπου ſunt, ſed θεανθρώπου, κατὰ μὲν τὴν θεότητα ἀμήτορος, κατὰ δὲ τὴν ἀνθρωπότητα ἀπάτορος ὄντος: ut Græci theologi eruditè & ingenioſe diſputant.*

CICERO.

Perfectum officium, rectum† (opinor) uocemus: quod Græci κατόρθωμα. Hoc autem commune officium, καθῆκον μέσον uocant.

† *V. L. (ut opinor) quoniam Græci.*

Quia tota doctrina hæc à Græcis ſumitur: opera Ciceroni dãda fuit, ut è Græcis bonis, Latina nõ mala faceret. Quod q̃ difficile ſit, è multis eius dubitationibus, et anteoccupationib. ſiue προκαταλήψεων apparet. Atq; etiã ipſi Græci

E Græcis bonis latina bona facere, difficilimũ.

doctrinam

Philoſophicorum uerborum inſolentia.

doctrinam ſuam obſcurarunt, quòd uocabula uſus communis & quotidiani, ad alias ſignificationes detorſerunt: cuiuſmodi ſunt apud Ariſtotelem κατηγορίαι, γένη, εἴδη, ἑρμηνεία, ἀνάλυσις, ἀπόδειξις, & id genus penè infinita. Quæ niſi accuratè diſtinguantur & definiantur, ut Porphyrius in Iſagoge ſua fecit, multum habent obſcuritatis. Ex eodem genere ſunt etiam κατορθώματα Stoicorum. Nam κατορθοῦν Græcis plerunq; rem benè gerere ſignificat: ut contrà ἁμαρτεῖν καὶ πταίειν, rebus aduerſis conflictari, aut uoto ſuo fruſtrari. ut ex Epigrammate illo, quod à Demoſthene citatur, colligi poteſt:

κατορθοῦν

Μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστὶ θεῶν, καὶ πάντα κατορθοῦν
Ἐν βιοτῇ, μοῖραν δ' οὔτι φυγεῖν ἔπορεν.

Hoc eſt, ut nos quidem olim conuertimus:

Dij benè perficiunt quicquid uoluere, nec uſquam
Errant. Mortales aſpera fata premunt.

Quæ interpretatio, ſi minus placet, teneatur hæc ſummi uiri, Philippi Melanchthonis:

Nulla aduerſa pati, nunquam peccare, deorum eſt:
Nemo hominum fati uim ſuperare poteſt.

Hinc κατόρθωμα & rem benè geſtam, & factum aliquid cum uirtute & recta ratione ſignificat, tam conſilium quàm euentum, ſiue προαίρεσιν καὶ τύχην complectens: ut & ἁμαρτία, quæ τῆς τε ψυχῆς καὶ τῆς τύχης ἐστί.

CICERO.

Atq; ea ſic definiunt, ut rectum quod ſit, id perfectum officium eſſe definiant. Medium autem officium id eſſe dicunt, quod cur factum ſit, ratio probabilis † reddi poſsit.

† *V. L. reddi poteſt.*

Rectum, &c. κατόρθωμα.) *Interpretatio Græcæ uocis, ſiue etymologia. Quid ſignificat κατόρθωμα? Officium rectum. Sic etiam καθῆκον, commune officium, quod aliàs etiam medium appellat Cicero.*

Atque ea ſic definiunt.) *Definitioni nominum ſubiungit definitionem rerum.*

Perfectũ officium æquè obſcurũ atq; rectum.

Id perfectũ officium eſſe.) *Poſsit hic Cicero τὸ γὰρ ἀρχῆς αἰτεῖσθαι uideri. Nihilo enim magis ſcio, ex iſta quidem definitione, quid ſit perfectũ officium, quàm quid ſit rectum Libro 3. de Finibus, κατόρθωσιν rectam affectionem interpretatur: & κατορθώματα (inquit) Græci uocant, quæ Latini recta, & rectè facta. Et alibi in hoc ipſo Opere: Quod perfectum atque abſolutum eſt, & (ut Stoici dicunt) omnes numeros habet. In Oratore: Illud cui nihil addi poſsit, quod ego ſummum & perfectiſsimum iudico. Sed facilè per ſe intelligitur, rude & inchoatum opponi perfecto, cui neq; deſit, neque ſuperſit quicquam, & quod ne ab ipſo quidem Momo reprehendi poſsit. Apud Diogenem autem hæc definitio κατορθώματος ponitur: πρᾶξις ἀκόλουθος ὀρθῷ λόγῳ, in qua pondus uerborum obſeruandum eſt: ut ὀρθὸς λόγος, quem etiam τοῦ καθη-*

κατορθώματος definitio.

καθῆκόν τι communem arbitror, καθ' ὑπερβολὴν intelligatur, rectum rationis iudicium, nuſquam exorbitans, nec ad dextram nec ad ſiniſtram declinãs, ſed rectà ad uerum ſcopum tendens: cui neceſſariò etiam Voluntas, nulla praua cupiditatis labe contaminata, ut ſuprà diximus, reſpondeat. Definiunt etiam aliter, πρόσταγμα νόμου. Sunt autem intelligendæ non Solonis aut Lycurgi aut aliorum leges, quas Epictetus noſter quodam loco, ſi cum diuina inſtitutione conferantur, mortuorum leges, & leges mortuas uocat: ſed ea lex, à qua cæteræ omnes proficiſcuntur, ſingulare Dei Optimi Maximi munus, excellentia mentis humanæ, & rectæ rationis exquiſitum iudicium: cui qui obtemperet, κατορθοῖ, id eſt conſummata uirtutis laude floreat. Eſſent autem τῶν κατορθωμάτων, perſpicuitatis gratia, exempla depromenda ex hiſtorijs: ſed periculum eſt, ne in profanis nulla prorſus inueniantur, cum in ſacris etiã rariſſima ſint: & haud ſcio an ulla talia, quæ ſubtilitati Stoicorum ſatis probari queant. Facilius enim Ciceronianum oratorem, quàm Stoicũ mihi ſapientem oſtenderis. Quæ mihi cogitanti, uerſus Euripidis occurrunt:

Ratio ſumma lex.

κατορθωμάτων uel nulla, uel rara exempla.

ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
κ'οὐ δεῖται πολλῶν ἂν διχ' ἑρμηνευμάτων.
ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν. ὁ δ' ἄδικος λόγος,
Νοσῶν ἐν αὐτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Simplex, inquit, eſt uera oratio, nec multas ambages quærit, cum ipſa ſibi conſtet: ſed iniuſta, inteſtinis uitijs laborans, exquiſita remedia deſiderat. Cæterùm quia in Stoicos logodædalos incidimus, ἀεροβατῶμεν, καὶ περιφρονῶμεν τὸν ἥλιον. Quòd ſi, ut Icarus & Phaethon, ceciderimus: aut, ut adulterini aquilarum pulli, lachrymantibus oculis aduerſos ſolis radios non ferentes, è nido deiecti fuerimus: ferendum id erit ſcilicet, quòd eam calamitatem conſeruato officio uix euitare potuerimus. Vt igitur res paulò fiat planior, in certis uitæ generibus, τά τε κατορθώματα καὶ τὰ καθήκοντα, καὶ τὴν φαρυγῆ κακίαν (ut uocat Plato) utcunque conſiderabimus, additis, ubi res facultatem habitura eſt, nonnullis exemplis.

Difficulter Stoicarum argutiarũ exempla poſſe fingi.

Principiò κατόρθωμα Stoici tribuunt non niſi ſuo ſapienti, quem fingũt (ut eſt apud Gellium) ἀκώλυτον, ἀνεκβίαστον, ἀπαραμπόδιστον, ἐλεύθερον, εὔπορον, εὐδαίμονα. Quæ uerba libro tertio de Finibus Cicero magna ex parte interpretatus eſt, hoc modo: Cum hoc ſit extremum, congruenter naturæ, conuenienterq; uiuere: neceſſariò ſequitur, omnes ſapientes ſemper feliciter, abſolutè, fortunatè uiuere: nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egére. Sed hæ ideæ Platonicæ ſunt: ut & forma illa Oratoris, quem Cicero ut definiat, aut deſcribat, totum librum conſumit. Qua de cauſa Stoici ab Horatio ſalſè ridentur, his uerbis:

Sapiens Stoicus.

Horatius Stoicorum deriſor.

Diues, honoratus, liber, rex deniq; regum,
Ad ſummam ſapiens, niſi cum pituita moleſta eſt.

Significat autem eos parum ſani eſſe cerebri, qui ea comminiſcantur, quorum natura humana nõ ſit capax. Itaq; in Anticyras mittendos eſſe, ut hel-

Euangelio homines ad puritatem & perfectionẽ uocari.

leboro purgentur. Lex quidem Dei non καθήκοντα μέσα, ſed κατορθώματα requirit. atq; adeò tota Scriptura ſacra noui Teſtamẽti hoc agit, ut nos perfectos ſiſtat Deo: maximè Chriſtus, παλιγγενεσίαν ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος poſtulans, & imitationem patris ſui cœleſtis flagitans, ut ſeueriſſimus exactor, ſic acutiſſimus interpres diuinæ legis, præſertim Matthæi quinto, ſexto, ſeptimo, & uigeſimoſecundo: ἀγαπήσεις (inquit) κύριον τὸν θεόν σου ἐν ὅλῃ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ διανοίᾳ σου. Item, ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. &, quod D. Paulus citat, μὴ ἐπιθυμήσεις. Eòdem pertinent etiam allegoriæ, cuiuſmodi ſunt ἁπλοῦς ὀφθαλμός, υἱὸς ἄσωτος, κόκκος σινάπεως, δένδρον ἀγαθόν: per quæ natura aut integra, aut inſtaurata intelligitur. Quia uerò nos omnes à latronibus, multis confecti uulneribus, & omnibus opibus ſpoliati, ſemianimes in uia iacemus: pius ille Samaritanus, unicus κατορθωτὴς καὶ πληρωτὴς τοῦ νόμου, uino pœnitentiæ & oleo miſericordiæ in uulnera infuſo, nos curandos ſuſcepit. Cuius beneficiũ ſi dextrè acciperemus: nec falſa & inani iuſticiæ noſtræ umbra tumeremus, nec ultrò latronibus nos offerremus: hoc eſt, prauis cupiditatibus tam petulanter nõ indulgeremus. Sed ad rem ut redeam: etſi ſcopum illum uix, ac ne uix quidem, attingere poſſumus, qualiacunq; tamen exempla, docendi cauſa proponamus.

Eccleſiaſtæ κατόρθωμα.

Sit igitur κατόρθωμα Eccleſiaſtæ, cum ſacras literas ſummo ſtudio, exquiſitum in modum perdidicerit, docere populum agnitionem & cultum Dei, ut ſoli Deo honos habeatur, & omnium ſaluti conſulatur.

Eccleſiaſtæ καθῆκον μέσον.

Eiuſdem καθῆκον μέσον, cum utcunq; didicerit ſacras literas, & aliqua facultate docendi ſit inſtructus, illa eadem aliquo modo conari: ſed tamen ſuum agere negociũ, ſpectare uitæ tranquillitatem, uoluptatem capere ex eloquentia ſua, & populi admiratione, honore, cultu, cæteriſq; commodis. Tales etiam Apoſtoli fuerunt ante acceptum Spiritum ſanctum, & hodie fortaſſe pleriq; ſunt. Poteſt igitur τὸ καθῆκον, τῷ τυφομένῳ λίνῳ comparari: τὸ κατόρθωμα uerò, ταῖς καιομέναις λαμπάσι. Quales fuerunt Henochus, Helias, Ioannes baptiſta, Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum. Nam Seruatoris exemplum ſublimius eſt, ut dixi, quàm ut ſit in humanam diſquiſitionem uocandum.

Eccleſiaſtæ κακία ἐναργής.

Eccleſiaſtæ κακία ἐναργής, uix primis labris ſacras deguſtaſſe literas, omnium bonarum artium ignarum, ſola impudentia & linguæ uolubilitate fretum, ambire ſacerdotium, hoc eſt beatum ocium: aut, ſi doctrina & eloquentia ualeat, propter uentrem & ambitionem oppugnare ueritatem, defendere mendacium, aſſentari omnia, uiuere ut Epicuri de grege porcus. Hæc eſt ἡ ζύμη τῶν φαρισαίων, καὶ τὰ ζιζάνια, καὶ αἱ λαμπάδες αἱ ἔλαιον οὐκ ἔχουσαι, καὶ δένδρον σαπρόν.

Magiſtratus politici κατόρθωμα.

Sic ciuilis Magiſtratus κατόρθωμα eſt, toto animo conſultum uelle Reipublicæ, eiuſq; ſalutem etiam cum interitu ſuo defendere, ſine ullo reſpectu emolumenti, honoris, gratiæ: nec ſpectare quidquam aliud niſi ut Deo obtemperet, & munere ſuo fungatur: hoc eſt, ſalutem ciuium & Reipublicæ

publicæ dignitatem ut tueatur. τὸ καθῆκον καὶ ἡ κακία *eiuſdẽ è ſuperiori exemplo facilè intelligentur, ut & in ijs quæ ſubijciemus. Eſt enim breuitati conſulendum. Sic Iureconſulti* κατόρθωμα *eſt, eſſe ſacerdotem iuſticiæ, etiam ſine decimis: Medici, conſultum uelle ſaluti ægrotantium: Præceptoris, modeſtiæ & eruditioni diſcipulorum: Diſcipuli, intentum eſſe ſtudijs, ut obediat Deo, parentibus, magiſtris, & ut Reipublicæ atque Eccleſiæ aliquando commodare poßit, ſepoſitis cogitationibus honorum & diuitiarum. Poßit etiam Agricolæ aliquod* κατόρθωμα *ſtatui, ſerentis arbores alteri ſeculo profuturas: & id propter Deos immortales facere, qui eum non accipere tantum à maioribus, ſed tradere poſteris etiam uoluerunt. Hæc qualiſcunque idea* κατορθώματος, *quàm rara ac ferè nulla ſit in uita mortalium, nemini eſt obſcurum, uel ſuum ipſius animum intuenti. Eſt enim nobis inſitus amor noſtri, ad quem pleraque omnia referimus. Deinde cum non* αὐτάρκεις *ſimus, ſed multis rebus egeamus, ſubinde occurrit Ariſtotelicum illud,* ἀδύνατον ἢ μὴ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα: *hoc eſt, Vix, ac ne uix quidem fieri poteſt, ut præclaris muneribus fungatur is, cui deſunt impenſæ. Denique ſi non tantum ſint, ſed etiam ſuperſint opes, ad ſplendorem illum & liberalitatem & magnificentiam tuendam, quam τὰ κατορθώματα requirunt: tamen maxima pars diuitum & potentum mauult uoluptatibus frui, quàm officio fungi. Quorſum igitur, inquis, iſta imaginaria* κατορθώματα? *Quid differunt à tragelaphis & hippocentauris? Zeno fortaſsè reſpondebit: ſe ad excutiendam innatam hominibus ſocordiam iniquum petijſſe, ut æquum ferret: aut etiam demonſtrare uoluiſſe, neminem, quamuis ſapientem & bonum, gloriandi & ceſſandi cauſas habere ullas: ſed exercendi ſeſe, & progrediendi in hoc quaſi itinere uirtutis & ſapientiæ, magnam omnibus impoſitam eſſe neceßitatem. Cum autem non tam quid, quàm quo conſilio quidque fiat & dicatur, ſpectari ſoleat: nihil autem præſtabilius ſit, quàm arrogantiam minuere, & præſtantißimarum rerum ſtudia inflammare: non uideo cur Stoicorum* ὑπερβολὰς καὶ μεγαλορρημοσύνην *tantopere uituperemus. Is quidem non tam odio quàm cachinno dignus fuerit, qui ſe talem eſſe iam, aut in terris unquam fore ſomniaret, qualem illi ſuum illum ſapientem, Ioui optimo max. non ceſſurum, deſcripſerunt.*

Aliorum ali- ex generum κατορθώματα

Amor ſui perfecti officij aduerſarius.

Vitæ neceſſitates.

Abuſus diuitiarum.

Stoica doctrina & ſocordiam excuti, & arrogantiam retundi.

Vt rectum quod ſit, id perfectum officium eſſe definiant.) *Definitio nominis (ut dixi) potius hæc uidetur, quàm rei: quæ nihilo clarior redditur hac explicatione, quod eſt definitionis officium. In cauſa eſſe uidetur, quòd τοῦ κατορθώματος obiter mentio fit: ut magis perſpicua eſſet Operis propoſitio, addita collatione cognati argumenti. Eadem etiam cauſa, ut opinor, Ciceronem mouit, ut officij*

παρέργασις propoſitionis. definitionem pollicitus, diuiſionem præponeret, quo rectius ad inſtitutū ſuum perueniret. Quare quæ hactenus ab eo dicta ſunt, craſſiore Minerua, ſic fortaſſe non incommodè complecti queas: Diſputabo in his libris non de officio perfecto, nec ſubtiles rationes inueſtigabo, ſed de officio medio præcepta tradam. Eſt autem officium medium, &c.

Zenonia medij officij definitio. Quod cur factum ſit) *Poſtquam oſtendit qua methodo ſit uſurus, & de quo officij genere ſcripturus: tandem id præſtat quod promiſit, medij ſiue communis officij definitionem, è Græca Zenonis expreſſam, quæ eſt huiuſmodi:* καθῆκον μέσον εἶναι, ὅ πραχθὲν εὔλογον ἔχει τὸν ἀπολογισμόν. κατορθώματος *definitionem ſuprà expoſuimus, in qua niſi uoces* ὀρθὸν λόγον, καθ' ὑπερβολὴν *(ut ibi monui) accipiantur, inter* κατόρθωμα *&* καθῆκον *nihil, aut parum admodum intereſſe uidebitur.*

Ciceroniana definitio. Id eſſe dicant.) *Cauillantur hic omiſſum eſſe genus: ſed neſcio quàm rectè. Nam ſi tranſponas uerba hoc modo; Medium officium eſt factum cuius ratio probabilis reddi poteſt: genus certè eſt, factum. eiusque differentia, ratio probabilis.*

Factis etiam conſilia & dicta comprehendi. *Superuacaneæ ſunt & illæ argutiæ, cum conſilia & dicta (nam in his quoque ſpectatur officium) omiſſa dicunt. Nam perfectiſſimo & extremo poſito, etiam ea quæ antecedunt atque infirmiora ſunt, intelliguntur. Cordati enim homines prius ad cogitandum & diſputandum de rebus, quàm ad agendum ſolent accedere. De euentu autem qui conſilia, dicta, facta ſequitur, non eſt hic agendum: quòd is nō eſt in poteſtate hominu, ſed in manu Dei,*

Euentus non præſtandus uiro bono & ſapienti. *quam uulgò Fortunam uocāt. Eſt autem ſapientis, nihil præſtare præter culpam, & (ut pereleganter Simplicius ſcribit)* τὸ κατορθοῦν οὐκ ἐν τῇ πράξει, ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει ἐστί. *Id eſt, Rei benè geſtæ laus non ex euentu, ſed è cōſilio & uoluntate eſt ponderanda. Affirmat & Thucydides,* τὸν πόλεμον ἥκιστα ἐπὶ ῥητοῖς προχωρεῖν: *& Liuius negat, uſquam euentus minus reſpondere quàm in bellis. Sed id patet latius, ut ad omnes uitæ humanæ actiones ſit referendum.*

Pueriles artium formulas à præſtantibus ſcriptoribus nō eſſe exigendas. *Teneant igitur hoc adoleſcentes: in Eloquentium ſcriptorum monumentis, nō pueriles illas artium formulas, ſed uim ipſam rerum, quæ uariè tractantur, uitandi faſtidij gratia, & propter ornatum orationis, ſpectādam eſſe: nec temerè illos reprehendendos, ſi à Scholarum legibus nonnihil receſſerint. Docet enim experientia, facilius eos reos agi, quàm peragi. Si cui tamē Calcagnini (uiri doctiſſimi, & amœniſſimo ingenio prædití) magis placet definitio, ea eſt huiuſmodi: Officium (inquit) eſt actio, in omni uita cum uirtute ac ratione coniuncta.*

Rationes factorum unde petantur. Ratio probabilis.) *Ea neceſſe eſt uel ab honeſto, uel ab utili (ſi cum honeſtate non pugnet) uel iucundo (ſi nec honeſtatis, nec utilitatis rationi aduerſetur) petatur. Huc poſſunt adiungi locus facultatis, neceſſitatis, autoritatis, & id genus alij, qui ſub tribus his aut comprehenduntur, aut cum eis quodammodo cohærent. Vt autem definitio hæc rectius intelligatur: ſumamus*

Exemplū officij in Ciceroniana deliberatione. *exemplum Ciceronis, bello ciuili Pompeiano ſecum deliberantis: nunquid in diſsidio patriæ ocium ſit agendum, & neutri factioni ſtudendum? an uerò uel*

Cæſar-

Cæſar uel Pompeius ſequendus? Vterque amicus eſt, uterque benemeritus, uterque ijs opibus munitus, ut incerta ſit utrinq; ſpes uictoriæ. Sequitur Cicero Pompeium: Ratio probabilis, quia is defendit libertatem patriæ, quam Cæſar oppreſſuit, quia eius legibus parêre recuſat, ſtudijs & uoluntatibus ueterani atque inuicti exercitus fretus. Hæc ratio ſumitur ab honeſto. Defenſio enim patriæ ad iuſticiam pertinet, honeſti partem ſplendidiſſimam. Deinde comparauit inter ſeſe amicitiam Pompeij & Cæſaris. Maior autem ei cum Pompeio, quàm cum Cæſare neceſſitudo fuit. Pompeius ergo Cæſari erat præferendus. Sumitur & hæc ab honeſto, ſed κατὰ σύγκρισιν δυο καλοῖν. Accedit & tertia ratio honeſti, quæ popularem opinionem potius atque autoritatem ſpectare uidetur, quàm ipſum honeſtum, quod à natura petitur: Pompeium ſequitur Cato uir integerrimus & ſapientiſſimus, & præſtantiſſimi quiq;, patriæq; amantiſſimi ſenatores: Non eſt igitur tantus comitatus talium uirorum mihi deſerendus. Potuit accedere & quarta ratio, ſumpta ab utili: quòd maior ſpes eſſet uictoriæ penes Pompeium, inuictum hactenus Imperatorē, & opibus, copijs, ſtudijs hominum melius inſtructum. Iam quia hoc dubium eſt (uarij enim ſunt bellorum euentus) incidit comparatio utilitatis & honeſtatis, hoc ferè modo: Vt conſtet, uictorem fore Cæſarem: tamen mors potius oppetenda eſt, quàm mala cauſa defendenda. Reſtat tertium membrum deliberationis: Nunquid deceat atq; expediat, ocium agere in tanto motu totius orbis terrarum? Primùm Solon id inhoneſtum eſſe cenſuit, & lege ſanxit ut quiuis ciuis alterius utrius partis eſſet, quod id ad reſtituendā ciuitatis concordiam eſſe utile uideretur. Deinde, etſi per Cæſarem ocium agere liceret: tamen per Pompeiū non item licere. Denique, quocunq; euentu maximā turpitudinis maculā exiſtimationi ſuæ impreſſum iri, ſi Pater patriæ hactenus appellatus, tantæ tragœdiæ ignauus ſpectator deſediſſet. Hæ igitur & huiuſmodi rationes probabiles, ſeu εὔλογοι ἀπολογισμοὶ eſſe uidentur.

CICERO.

Triplex igitur eſt (ut Panætio uidetur) conſilij capiendi deliberatio.

Triplex igitur eſt.) *Cum officium non aliud ſit, niſi actio uirtutis: mirum uideri queat, cur doctrinam de Officio à deliberatione ordiatur: niſi quiuis intelligeret, cordati hominis (quod paulo antè dicebam) omnes actiones certo conſilio gubernari. Nam qui affectu & impetu quodam feruntur, indigni ſunt hominis uocabulo, cum beluarum morem ſequantur, eumq; non omnium. Nam & ex his multæ ſunt, in quibus aliqua conſilij ſignificatio appareat.* Actionē antecedit deliberatio.

Vt Panætio uidetur.) *Sequitur quidem hunc Cicero, ut etiam præfatione tertij libri teſtatur: ſed iudicio arbitrioq; ſuo, & correctione quadam adhibita: non iuratus in illius uerba, ut ait Horatius.*

Conſilij capiendi deliberatio.) *Plenaſmus uideri queat, aut συνωνυ-*

Deliberare, capere conſilium.

pia. Nam inter deliberare, & capere conſilium, parum uidetur intereſſe. Quidam tamen hoc diſcrimen ſtatuunt, ut deliberare ſit, cogitare de rebus, & cõſultare: capere conſilium uerò, aliquid ex iis quæ cogitaris, amplecti, ſtatuere, decernere, ut hoc certum ſit, illud dubium. Obſeruetur autem Ciceronis copia, deliberare, capere conſilium, dubitare, conſiderare, in deliberationem cadere, inquirere, conſultare, afferre ancipitem curam cogitandi: quibus uariãdæ orationis cauſa utitur. Nam tautologiæ, niſi ſermonis inopia excuſentur, & moleſtæ ſunt, & ſterilitatem ingenij & memoriæ labem arguunt.

CICERO.

Nam † honeſtum'ne factu ſit, an turpe, dubitãt, id quod in deliberationem cadit: in quo conſiderando, ſæpè animi in contrarias ſententias diſtrahuntur.

† V. L. honeſtum'ne factum.

Eruditionis utilitas.

Nam honeſtum'ne factu ſit.) *Qui diuiſionem hanc primi excogitarunt, de genere humano præclarè meriti ſunt, oſtenſa uia quadam omnium & cogitationum & actionum: adeò ut uel ob hoc unicum præceptum magni facienda eſſet eruditio. Nam quamuis indocti, fortaſſis ingenio freti, ſimilem rationem ſequantur: tamen cur & quomodo id faciant, ipſi ferè ignorãt, aliàs promptiores, aliàs tardiores.* οἱ δὲ πεπαιδευμένοι ἑτοιμοτέρως λαμβάνουσιν, *ut ait noſter Iſocrates: hoc eſt, Eruditis hæc omnia paratiora ſuppetunt, & magis ſunt in promptu.*

Animi in contrarias ſententias.) *Ingens certamen inter philoſophos fuit, eſſet'ne* τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρὸν φύσει ἢ νόμῳ καὶ δόξῃ. *In quam ſententiam Euripides ſcripſit,*

τί δ' αἰσχρὸν, ἂν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

Exempli loco afferri poſſunt, coniugia Aegyptiorum & Perſarum, ἀνθρωποφάγον *mactatio parentum, Tauroſcytharum mactatio hoſpitum: quæ omnia gentes cæteræ deteſtantur. Apud Romanos honeſtum fuit, uxores adducere ad conuiuia, & primum ædium tenere locum, ut docet Probus Aemylius: apud Græcos, quæ mulier conuiuio uirorum intereſſet, ſcortum habebatur, ut ex oratione Demoſthenis* κατὰ νεαίρας *apparet. Huic Euripidis ſententiæ, in theatro recitatæ, ſiue Socrates, ſiue Diogenes reclamauit hoc uerſu:*

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρὸν κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ.

Significat autem, aliquid natura & honeſtum & turpe eſſe. Quod omnino uerum eſt: ut gratiam referre benemerito, ut occidere innocentem, & id genus alia. Deinde, non negandum eſt multa eſſe, quæ opinionibus hominum uel honeſta uel turpia habeantur, cum per ſe nec honeſta nec turpia ſint, ſed ἀδιάφορα: *ut apparatus nuptiarum & funerum diuerſi. Sunt etiam de quibus dubites, natura'ne an hominum opinione ſint honeſta uel turpia: cuiuſmodi multa incidunt in coniugiis et procreatione liberûm. Sed de his aliàs fortaſſe.*

Hone-

Honeſtum'ne factu ſit.) *Honeſtum, ut antè dictum eſt, uel φύσει, uel νόμῳ καὶ δόξῃ intelligitur. Id autem quod à legibus & inſtitutis ciuitatum pendet, minus in controuerſiam uocatur. Eſt enim notum ferè omnibus, ſenſu cōmuni præditis. Quòd ſi ciuitates benè moratæ, & accuratis legibus munitæ ſint, ſubtilior doctrina non magnoperè requiritur in hoc genere: cum publica diſciplina ferè ſufficiat. Ea uero honeſtas quæ à natura ipſa, καὶ ἐκ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν arceſsitur, aliquando etiam philoſophis dubitationem affert: ut ex tertio huius Operis libro apparet.*

Honeſtum Natura, Opinione.

Animi in contrarias ſententias, &c) *Hinc extiterunt diuerſæ in omni genere diſciplinarum opiniones. Vnde factum, ut eſſent qui omnem liberalem doctrinam aſpernarētur, & philoſophiam planè deriderent. Id quod Lucianus in Hermotimo, dialogo περὶ αἱρέσεων, facit. Hinc etiam ἀκαταληψία introducta eſt. Verùm non propterea ueritas nulla eſt, ſi aut pauci ſunt qui eam intelligant, aut complures qui eam intellectam petulantia ingenij & animi improbitate oppugnatam atque euerſam uelint. Præclarè ſcribit Ariſtoteles: ὥσπερ ἔχει τὰ ὄμματα τῶν νυκτερίδων πρὸς τὸ φῶς τὸ καθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ ἡμεῖς πρὸς τὰ φανερώτατα τῇ φύσει. Quemadmodum, inquit, oculi ueſpertilionum uel in ipſo meridie caligant, ita nos in rebus natura manifeſtiſsimis hallucinamur. Sed hæc caligo, ſi ueritatis amans ſit animus, & laborem diſcendi non fugiat, indies magis ac magis pelletur, & acies oculorum mentis illuſtrabitur: præſertim ſi norma ſacrarum literarum, & quas illæ ubiq; docent, pietas & charitas adhibeantur: quibus ſi quid repugnat, turpe eſt. Verùm eſſe hoc, ſic intelligetur, ſi homo planè indoctus & rudis, cum uiro doctiſsimo & peritiſsimo conferatur, & utriuſque ſentētiæ de uarijs rebus audiantur. Alter enim ſæpè obmuteſcet, ſæpè ineptiſsimè reſpondebit: alter nūquam ferè non habebit quod prudenter in medium afferat.*

Si nihil certum ſit, ridiculam fore omnem doctrinam.

Propter diſſenſiones de cognitione ueritatis nō eſſe deſperādum.

Exemplum docti & indocti.

CICERO.

Tum autem † inquirunt & conſultant, ad uitę commoditatem iucunditatemq́ue, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam: quibus & ſe poſsint iuuare, & ſuos: conducat id, nec'ne, de quo deliberant. Quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit.

† *V. L. anquirunt.*

Inquirunt, &c. ad uitæ commoditatem.) *In primis obſeruetur paulo inſolentior locutio, cuius ſententia eſt: Homines deliberant de commodiſsima, iucundiſsima & utiliſsima uitæ ratione. Quòd ſi quis ita uerba ordinet, Tum autem inquirunt & conſultant, id de quo deliberant, conducat nec'ne ad uitæ commoditatem: nihil impedio, & σύγχυσιν, eamq́ue non paruam eſſe, facilè concedo. Sed repugnat omnium, quos ego quidem uiderim, codicum diſtinctio.*

Cõmoditas ad cuiuſque cõditionem referenda.

Commoditatem.) *Vis uocabuli ſpectetur, quæ ſignificat, omnem deliberationem ad cuiuſq; conditionem accommodandam eſſe: conditionem autem intelligi, uarietatem ingeniorum, corporum, fortunarum, ſtudiorum. Alia commoda ſunt homini ingenioſo & ſtudioſo, alia pauperi, alia diuiti, alia ſano & robuſto, alia ualetudinario & imbecilli, alia auaro & ambitioſo, alia modeſto & paucis contento, &c.*

Iucunditatemq́.) *Eadem & huius uocabuli uis eſt, cum & ipſum τῶν πρός τι ſit. unde apud Ariſtotelem, qui certa aliqua re delectantur, φιλοτοιοῦτοι appellantur.*

Ad facultates.) *Non tantùm, quantum opus eſt, ſed etiam ut ſuperſit: οὐ μόνον οὐσίαν, ἀλλὰ καὶ περιουσίαν ζητοῦντων. Facultates enim à ui & commoditate efficiendi aliquid dici uidentur: χορηγίαι, παρὰ τὸ χορηγεῖσθαι.*

Ad opes.) *In quibus numerantur amici, (unde prouerbium: Vbi amici, ibi opes) gratia, autoritas, & ſimilia. Nec enim tantum pecuniam complectitur hoc uocabulum, cuius ſignificatio à iuuando deducitur. unde Opem ferre, pro iuuare dicimus.*

Potentiam.) *Complectitur defenſionem ſui & ſuorum, atq; etiam offenſionem aduerſariorum: ut non modò tuti ab iniuria, ſed etiam formidabiles inimicis, amicis autem ſolatio præſidioq́; ſimus.*

Ratio cum genitiuis.

In rationem utilitatis.) *Periphraſis hæc uocabuli ratio, cum genitiuis, Ciceroni uſitatiſſima eſt: & aliàs elegantiæ cauſa uſurpatur, aliàs egeſtati patrij ſermonis ſuccurrit: ut cum tutam rationem dicit, eam quæ Græcis eſt ἀσφάλεια. In periphraſi autem cum Græcis conſentit, cum dicunt τὰ περὶ τὴν ἀσφάλειαν, uel τὰ τῆς ἀσφαλείας, pro τὴν ἀσφάλεια.*

CICERO.

Tertium † dubitandi genus eſt, cum pugnare uidetur cum honeſto, id quod uidetur eſſe utile.

† *V. L. diſputandi genus eſt, cum pugnare uidetur honeſto.*

Pugnare uidetur.) *Scilicet hominib. nõ ſatis eruditis, ac populariter & ſentientibus & loquentibus. Nam Stoici quidem nihil eſſe putabant utile, quod honeſtum non eſſet. In quam ſententiam Auſonius: Nunquam diſcrepat utile à decoro. Hæc utilitatis & honeſtatis coniunctio atq; connexio, lib. 3 huius Operis copioſe tractatur.*

CICERO.

Lucta utilitatis & honeſtatis.

Cum enim utilitas ad ſe rapere, honeſtas contrà ad ſe reuocare uidetur: fit ut diſtrahatur in deliberando animus, afferatq́; ancipitem curam cogitandi.

Vtilitas ad ſe rapere.) *Poetica ingenia egregiam habent hic exercendi ſtyli occaſionem, κατὰ προσωποποιΐαν, ut ſit homo (uelut apud Prodicũ Hercules)*

cules) in medio duarum mulierum conſtitutus: quarum altera Vtilitas, illum ui ad ſe pertrahat: altera Honeſtas, eminus ad ſe reuocet.

Ad ſe rapere.) *Significat, maiorem eſſe cupiditatem utilitatis, & quaſi uiolentiam.*

Reuocare ad ſe.) *Cupiditas utilitatis ad* ἐπιθυμητικὸν *refertur, cui ſe comitem præbet* τὸ θυμοειδὲς, *quorum magnus eſt impetus: ratio uerò honeſtatem ſpectat, non ui, non impetu agit: ſed placidè & ſedatè ueritatem indagat atq; explicat, non rapit & trahit, ſed allicit, ducit, perſuadet. Obſeruetur autem reuocandi uerbum, quòd innuit naturalem hominibus cum honeſtate cōiunctionem, à qua ſpecie utilitatis & uoluptatis illecebris abſtrahi ſoleat.*

Afferatq́.) *Durum fuerit, ſi dicas, Res uel deliberatio afferat curam: & mollius opinor, ſi, Animus afferat curam ancipitem cogitandi ad iudicium rerum: id eſt, dubius atq; incertus ſit, utrum utri præferat. Nam & honeſtatem conſeruare cupit, & inuitus facit ut quod utile putat, propter honeſtatem amittat è manibus. Mallet imitari Lyſandrum Lacedæmonium, qui à Dionyſio duabus ſtolis oblatis, quarum alterutram filiæ dono afferret, ambas accepit: Ipſa (inquit) rectius iudicabit, utra ſibi ſit aptior. Pugna hæc eſt* τῆς ὁρμῆς, *id eſt brutæ animi partis:* καὶ τοῦ νοός, *ideſt mentis & rationis. Quæ pugna in omnium hominum animis perpetuò uerſatur, ijs exceptis qui aut perfecta uirtute & ſapientia ſunt: (qui, ſi qui ſunt, perpauci ſunt:) aut frenos cupiditatibus laxarunt, ut omnibus in rebus non rationem, ſed libidinem ſequātur: qui uulgo deplorati & obſtinati appellari ſolent, à diuo Paulo* ἀπηλγηκότων, καὶ νοῦν ἀδόκιμον ἐχόντων, καὶ ἀμετανόητον καρδίαν, *quorum emendationis nulla ſpes ſit reliqua. Iſtiuſmodi pugnæ deſcribuutur ab Euripide in Hippolyto coronato, elegantibus uerſiculis, qui ediſcendi ſunt, & perpetuò ob oculos habendi:*

Rationis & appetitionis pugna.

Repurgati. Deplorati.

Cauſæ negligendi officij.

τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γινώσκομεν,
οὐκ ἐκπονοῦμεν δ', οἱ μὲν ἀργίας ὕπο,
οἱ δ' ἡδονὴν προθέντες ἀντὶ τοῦ καλοῦ
ἄλλην τιν' (εἰσὶ δ' ἡδοναὶ πολλαὶ βίου,
μακραί τε λέσχαι, καὶ σχολή, τερπνὸν κακόν)
αἰδώς τε. δισσαὶ δ' εἰσίν. ἡ μὲν οὐ κακή,
ἡ δ' ἄχθος οἴκων. εἰ δ' ὁ καιρὸς ἦν σαφής,
οὐκ ἂν δύ' ἤστην ταὔτ' ἔχοντε γράμματα.

Quorum hæc ſententia eſt: Quæ bona ſunt nouimus & intelligimus, ſed non facimus: alij præ ignauia, alij uoluptate aliqua honeſtati antepoſita. (multæ autem uitæ ſunt uoluptates, ut prolixæ nugæ, ut ocium, iucundum malum) atq; uerecundia. quæ quidem duplex eſt: altera non ſanè mala, ſed altera onus eſt ædium. cuius modum ſi teneremus, duplex nō eſſet, nec ijſdem utraq; literis ſcriberetur. Medea uerò apud eundem quid ait?

Lucta rationis & appetitus.

καὶ μανθάνω μὲν οἷα τολμήσω κακά,
θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,

ὅσαπερ μεγίστων αἴτιον κακῶν βροτοῖς.

Quam ſententiam Ouidius ſic expreſſit:

—aliudq́; Cupido
Mens aliud ſuadet. Video meliora, proboq́;:
Deteriora ſequor.—

Demoſthenes item de ſuis Athenienſibus queritur, rei benè gerendæ pleraſque occaſiones eos amiſiſſe, non quòd ignorarent quid officij ſui eſſet, ſed quòd id exequi nollent, his uerbis: ὁρῶ γὰρ ὑμᾶς, ὦ ἀθηναῖοι, τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ἐκπεφευγότας, οὐ τῷ μὴ εἰδέναι τὰ δέοντα ποιεῖν, ἀλλὰ τῷ μὴ βούλεσθαι. Cordatis aũt hominibus curandum eſt, ut penes τὸ λογιστικὸν, καὶ τὸ ἡγεμονικὸν, τὸν νοῦν λέγω, id eſt mentem, ſit uictoria: non autem penes τὸ ἄλογον, τὴν ὁρμὴν, quæ uim iraſcendi & appetendi complectitur.

CICERO.

Hac† diuiſione (cum præterire aliquid, maximum uitium in diuidendo ſit) duo prætermiſſa ſunt.

† *V. L. Hac in diuiſione.*

Diuiſionis Panætij reprehenſio.

Hac diuiſione.) *Cicero in ipſo limine horum librorum, Panætium, quẽ autorem & quaſi magiſtrum ſequitur, duplici nomine reprehẽdit: uno, quòd officij definitionem non poſuerit: altero, quòd anguſtius contraxerit deliberationum uias, quàm res ipſa ſinat. Facta hæc eſſe ab illo perſpicuitatis gratia, & ueritatis amore, exiſtimare candoris eſt, ut et hæc ſententia ad illum trãſferatur: τοῦ φανταστοῦ καὶ τῶν στωϊκῶν φίλων ὄντων, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Sed non deſunt, qui reprehenſiones has ab arrogantia, & ſtudio nouitatis tantum profectas eſſe putent. qua de re etiam T. Liuius conqueritur: Noui (inquit) ſemper ſcriptores aut in rebus certius aliquid allaturos ſe, aut ſcribendi arte rudẽ uetuſtatem ſuperaturos credũt, &c. Neq; uerò ipſe Cicero procemio 1. Tuſc. diſſimulat, ſe cum Græcis certaſſe, & uincere illos ſtuduiſſe.*

Imperij poteſtas arrogantes facit.

Quæ perſuaſio fortaſſis ex eo orta eſt, quòd penes Romanos ſumma rerum erat, à qua ſumma etiam ſapientia ſeiungi non poſſe uideretur. Hoc enim eſt Fortunæ ingenium, ut ſapientiam pediſſequam ſuam eſſe opinetur. Contrà uerò Demoſthenes: τὸ εὖ πράττειν παρ' ἀξίαν πολλάκις ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίγνεται. & Mimus: Fortuna nimium quem fouet, ſtultum facit. Reprehenditur autem noſter autor lege quadam talionis, & ipſe in principio huius Operis, & quidem cum fœnore, tripliciter. Primùm, ob mutatum titulum, ſeu inſcriptionem operis. Deinde, ob promiſſam, ſed non præſtitam definitionem officij. Poſtremò, ob redundantem deliberationis diuiſionem. Vnde intelligitur, quàm ſit difficile omnibus ſatisfacere, & quàm ſimus ipſi & in cauẽda reprehenſione parũ oculati, & ad alios reprehẽdendos propenſi. Vnde Euripides: ἅπαντές ἐσμεν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί, αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν. Itemq́; Xenophon, & nihil peccare arduũ, & rectè factorũ calumniatorem etiam uitare, difficilius etiã eſſe querĩtur his uerbis: καὶ μὴν, ἔφη,

οὐδ' ηὗρε

ὤνθρε, οὐ πάνυ γε ῥᾴδιόν ἐστιν εὑρεῖν ἔργον, ἐφ' ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχοι. χαλεπὸν γὰρ, ὥστε τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν. χαλεπώτερον δὲ, καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιήσαντας, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν. *Quod ſi ita eſt: cur & nos ſiue iuſtas, ſiue iniuſtas reprehenſiones tam iniquis animis feramus? cum tam latè pateat Momi imperium.*

De inſcriptione.) *Primum ait reprehenſor, ſingularem numerum, cum genus ipſum uel totum aliquid ſignificetur, plura complecti: & uſitatiorē eſſe, quàm pluralem. Itaq; rectius inſcripſiſſe Panætium, περὶ τοῦ καθήκοντος: quàm Ciceronem, de Officijs. Sic officiū imperatoris, & ſitum terræ rectius dici: quàm officia imperatoris, & ſitus terrarum. Pluralem autem numerum particularibus eſſe commodiorem, ut cum res geſtas, aut uitas Imperatorum dicamus. Deinde ipſum Ciceronem non conſtare ſibi, quod erroris indiciū ſit, cum paulo pòſt ſcribat: Omnis de officio quæſtio duplex eſt, &c. Item: Eſt & alia diuiſio officij. Hæc Calcagninus. cū quo* BETVLEIVS *noſter, uir doctiſſimus, cùm de Schola hac, tū de tota Rep. literaria præclarè meritus (poſt cuius lucubrationes in hoc Opus eruditiſſimas, ſuperuacuus hic meus labor uideri queat) grauiter expoſtulat, multiſq; uerbis Ciceronē defendit. Mihi uerò (ut ingenuè dicam) res non magni momenti uidetur, nec tanta digna cōtentione. Nam ut demus erraſſe Ciceronem: ea tamen modeſtia ſententiam ſuam expoſuit, ut minimè ſit reprehendendus. Liberum enim ſuum cuiq; iudicium relinquit. Deinde quod ad pluralis & ſingularis numeri uſum attinet, ea eſt (ut uel pueris conſtat) libertas utriuſque linguæ, ut modò plurali numero de una re, modò ſingulari de pluribus loquamur. Quæ cauſa uidetur fuiſſe, cur Cicero aliàs De officio, aliàs De officijs diceret. Atq; hæc de prima reprehenſione: pluribus enim non eſt opus.*

Pluralis & ſingularis numeri uſus liberior.

Ad alteram quod attinet, ſuprà diximus, cum uarius ſit uſus uocabuli Officij, id definiri commodè non potuiſſe, prius quàm diſtingueretur. Præpoſitam ergo diuiſionem, ſed πάρεργως, eique ſubiunctam definitionem, quæ ἔργον eſt, cuiq; diuiſio ſeruit.

Diuiſio definitioni præpoſita.

Tertia reprehenſio uidetur aliquanto plus ponderis habere. nam cum Stoici gradus rerum ſuſtulerint, ut illo παραδόξῳ apparet, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα: cui adiungi poteſt contrarium, ὅτι ἴσα καὶ τὰ καθήκοντα, καὶ τὰ κατορθώματα: Panætium nec potuiſſe, nec debuiſſe (niſi ſecum ipſe pugnare uellet) uel honeſtatis, uel utilitatis ullam comparationem inſtituere.

Ciceronianā diuiſionem uideri magis popularem.

Sed hic uerè reſponderi poteſt, Ciceronis diuiſionem ad uitæ ciuilis uſum longè eſſe accommodatiorem, cui hi libri potiſſimùm deſtinati ſunt. Fert autem conſuetudo ſermonis in omnibus linguis, gradus comparationis, ſi non una uoce prolatos, at circuitione aliqua deſignatos. Etiam res ipſæ neceſſe eſt inter ſe comparentur. ut, Honeſtum eſt defendere amicum: ſed certè honeſtius habetur, defendere parentem, deſerto amico, ſi utrunque tueri unà haud poſſis. Vtile eſt munire urbem mœnibus, & propugnaculis, & armis, & fortibus uiris, & commeatu: ſed utilius eſt, urbem munire uera religione, bonis legibus, honeſta diſciplina, concordia ciuium, amicitijs exterorum

Comparationes & ſermo communis & rerum natura patitur.

atq; in primis uicinorum, ſi fieri poſſit. Etſi autem hæc omnia coniungenda ſunt in eadem Rep: tamen ſi omnia haberi non poſſint, comparatio hæc locum habere poteſt. quam cur Stoici ſuſtulerint, ipſi uiderint: certè propter illorum παράδοξα, *neq; humani ingenij ſenſus, neq; ſermo uſitatus mutabitur. Nam illud quidem facilè illis concedimus, eos ſui conſilij non contemnendas habuiſſe rationes. Qui enim acrius (ut alia nunc prætercam) à peccando deterrere potuerunt, quàm cum contenderent, non minus delinqui ſi ſeruus, quàm ſi magiſtratus uioletur? Certè quod ad animum hominis attinet, non uideo quid interſit. Vtriuſq; iniuriæ natura & uis eſt eadem: magnitudine tantum differre uidentur, ac numero. Qui enim ſeruo iniuriam fecit, etiam magiſtratui faciet propoſita impunitate, & cælandi ſpe. Solent autem delicta non tam euentu quàm conſilio ponderari: & peccare Stoicis eſt, tranſilire lineas. Quod ſi Cicero non rectè Panætium reprehendit, (de quo non magnopere contendo. nam ut homo labi, falli, errare, affectu aliquo tranſuerſus agi, & ipſe potuit) non ſine cauſa tamen (ut mihi quidem uidetur) iudicio arbitrioq; ſuo à Panætij autoritate & Stoicorum diſceſſit, cum potius uitæ communi, quàm ſubtilitati Scholaſticæ inſeruiendum cenſuiſſet. Sequitur apud Calcagninum, diuiſionem Ciceronianam nimis latè euagari, ſemel admiſſa comparatione: & ad ſuperlatiuos etiam progrediendum eſſe, in quo & Cicero ſibi non conſtet, qui præfatione ſecũdi libri ſcribat: Non ſolum quid utile, quid inutile, ſed ex utilibus quid utilius, aut quid maximè utile, quærendum. Reſponderi poteſt, Ciceronem non ita fuiſſe hebetem, ut iſtud non perſpexerit: ſed breuitatis ſtudio comparatiuo contentum, dualiq; numero, ſuperlatiuos, pluralemq; lectoris cogitationi reliquiſſe, & aliàs aliter ſuo arbitratu ſcripſiſſe. Pergit idem Calcagninus: Minus utile, inquit, utile eſſe definit, utiliori comparatum: ſicut affulgente ſole, cætera lumina obſcurantur. Reſponſio in promptu eſt: uſitatum ſermonem, in quem nihil iuris ſit Stoicis, non temerè eſſe mutandum. Apud Homerum non ideo Nireus deformis dicitur, quòd ſit eo formoſior Achilles. Dicimus uitrum album, etſi nix eo candidior eſt. Diues eſt, qui centum millia aureorum habet: ſed non propterea pauper, qui octoginta millia. Occidi malum eſt: ſed grauiter uulnerari non propterea malum non eſt, quòd peius eſt occidi: quamuis dicat Ariſtoteles,* ὅτι ἀγαθοῦ λόγον λαμβάνει τὸ ἧττον κακὸν πρὸς τὸ μᾶλλον συγκρινόμενον. *Nam id quidem ad optionem ac delectum bonorũ & malorũ attinet, ut malis uulnerari quàm occidi, ut* 100000 *præferas* 80000. *Rerum autem ipſarum natura propter hoc non mutatur,* τῇ μὲν οὐσίας καὶ ποιότητος διαμενούσης, τῷ δὲ ποσοῦ διαφοράν τινα εἰληφότος, *ut paulò antè dictum eſt. Neque uerò ignoro, diuitias & paupertatem ſuis quenque uſibus, neceſſitatibus, aut cupiditate etiam metiri: ut quæ mihi diuitiæ ſunt, ea ſatrapæ ſit extrema inopia. Sed ſi diues eſt, cui non tantum ſatis eſt, ſed etiam ſupereſt, ſi naturæ congruenter conuenienterq; uiuat: certè is cui* 80000 *fuerint, pauper non erit: niſi pauperẽ eum dicamus, cuius ambitionem & auaritiam nulli honores, nullæ opes, nullæ copiæ*

Euagatio Ciceronianę diuiſionis, & inconſtantia.

Non amittere nomẽ bonitatis ea, quibus alia præſtent.

Opum atq; inopiæ æſtimatio.

copiæ & facultates explere poſſint. Deinde dici poteſt, comparationes in hoc doctrinæ genere ob hoc ipſum eſſe utiles, atq; adeò neceſſarias, ut gradus atq; precia & rerum & perſonarum rectè diſtinguantur, ne fortè amicus parenti præferatur, aut ualetudinis potius quàm uoluptatis & pecuniæ iactura fiat. Comparationes officiorum eſſe neceſſarias.

CICERO.

Nec enim ſolùm, utrum honeſtum an turpe ſit, deliberari ſolet: ſed etiam duobus propoſitis honeſtis, utrũ honeſtius: itemq; duobus propoſitis utilibus, utrũ utilius? † Ita quam ille triplicem putauit eſſe rationem, in quinq; partes diſtribui debere reperitur.

† *V. L. Itaq; quam. Alij: Itaq; ille triplicem putauit eſſe rationem, quæ in quinque.*

Hæc quia & per ſe perſpicua ſunt, & exemplis ſuo loco illuſtrabuntur, in præſentia intacta relinquemus.

CICERO.

Primùm igitur eſt de honeſto, ſed dupliciter: tum pari ratione de utili: pòſt de comparatione eorum diſſerendũ.

Hic trium horum librorũ argumẽta, & ipſius doctrinæ ordo indicantur.

CICERO.

Principiò generi animantium omni eſt à natura tributum, ut ſe, uitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea quæ nocitura uideantur: omniaq; quæ ſint ad uiuendum neceſſaria, acquirat & paret, ut paſtum, ut latibula, ut alia generis eiuſdem.

Principiò generi animantium.) *Procemio & methodi ratione abſoluta, nunc demum rem ipſam aggreditur. Cum autem doctrina hæc ad finem bonorum pertineat, hoc eſt, ad uitam beatam referatur, (quicquid enim hic præcipitur, ea de cauſa præcipitur, ut qui obtemperat, aut beatus fiat: aut, ſi id minus datur, minus certè miſer) inter ſaniores autem philoſophos conſtet, benè beateq; uiuere non eſſe aliud, niſi naturæ congruenter conuenienterq́ue uiuere: ante omnia naturæ humanæ uis inquiritur, ut conſtet, quid homini commune ſit cum beluis, quid commune cum Deo & angelis, (etſi hic locus certis de cauſis præteritur à Cicerone) quid proprium & ſuum habeat. Satis autem apparet, τὸ φυτικὸν, hoc eſt uim creſcendi & alendi ſeſe, homini commune eſſe cum plantis & ſtirpibus: τὸ αἰσθητικὸν facultatem ſenſuum cum equis & aſinis, cæterisq; brutis, à quorum multis ut pulchritudine & uiribus & magnitudine corporum, ita etiam ſenſuum uigore & uitæ diuturnitate uincitur. Vnde conſtat, hominis bonum proprium neq; ἐν τῷ φυτικῷ, neque* Summum hominis bonũ ex animo rationis capaci petẽdum.

ἐν τῷ αἰσθητικῷ eſſe poſitum: rationem uerò & mentem (ſi terrena ſpectentur) propriam eſſe hominis. Ex ea igitur petendum eſt ſummum hominis bonum, ſiue felicitas. Philoſophicè autem hic, non Theologicè loquimur. Quanquam autem ipſa etiam philoſophia, ægrè illa quidem & rarius atque languidius, oculos in cœlum attollit, & quæ ſit inter Deum & hominem neceſſitudo atq; coniunctio indagat: quia tamen Ciceroni uita humana & ciuilis tantùm in hoc Opere propoſita eſt (quòd de Deo & religione in libris de Natura Deorum, de Rep. & Legibus egerat) hanc partem omittemus, & in terris hærentes, in cœlos hoc tempore non ſubuolabimus.

Philoſophiā in rebus diuinis frigere.

Principiò.) *Particula ordinis eſt, hoc loco, ſicut & Liuius ſuam hiſtoriam incipit: Iam primùm omniū ſatis conſtat. Perinde igitur eſt ac ſi dixiſſet: Hinc ordienda eſt tractatio doctrinæ Officiorum.*

Iuris parens Natura.

Principiò generi.) *Ius omne à natura proficiſcitur, ſi quis uerè conſideret. Id enim iuſtum eſt, quod natura (quæ nihil aliud eſt, niſi uis rebus conditis diuinitus inſita) cuiq; rei attribuit. Ac in plantis & ſtirpibus etiam hoc ius eſt, ut hoc modo quælibet oriatur, adoleſcat, fructum ferat, ſuo deniq; tempore areſcat & pereat. Ius animalium eſt, id quod Cicero hic commemorat. Sed cum plantis ſenſus, brutis uerò ratio deſit: ius propriè ad homines pertinet, quod philoſophi bipertitum fecerunt, φύσει καὶ νόμῳ, ſeu φυσικὸν καὶ ἔγγραφον. quorum alterum ita demum ius eſt, ſi cum priore conſentit, aut certè non multum ab eo diſcrepat. id quod aliquando fit propter peculiarem alicuius gentis rationem, cuiuſmodi eſt furum ſuſpendium: quamuis naturæ iudicio, uita, omni & argento & auro præſtet. Iuriſconſulti autem tertium etiam membrum addiderunt. Ius naturæ, inquit Iuſtinianus, eſt, quod natura omnia animalia docuit, &c. hinc deſcendit maris atq; fœminæ coniunctio; quam nos matrimoniū appellamus: hinc liberorū procreatio, hinc educatio, &c. Ius ciuile, quod quiſq; populus ſibi ipſe conſtituit. Ius gentium, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, quod apud omnes peræquè cuſtoditur. Hinc orta bella, captiuitates, ſeruitutes, omnes penè contractus, &c.*

Ius plantarū & animaliū.

Ius humanū.

Iuſtinianea diuiſio iuris.

Quæri autem poteſt, ſi à natura omnia proficiſcuntur, quæ de Officijs ſcribit Cicero: quid opus ſit accurata doctrina? Reſponderi poteſt: Si omnes eo eſſent ingenij acumine, eaq; diligentia, ut totius naturæ uim ſcrutarentur, atq; perſpicerent, non magnoperè opus fore doctrina: quæ nō ferè aliud eſt, niſi ipſius naturæ obſeruatio. Sed ſtupor & negligentia multorum, & naturæ amplitudo, quam unius hominis ingenium nunquam perſpiciet, & peſſimorum exemplorum prauarumq; opinionum multitudo, ſubtiliorem doctrinam propè neceſſariam facit: præſertim cum opinionum commenta non minus dies deleat, quàm naturæ iudicium confirmet, ut rectè ſcribit in Nicocle Iſocrates his uerbis: ἄξιον μὲν οὖν καὶ τοὺς φύσει κοσμίους ὄντας ἐπαινεῖν καὶ θαυμάζειν· ἔτι δὲ μᾶλλον τοὺς καὶ μετὰ λογισμοῦ τοιούτους ὄντας. οἱ μὲν γὰρ τύχῃ, καὶ μὴ γνώμῃ σωφρονοῦντες, τυχὸν ἂν καὶ μεταπεισθεῖεν. οἱ δὲ πρὸς τῷ πεφυκέναι, καὶ διεγνωκότες ὅτι μέγιστόν ἐστι τῶν ἀγαθῶν ἀρετή. δῆλον ὅτι πάντα τὸν βίον ἐν ταύτῃ τῇ τάξει

Principia doctrinę de moribus naturā nota, non ſatis eſſe ad uirtutis abſolutionem.

τῇ τάξει θαυμαστοί. id eſt: Laudibus & admiratione digni ſunt; cùm naturâ modeſti homines, tum uerò ij qui ratione quoq; ſunt tales. Nam qui temperantiam fortuitò, non conſultò colunt: hi, fieri poterit ut aliquando mutent ſententiam. Qui uerò præter naturæ bonitatem, etiam perſpexerunt ſummum bonum eſſe in uirtute poſitum: per omnem ætatem ſcilicet in hac ſtatione perſeuerabũt. Sed quid obſtat, quò minus ipſum Ciceronẽ huic cauillationi 3. Thuſc. reſpondentem audiamus? Is igitur: Quòd ſi tales, inquit, nos Natura genuiſſet, ut eam ipſam intueri & perſpicere, eademq́; optima duce curſum uitæ conficere poſſemus: haud erat ſane, quòd quiſquã rationem ac doctrinã requireret. Nunc paruulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusq́; deprauatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingenijs noſtris ſemina innata uirtutũ: quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam uitam Natura perduceret. Nunc autem, ſimulatq; editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate uerſamur, ut penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe uideamur. Cum uerò parentibus redditi, deinde magiſtris traditi ſumus, tum ita uarijs imbuimur erroribus, ut uanitati ueritas, & opinioni confirmata natura ipſa cedat. Hactenus ille. qui, ut ſacræ Scripturæ ignarus, Deum parũ liberalem erga genus humanũ fuiſſe cenſet: ad eamq́; naturæ malignitatem accedere deprauationem conſuetudinis, quaſi uerò ea ipſa praua conſuetudo, è natura corrupta non oriatur?

Omni generi animantium.) *Primùm recenſentur ea, quæ homo cum beluis communia habet. ea uerò ſunt in genere, τὸ φυτικὸν, καὶ τὸ αἰσθητικόν. Ponit autem tria potiſſimum: ſtudium ſalutis & incolumitatis, quò uictus etiam & habitatio pertinet, unde etiam mortis metus exiſtit: deinde appetitum procreationis: tertio loco φιλοστοργίαν φυσικὴν, amorem & curam fœtuum. His quartum etiam membrum addi poteſt, tẽnuia quædam ſimulacra memoriæ & prouidentiæ.*

Homini cum brutis communia.

Se, uitam, corpusq́.) *Primùm ponit totũ, Se. deinde, ut copioſus eſt, partes ſubijcit: uitam, corpusq́;. Vitam autem intelligi uult, opinor, animam: quæ eſt uitæ cauſa.*

Tueatur.) *Vim ui repellat. Hinc bruta dentibus, cornibus, unguibus, & id genus alijs rebus munita ſunt, ut uim propulſare queãt, alia minus, alia magis. Vnde illud Phocylidis: ὅπλον ἑκάστῳ νεῖμε θεός. Rarum eſt (quod Plinius libro ſeptimo, & Iuuenalis Satyra decimoquinta eleganter explicant) ut eiuſdem generis animantes mutuò ſe deuorent, aut lædant, niſi iritatæ. Sed à diuerſi generis animalibus pleriſq; periculum imminet: quod quælibet, ut poſſunt, euitant: ſic tamen, ut infirmiora & ſtolidiora callidioribus & fortioribus prædæ ſint, miro quodam naturæ conſilio, quæ bruti corporis uitam parui æſtimare uidetur, tot caſibus & iniurijs obnoxiam. Homo autem in ea omnia non tantùm regnum, ſed tyrannidem etiam ſæpè exercet. Idq́; minus mirũ eſt, cum ſui quoque ſimiles omni immanitatis genere perſequatur, cuius prauitatis*

Nulla fera homine truculẽtior atq; nocentior.

Naturæ humanæ corruptela.

tatis cauſas philoſophi non ſine ſtupore mirantur, Theologi demonſtrant.

Declinetq́ ea.) *Quemadmodum Vlpianus aduerſariorum argumenta in primis confutari, ac tum demum noſtram ſententiam confirmari iubet: ἀναιρεθέντων, inquit, τῶν ὑφορμούντων ἐν τῇ γνώμῃ τοῦ ἀκροατοῦ, τὸ λοιπὸν τὰ μηδεμίαν ἀντίῤῥησιν ἐπιδεχόμενα: ſic natura etiam ante omnia aduerſa, ut famem, ſitim, frigus, æſtum, captiuitatem repellit, ac tum demum ſibi commoda aſciſcit. Quanquam hæc coniuncta plerunq; inter ſe ſunt, atq; cohærent.*

Quæ nocitura uideantur.) *Prudentiores igitur ſunt Pyrrhone, qui (ut Diogenes Laertius ſcribit) μηδὲν φυλαττόμενος, μηδ' ἐκτρεπόμενος, à comitatu diſcipulorum, ab interitu uindicabatur. Si tamen uerum eſt (ueriſimile certè quidem non eſt) tantum fatuum philoſophum eſſe habitum.*

Omniaq́ quæ ſunt ad uiuendum.) *Ad hunc locum declarandum adhibeantur, Theodori Gazæ præfatio in Ariſtotelis hiſtoriam animalium, & Plutarchi libellus πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα· τὰ χερσαῖα ἢ τὰ ἔνυδρα: item Gryllus eiuſdem, ſiue περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι.*

CICERO.

Commune item animantium omnium eſt, coniunctionis appetitus procreandi cauſa: & cura quædam eorum quæ procreata ſunt.

† *V. L. Commune autem, κοινὸν δὲ.*

Commune item animantium.) *Græco more locutus eſt, ſicut Demoſthenes: πονηρὸν πονηρὸν ὁ συκοφάντης, καὶ πανταχοῦ χαλεπόν: Improbum improbum eſt calumniator, & ubiq; moleſtum.*

Coniunctionis appetitus.) *Sic Ariſtoteles, φυσικώτατον (inquit) ἐστὶ τὸ γεννᾶν ἑαυτῷ ὅμοιον: Procreare ſui ſimilem, eſt maximè ſecundum naturam.*

Ne in matrimonio quidem libidini ſeruiendum.

Procreandi cauſa.) *Cum, autore grauiſſimo Hippocrate, nihil æquè & ualetudinem, & uires, & uitæ longinquitatem tueatur, atq; ἀκορίη τροφῆς, καὶ ἀοκνίη πόνων, καὶ σπέρματος οὐσίας συντήρησις: hoc eſt, ut edas ac bibas citra ſatietatem, & corpus ita exerceas ut non defatiges tamen, & genitalis ſeminis materiam conſerues: Sacræ literæ autem omnes uagas libidines deteſtentur: in ipſo etiam matrimonio hic finis ab ipſa natura deſtinatus, diligenter conſideretur, & (quantum uel naturæ imbecillitas, uel coniugij ſeruitus ſinit) ſeruetur ne homo infra beſtias ſeſe abijciat: quarũ pleræq; non niſi certo anni tẽpore ad procreationẽ incitantur: et femellæ pleræq;, concepto fœtu, marem non admittunt.*

Zenobia.

Eadem etiam Zenobiæ Palmyrenorum reginæ continentia celebratur, quæ cum ſe grauidam ſenſiſſet, Odenatũ maritũ in thalamum ſuum non admiſit. Digna (ut quidam exclamat) quæ ſine omni dolore páreret: cum in matrimonio non uoluptatem, ſed procreationem ſobolis ſpectaret.

Matrimonij pericula.

Cuiuſmodi matronas ſi noſtra ætas ferret: etiam ſtudioſi homines, & non firmiſſima præditi ualetudine, minore periculo uxores ducerent: quibus

nunc

nunc aut infamia, aut rixæ perpetuæ, aut immaturus obitus cum detrimentis rei familiaris ſunt metuenda. Ridentur hæc ſcilicet à laſciuis hominibus, & in luſtris ac gaenis magis uerſatis, quàm in Theologia & philoſophia: quibus nos hæc non præſcribimus. Indulgeant illi genio: ſed probus adoleſcens hominem ſe eſſe, non pecudem meminerit. Quòd ſi uerũ eſt, quod ἀνώνυμος Ptolemæi ſcribit interpres, Aegyptios ſingulis menſibus ſemel tantum conſuetudine uxorum uſos, quò infantis concepti momentum deprehenderent: quid Chriſtianis facere par eſt propter Deum, ſummam & cõtinentiam & abſtinentiam flagitantem?

Et cura quędam eorũ.) *Quædã, inquit: q. d. nõ ita diuturna, neq; ita diligens, ut eſt in genere humano, quod procreationi nuptias, educationem philoſtorgiæ adiungit. Matres quidem fœtus ſuos pleræq; curant, mares uerò non item: neq; etiam illa cura ferè ultra id tempus durat, quo fœtus ipſi iam ſibi conſulere poſſunt. Hominum autem ſolicitudo etiam ad nepotes & pronepotes, atq; omnem adeò poſteritatem extẽditur. Vnde Ariſtoteles 1. Ethicorum quærit, πότερον αἱ τῶν ἀπογόνων καὶ φίλων τύχαι τι συμβάλλονται πρὸς εὐδαιμονίαν: Nunquid poſterorum & amicorũ fortunæ conferant ad felicitatem? Extant etiam ἀστοργίας exempla in brutis animantibus, cuiuſmodi ſunt cuculi, corui, & aliæ fortaſſe plures. Quanquam quid de cuculis & coruis loquimur? cum & matres ſint, quæ fœtus aut medicamentis abigant, aut perimant: & patres, qui quid de uxoribus & liberis, etiam dum ipſi uiuunt, fiat, minus ſunt ſoliciti, quàm de ijs quæ extra columnas Herculis geruntur?*

Hominum philoſtorgia uberior & diuturnior.

Aſtorgiæ exempla.

CICERO.

Sed inter hominem & beluam hoc maximè intereſt, quòd hęc † tantũ ſenſu mouetur: ad id ſolùm quod adeſt, quodq́ præſens eſt, ſe accommodat: paulùm admodum ſentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, qui rationis eſt particeps, (per quam conſequẽtia cernit, principia & cauſas rerum uidet, earumq́ progreſſus & quaſi anteceſsiones non ignorat, ſimilitudines comparat, rebusq́ præſentibus adiungit atq; annectit futuras) facilè totius uitæ curſum uidet, ad eamq́ degendam præparat res neceſſarias.

† *V. L. Tantum, tanquam: præſentiens: Homo autem qui: prægreſſus: ad eamq; regendam: atque aduertit: totius curſus.*

Sed hominem & beluam.) *Hactenus quid homini cum beluis commune eſſet, expoſuit: in quo diligenter, ut dixi, curandum eſt, ne homo infra*

Cauendũ homini, ne beſtijs ſtoliditate par, uirtute inferior, uitijs ſuperior reperiatur.

beluarum uilitatem ſe abijciat. Quod ij faciunt, qui aut ſtudio uoluptatum, aut neglectione ualetudinis, ac rei familiaris, & ſibi & ſuis perniciem acceršunt. Vnde Omnibonus non incõmodè ratiocinatus: Si beluæ, inquit, ſibi & ſuis proſpiciunt: quanto magis hoc eſt homini faciendum? Hinc enim argumenta à minori ad maius duci poſſunt, Si quid brutis ineſt boni: contraq; à maiori ad minus, Si bruta flagitium cauent. Cuiuſmodi ſit, Bruta non plus bibunt, quàm ſitiunt: quanto minus hoc homini eſt faciendum? A pari autem abſurdiſsimum argumentum ducetur, & tamen nihil eſt in uita humana uſitatius. Eſt hæc peruerſa Dialectica non tantũ uulgi, ſed etiam principum: Bruta nihil præter neceſsitatem, & commoditatem corporis, & hanc uitam ſpectant: Ergo, & homini philoſophia contemnenda eſt, hoc eſt, nihil ultra id cogitandum, quod ſenſus comprehendere poſſunt. Nemo, inquis, ita ratiocinatur. At pleriq; ita uiuunt, ut eos ſic ſentire non admodum ſit dubitandum. Exemplum illi certè quidem petunt à natura beſtiarum, ſi ipſi beſtiæ non ſunt. Vt autem hæc philoſophia Epicuri probari nullo modo poteſt, quæ peccat ἐλλείψει (omittit enim mentem, præcipuam partem hominis) ſic Stoici peccant ὑπερβολῇ, qui plus tribuunt homini quàm eius natura capit, aut potius ipſi quoq; ἐλλείψει. Nam ut Epicurei mente, ita Stoici corpore hominem quodam quaſi latrocinio (ſi uerba potius quàm ſententiam eorum ſpectes) exuũt: quorum neutrum fieri neque poteſt, neque debet. Nam ſine mente, belua fuerit: ſine corpore, Deus quiſpiam, aut genius. Sed cum certiſsima teſtis experientia, & ſenſus communis, hominem ex corpore & animo conſtare doceat: ea philoſophia naturam rectiſsimè obſeruaſſe cenſenda eſt, quæ in id ſtudet, utriq; parti quod ſuum eſt ut tribuatur. Quare Lucianus ὁ πράσει βίων, cum cæteros philoſophos penè omnes deriſiſſet, Ariſtotelem autem audiret tria bonorum genera, animi, corporis & fortunæ recenſentem: ἤδη ποτὲ φωνῆς ἀνθρώπου ἀκούω, Nunc demum (inquit) uocem hominis audio.

Peruerſa illiteratorum dialectica.

Epicureos mente, Stoicos corpore hominẽ ſpoliare.

Ariſtotelica philoſophia naturæ conſentanea.

Quam rationem in inueſtigando officio Cicero quoque obſeruat. Etſi enim uirtutem ſummum ſcopum propoſitum habet: tamen ea præſidia quæ corpus, cum beluis commune, requirit, non illi negat: imò non ferendum eſſe cenſeret, ſi homo ea parte beſtijs ſtultior & ſegnior eſſet. Eſt hoc loco etiam naturæ ratio in ſuis muneribus diſtribuendis conſideranda. Lapis habet τὸ εἶναι tantum: planta τὸ κινεῖσθαι, τὴν τροφὴν, καὶ αὔξησιν. Animal τό, τὸ ζῆν, καὶ τὸ κινεῖσθαι, καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι: cui adhæret τὸ ἐφορμᾶν τε καὶ ἀφορμᾶν. homo uerò his omnibus adiungit etiam τὸ λογίζεσθαι, & cæteras facultates ratione moderatur atq; excolit: manibus etiam, inſtrumento ſapientiæ, ornatus. Vera igitur philoſophia eſt, quæ homini integro conſultum uult, nec ullam eius partem aut facultatem deſerit: quæ eum & eſſe uult, & moueri: id eſt, & ali, & creſcere, & ſentire, & appetere, & abhorrere, & rationis uti iudicio, ut & τὸ εἶναι, & τὸ εὖ εἶναι coniungantur: nec is tantum ſit in natura rerũ, ſed etiã pro naturæ ſuæ conditione bene ei ſit. Præſtat enim (mea quidem ſententia) non eſſe, quàm malè eſſe. id quod ex eo colligas (opinor) quòd haud ſerè quiſ-

Monſtrum hominis, ſi quis beſtia ſegnior fuerit.

Naturam homini & cæterarũ rerum omnium docet, & præter eas rationis & orationis uſum, & manus, erectãq; corporis figuram dediſſe.

rè quiſquam inuenitur, qui ſiue in magnis animi doloribus, ſiue in corporis cruciatibus, liberari malis, morte atq; interitu non deſideret. Qui uerò aliter docent ψευδοφιλόσοφοι, latrociniũ quoddam, ut dixi, in hominem exercẽt, ſpoliando eum ijs muneribus quæ à natura, hoc eſt à Deo opt. max. accepit.

Hoc maximè intereſt.) *Intelligendum, ea quæ hactenus enumerata ſunt, etiam ad hominem pertinere, qui & ipſe eſt in numero animantium. Nec ea ſimpliciter quidem, ſed cum multis prærogatiuis, quæ nunc explicabuntur.*

Hoc maximè intereſt.) *Si corpus ſpectetur, homo pleriſq; animalibus adeò non antecellit, ut etiam ijs ſit inferior. Excellentia uerò eius in mente & manu, erectaq; figura corporis poſita eſt. Qua de re conſulantur elegantes Phocylidis uerſus:* Hominis præſtantia.

ὅπλον τοι λόγος ἀνδρὶ τομώτερός ἐστι σιδήρου.

Ratio atq; oratio, inquit, ſunt arma hominis, acutiora ferro. Et Euripides: Βραχύ τοι σθένος ἀνέρος· ἀλλὰ ποικιλίαις πραπίδων δαμᾷ φῦλα πόντου, χθονίων τ' ἐανά παιδεύματα. *Exiguæ quidem ſunt hominis uires: Sed ingenij ſolertia, Domat marinas beluas, Et uarios terreſtriũ animalium fœtus.*

Quod hæc tantum.) *Hoc eſt: Beſtia ſolo ſenſu ducitur, qui res tantũ ſingulas & præſentes percipit.*

Senſu mouetur.) *Vulgare eſt, Obiectis moueri ſenſus: hoc eſt, Excitari ut in officio ſint, & munere ſuo fungantur. Quanquam philoſophi corruptelas animi pleraſq; ſenſibus acceptas referunt, eosq; moderandos & cohibendos eſſe præcipiunt, & ueluti hoſtibus portas ſcelerum (ut Pictorius poeta oculos uocat) occludendas, quibus ſenſus ad animum relati comparantur. Hinc prouerbium,* ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται ἀνθρώποις τὸ ἐρᾶν: *Amor ex aſpectu naſcitur mortalibus.* Senſus portæ ſcelerum.

Se accõmodant.) *Sunt ergò in hoc etiam beluæ nonnullis hominibus, aut (ſi dijs placet) opinione ipſorũ dijs prudentiores, qui non ſtatũ rerum præſentiũ ſed cupiditates ſuas ſpectãt: nolunt ſe accõmodare rebus, ſed ſtultè & fruſtra poſtulãt ut ſe res ipſis accõmodent. Quod cũ non fit, aut cœlũ terræ miſcent furoris & inſaniæ pleni, aut ignauia & deſperatione obtorpeſcunt.* Contumaciæ ſtultitia.

Paulùm admodum.) *Non affirmare omnino audet, omni deſtitui memoria & prouidentia beluas: ſed has dotes in illis hebetes eſſe, & exiguas innuit. Canes & equi, oderunt eum à quo malè tractati ſunt, atque etiam ſomniant: elephanti reges ſuos adorant: leones, bene meritis gratiam retuliſſe leguntur, & unguibus in ambulando parcunt: formicæ ſibi proſpiciunt contra hyemis rigorem & penuriam: apri dentes exacuunt: mures ruinoſam domum deſerunt: ut & pediculi hominem moribundum, ob frigus ſcilicet, fugiunt, ac pabuli inopiam: aues cõplures, mutationes tempeſtatum præſentiunt. Sed fiunt illa omnia nõ certa aliqua ratione & conſilio, ſed naturæ impulſu: qua tametſi etiam homo impellitur (nam & ratio naturæ donum eſt) tamen beſtiæ quod faciant, cur faciant ignorant, Homo autem ſcit cur quidque* Memoriæ & prouidentiæ ſimulacra in beſtijs.

faciat, mente & ſeipſam & alias res cõtemplante. Quæ Epictetus noſter Stoico & ſuo more, χρῆσθαι ταῖς φαντασίαις, καὶ ἐπακολουθεῖν, καὶ τὸ τὸν λόγον ἑαυτοῦ θεωρητικὸν εἶν καὶ τῶν ἄλλων, dicit.

Hominis definitio Platonica.

Rationis eſt particeps.) *Platonici recentiores, Hominem definiunt ζῶον λογικόν. τὸ λογικόν, diſcernit eum à brutis, quæ ἄλογα dicuntur. Sed quia deos etiam & genios ζῶα λογικὰ uocant, addunt θνητόν: quod ad corpus propriè pertinet. nam mentem immortalem eſſe, ut deos, ſtatuerunt: ijdemq́; etiã genijs, ſiue dijs (ut appellarunt) corpora uel ignea, uel aerea attribuerunt. Rationis igitur particeps à Cicerone homo dicitur, reſpectu deorum immortalium, ad quorum imitationem his ipſis uerbis eum accendere, & quaſi in cœlum tollere ſtudet. In quam ſententiam egregium Epigramma extat Gregorij Nazianzeni, dignum quod ſubinde inculcetur adoleſcentiæ:*

θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων δ' ἐπιλήθεο πάντων,
Μηδέ σε νικήσῃ πρὸς κακότητα δέμας.
τύμβος μὲν βίος οὗτος· ὁ δ' ὄλβιος, ὅς γ' ὀνείρῳ
τέρπεται, ἀλλοίη δ' ἄλλος ἔκυρσε τύχῃ.
μούνης δὲ ζωῆς καθαρῆς βίος ἔμπεδος αἰεί:
καὶ πολύς, ὃν ζώειν δεῖν ἀρειότερον.

Cuius hæc ferè ſententia eſt:

Mens age, ſuſpice: terrenas age deſpice ſordes:
Corporis à uitijs neu ſubigare, caue.
Quàm breuis eſt hæc uita? Beatos ſomnia ludunt:
Sors uaga ſic alios, ſic aliosq́; rotat.
Vita diu durat, nullo peritura ſub æuo,
Sancta: Labor fructu non caret ille ſuo.

Rationis definitio.

Per quam conſequentia cernit.) *Virium rationis enumeratio, loco definitionis ponitur. Si quis roget, Quid eſt ratio? Cicero reſpondebit: Ratio eſt melior hominis pars, cum Deo illi communis, quæ conſequentia cernit, principia & cauſas rerum uidet, &c.*

Cauſarum & effectuum à conſequentib. & antecedentibus diſtinctio.

Conſequentia.) *Cauſæ & effectus aliquando Antecedentia & Conſequentia appellantur. Nam cauſæ antecedunt, ſequuntur effectus: idq́; naturæ ordine perpetuo. Sed alia antecedunt, alia ſequuntur: cum à cauſis diſceſſum eſt, non ſemper, ſed fortuitò. ut duæ aquilæ, quæ inſederunt domui in qua genitus eſt Alexander Magnus, anteceſſerunt partũ eius, ſed illius cauſa non fuerunt. Sic & conflagratio templi Epheſiæ Dianæ: quamuis nihil contulerit ad id, ut Alexander naſceretur. Hæc ut rectius intelligantur, conſideretur Ariſtotelica τοῦ ὑστέρου καὶ προτέρου diſtinctio, qua ſtatuit πρότερον καὶ ὕστερον ἢ χρόνῳ, ἢ τάξει, ἢ ἀξιώματι, ἢ αἰτίᾳ. Prius & poſterius (inquit) eſt uel tempore, uel ordine, uel dignitate, uel cauſa, uel effectu.*

Cernit.) *Mens enim oculus quidem animi dicitur: etſi ſunt qui omniũ ſenſuum functiones ad animum transferant. Vnde illud Epicharmi, niſi fallor, eſt: ὁ νοῦς ὁρῇ, ὁ νοῦς ἀκούει, τὰ δ' ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά. Quod fortaſſe concedi poſſet, (uide-*

ſet, (uidemus enim in ἐκστάσει. ſenſus munere ſuo non fungi) niſi hac ratione beluæ homini æquarentur. Si enim mens eſt quæ uideat atq; audiat, cætera ſurda & cæca ſunt, beſtias autem & uidere & audire conſtat: mentem utiq; habebunt beſtiæ. aut, ſi non habeat, neq; uident, neq; audiũt. Vident autem atque audiunt. Non igitur uidere atq; audire mentis eſt proprium. Sed his omiſſis, argutioribus fortaſſe quàm uerioribus, Ciceronis hac de re ſententiã audiamus I. Tuſculana: Sæpè, inquit, aut cogitatione, aut aliqua ui morbi impediti, apertis atq; integris & oculis & auribus nec uidemus, nec audimus: ut facilè intelligi poſſit, animum & uidere & audire, non eas partes quæ quaſi feneſtræ ſunt animi: quibus tamen ſentire nihil queat mens, niſi id agat, & adſit. Plinius item lib. II. *Animo (inquit) uidemus, animo cernimus. Oculi ceu uaſa quædam uiſibilem eius partem accipiunt, atq; tranſmittunt. Sic magna cogitatio occæcat, abducto intus uiſu. Sic in morbo comitiali, aperti nihil cernunt, animo caligante.*

Principia.) *Ἀρχαὶ φυσικαὶ dicuntur αἱ κοιναὶ ὑπόθεσεις, ſiue πρῶτα. Interdum ἀρχαὶ idem ſunt quod τὰ αἴτια: quod ex inſcriptione quatuor librorũ Ariſtotelis priorum φυσικῆς ἀκροάσεως apparet. Alioqui principium, initiũ cuiuſq; rei dicitur: hoc eſt, quo nihil eſt prius, & quòd alia ſequuntur, quod & Antecedens dici poteſt. À Cicerone* I. *Tuſc. ſic ſcribitur: Origo (inquit) principij nulla eſt. Nam ex principio oriuntur omnia, ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt.*

Et cauſas rerum.) *Principia & cauſas coniungit κατὰ συνωνυμίαν. Quatuor autem illa cauſarũ genera; effectrix, materia, forma & finis, quæ in plures ſpecies ſubdiuiduntur, ſatis nota ſunt. Hoc tamen obſeruetur, rationis eſſe τὸ αἰτιολογεῖν, ὅπερ ἐστὶ φιλοσοφεῖν, hoc eſt, cauſas rerum explicare: & ſi quid agas cuius rationem reddere non poſſis, id à te non ratione, ſed temerè atq; ex affectu aliquo geri.*

Progreſsiones, & quaſi anteceſsiones.) *Conſequentia quæ hoc loco intelligi uiderentur, dictum eſt. Nam apud Dialecticos aliter capitur ea uox, eiq; opponitur Repugnans. ut ſi concedas, uirtutem ſummum et ſolum bonum eſſe: conſequens erit, uitam beatam uirtute eſſe contentam. Anteceſſiones uerò quas hic dicit, uidentur eſſe antecedentia: ut imbecillem atq; effœtam ſenectutem plerunque antecedit libidinoſa atq; intemperans adoleſcentia. Hoc ratio colligit ex obſeruatione. Progreſſus autem rerum qui ſint, id etiam docet experientia. Sumamus exempli cauſa hominem. is primùm infans eſt: ab infantia progreditur ad pueritiam, adoleſcentiam, uirilem & conſtantem ætatem, quæ ἀκμὴ græcè dicitur. Huc cum progreſſus eſt, et ad ſummum quaſi peruenit, τὴν ἀκμὴν: τῆς παρακμῆς exiguo interuallo ſequente, paulatim declinat, & ad ſenectutem atq; mortem deuoluitur. Vnde Hippocrates, αἱ ἄκραι τῶν εὐεξιῶν σφαλεραί: id eſt, optima corporis habitudo eſt periculo proxima. & Lucanus (nam hæc etiam ad Remp. accommodari poſſunt:)* Aetatis humanæ progreſsio.

Inuida fatorum ſeries, ſummiſq; negatum

Stare diu, nimioq́; graues ſub pondere lapſus.

Romæ primus dignitatis gradus erat quæſtura, deinde ædilitas, deinde prætura, deniq; conſulatus, aut dictatura, aliquando cenſura, aut procōſulatus. Hoc illud eſt, quod Seruius Sulpitius dicit: Honores ordinatim in Rep. petere.

Similitudines comparat.) *Hoc eſt, Similium effectuum ſimiles eſſe cauſas: & contrà, ſimilium cauſarum ſimiles eſſe effectus ſtatuit. Vt, crudelitas Phalaridi, Tiberio, Domitiano peperit odium: ergo, Nunc etiam crudelis princeps inuiſus erit. Sed nō rectè argumentaris: Phalaris crudelitatis ſuæ pœnas dedit: Ergo dabit etiam Dionyſius. Nam euentus non ita eſt in hominum poteſtate, ut ſunt affectiones animorum. Huc pertinent ea quæ Iſocrates de capiendi conſilij deliberatione præcipit: In conſultando, inquit, præteritarum rerū exempla transfer ad futuras: et ſi præteritorū recordaberis, melius decernes de futuris. Si quis aūt mauult cōparationes ſimilitudinū ſic intelligere, ut quæ paria inter ſe ſint magnitudine, aut numero, aut qualitate, nō impedio: ſicut homo ſtudioſus confertur api, adoleſcentia ueri, ſenectus hyemi, auaricia hydropi.*

Rebusq́ præſentib.) *Suprà diximus, ſenſum eſſe rerū ſingularū, & præſentium tantum. Mens aūt τὰ καθόλου cōſiderat, præteritorū meminit, præſentia ad miniſtrat, & futura præuidet, nō quidē certò & exquiſitè, ſed aliquo tamen modo. Calchanti quidē ſuo hoc tribuit Homerus:* οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,

ὃς ᾔδει τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Quem uerſum Virgilius de Proteo uſurpatum, ſic conuertit:

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ pòſt uentura trahantur. *& grauiſſimi probri loco Achilles obijcit Agamemnoni:* ὅγ' ὀλοιῇσι φρεσὶ θύει,

οὐδέ τι οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω.

Is uerò, inquit, furore percitus, nequit ſimul & proſpicere et reſpicere: hoc eſt, neq; futurorum neq; præteritorum rationem habet, libidini ſuæ & iracundiæ tantùm indulgens.

Humanam prouidentiā ſæpè fruſtrari.

Facilè totius uitæ curſum uidet.) *In genere quidem hoc uerum eſt. Poteſt enim homo acutus & ſagax, is præſertim qui ſui iuris eſt, & ex nutu aliorum non pendet, ex ratione ingenij, ualetudinis, fortunarum, ſtudiorū ſuorū, & conditione locorum atq; temporū, aliquo modo proſpicere, quem uitæ curſum, & quam quaſi metam ſit habiturus. Sed multa interueniunt, quæ diuinationem hanc turbent, & ea obijciant quæ nunquā uel ſomniaris. Vnde querela illa Terentiani ſenis, qui cùm ſeueritati ſuæ locum eſſe nullū cerneret: Nunquam, inquit, ita quiſquam bene ſubducta ratione ad uitam fuit, Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid adportet noui, Aliquid moneat, ut illa quæ te ſcire credas, neſcias: Et quæ tibi putaris prima, in experiūdo repudies. Neq; uerò hoc hebetioribus tantùm, & imperitis: ſed & ſapientiſſimis uiris, atq; exercitatiſſimis hominibus accidit, propter fortunæ temeritatē. Cicero ſperabat ſe in ſenectute fructum percepturum laborum ſuorum, quos Reip. cauſa per omnem ætatem cæpiſſet. Sed quàm deceptus ſit, his uerbis primo de Oratore ipſe teſta-*

teſtatur:Qui locus quietis & tranquillitatis pleniſſimus fore uidebatur,in eo maximæ moleſtiarum & turbulentiſſimæ tempeſtates extiterunt.

CICERO.

Eademq́; Natura ui rationis hominem conciliat homini,& ad orationis & uitæ ſocietatem.

Eademq́; natura.) *Quid ratio per ſe ualeat,& ipſi homini τῷ μέρος præſtet,hactenus expoſuit. Et huc pertinet,id quod antè dixit :* Si tecum agas quid. *Nunc ea ſubijcit,quæ ratio quaſi latius euagans,& à ſeipſa diſcedēs præſtet:quod ſuprà dixit,* ſi cum altero contrahas. *Spectatur enim rationis uis biſariam:uno modo,in ipſo indiuiduo:altero, in ſpecie. hoc eſt: Ratio uel uni & ſingulis,uel publicè omnibus,aut ſaltem pluribus conſulit.In quorum utroq; prudentia cum iuſticia coniuncta uerſari uidetur. Nam qui, cum poſſet,nec ſemetipſum nec alios adiuuat,iniurius eſt,legemq́; Naturæ uiolat.*

Vi rationis.) *Ratio & ipſa non minus naturæ donū eſt,quàm dotes corporis. Abſq; qua ſi eſſet,homo non humanam, ſed beluinam uitam ageret. Id quod hi faciunt,qui ad ſeipſos referunt omnia.Deſciſcunt enim à natura humana,& in beluas degenerant,aut etiam deteriores illis fiunt.*

Conciliat homini.) *Nihil aliud dicit,quàm quod Ariſtoteles :* ὅτι ὁ ἄνθρωπος πολιτικὸν καὶ κοινωνικὸν ζῷον ἐστί, *Hominem animal eſſe ciuile & ſociabile.Vt autem ratio & oratio hominem homini , ſic & reliquas animantes forma naturæq́; ſimilitudo conciliat.Vnde Theocritus:*

τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ:

Et cicada cicadam & formica formicam amat. Quanto magis igitur hominem homini conciliare debet humanitas? Quî fit autem,ut nulla alia animalia æquè inter ſeſe diſſideant?Illud opinor in cauſa eſt,quòd in nullo animalium genere tanta eſt ingeniorum & morum uarietas: αἱ δὲ ἀνομοιότατοι τῶν ἠθῶν, ἥκιστα φιλικόν, *autore Ariſtotele. Accedit* φιλαυτία *longè maior,& luxuriæ & auariciæ & ambitionis mater: à quibus abeſſe non poteſt æmulatio,inuidia,ſimultas,inſidiæ,uiolentia. ut enim rationis legitimus uſus uirtutes & artes bonas omnes mirificè excitat & auget:ſic eadem ubi à ſeſe ad prauum appetitum defecerit,omnium ſcelerum ſentina & gurges efficitur.*

Et ad orationis.) *Cum Deus & Natura nihil fruſtra faciant, ſed ad certos fines et uſus deſtinarint omnia:Oratio uel in primis argumēto eſt, hominē non ſibi ſoli eſſe natū.Alioqui nihil ea eſſet opus,cū quiſq; ſeſe,etiā tacentē ac mutum,ſatis intelligat. Sed quia cogitationes aliorum perſpicere non poſſumus,ſermo interpretis munus obit. atq; id præſtat (modò à mendacio & ſimulatione abhorreat)ut aliorum quaſi cogitationes perſpiciamus,& καρδιογνῶσαι quidam euadamus. Nam ſi is interpres ſuo muneri defuerit,in maiorē etiā ignorantiā illius improbitate conijciemur. Vnde cōſtat, quantū ſcelus ſit mendaciū,& inſidioſa ſimulatio & diſſimulatio:quantoq́; opere ipſi naturæ repugnet , quæ ſermonem nuncium cogitationum humanarum eſſe uoluit.*

Oratio interpres animi, uinculum ſocietatis.

Et ad

Propter ſocietatis conſeruationē, quædam in ſpeciem incommoda fieri.

Et ad uitæ ſocietatē.) *Cuius interpres atq; miniſtra eſt, ut diximus, oratio. Quantū autem à ſolitudine natura humana abhorreat, Cicero in libello de Amicitia exponit. Propter hāc ſocietatem, quo diuturnior & iucundior ſit, ſæpè homines & à naturæ iure, & ſuo, nonnihil quaſi deflectunt: multa omittunt quæ alioqui licerent, multa faciunt quibus ſuperſedere poſſent, ſi ſuum quiſq; compendium ſpectaret. Quæ μειονεξίαι καὶ ἐλαττώσεις etſi Reipublicæ inprimis ſeruiunt, tamen ad ſummam etiam ſingulorum utilitatem redundāt: iuuatur Reſpublica à ſingulis, uiciſſimq; ſinguli à Republica defenduntur.*

CICERO.

Ingeneratq; in primis præcipuum quendam amorem in eos qui procreati ſunt.

Ingeneratq;.) *Φιλοστοργίαν etiam pecudibus ſuprà tribuit, quæ in homine eſt excitatior, maior & diuturnior: nec cæco tantum naturæ impulſu fertur, ſed etiam certa ratione gubernatur. Sunt leges coniugiorum, ſunt diſciplinæ, quæ non corporibus tantum, ſed animis etiam conſulant. Eſt in ijs etiam qui procreati ſunt, φιλοστοργία καὶ ἀντιπελάργησις erga parentes: quæ in beſtijs aut non ſunt, aut rariora atq; obſuriora ſunt. Rationis igitur ui natura humana ubiq; ſuperior eſt beluis, eademq; neglecta ultro excellentiam ſuam abijcit & conculcat.*

CICERO.

Impellitq; ut hominū cœtus † & celebrari inter ſeſe, & à ſe obiri uelit: ob eaſq; cauſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent & ad cultum & ad uictū: nec ſibi ſoli, ſed coniugi, liberis, cæteriſq; quos charos habeat, tueriq; debeat.

† V. L. & celebrari inter ſe, & ſibi obedire uelit. Aliàs, ut hominum cœtus, ut celebrationes & eſſe & à ſe obiri uelit ſuppetitent. ſuppeditent.

Lectionis uarietas.

Locus hic uariè legitur. Vſitatiſſima lectio eſt, Et celebrari inter ſe, & ſibi obedire uelit. *Obedire, ſi rectè legitur, ſignificationem habet τῆς φιλαρχίας: quod non placet. Rectius uidetur,* & à ſe obiri. *ut ſententia ſit: Hominem gaudere frequentia, eaq; non ignaua: nolle eum ſpectatorem tantum eſſe, aut κωφὸν πρόσωπον, ſed etiam actorem: uelle ſuam opem atq; operā conferre ad tuendam ſocietatem, non ignauum fucum καὶ ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης haberi. Hanc puto germanam & lectionem & ſententiam eſſe huius loci. Petrus Balduinus in uetuſto codice reperiſſe ſe ſcribit,* ut hominum cœtus & celebrationes & eſſe & à ſe obiri uelit. *Quæ lectio mihi non diſpliceret, ſi pro* celebrationes, *legeretur celebritates, quæ Græcis πανηγύρεις ſunt, aut σύνοδοι. Plana eſſent omnia, ſi quis uetuſtus codex huic lectioni,* ut hominum cœtus, ut celebritates & eſſe & à ſe obiri uelit, *ſuffragaretur. Nam celebratio non aliud eſſe uidetur, quàm prædicatio. Niſi fortè, ut in*

Syllana

Syllana pro frequentatione capiatur: ubi, Quæ domus, inquit? quæ celebratio quotidiana? quæ familiaris dignitas? quæ ſtudia amicorum? quæ ex quoque ordine multitudo?

Ob eaſq; cauſas.) *Propter & conſeruationem ſui, & ſuorum & Reipublicæ incolumitatem. Complectenda enim ſunt tam ea omnia his uerbis, quæ homini communia cum pecudibus, quàm quæ peculiaria ac propria ſunt.*

Suppeditent.) *Non rarum eſt, idem uerbum & abſolutè et actiuè uſurpari. Sed tamen & quorundam uetuſtorum codicum autoritas, & coniectura Petri Marſi mihi nō diſplicet, qui per T ſyllaba tertia Suppetitent legit, ut ſit frequentatiuum à uerbo Suppeto: & facilis permutatio eſt uicinarum inter ſe literarum. Quàm multi enim deſpicere & diſpicere confundunt, cum tantum interſit?*

Ad cultum & ad uictum.) σκεπάσματα, καὶ διατροφάς. *His uerbis non tantum cibum & potum, ſed & domicilia & amictum: nec res neceſſarias tantum, ſed eas etiam quæ ad liberalem ſpeciem pertinent, ideſt τὴν σεμνότητα καὶ τὴν εὐσχημοσύνην, complectitur.*

Nec ſibi ſoli.) *Certa officia tribuuntur Reipublicæ, nec tamen ea omnia quæ rei priuatæ. Plura enim quiſq; ferè domui ſuæ, quàm ciuitati præſtat.*

Sibi ſoli.) ἡ φιλαυτία *(qua fit, ut quiſq; ſibi melius eſſe malit quàm alteri) paulatim fit φιλοστοργία, & ueluti concha è teſta ſua foràs eminet: & primùm proxima quæq;, deinde etiam ulteriora amplectitur, & longius uelut à ſeipſa recedit.*

Sed coniugi, liberis.) *Prima ſocietas (ut poſtea dicet) eſt in matrimonio. unde œconomia. E pluribus domib. uici & pagi, ex his ciuitates, regna atque ampliſſima imperia extiterunt, paulatim dilatante ſeſe atq; explicante naturæ humanæ ui: ut Ariſtoteles docet in Politicis, & Cicero multis in locis.* Natura primùm intra ſe ſe uertitur: poſt, caput altius effert.

Cæteriſq; quos.) *Hoc addit, ne texat longum catalogum. Facile autem intelligitur, eum loqui de nepotibus, fratribus, ſororibus, affinibus, amicis, ſeruis, ancillis, clientibus, uicinis, omnibus deniq; ijs quibus uel ſine grauiore ſuo incommodo prodeſſe poſſit, uel pro mutuo amore acceptiſq; beneficijs gratiam referre debeat. Nam hos quoq; charos habet æquè, aut certè nō multo minus, quàm neceſſitudine ſanguinis coniunctos. Huc aſcribantur memorabiles Euripidis uerſiculi, de exordio eius tragœdiæ quæ ἡρακλεῖδαι inſcribitur:*

πάλαι ποτ' ἐστὶ τοῦτό μοι δεδογμένον,
ὡς ὁ δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ.
ὁ δ' εἰς τὸ κέρδος λῆμ' ἔχων ἀνειμένον,
πόλει τ' ἄχρηστος, καὶ συναλλάσσειν βαρὺς,
αὑτῷ δ' ἄριστος.

Iam olim (inquit) in hac ſententia fui: uirum bonum alijs eſſe natum. Cuius uerò animus pecuniæ inhiat: is & Reipublicæ eſt inutilis, & ad commercia difficilis, ſibi ipſi autem optimus.

CICERO.

Quæ cura exuſcitat etiam animos, & maiores ad rem gerendam facit.

Periculis & negocijs gliſcunt animi.

Quæ cura.) *Sicut in magnis oneribus tollendis, aut operibus faciendis, nerui corporis intenduntur: ita etiam fit in uarietate & magnitudine rerum, quæ curandæ nobis ſunt. Eſtq́; idem in hoc genere, naturæ artificium. Homines ignaui, ocio quodammodo obtorpeſcunt, & parum differunt à mortuis: occupationes uerò, & animi & corporis uires excitant. Quæ ſi honeſtæ & Deo gratæ ſint, diuinitùs etiam adiuuantur. Vulgo dicitur, honoribus mutari mores: atq; dictum hoc ad ſuperbiam refertur. ſed non incommodè etiam ad hanc animorum excitationem transferri poteſt. Sic Samuel, cum Saulem regem Iſraelitarum in auguraſſet, prædixit ei tergiuerſanti & dubitanti, fore ut in alium uirum mutaretur. Ad eundem modum D. Paulus, cum afflictionibus gratiā quoq; diuinā augeri affirmat. Etſi aūt πνευματικῶς hæc accipienda ſunt: tamen φυσικῶς etiā rectè dicuntur, niſi quis animo ſit planè degeneri.*

Exuſcitat.) *Velut à ſomno quodam ignauiæ. Sic Virg. Georg. lib. I. de Ioue:*

— Curis acuēs mortalia corda, Nec torpere graui paſſus ſua regna ueterno,
Vt uarias uſus meditando extunderet artes.

CICERO.

In primisq́ꝫ hominis eſt propria ueri inquiſitio, atq́ꝫ inueſtigatio.

In primisq́ꝫ.) *Nūc ad ſemina prudētiæ progreditur. Nā hactenus principia naturalia iuſticiæ, quæ in ſocietate ciuili potiſs. ſpectatur, et ueluti comites habet φιλοστοργίαν (quæ aliàs pietas, aliàs charitas à Latinis dicitur) et liberalitatem ſeu beneficētiā, indagauit atq; expoſuit. Etſi aūt uideri poſſūt quædā inſerta, quæ ad animi magnitudinē pertineant: tamē præcipuè de iuſticia, quæ πολιτικὸν καὶ ἀλλότριον ἀγαθὸν ὂν, Platone teſte, agitur. Eſtq́; ea ut artiū ac diſciplinarū, ita & uirtutū inter ſe cognatio atq; cōnexio: ut alias ab alijs ſeparare, ſæpè plus habeat curioſitatis quàm utilitatis. In Scholis quidē diſcēdi cauſa diſtinguūtur: in uſu aūt uitæ cōmunis niſi cōiūcta fuerint, nō præclarè agitur.*

Nexus uirtutum atq; artium.

Inprimisq́ꝫ.) *Nam aliarū uirtutū ſimulacra quædā etiā in beluis apparēt: quæ, ut antè dictū eſt, minus à natura ſua quàm homines degenerant. id quod Plutarchus in Gryllo ſuo prolixè oſtendit. Rationis autem longè maior eſt excellentia, quàm ut, niſi tenuiſſimè, brutis contigerit. Quo magis ignoſcendū eſt ijs philoſophis, qui ſummum bonum in ſcientia poſuerūt, ὑπερβολικῶς utiq; ut in ſola uirtute Stoici. Nam ſcientia eſt dux & gubernatrix uirtutum omnium, ſine quibus ad uitam beatam non patet aditus.*

Scientia uirtutum dux & moderatrix.

Veri.) *Veritas eſt cogitationū, ſenſuū, & orationis cū reipſa conſenſio: ut, cum dico niuē eſſe frigidā & albam: quod impudenter negant quidā Academici, cōtra iudiciū ſenſuum ac rationis, & uſitati ſermonis conſuetudinē: in quē nemini quicquam priuati iuris eſt, cum à publico conſenſu eiuſdē nationis aut ciuitatis omnis eius pendeat autoritas. Vſus eſt, ut affirmat Horatius,*

Veritas & ſermo receptus.

Quem

Quem penes arbitrium eſt & ius & norma loquendi.

Inquiſitio atq; inueſtigatio.) *Metaphora ſumpta à uenatoribus, qui è ueſtigijs luſtra ferarũ indagãt. Sic ille in comœdia: Pedũ, inquit, uiſa eſt uia. Habet natura rerũ, ueſtigia quædã manifeſta, & ſenſibus obuia, è quibus ratio ea cõcludit, quæ ſenſus perſpicere nullo modo poſſunt. Sic Ouid. è recto ſtatu corporis humani colligit, homini res cœleſtes et diuinas eſſe cõtemplãdas, cũ ait I. Metamor.* Philoſophi ſunt uenatores & indagatores ueritatis.

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; uidere
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere uultus.

Sic Cicero pro Milone, ex humana mẽte raciocinatur, Mundi huius uniuerſitatẽ diuina quadã mente gubernari, his uerbis: Neq; in his corporibus, atq; in hac imbecillitate noſtra, ineſt quiddã quod uigeat & ſentiat: & nõ eſt in hoc tãto naturæ & tã præclaro motu. Philoſophi igitur uenatores ſunt, & huiuſmodi ueſtigijs ſæpè indagãt ueritatem, cauſasq; rerum perſpiciunt, non quidẽ omniũ (id enim unius Dei eſt) compluriũ tamen. Quantumuis aũt tenuis ſit ea cognitio, minimè aſpernãda, ſed potius maximi facienda eſt, ut rectè monuit Horatius his uerbis:

Nec ſi oculis quantũ nequeas contendere Lynceus,
Aut aquila: idcirco contemnas lippus inungi.
Eſt aliquò prodire tenus, ſi non datur ultrà.

Ad hanc aũt, quantulacunq; eſt, progreſſionẽ, per multũ facit Dialectica methodus, cuius ſtudioſum Plato θηρευτὴν appellat, uenatorẽ ſcilicet ueritatis. Sophiſtæ enim eſt, νέων πλουσίων ἔμμισθον εἶν θηρευτήν: hoc eſt cupiditate mercedis adoleſcentes uenari. Sed de artis Dialecticæ neceſſario & legitimo uſu, & quemadmodum à Sophiſtica diſtinguatur, à multis multa dicta ſunt, quibus ad eam magnifaciendã cordatus adoleſcens non fieri poteſt quin excitetur.

CICERO.

Itaq; cum ſumus neceſſarijs negocijs curiſq; uacui, tum auemus aliquid uidere, audire ac diſcere, cognitionemq; rerum aut occultarum aut admirabilium ad benè beateq; uiuendum neceſſariam ducimus.

Itaq; cũ ſumus.) *Ex effectu colligit naturæ uim, hoc ferè modo: Quod quiſq; libenter agit, id ei propriũ eſſe uidetur. Cognitione aũt rerũ delectatur homo: Ergo, &c. Quanquã maior propoſitio poſſet abſurda quædã párere: ut ſi dicamus, uoluptate gaudere homines: ergo uoluptatẽ eorũ eſſe propriũ. Sed ſunt hæc ſτοχαστικὰ, nõ aũt ἀποδεικτικὰ: ſpectandaq; eſt ſententia autoris, in uerbis aũt non temerè argutandũ. Hoc aũt uult Cicero: ueri amorem natura eſſe inſitũ homini, è ſcientiæ cupiditate colligi. Ideoq; dicit quod Ariſtoteles principio τῶν μετὰ τὰ φυσικά: πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. σημεῖον δὲ, ἡ τῶν αἰσθήσεων ἀγάπησις: καὶ γὰρ χωρὶς τῆς χρείας ἀγαπῶνται δι' ἑαυτὰς, μάλιστα δὲ ἡ διὰ τῶν ὀμμάτων. Id eſt, Omnes homines ſcientiæ natura ſunt appetentes: idq; declarat ſenſuum charitas, qui etiam ſine uſu per ſeſe diliguntur, in primiſq; uiſus.* Cognitionis cupiditas naturalis.

Neceſſarijs negocijs.) *Quaſi uerò ullum negocium magis neceſſarium ſit* Ventri prius quàm animo proſpicimus.

cognitione ueritatis, qua tota uita gubernãda eſt. Neq; uerò illud obſtat, quòd contemplationis finis eſt actio. Nam hæc qualis erit, ignorata ueritate? Iudicium igitur uerum debet antecedere, atq; in adoleſcentia parari. Sed è conſuetudine uulgari hæc ſumuntur. Queritur & Horatius, pecuniam primò quæri, uirtutem uerò poſt nummos. Hoc eò fit, quòd uenter caret auribus, & animum (niſi illi ſatisfactum fuerit) ſubinde interpellat, nec quietum eſſe ſinit. Vnde Homerus negat κύντερόν τι γαστρὸς ἔμμεναι: id eſt, Quicquam eſſe uentre impudentius, ne canes quidem.

Scholæ ociũ & tranquillum animum requirunt.

Curisq;.) *σχολὴ Græcis ocium eſt: eoq; nomine appellantur loca ſtudijs diſcentium deſtinata. quibus uacare non poſſunt, qui uel labore corporis urgentur, uel animi ſolicitudine anguntur. Rectè Ouidius:*

—— Carmina lætum
Sunt opus, & pacem mentis habere uolunt. Et:
Carmina ſeceſſum ſcribentis & ocia quærunt.

Pueritia & adoleſcentia neceſſarijs negocijs curisq; uacua.

Hinc colligi poteſt, pueris & adoleſcentibus omne tempus impendendum eſſe ſtudijs: quòd omnibus negocijs & curis, neceſſarijs præſertim (nam ſuperuacuas multi ſibi ultrò accerſunt) uacant, præterea ingeniorum uigore & memoriæ fidelitate præſtant. Huc accedit etiam ſalubritas & alacritas corporum, qualis in reliquis ætatibus nunquam erit. Rectè igitur monuit Codrus Vrceus:

Dum datur, ô pueri, diſcendi copia uobis,
Diſcite: non ſemper copia talis erit.

Stigelius quoq; non minus eleganter:

Quòd ſi in uere tuæ neglexeris iſta iuuentæ,
Nulla tibi autummi tempore meſſis erit.

Meminerint igitur adoleſcentes, ſementem quandam pietatis & doctrinæ hac ætate faciendam, ut adulti uberem inde meſſem percipiant.

Viſus & auditus.

Videre, audire.) *Iis ſententijs exceptis quæ κοιναὶ ἔννοιαι dicuntur, omnis humana cognitio (nam de inſpiratione, quam uocant, diuina, hic non agimus) à ſenſibus oritur, inter quos principatum tenent uiſus & auditus, quas ἐλευθεριωτάτας αἰσθήσεις appellat Ariſtoteles: auditui etiam hoc elogio addito, ὅτι αἴσθησίς ἐστι τῆς παιδείας. Guſtum & tactum, quòd non tam animi inſtitutioni, quàm corporis neceſſitatibus ſeruiant, θηριώδεις καὶ ἀνδραποδώδεις uocat. Olfactum non adeò uituperat, ideo fortaſſe, quòd rarius in eo peccatur: neq; ferè niſi ab ijs qui, ut illa Martialis anus, non bene olent, qui benè ſemper olent.*

Guſtus. Tactus. Olfactus.

Senſus internuncij mentis.

Ac diſcere.) *Senſus ſunt ſiue ianitores ſiue nuncij mentis: quæq; ipſi perceperunt, ad eam cognoſcenda ac dijudicanda referunt. Vnde non deſunt, qui τὰς αἰσθήσεις quaſi εἰσθήσεις dici putent, quòd aliquid inferant in animum. Itaq; ſenſuum finis eſt (quantum ad mentem quidem attinet) μάθησις ſiue cognitio. Qui igitur ſenſibus ita utuntur, ut animi iudicium non interponant: hi rectè noſtrate prouerbio res ita intueri dicuntur, ut uacca nouam portam aſpiciat.*

aſpiciat. Detur igitur opera, ut non ratione tantum, ſed etiam ſenſuum uſu à beluis differamus: Platonicæ etymologiæ memores, qui ἄνθρωπον παρὰ τὸ ἀναθρεῖν ἃ ὄπωπεν, à conſideratione rerum conſpectarum dici putat.

Philoſophia homini ab ipſa natura ingenerata.

Rerum aut occulturam.) *Hinc Philoſophia orta eſt: ac uenuſtè Pythagoras dixit, τὸν βίον ἐοικέναι πανηγύρει, ταύτης δὲ θεατὴν εἶναι τὸν φιλόσοφον. Quòd ſi philoſophia à natura homini tributa eſt: quid de ijs ſentiamus, qui philoſophiam contemnũt, irrident, execrantur? Quaſi uerò quiſquam homo ſit, naturæq; ſuæ dignitatem tueatur, niſi idem ſit etiam φιλόσοφος; Quod nomen ideo inuiſum & ridiculum effectum eſt, quòd id ſibi homines nonnulli nequiſsimi & ſtolidiſsimi, per ſummam uanitatem arrogarũt, cum uulgo eſſent ineptiores: quodq; prauo hominum corruptoq; iudicio nihil minoris ſit ipſa ſapientia. Quod enim Ouidius de ſuo ſeculo queritur, nunquã non uerum fuit: Nunc eſt barbaries grandis, habere nihil.*

Occultarum.) *Quæ res occultæ ſunt, eædem ſunt etiã admirabiles. Nam ignorationem parit obſcuritas, admirationem ignoratio, quam cognitio cauſarum tollit. Occultas autem res dicit, quæ non cadũt in ſenſus, ſed quibuſdam animorum coniecturis indagantur. Cuiuſmodi ſunt res diuinæ, uires herbarum & gemmarum, affectiones animantium, & id genus alia, quæ ad naturæ obſcuritatem referuntur.*

Alia hominis, alia porci beatitudo.

Ad benè beateq; uiuendum.) *Scilicet humano, nõ beluino more. Vulgus beatum ſibi uidetur, cum indulget genio, & animi lumen crapula & libidinibus extinguit. Sed quid inter tales, & porcũ glandibus & hordeo abundantem, atq; in luto ſe uolutantem intereſt, præter formam corporis? Et quis neget, etiam illis animam pro ſale eſſe datam, ne carnes putreſcant ſcilicet?*

Si doctrina uitæ beatæ neceſſaria eſt, cur pleriſq; inuiſi docti.

Neceſſariam ducimus.) *Ergo non περιεργία eſt, nec inanis occupatio, Philoſophia: ut multi ſentiunt. Maior autem immanitas fuit quorundam Imperatorum, qui literatos peſtes Rempublicarum & iudicarunt & appellarũt. Sed hauddubiè orta fuit maxima ex parte, & apud optimũ quenque illa odiorum acerbitas, è uitijs improborum, cum quibus coniuncta fuit doctrina aliqua: eſtq; uerendum, ne ſimilia iudicia petulantiam, auariciam atq; ambitionem, & rixas de lana ſæpe caprina noſtræ ætatis doctorum breui conſequantur: eaq; de cauſa literæ, ſi non prorſus opprimantur, at frigeant & iaceant atq; obſoleſcant: præſertim, cum monſtra quædam hominum ſint, qui doctos oderint ex odio ueritatis, quam oppreſſam & extinctam cupiant. Nonnullos etiam inuidia urit, & ambitio: quò doctis ſublatis, ipſi apud ſuos honeſtiore loco ſint. Qui non tam ipſam doctrinam oderunt, quàm eos qui quaſi luminibus obſtruunt. Quantus autem hic ſe aperiret laudandi literarum ſtudia campus? cum rerum cognitio ad bene beateq; uiuendũ neceſſaria dicatur, & quidem ipſius Naturæ iudicio: niſi hæc ſtudioſis adoleſcentibus cogitanda relinqueremus. Eſt enim & temporis habenda ratio, & auditorum ingenijs non obſtandum ſcrupuloſiore ſingulorum uerborum declaratione.*

CICERO.

Ex quo intelligitur, quod uerum, ſimplex, ſyncerumq́ue ſit, id naturæ hominis eſſe aptiſsimum.

Vulgatũ dictum eſt, & uerũ, mentem ferri ad ueritatem, uoluntatẽ ad bonum. Quòd ſi qui ſunt, qui mendaciũ ueritati præferant: affectu aliquo prauo, nõ natura impellente id faciũt. Vnde illud nebulonũ alexipharmacũ: SI FECISTI, NEGA. *Item, ſi malum bono anteponunt, opinione falluntur: id bonum eſſe ſtatuentes, quod malum eſt. Hinc ortum uidetur dictum Platonis: Neminem ſua ſponte uel malum uel miſerum, aut nolentem beatum eſſe. Verſus à Platone citatus, eſt:* οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ. *Atq; in uoce* πονηρὸς *de accentu, quo etiam ſignificatio mutatur, controuerſia eſt.* πόνηρος *enim* προπαροξυτόνως, *miſerum:* πονηρὸς ὀξυτόνως, *improbum declarare putatur. Vt ut ſit, melius ſibi conſtat antitheſis, in miſero & beato, quàm in beato & improbo. Nam quòd philoſophi omnes improbos & ſtultos eſſe miſeros dicunt, id huius loci non eſt.*

Si ueritas homine maximè digna eſt: mendacium maximè dedecet.

Quod uerum, ſimplex, ſyncerumq́ue.) *His uerbis excluditur mendacium, fraus, fucus, ſimulatio & diſſimulatio, quas Græci* ὑπόκρισιν καὶ εἰρωνείαν *appellant. Repudiatur item Sophiſtica, &* συκοφαντία.

Id eſſe naturæ hominis aptiſsimum.) *Ergo mẽdaces, impoſtores, ſophiſtæ, ſycophantæ, ſunt monſtra quædam, & à naturæ inſtituto ad diabolum deficiunt, qui ab initio fuit mendax & homicida. Deus autem eſt ueritas & charitas. Extat in Euripidis Andromacha inſectatio mendaciorum & ſimulationis, digna quæ memoriæ mandetur:*

Ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν
βουλευ. σπάρτης ἔνοικοι, * δόλια βουλεύματα,
ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν,
ἑλικτὰ, κ' οὐδὲν ὑγιὲς, ἀλλὰ πάντα πέριξ
φρονοῦντες: ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἀν' Ἑλλάδα. *Id eſt:*

Ambitio, auaricia, mutuus metus, cauſæ calliditatum & bellorum.

O Spartani, omnibus mortalibus inimiciſſimi, doloſi conſultores, mendaciorum reges, callidi malorum concinnatores, ſine ullo candore, perplexis & intricatis animis: iniuria felices eſtis in Græcia. Huiuſmodi calliditatum, ut & bellorum, (ſi à naturæ prauitate, quæ fons eſt omnium ſcelerum, recedamus) aliàs cauſa eſt ambitio & auaricia, aliàs mutuus metus, dum quiſq; timet, niſi talibus artibus utatur, ne ipſe ab aduerſarijs & æmulis opprimatur. Vnde factum, ut hæc, politica ſapientia exiſtimetur. adeò ut Rex quidam filium ſuum nihil ſcire latinè uoluerit, niſi illud: Qui neſcit ſimulare, neſcit imperare. Cuius artificij ignari, ad magiſtratus & res gerendas inepti habentur, quòd contra Cretenſem ſit Cretiſſandum. Etſi fortaſſis iſtæ præſtigiæ non tam à neceſſitate, quàm ab improbitate cuiuſq; oriuntur. Nam ſi tu uir bonus ſis, & ab omni mendacio, iniuria, auaricia, rapacitate abhorreas: quid tibi etiam apud improbiſſimos incõmodabit candor & ueritas? Apud tyrannos fortaſſe?

Falſa de politica ſapiẽtia perſuaſio.

fortaſſe? Fuge illorum congreſſus, aut tace. Veritatem ſimplicem idem autor commendauit ijs uerſibus, quos ſuprà citauimus, non profectò oſtentatione aliqua Græcitatis (ut ita dicam) uana quidem illa & irrita, etiamſi eo morbo laborarẽ (quid enim huiuſmodi ῥαψῳδίαι laudis habẽt?) ſed quia & græca uerba elegantiora ſunt, & cum primis ad inſtitutum facere uidebantur. Quo in genere hic ſemel à candido lectore ueniam impetratã uelim, præſertim cum ea ratione ſtudioſi adoleſcentes & ad utriuſq; linguæ ſtudium, & ad ipſos autores legendos incitentur. Quam ad rem, adoleſcentulo mihi Chiliades Eraſmi magno adiumento fuerunt.

Excuſatio græcorum quæ inſeruntur.

CICERO.

Huic ueri uidẽdi cupiditati, adiũcta eſt appetitio quædam principatus: ut nemini parêre animus benè à natura informatus uelit, niſi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis cauſa iuſtè & legitimè imperanti.

Sine imperio & obedientia ciuilis conſociatio conſtare non poteſt.

Huic ueri.) *Hominẽ πολιτικὸν ζῶον καὶ κοινωνικὸν eſſe, ſæpè iã dictũ eſt. Quia uerò in magna multitudine et maxima ingeniorũ uarietate fieri non ſolet, ut omnes iuſti ſint: naturalis libertas certa quadam lege includitur, ne in licentiam erumpat. Ea lex, imperium ſiue magiſtratus dicitur, atque obedientiam poſtulat. Rectè enim Ariſtoteles α. πολιτικῶν affirmat, natura conſtitutum eſſe, ut ei qui animo proſpiciat & ſapientia præſtet, pareat is qui robore corporis, iuſſa exequi poſſit. Eſt autem obſeruatu dignum, ueram animi magnitudinem è uero iudicio oriri: cum homo intelligens excellentiam ſuam, ſe honore dignum putat: eoq; digniorem, quo magis alijs ſui generis antecellat. Sed hic φιλαυτία, ut aliàs ſæpe monui, cauenda eſt, & ignoratio aliorum. Eſt hic affectus ita moderandus, ut ſe erga Deum ſummiſſe, erga pares modicè gerat: ac ſupra beluas, contemptu uilium rerũ, et turpiũ uoluptatũ fuga, ſeſe efferat. Ea demũ laude digna eſt animi elatio, cõtẽnere turpitudinẽ, odiſſe inſcitiã & inhumanitatẽ, amare uirtutẽ et ſapientiã, et utriuſq; largitorẽ Deũ adorare.*

Magnanimitatis origo & moderatio.

Appetitio principatus.) *Hinc illud eſt:*

Πηλεὺς μὲν ᾧ παιδὶ γέρων ἐπέτελλ' Ἀχιλῆι,
Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.
Peleus grandæuus nato mandabat Achilli,
Fortia facta gerens alios ſuperaret ut omnes.
Et apud Lucanum:
—Cæſar non ferre priorem,
Pompeiuſ'ue parem uoluit.—

Sed niſi magna accedat moderatio, magnæ tragœdiæ hinc oriũtur. Proinde additur exceptio, ut dignitatis et utilitatis ratio habeatur. Homines, quatenus homines, ſunt pari conditione, & ex æquo liberi omnes, ac ſui iuris. Sed uis rationis & animi, in alijs maior atque illuſtrior, diſcrimen conſtituit: ut alij ad imperandum, alij ad parendum ſint aptiores. Qui uerò neutrum poſſunt,

Hominum diſcrimina.

in ſolas

in ſolas deportandi ſunt inſulas, ne publicam tranquillitatem perturbent.

De hominibus, non de monſtris loqui Ciceronem.

Animus benè informatus à natura.) *Significat hic, quod alibi etiam dicit, ſpecimen ex optima natura eſſe capiendum, in quolibet genere: ſimulq́ue cauet, ne quis opponat torpentia quædam ingenia, quæ nullum decus, nullam honeſtatem curant. Nam philoſophus de natura, non de monſtro diſputat.*

Ars imperandi.

Niſi præcipienti.) *Ciuilis conſociatio imperia requirit, ut diximus: imperia ſine obedientia eſſe non poſſunt: obedientia uerò ut uoluntaria ſit, quibus rebus efficiatur, hic demonſtrat, paucisq́; uerbis imperandi rationẽ docet.*

Præcipienti.) *id eſt* παραινοῦντι: *cum ſimpliciter quid agendum ſit, præſcribitur, quod* τὸ ὅτι *appellat Ariſtoteles.*

Præcipere. Docere.

Docenti.) *Cum rationes afferuntur cur ita ſentiendum ſit, quemadmodum monemus,* τὸ διότι. *Hoc præcipiendi & docendi munus, eſt magiſtratus Eccleſiaſtici & Scholaſtici proprium: ut illud ſuperius magiſtratus ciuilis, qui neceſſe non habet omnium quæ conſtituerit, reddere rationem, quam nec uulgus ſatis intelligit, & factioſi homines facilè calumniantur.*

Aut utilitatis cauſa.) *Scilicet & publicæ & priuatæ: quæ, ut antè dictum eſt, perpetuò cohæret. Finis igitur eſt obedientiæ, utilitas & publica & priuata, propter quam multitudo hominum de iure naturæ ſuæ nonnihil cedit. Idem finis eſt etiam imperij, ut & priuatim ſingulis, & publicè omnibus præſtanti magiſtratus uirtute ac ſapientia conſulatur. Hoc enim eſt iuſtè imperare: hoc eſt, naturæ præſcriptum ſequi.*

Ius naturale & ciuile.

Iuſtè & legitimè.) *Aliud eſſe ius naturæ, aliud ciuile, antè cognouimus. Ciuilia autem ſiue municipalia iura multum inter ſe diſcrepant, propter certam rationem hominum: ius autem naturæ perpetuò ſibi conſtat.*

Imperare.

Imperanti.) *Præcipimus & docemus autoritate magis, hoc eſt perſuaſione quadam cuiuſdam excellentiæ de nobis. Imperamus autem ui quadam, & cum parendi neceſſitate. Illic auditorem habemus ultrò attentũ, hîc facimus uel inuitum. Vt enim uirtutis amore boni, ſic pœnæ formidine mali abſtinent à peccando. Hinc duo nerui Rerumpublicarum, pœna & præmium oriuntur: etſi eam diſciplinam in ciuitates introduci præſtaret, ſi fieri poſſet, ut & ultrò rectè facere liberet, & à flagitijs & malefactis omnes abhorrerent.*

Excellentia uoluntariam parit obediẽtiam.

Ex quo animi magnitudo.) *Appetitionem principatus moderatur obediẽtiæ utilitas atq; neceſſitas. Obeditur autem æquis animis, cum ij qui imperant, uirtute & ſapientia præſtantes, cæterorum commodis conſultum uolunt, & (ut Xenophon ſcribit)* ὅταν οἱ ἀγαθοὶ βασιλεῖς οὐδὲν τῶν ἀγαθῶν πατέρων διαφέρουσι: *cum nihil inter bonos reges & bonos patres intereſt. Voluntarium imperium omnino excellentiam aliquam requirit. pares enim eodem iure ſe eſſe cenſent. Sed cum multi falſa perſuaſione de ſe ipſis imbuti, principatũ ſibi uendicent: populi ſuffragijs olim magiſtratus legebantur in quauis Reipublicæ forma. Sed tandem in plerisq; urbibus, opes & potentia ſummam rerũ per uim ad ſe pertraxerunt: unde uiolenta imperia extitere, admiratione in metum conuerſa. Nam qui Magiſtratus curant, ut honeſtè uiuatur, ut*

ἀρχαιρεσίαι ſuffragijs populi.

Violenta imperia.

tur, ut ius ſuum cuiq; tribuatur, ut nemo lædatur, ut reſpublica omnibus neceſſarijs præſidijs munita ſit, ut imminētia mala mature propulſentur, qui imperio clementer & humaniter utuntur: hi, ciues propter admirationem uirtutis ſuæ, dicto audientes & ad nutum paratos habent. Ineptorum uerò hominum conſilia, doctrina, monita & iuſſa ut contemnuntur: ſic iniquorum & rapacium capitalibus etiam odijs excipiuntur, quòd odium tamen metu plerumq; uincitur atq; ſupprimitur.

CICERO.

Ex quo animi magnitudo exiſtit, humanarumq́ rerum contemptio.

Magnitudo animi.

Ex quo.) *Intelligit appetitionem principatus, & ſtulti atq; iniqui imperij auerſationem. Verba ipſa uidentur neſcio quo modo inſolentiora: quæ ſi inuerterētur, magis eſſent fortaſsis perſpicua, hoc ferè modo: Magnitudo animi gignit appetitionem principatus. Sed ſimplicius eſt, ſi ſic accipias, ut ea quæ anteceſſit deſcriptio, nunc ſuo nomine appelletur: Appetitio principatus, &c. dicitur animi magnitudo, res humanas contemnentis.*

Humanarum rerum contemptio.) *Si uerè conſideremus, humanæ res ſunt eæ omnes, quas uel intra uel extra ſeſe habet homo. Qua ratione qui res humanas contempſerit, ſemetipſum quoq; contempſerit: quod philoſophis utiq; non eſt propoſitum. Theologi quidem in eo elaborant, ut homine ad extremum ſui contemptū deducto, omnia à diuina liberalitate petenda, eidemq́; accepta eſſe referenda doceāt. Humanæ igitur res uidetur hoc loco accipiendæ, res externæ et fortuitæ, quas per contemptum in Paradoxis fortunæ ludibria dicit: cuiuſmodi ſunt opes, diuitiæ, potentia, & hic ipſe principatus: ut appetitio hæc atq; contemptio mutuò ſeſe euertere uideantur. Quis enim aut id appetat, quod contemnit? aut contemnat, quod appetit? Sed hæc alio loco diſcutienda erunt: ne qui fortè neſcio quid ſuſpicentur: aut perinde me colligere dicant, ac ij faciunt, qui cælum quod tegat omnia, ſe quoq; tegere concludunt. Plato autem duo bonorum genera facit: unū, quod θεῖον appellat, quodq; uirtutes φρόνησιν, σωφροσύνην, δικαιοσύνην, ἀνδρείαν continet. alterum, ἀνθρώπινον: cuiuſmodi ſunt, corporis & fortunæ commoda, ſanitas, pulchritudo, uires, diuitiæ, nobilitas, potentia, &c. Hac igitur ratione res humanæ erunt, res corporeæ & fortuita. Magnitudo autem animi in cultu uirtutum cernetur: quarum, ut dixi, excellentiam, uoluntarium imperium conſequitur.*

Humanarū rerum contemptio.

Contemptio.) *Si res humanæ rectè contemnuntur, ad diuinas profectò eſt aſpirandum: & cum D. Paulo ſentiendum, ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανῷ εἶναι, Rempublicam noſtram in cœlo eſſe: nosq́; hic non habere perpetuam ciuitatem, ſed futuram inquirere. Ad quam inquiſitionem hac excitari uanitate rerum mortalium animi noſtri debent. Eſt tamen moderanda hæc etiam fortuitarū rerum contemptio, non minus quàm admiratio immodica. Nā utraq; i uitio eſt: quod hæc τὴν κτίσιν παρὰ τὸν κτίσαντα ueneratur, & plus quàm*

Res externæ nec contemnendæ, nec admirandæ ſupra modū.

m ipſi Opi-

ipſi Opifici tribuit eius opificio: illa prouidentiam Dei quodam modo tollere, aut inanem illi occupationem affingere uidetur. Cuiuſmodi ſunt complures apud ueteres ſententiæ, diligentius expendendæ, ut eſt: τύχη τὰ θνητῶν πράγματ᾽, οὐκ εὐβουλία: *Vitam regit Fortuna, non ſapientia. Et:*

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Quòd ſi ludibirum Dei ſunt res humanæ: corruit Sacrarum literarum autoritas, ſeriam curam Deo tribuentium, in homine condendo, puniendo, & in Socrates. *libertatem uindicando. Socrates dicere ſolebat, uideri ſibi, Deum, intuentem uana ſtudia hominum paruis in rebus, nihil niſi ridere, propter inanem illo-* Homerus. *rum ſolicitudinem. Homerus Græcorum & Troianorum exercitus muſcis comparat, inter ſeſe decertantibus. Ea ratione Achilles et Agamemnon, illi ueſpæ quædam maiores, aut crabrones, aut ſcarabei erunt: ſic etiam Hector & Aeneas. cæteri Græci & Troiani paruæ muſcæ: quas cum homines ipſi & negligant & contemnant, quanto magis ab immortali Deo contemnendæ uideantur? In quam ſententiam à quibuſdam acutiſſimis & doctiſſimis hominibus multa parum Chriſtianè ſcripta, ſunt in manibus. Caueatur igitur, ut dixi, immodica rerum humanarum extenuatio: quæ & ipſæ magnæ ſunt, ſi ad ultimum finem, qui eſt beata immortalitas, referātur. Alioqui ſanè nihil eſt illis magis friuolum & ridiculum, adeò ut me ipſum hæc differentem penè rideam, Epicureū naſum in his ridendis proſpiciens. Et ſic hæc atq; alia huius generis dicta intelligenda ſunt.*

CICERO.

Nec uerò illa parua uis naturæ eſt, rationiſq;, quòd unum hoc animal ſentit, quid ſit ordo, quid ſit quod deceat, in factis dictiſq; qui ſit modus.

Quatuor fontes officiorum. Naturæ, rationiſq;.) *Græcè fortaſſe dixiſſet* τῆς λογικῆς φύσεως. *Poſtremus officij fons, è quo modeſtiæ ſiue temperantiæ riuuli promanāt. Fontes autem officiorum dico, quatuor illas principes uirtutes. Aut, ſi mauis, omnium officiorum fons ſit Natura ſiue honeſtum, cuiuſmodi à Moſe deſcribitur ille paradiſiacus: è quo ut Tigris, Eupharetes, Nilus & Ganges, ſiue quis alius (de Phiſon eius & de Geon diſputari nideo) ſic ex illo, prudentia, iuſticia, fortitudo, temperātia oriuntur. Quilibet autem horū quatuor ſiue fontiū ſiue fluminum, in complures riuulos diducitur, quæ ſunt ipſa officia Stoicis, Ariſtotelicis actiones uirtutis.*

Sed quia rationalis natura illi non placebat, [illegible], *ut appellat (ſi rectè memini) Seruius uſurpauit.*

Brutorum artificia. Vnum hoc animal.) *Bruta fortaſſis hoc negarent, ſi loqui ſcirent. Nam complura ex ijs, in ſuis quaſi ſtructuris & opificijs, certum ordinem obſeruant: ut aues & apes & aranei. Sed ut antè dictum eſt, naturâ, non ratione id agunt: cuius rationem ut reddere nō poſſunt, ſic neq; intelligunt.*

Sentit.)

Sentit.) *Ea uerba quæ ſenſuum & rationis ſunt, apud Græcos & Latinos crebrò permutantur. Sic Græci etiam αἰσθάνεσθαι pro κατανοεῖν crebrò uſurpant, ut & uerbum ὁρᾶν. Quidam tamen τὸ αἰσθάνεσθαι ad corporeos ſenſus, τὸ αἰσθέσθαι ad animi iudiciū referunt. Sed ad rem: etiā corporeis ſenſibus, uiſu atq; auditu, percipitur ordo, non mente ſola. Ordo autē in tempore, loco, numero, in iјs quæ antecedunt, quæ media ſunt, quæq; conſequūtur, cernitur.* Verba ſenſuum & rationis.

Quod deceat.) *τὸ πρέπον, etiam Cicerone teſte, ſæpè facilius intelligitur, quàm uerbis declaratur.* τὸ πρέπον.

In factis, dictisq́;.) *Hæc enim ſentiuntur: cogitationes uerò & opiniones ſub animi iudicium cadunt, de quo paulo pòſt aget.*

Qui modus.) *Hunc Iſocrates τὴν ἀκμὴν τῶν καιρῶν appellare uidetur. Eſt enim modus, ipſa μεσότης, et uirtus, iudicio Ariſtotelis: quæ hinc ὑπερβολὴν, inde ἔλλειψιν excludit: ut ne quid deſit, néue redundet.*

CICERO.

Itaq; eorum ipſorum quæ aſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, uenuſtatem, conuenientiā partium ſentit.

Quæ aſpectu ſentiuntur.) *id eſt aſpectabilia, ut alibi loquitur, ὁρατά, quæ ſub aſpectum oculorum cadunt. Nam uiſibile, illi non placuit. Sententia eſt: Quas brutas dicimus animantes, eas adeò decus animi non perſpicere, ut nec de pulchritudine corporum decernere poſſint.*

Pulchritudinem.) *Hæc tum in ſuauitate coloris, tum in iuſta magnitudine, tum in conuenientia partium inter ſeſe, ſiue proportione, quam Græci συμμετρίαν καὶ εὐρυθμίαν appellant, poſita eſt: nec minimam ſui partē ab ordine & modo mutuatur.* Pulchritudo.

CICERO.

Quam ſimilitudinem natura ratioq́; ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulchritudinē, cōſtantiam, ordinem in conſilijs factisq́; ſeruandum putat: cauetq́; ne quid indecorè, effœminatéue faciat: tum in omnibus & opinionibus & factis, ne quid libidinoſè aut faciat, aut cogitet.

Quam ſimilitudinem.) *Senſus eſſe ſiue ianitores ſiue nuncios atque interpretes animi, dictum eſt. Animus uerò ipſe, eorum quæ nunciantur dominus ac iudex, alia improbat ac reijcit: alia probat, & in uſum ſuū conuertit. Hic uerò quanta iudiciorum diuerſitas? dum quæ alij pulcherrima uidentur, alius uix aſpicere dignatur. Huius diſcrepantiæ cauſam in humores corporis medici, niſi fallor, reijciunt: aſtrologi, planetarum naturas homini dominantium cauſantur.* Iudiciorum uarietas.

Beluæ non indicant.

Oculis ad animum.) *Hoc igitur intereſt inter ſenſus beluarum & hominum quòd homines indicant, beluæ non item. Vnde Plato ἄνθρωπον non tam παρὰ τὸ ἄνω τρέπειν τὸν ὦπα, hoc eſt à uultu ſurſum cõuerſo, quàm (repetatur enim utilis admonitio) παρὰ τὸ ἀναθρεῖν ἃ ὄπωπεν, à rebus quas uiderit, conſiderandis dictum putat.*

Animi pulchritudo.

Multo etiam magis.) *Sic ratiocinatur: Si res ſenſui ſubiectas exornat ordo, modus, συμμετρία, unde pulchritudo exiſtit: quanto magis exornabit animum? Si pulchrum corpus placet: quanto magis placebit pulcher animus? Et debebat quidem hoc fieri, & fit à nonnullis rectè iudicantibus. Sed quotus quiſq; reperitur, qui non Rhodopes meretriculæ uenuſtatem magis, quàm in monſtroſa deformitate Aeſopi excellentem ſapientiam admiretur?*

Pulchritudinem.) *Animi pulchritudo poſita eſt in uirtutum & ſapientiæ ornatu. Quæ duo uerba toties à me repeti, nemo ferre moleſtè debet: quòd eæ res quas illa declarant, ſolæ hominem uerum efficiunt, de quo Menander inquit:*

Ὡς χαρίεν ἐστ' ἄνθρωπος, ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Virtutis & ſapientiæ cõtemptores.

Id eſt, Quàm ſuauis res eſt homo, ſi ſit homo. Et quamuis ſæpè inculcentur, ferè tamen negliguntur: imò, quod multo grauius eſt, cachinnis excipiuntur ab ijs, qui Laconicam ſapientiam, uerſibus Euripidis antè expoſitam, admirantur: ἕωλα ταῦτα καὶ γραώδη καὶ βεκκεσέληνα deridentes. Obſoleta enim & anilia & delira cenſent ea, quæ peruerſis eorum opinionibus & libidinibus non ſuffragantur. Prudentia ueritatem indagare iubet? illi reclamãt,

—— Quod ſatis eſt ſapio mihi: non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones.

Iuſticia ſuũ cuiq; tribuere, et egẽtibus ſucurrere? Ego uerò mihi proſpiciam:

Occupet extremum ſcabies. ——

Fortitudo, defendere iuſticiam & ueritatem? Si quis meam exiſtimationem aut rem læſerit, ſentiet qui uir ſiem. Sed quid ad me aliorum calamitates, aut errores? Quid ad Romanos, ſi pereunt Græci? Temperantia moderari uoluptatibus? Ego uerò uitam nullam puto ſine uoluptatibus. &,

—— Mihi ſola uoluptas
Optima cunctarum rerum cenſetur. —— &,
Quò mihi diuitiæ, ſi non conceditur uti?

ϛεμνύνομαι κατὰ τὸν φιλόσοφον.

Cur uerò me non alijs ante ponam in tantis opibus? tanta familiæ dignitate? Mendici ſcilicet iſti philoſophaſtri, & terræ filij neſcio qui, atq; adeò plus quàm ſemifatui, quòd nobilitatis prærogatiuam & diuitiarum uim ignorãt, neſcio quæ uerborum portenta commenti, cum alia ratione haud poſſent, & ipſi ſcilicet uanitate orationis nobilitari uoluerunt, ex inuidia & æmulatione moribus noſtris & fortunis obtrectantes. Quid putatis, Auditores, non dico me, ſed mille Cicerones, Platones, Ariſtoteles, apud hos eſſe profecturos? Ne hilum quidem. Imò periculum nobis erit à latomijs, aut naue rimoſa, aut Polidis comitatu. οἱ γὰρ τυραννιώντων λόγοι πολλῷ κρείττους εἰσὶ τῶν γοργονιώντων.

Cyclopum quorundam intemperijs bona ingenia moueri non debere.

των. Sed abſit, Auditores, abſit, ut quiſquã ueſtrûm τούτους τοὺς πεφυσημένους ἀσκοὺς, τοὺς μεγάλης ἀνοίας ἐμφορηθέντας, καὶ τῆς φύσεως τὴν γνῶσιν ἀφῃρημένους imitetur. Profectò enim iſti Naturæ ſuæ cognitionem amiſerunt, ingenti uæcordia tanquam crapula repleti, & proſperis fortunæ flatibus uelut utres tumefacti.

Conſtantia rationis: leuitas appetitionis.

Conſtantiam.) *Iudicium mentis, conſtantiam habet: affectuum uerò turbulentiſſimæ ſunt tempeſtates, & maximæ perturbationes. Vnde colligitur, eum qui mentis iudicium ſequatur, eodem rerum ſtatu perpetuò idem & ſentire, & uelle, & loqui. Etſi non ignoro, alibi Ciceronem iubere nos, non idem ſemper dicere, ſed idem ſpectare. At quem Ciceronem? Eum fortaſſe, qui duabus ſedere ſellis, & aliud ſtans aliud ſedens ſentire ab inimicis dicebatur: non eum qui è Stoicorum fontibus ἀταραξίαν hauſerit. Qui autem τὴν ὁρμὴν, τὸ ἄλογον μέρος τῆς ψυχῆς, dominari ſibi ſinit, nunquam eum nec ſibi nec alijs conſenſurum eſſe conſtat.*

Decorum.

Nequid indecorè.) *contra modeſtiam, ſiue temperantiam. Quanquam generale decorum eſt, quod hominem à beluis diſcernit, in animi cultura ſitũ. Deinde quælibet uirtus etiam ſuum habet decorum: quod non aliud eſſe puto, niſi τὴν μεσότητα. Deniq; ſunt diſcrimina decori, pro ratione perſonarum, locorum, temporum multa: de quibus in fine huius libri agetur.*

Fœmina. Vir.

Effeminate'ue.) *Mulierem Grammatici dictam putant, quaſi mollem aerem, ab animi mollicie. Græci uerò τὸ ἀνὴρ ἐτυμολογοῦσι, τὸν ἄνω ἀθρᾶ. Effeminatè igitur, cõtra decorũ uiri, in quo maior animus eſſe debet, qui nõ quælibet aduerſatione fortunæ frangatur, ſed in rebus aduerſis ſibi occinat:*

τέτλαθί τοι κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ᾽ ἔτλας:

Perfer & obdura, mea mens: grauiora tuliſti.

Fortitudo à Græcis ἀνδρεία, παρὰ τὸν ἄνδρα dicta eſt: ut uirtus (qua magnitudo animi, quam fortitudinem appellant, ſæpe apud Ciceronem ſignificatur) à uiris,

Quos etiam luxuſq; & inertia dedecet omnis.

Etiam cogitationes improbas caueri Cicero iubet.

In omnibus etiam opinionibus.) *Videte quantam integritatem poſtulet Cicero, qui nec uanis opinionibus, nec ſtultis cogitationibus, in animo hominis benè à natura informati, locũ relinquat? Debet igitur hominem inepta, leuia, ſtulta, turpia cogitantem, & Dei & ſui ipſius pudêre. Non ſanè poſſunt omnes ineptiæ caueri, et multa ſuggerit animis etiam diabolus. Sed huiuſmodi præſtigiæ ſtatim repellendæ ſunt, inuocato numinis auxilio, & rationis armis expeditis. Huc pertinet illud noſtrate prouerbium: Cauere nos haud poſſe, quo minus ſupra capita noſtra uolitent aues: ſed ne in capillis noſtris nidificent, id uerò cauere nos & poſſe & debere..*

Libido.

Libidinoſè.) *Cum excluſa ratione τὸ ἐπιθυμητικὸν ἢ θυμοειδὲς in conſilium adhibemus. Obſeruanda eſt etiam mira ac nõ temerè imitanda locutio: In opinionibus nequid cogitet, in factis ne quid faciat libidinoſe. Qualis etiam ſuperior illa uidetur: Inquirere & conſultare ad uitæ commoditatem, &c.*

CICERO.

Quibus ex rebus conflatur & efficitur, id quod quærimus, honeſtum. Quod etſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit: quodq́ue uerè dicimus, etſi à nullo laudetur, naturâ eſſe laudabile.

Natura, non opinione cõſtare honeſtum.

Quibus ex rebus.) *Officiũ, quod his libris tractatur, honeſtas, aut certè non inhoneſtas actiones complectitur. Honeſtatẽ autem ſunt qui opinentur hominum conſtare opinionibus. Ad eum igitur errorem conuellendũ Cicero, conſiderata hominis natura, demonſtrare conatur, honeſtatem non eſſe arbitrariam ac mutabilem, ſed neceſſariam ac fixam: à qua qui deſciſcant, ius naturæ humanæ uiolent. Quæ ſententia niſi conſtanter teneatur, inanes erũt omnes omnium philoſophorum de moribus præceptiones. Neque enim quicquã intereſſe uidebitur, ſiue hoc, ſiue alio modo uiuas. Nihil enim tam abſurdè dices aut facies, quod non ſuos habeat admiratores.*

Honeſtatis uirginalis ſtatua.

Quibus ex rebus conflatur & efficitur.) *Vt huius uerbi uim, & quid ſibi: Cicero hac metaphora uelit, rectius intelligatis: proponite uobis apud animos ueſtros, Prudentiam eſſe aurum, Iuſticiam argentum, Fortitudinem ferrum, Temperantiam æs: quibus è metallis inter ſe confuſis & permiſtis, à Lyſippo conſletur ſtatua pulcherrimæ uirginis,* HONESTATIS, *alia materia in alia parte corporis magis aut minus eminente.*

Metalla uirtutis.

Vt autem è terræ uiſceribus metalla eruuntur, ſic ex naturæ humanæ penetralibus atque intimis receſſibus ſemina uirtutum omnium eliciuntur. Quæ à ſtupidis, ignauis, luxu perditis hominibus & negligi, & ignorari, quis miretur?

Ratio, non Libido, quæ ſit honeſtũ.

Quod quærimus.) *ſcilicet ui rationis, quæ oculus eſt animi in natura humana, cuius ſpecimen optimum capiendum eſt: ne quis nobis opponat efferatos immanitate quoſdam Barbaros, aut alioqui ſtupidos & inertes homines, qui nec, ut ille ait,*

Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina norunt: aut certè non curant.

Etiamſi nobilitatum non ſit.) *Appendix Stoica, eaq́; probanda:* ὅτι τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετόν ἐστι, *id eſt, honeſtatem per ſe expetendam eſſe.*

Naturæ iudicium & ueritatis uis opponenda falſis opinionibus.

Nobilitatum.) *multorum ſermonibus & admiratione celebratũ. Vulgo maior eſt nobilitas diuitiarum, pulchritudinis, potentiæ, uoluptatis, quàm honeſti: magis celebrantur diuites, & potentes tyranni, magis item callidi opum & honorum aucupes, quàm boni & ſapientes uiri: qui iudicio naturæ atque ipſius ueritatis ſe conſolari, & contra peruerſa iudicia tueri debent.*

Laudibile eſſet natura.) *Quod natura laudibile eſt, nemo utiq; uituperabit,*

ra bit, niſi uel intemperie corporis, unde ſtulticia oritur: uel praua conſuetudine, quæ ἀδόκιμον νοῦν parit (ut D. Paulus loquitur) fuerit corruptus. Vnde colligi poteſt, corruptelæ iſtæ quàm latè pateant, in tanta deprauatione iudiciorum maximæ partis hominum. Idq; fieri uidetur, Ariſtotele autore, διὰ τὸ πολλοὺς τῶν ἐν ἐξουσίαις ὁμοιοπαθεῖν Σαρδαναπάλλῳ, quod multi ſcilicet ex iis qui rerum potiuntur, iiſdem conſtricti libidinibus tenentur, quibus Sardanapalus: cuius Epitaphium, Cauſa prauitatis iudiciorum.

Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido
Hauſit, at illa iacent multa & præclara relicta:

dignius ſit eſſe Cicero, quod bonis quàm regis ſepulchro inſcriberetur. Græca ſic habent:

ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ σὺν ἔρωτι
τέρπν' ἔπαθον. τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.

Quæ Chryſippus ingenioſe ſic immutauit:

ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔμαθον, καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ τούτων
ἐσθλ' ἔπαθον· τὰ δὲ λοιπὰ καὶ ἡδέα πάντα λέλειπται.

hoc eſt, Ioachimo Camerario, uiro doctiſſimo, mihique amiciſſimo, interprete:

Quæ didici, atq; animi curis uigilantibus auxi,
Hæc mea ſunt, deq; his quæſitæ gloria laudis:
Extra hæc quicquid erat iucundum & dulce, relictum eſt.

Quòd ſi uerò aut ſapientes imperarent, aut potentes ſapientiæ ſtuderent: iudicio Platonis beatæ eſſent Reſpublicæ, ac peruerſiſſimæ iſtæ opiniones corrigerentur. Quæ ne quem in fraudẽ illiciant, teneatur aurea D. Baſilii ſententia: οὐκ ἔστιν ὃ μᾶλλον φυλακτέον ἐστὶ σωφρονοῦντι, τοῦ πρὸς δόξαν ζῆν, καὶ τὰ τοῖς πολλοῖς δοκοῦντα περισκοπεῖν, καὶ μὴ τὸν ὀρθὸν λόγον ἡγεμόνα ποιεῖσθαι τοῦ βίου, ὥστε κἂν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀντιλέγειν, κἂν ἀδοξεῖν καὶ κινδυνεύειν ὑπὲρ τοῦ καλοῦ δέῃ, μηδὲν αἱρεῖσθαι τῶν ὀρθῶς ἐγνωσμένων παρακινεῖν. *Hoc eſt: Nihil æquè cauendum ſapienti, atq; illud, ne ad aliorum opinionem uiuat, néue quid populus probet circumſpiciat. Sed rectam rationem potius ducem gubernatricem uitæ ſtatuendam eſſe: ut, ſiue omnibus mortalibus aduerſandum, ſiue propter honeſtatem pericula ſint adeunda, de recta ſententia te depelli nullo modo patiaris.* Magnifica D. Baſilij ſententia.

Laudabile eſſe natura.) *Declaretur hoc, poetico exemplo. Venus formoſiſſima fuit iudicio reliquorum deorum, quamuis ſandalium eius à Momo reprehenderetur. Idem, Iouem etiam* κολακευτικῶς μᾶλλον ἢ φιλαπεχθημόνως *accuſaſſe fertur, quòd in hoc tanto uniuerſi ornatu neminem produxiſſet, à quo pro dignitate commendaretur. Relinquantur igitur Momorum, hoc eſt ſtultorum opiniones: & ad iudicia ſapientum, qui pauci ſunt, ac potius unius Dei, qui ſolus eſt ſapiens, tanquam in aſylum confugiatur: qui hæc naturæ iudicia adeò non reiicit, damnat, euertit, ut etiam confir-* Non Momi, ſed Iouis iudicium ſpectandum.

confirmet, illuſtret atque amplificet doctrina ſacrarum literarum.

CICERO.

Formam quidem ipſam, Marce fili, & tanquam faciem honeſti uides: quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles amores (ut ait Plato) † excitaret ſui.

V. L. Excitaret ſapientiæ.

Forma & facies honeſti.

Formam quidem ipſam.) *Formam hic appellare uidetur, quam Græci* σκιαγραφίαν, *Latini adumbrationem, & rudem delineationem, uiuis coloribus nondum adhibitis, appellant. Sic Ariſtoteles 1. Ethicorum ad Nicomachum:* Δεῖ ἴσως ὑποτυπῶσαι πρῶτον, εἶθ' ὕστερον ἀναγράφειν. *Primùm, inquit, fortaſſe res breuiter quaſi informanda eſt, ac pòſt accuratius deſcribenda, & illuſtranda.*

Status Ciceronis ſine capite.

Formam quidem ipſam.) *Mutilam ſanè (ſi uerè iudices) atq; orbatam oculis & humi depreſſam, imò potius* πλάσμα καὶ μῦθον ἀκέφαλον. *Nec enim in hac expoſitione facta eſt ulla Dei ex profeſſo mentio, cum quo maxima & æterna communitas homini intercedit: ſine quo homo nihil eſt, quantuſcũq; ſibi eſſe uideatur: aut ſi quid eſt, quid eſt aliud niſi diaboli mancipium? Eſt igitur hic* πολιτικὴ *tantum* ἰδέα, καὶ σκιαγραφία *uirtutis, cuius* ἀκμὴ *eſt pietas propoſita. Nam de Deo (ut ſuprà monui) alibi egit Cicero: & ita quidem egit, ut nihil aut parum admodũ egiſſe uideatur. Quid enim ille de ignoto Deo ſcriberet explorati? Aut quid magnopere ab illo expectaret, quum epiſtolæ, quibus amicos conſolatur, ſecus quàm in libris philoſophicis, ſatis declarent, eum non dubitaſſe, quin animi unà cum corporibus intereant? Parcant mihi uelim Ciceronis amatores, inter quos & ego nomen profiteor meum, ueritatem illius amicitiæ præferenti: præſertim apud adoleſcentes meæ fidei commiſſos, quos tantam rem cælare ſine piaculo nullo modo poſſem.*

Facies.

Tanquam faciem.) *Præcipuam quidem corporis totius partem: quæ tamen ad ſui perfectionem cætera quoq; membra requirat. Innuit igitur, hæc lineamenta honeſti obſcuriora eſſe, niſi omnia copioſius declarentur: quod tribus his libris ipſe facit.*

Acies oculorum in animum intendenda.

Si oculis cerneretur.) *Significat, quemadmodũ pulchra corpora ſuapte natura diliguntur: ita etiam pulchrum animũ eadem ratione diligi, ac potius diligere uirtutem & honeſtatem. Quod ſi non fiat, illud eſſe in cauſa, quòd non perſpiciatur. Quod autem latet, ignotum eſt: (ut ille ait) ignoti nulla cupido. Eſt igitur acies animi hîc intendenda, qui ſolus honeſtatem cernit. Rectè enim Xanthus ab Aeſopo deriſus eſſe fertur, cum à monſtroſo corpore ipſius adhorreret: atq; admonitus, nõ corporis, ſed animi formã eſſe intuendã.*

Excitaret ſapientiæ.) *Perperam ſic legi uidetur, niſi fortè hac appendice* τὴν διανοητικὴν ἀρετὴν τῇ ἠθικῇ συζεῦξαι *uoluit: præſertim cum Plato nõ de uirtute in genere ſed de ſola prudẽtia loquatur. Locus extat in Phædro, dignus qui ediſcatur:* ὄψις ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνη-

ἡ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται. δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἰ τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν. *Vtcunq; ſit, rectius legi iudico, Excitaret ſui. Dignus eſt hic locus perpetua meditatione, donec tandem oculi mentis aperiantur: ut & ſtulticiæ ac uitiorum fœditatem, & uirtutis ac ſapientiæ pulchritudinem perſpiciant, mirentur, ament, omnibus rebus humanis anteponant: & hinc gradu facto, ad Dei, autoris harum & largitoris unici, admirationem, amorem, ſyncerumq; cultum, qui fit Chriſto ſeruatore agnito, ſpiritu & ueritate aſcendatur. Quòd etſi per omnem ætatem meditando uix aſſequimur: tamen conatus hic non tantùm præclarus, ſed etiam neceſſarius & ſalutaris eſt.*

Acies mentis in uirtutis pulchritudinem intendenda.

CICERO.

Sed omne quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua.

Sed omne quod honeſtum eſt.) *Repetit alijs uerbis quæ paulò antè dixit, eaq; περιφραστικῶς, & fuſius, diſſimulatis & nominibus & numeris uirtutum, quæ uulgò Cardinales appellantur, quòd ab ijs cæteræ complures pendeant. Nunc autem eaſdem & nominat, etſi obſcurius, nominum loco poſitis definitionibus: & numerat, & diſtinguit. Repetit autem ea de cauſa, ut hæc principia probè animis infigantur. Quod ſi factum fuerit, reliqua omnis doctrina facilius & intelligetur, & memoriæ mandabitur: atq; adeò qui fundamenta hæc primo tradita libro fideliter iecerit, Secundi & Tertij interpretem (quod quidem ad rei ipſius uim attinet) non magnoperè deſiderabit. Interim obſeruetur ordo: Honeſtū è natura, ex honeſto uirtutes, ex uirtutibus officia colliguntur: quæ tria ita inter ſe cohærent, ut unum atque idem eſſe uideantur.*

Primum huius Operis librum probè eſſe tenendum.

CICERO.

1. Aut enim in perſpicientia ueri, ſolertiaq; uerſatur: 2. aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq; quod ſuum eſt cuiq;, & rerum contractarum fide: 3. aut in animi excelſi atq; inuicti magnitudine ac robore: 4. aut in omnium quæ fiunt, quæq; dicuntur, ordine & modo: in quo ineſt Modeſtia, & Temperantia.

Aut enim.) *Ciceroniana definitio: Prudētia uirtus eſt, quæ in perſpicientia ueri ſolertiaq; uerſatur: hoc eſt, omnes cogitationes, omnes artes & diſciplinæ ſub Prudentia continentur. Ferri poteſt diſtinctio hæc, ut perſpicientia ad uim ingenij, ſolertia ad artium cognitionem, cùm ex ea, tùm ex obſeruatione ortam referatur. Quid autem inter Ciceronianas & Græcorum deſcriptiones uirtutum interſit, pòſt commodius ac diſtinctius dicetur, ne initiò nimis omnia profundentes, prolixitate auditoribus moleſti ſimus.*

Prudentiæ definitio.

Aut in hominum ſocietate tuenda.) *Iuſticia uirtus eſt, ſeu honeſta-*

Iuſticiæ definitio.

n tis pars,

tis pars, quæ hominum ſocietatem tuetur, & ſuum cuiq; tribuit, & fidem in contractibus ſeruat. Significatur igitur primùm, κοινωνικὴν εἶναι τὴν δικαιοσύνην: hoc eſt, non ad ſingulos, ſed ad plures pertinere. Quanquam ſi acutius intueamur, homo etiam ſibi ipſi (quanquam inuitus atq; imprudens) iniuriam facere poteſt, corpus atque animum uel rebus neceſſarijs deſtituendo, uel ſuperuacaneis & noxijs opprimendo. Imò D. Chryſoſtomus arguté ſanè diſputat, Neminem lædi niſi à ſeipſo. Deinde duas eius eſſe partes, quarum altera ſit διανεμητικὴ τοῦ κατ' ἀξίαν, altera συναλλακτικὴ περὶ τὸ ἴσον.

Fortitudinis deſcriptio.

Aut in animi excelſi.) *Deſcriptio τῆς μεγαλοψυχίας, quam cum fortitudine, ut & ſapientiam cum prudentia confundit: contra ſubtilitatem Ariſtotelis, qui eas diſtinguit. Is enim hominibus eruditis ſcripſit: hic craſſiore Minerua etiam indoctos his libris inſtruere uoluit, qui argutias illas minus capiunt, & quæ ſimilitudinis aliquid habent, eadem eſſe putant, οὐχ ὁρῶντες τὰ εἰς ἓν καὶ πολλὰ πεφυκότα: non perſpicientes ea quæ unius atq; alterius naturæ ſunt, ut ait apud Platonem Socrates.*

Aut in omnium quæ fiunt.) *Modeſtiæ, ſiue Temperantiæ deſcriptio.*

CICERO.

Quæ quatuor, quanquam inter ſe colligata atq; implicata ſunt: tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur.

Quæ quatuor quãquam.) *Occupatio quædam eſt, nata ex eorum diſputatione, qui contendebant, unam tantum eſſe uirtutem, quæ Δικαιοσύνη καθ' ὅλου nominaretur, ut uerſiculus ille habet:*

> Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶς' ἀρετή ἐστι. *Hoc eſt:*
> *Iuſticia in ſeſe uirtutem continet omnem.*

Virtutum & artium connexio.

Attingit hanc diſputationem Iſocrates in proœmio τοῦ τῆς Ἑλένης ἐγκωμίου. & ſanè (ſi ipſius rei natura ſpectetur) ut artes liberales, quæ τῆς ἐγκυκλοπαιδείας nomine continentur, inter ſeſe cohærent, ut circuli catenarum: ita etiam uirtutum ſumma eſt connexio. Nam niſi prudens fueris, quid ſit Iuſticia ignorabis: niſi fortis, deſeres officium fuga laboris, & periculi metu: niſi temperans, pro iuſto fies rigidus & ſæuus. Vnde illud, SVMMVM ius ſumma iniuria. & in ſacris literis præcipitur, NOLI nimium eſſe iuſtus. Cum igitur exceditur modus, iuſticia eſſe deſinit, διὰ τὴν ὑπερβολήν. In uita autem communi ſimulacra potius uirtutum quàm ideæ, umbræ magis quàm uera corpora cernuntur, earumq; diſcrimina ſumuntur à materia ſiue obiectis atque officijs. Prudentiæ autem materia eſt, ueritas: Iuſticiæ, ſocietas ſiue æqualitas: Fortitudinis, imperium, labor, dolor, metus: Temperantiæ, ordo, modus, uoluptas. Sed breuiter etiam exempla ſubijciamus. M. Cato Cenſorius, omnium iudicio prudens & fortis fuit: ſed idem fœnerator, acerbus, inuidus, arrogans: ergo iniuſtus. Atque extrema ætate ſalax: ergo immode-

Virtutum ſimulacra & diſtinctio.

Exempla ſeparatarũ uirtutum.

immodeſtus. Hercules, Achilles, Alexander, multa quidem fortiter, ſed plura fortaſsis etiam temerè fecerunt. Sæpius enim pro ſuis cupiditatibus, quàm pro iuſticia pugnarunt, & ſine certa ratione pericula adierunt: palàm certè quidem intemperantes & iniuſti ſæpè fuerunt. Iulianus Imperator (ſi populariter loquamur) fortis & temperans fuit: ſed idem iniuſtus, quia per uim occupauit imperium: quia blaſphemus in Deum, quia perſecutor acerbus Eccleſiæ, & cultor Dæmonum. Quæ iniuriæ illius prudentiam quoq; contaminarunt, quamuis egregius philoſophus haberetur. Nam quæ dementia maior eſſe poſsit, quàm à iuſticia ad iniuriam, à Deo ad diabolum deficere, ac ſibi & huius & alterius uitæ cumulare pœnas?

Colligata atq; implicita.) *Id eſt, cohærent inter ſeſe, nec ubiq; facilè diſtingui poſſunt: ſicut apud Rhetores beneuolentiæ, docilitatis, & attentionis loci ſæpe coincidunt. Vt enim eadem ſententia & beneuolentiam, & attentionem, & docilitatem conciliare ſæpe poteſt: ita etiam fit, ut eadem actio ad plures diuerſas uirtutes referatur. In primis autem prudentiæ & modeſtiæ ea natura eſt, ut nec Fortitudo, nec Iuſticia, niſi duce Prudentia, & comite Modeſtia, nomen & munus ſuum tueri poſſint.* Prudentia dux, Modeſtia comes cæterarum uirtutum.

Certe officiorum genera.) *Hoc eſt: quædam actiones ad Prudentiam potius, quàm ad temperantiam aut reliquas duas uirtutes referũtur: & ſic de reliquis. Cum Themiſtocles oraculum de ligneo muro interpretatus eſt, claſſem Athenienſium contra Barbaros inſtruendam, prudentiæ fuit ea actio: ut & illa, cum ſimulata amicitia Xerxem monuit, ut quamprimùm fugeret, priuſquam Græci ponte Helleſpontiaco reſciſſo, fugam ei intercluderent. Idem cum dimicauit cõtra Perſas, fortiter fecit. Etſi ea ipſa re prudenter etiam, cum in anguſtijs confligendum eſſe monuit: & iuſtè, quia ciues ſuos defendit. Referenda eſt autem quælibet actio ad eam potiſsimùm uirtutem, cum qua maximè conſentit: quamuis reliquæ etiam eius ſibi partem uendicẽt.* γίνεται ἡ ἐπωνυμία τῆς πράξεως, ἀπὸ τῆς πλεοναζούσης ἀρετῆς ἐν αὐτῇ, καὶ μάλιστα ἐπιπολαζούσης. Themiſtoclis prudentia. Fortitudo.

CICERO.

Velut ex ea parte quæ primò deſcripta eſt, in qua ſapientiã & prudentiam ponimus, ineſt indagatio atq; inuentio ueri: eiuſq; uirtutis hoc munus eſt proprium.

Velut ex ea parte.) *Diſtinctionem uirtutum, & quæ inde oriuntur officiorum, exemplis quotidiani ſermonis declarat, à quo non temerè eſt recedendum. Sed hic locus, ſi mendo uacat, inſolentiorem habet conſtructionem. Vt enim rectè dicas, ex ea parte, &c. naſcũtur certa officiorum genera: ſic, ex ea parte ineſt indagatio ueri, durum. Quod ſi pro Ex, legeretur In, tota res plana eſſet. Sententia certè quidem nihil habet obſcuri, utcunque uerba ſint.*

Quæ prima deſcripta eſt.) *Magis oratorio more liberiorib. deſcriptionibus, quàm anguſtis & periculoſis definitionibus philoſophorũ ſe & uſum eſſe, & uſurum ſignificat.*

Ineſt indagatio.) *Popularius, & ad noſtrum uernaculum ſermonẽ congruentius dixiſſet: Ea honeſti pars quæ prudentia nominatur, indagat atque inuenit uerum.*

Hoc munus eſt propriũ.) *Sic appellat, quod Porphyrius τὸ ἴδιον dicit.*

CICERO.

Vt enim quiſq; maximè perſpicit, quid in re quaq; uerìſsimum ſit: quiq; & acutiſsimè, & celerrimè poteſt & uidere, & explicare rationem, is prudentiſsimus & ſapientiſsimus ritè haberi ſolet.

Veriſsimum ſit.) *Diſputari poſſit, an ſint gradus ueritatis per ſe: ut, ſit'ne magis uerum, Mundum à Deo gubernari, quàm Socratem eſſe mortuum? Etſi hoc ſcire parum refert: illud autem eſt cognitu maximè neceſſarium. Sed hæc huius loci non ſunt. Videtur enim Cicero ueriſsimum appellare uериſimilimũ, ut Academicus. Conſtat autem, aliud alio magis minus'ue eſſe ueriſimile.*

Eloquentia & Reſpublica promptũ requirunt ingenium.

Acutiſsimè.) *Vis ingenij ſignificatur hic, quæ ſæpe diuturna meditatione uerum uix exſculpit: & hac contenti eſſe poſſunt ij, qui in umbra philoſophantur. In rebus gerendis autem alacritas & celeritas accedat neceſſe eſt, ne occaſio amittatur mora. Tardi igitur, οἱ πϱομηθεῖς ὄντες μετὰ τὰ πϱάγματα, quamuis non hebetes, inepti tamen ſunt ad eloquentiam & Rempublicã: niſi (ut fit) uſu rerum & diligenti cogitatione acuantur.*

Et uidere & explicare.) *Eloquentiam cum ſapientia coniungit. Inter ſtultum enim & prudentem, cum tacent, parum intereſſe uidetur. Neq; uerò mutam ego ſapientiam contempſerim (hæc enim, ut non aliud, eum penes quem eſt, ornabit) ſed publicè parum utilem, & in uulgus minus plauſibilem eſſe conſtat.*

Explicare rationem.) *Virum prudentem αἰτιολογικὸν εἶναι uult: non tantùm affirmare, ita eſſe: ſed cur ita ſit, & aliter non ſit, nec eſſe poſsit aut debeat, oſtendere: non tantum τὸ ὅτι, ſed etiam τὸ διότι afferre.*

Is prudentiſsimus.) *Quaſi dicat: non tribuitur illi nec Iuſticiæ, nec Fortitudinis, nec Modeſtiæ laus, ſed Prudentiæ. Vnde apparet, eſſe diſtinctionem aliquam uirtutum.*

CICERO.

Quocirca huic quaſi materia quam tractet, & in qua uerſetur, ſubiecta eſt ueritas.

Quaſi materia.) *πϱοσπίπλεξις, διὰ τὴν μεταφοϱάν. Materia enim, quæ Græcis ὕλη eſt, propriè corporeum quiddam eſt, & ſub ſenſus cadit: ut ligna, lapides,*

lapides, metalla, & id genus alia. Veritas autem incorporeum quiddam, quæ ſola mente comprehenditur. Meminerint homines ſtudioſi hoc loco ſui muneris atq; officij, quod poſitum eſt in exquirenda ueritate, iudicioq́; acuendo & corrigendo. Linguæ, ſunt πρὸ παρασκευή: rerum cognitio, proprium munus. Cognitionis autem finis eſt, actio: honeſtarum actionum præmia, laus, honor, opes, amicitiæ, immortalitas. Hominis ſtudioſi munus.

CICERO.

Reliquis autem tribus uirtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas, tuendas'que, quibus actio uitæ continetur, ut & ſocietas hominum coniunctioq́; ſeruetur: & animi excellentia magnitudo'que, cùm in augendis opibus, utilitatibusq́; & ſibi & ſuis comparandis, tum multo magis in his ipſis deſpiciendis, eluceat.

Reliquis autem tribus uirtutibus.) *Coniungit cæteras uirtutes: ſolam Prudentiam abſolutè ponit, quòd hæc mentem potiſſimum attingit, quæ αὐτάρκης ferè eſt, nec ſocietatem tantopere deſiderat: & ſi deſiderat, diſcendi cauſa id fit. Illæ autem ſine ſocietate ſatis intelligi uix poſſunt, & corpori ſeruiunt.*

Neceſſitates.) *Quas nobis affert corporis imbecillitas, fami, ſiti, morbis, tempeſtatibus, innumeris deniq; caſibus & iniurijs tum hominum tum Fortunæ obnoxij atq; expoſiti. Exemplis nihil opus eſſe puto: quæ ſi quis requirit, uel ſuam uel uicinorum domos inſpiciat.*

Ad eas res parandas.) *Etiam Prudentiæ non minimum munus in hoc uerſatur. Sed tum mens oblita dignitatis ſuæ, ijs inſeruit quæ longè ſunt infra ipſius excellentiam poſita: non ſecus ac ſi ſummus philoſophus puellum elementa literarum doceat, aut iter facturus equum curet. Homo dum iumento conſulit, ut ſui commodi rationem habet, ſic dignitatis non habet. Quãtulum autem inter beſtiæ corpus & hominis intereſt? Neq; ego nunc ἀεροβατῶ, καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον: ſed mentis excellentiam cõſidero, quæ dum eſt in his in cluſa compagibus corporis, munere quodam neceſſitatis & graui opere perfungitur. A quo ego eam (quoniam ſic Deo uiſum eſt) non reuoco, neq; deos nos facio: ſed beſtijs tamen abiectiores eſſe nolim.*

Parandas tuendasq́;.) *Quia non minor uirtus eſt, quàm quærere, parta tueri: quod his uerbis dicit Demoſthenes Olynthiaca 1.* διόπερ πολλάκις χαλεπώτερον εἶναι δοκεῖ τὸ φυλάξαι τ' ἀγαθὰ, τοῦ κτήσασθαι. *Quam tamen ſententiam eſſe ueram, Vlpianus, atque ipſe etiam Demoſthenes 2. mox Olynthiaca negat, his uerbis:* πολὺ ῥᾷον ἔχοντας φυλάττειν, ἢ κτήσασθαι πάντα πέφυκε: *Ita comparatum eſt, ut facilius omnia conſeruentur, quàm acquirantur. Neq;*

uerò munus hoc eſt Iuſticiæ tantum, & Fortitudinis, & Modeſtiæ: ſed (ut modò dixi) Prudentiæ quoque. Ea enim rationes agendi præſcribit: has obſeruat Iuſticia, Fortitudo defendit, Modeſtia conſeruat. Quid enim paret homo uæcors? Iniuſtus incurrit odium: ignauus inſidijs & uiolentiæ eſt expoſitus: intemperans luxu perdit multa, ſi non omnia.

Quibus actio uitæ.) *Rectè enim Ariſtoteles:* ἀδύνατον, *inquit,* ἢ μὴ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. *Quid enim eſt in hac uita gratuitum, niſi (ut uulgò loquimur) inſidiæ ac maleuolentia? Neque bellorum tantùm, ſed omnium propè rerum nerui ſunt, nummi. Vnde orator exclamat:* δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων.

Societas hominum.) *Quod Iuſticiæ proprium munus eſſe uolunt.*

Fortitudinē meo & tuo excitari.

Et animi excellentia.) *Haud temerè mirari queas, Fortitudinem accōmodari opibus parandis: niſi conſtaret, pleraque bella & contentiones propter Meum & Tuum, ut ait Plato, exiſtere. Nam qua alia re, niſi bellis gerendis, Romani (ut taceamus alios) ad tantam opum affluentiam, & Imperij magnitudinem peruenerunt? Neq; uerò mercatoribus magis opus eſt calliditate, quàm animi conſtantia in contemnendis latrociniorum & naufragiorum periculis. Quæ ut uera fortitudo non ſit, ſicut neq; mercenariorum militum, quòd auariciam potius quàm Iuſticiæ defenſionem ſpectet: tamen ſi ad uictum honeſtè parandum, ſi ad alendas uxores & liberos, ſi ad iuuandam exportandis & importandis mercibus ciuilem ſocietatem referatur, non uideo cur eis laus fortitudinis ſit inuidenda.*

Mercatoria & militaris fortitudo.

Fortitudo quomodo & paret & deſpiciat opes.

In his ipſis deſpiciendis.) *Pugnare hæc inter ſe uidentur, eiuſdem eſſe & parare & deſpicere opes. Nam ſiue parandæ ſunt, deſpiciendæ non ſunt: ſiue deſpiciendæ, non ſunt parandæ. Sed facilis eſt conciliatio, parandæ enim ſunt, quatenus neceſſitas poſtulat, & Iuſticia finit: deſpiciendæ, cum ſuperuaneæ ſunt, nec niſi per iniuriam contingere queunt.*

CICERO.

Ordo autē, & conſtantia, & moderatio, & ea quę ſunt his ſimilia, uerſantur in eo genere, ad quod adhibenda eſt actio quædam, non ſolùm mentis agitatio.

Ordo autem & conſtantia.) *Modeſtiæ periphraſis: cui tamen id ſoli tribuit, quod ad Iuſticiam & Fortitudinem non minus pertinet. Attingit enim diſtinctionem uirtutum, quarum aliæ ſunt* θεωρητικαὶ καὶ διανοητικαί, *ut Prudentia & Sapientia, quas Ariſtoteles ſeiungit, Cicero non item: aliæ* πρακτικαὶ καὶ ἠθικαί, *ut reliquæ tres, quas paulò antè neceſſitatibus corporis & ſocietati hominum ſeruire dixit.*

CICERO.

His enim rebus quæ tractātur in uita, modū quendam adhibētes, & ordinem, honeſtatē & decus cōſeruabimus.

His enim

His enim rebus.) *Antè monui, Modeſtiam non minus quàm Prudentiam in cæteris quoq; uirtutibus ſpectari. Illud etiam innuere uidetur, quod diligenter expoſuit Ariſtoteles, μεσότητας εἶναι τὰς ἀρετάς. unde Horatius:*

Virtus eſt medium uitiorum, utrinq; redactum.

Idemq; Stoicorum κατορθώματα quaſi deridens, & uirtutem & ſapientiā ex contrarijs definit, his uerbis:

Virtus eſt uitium fugere, & ſapientia prima,
Stulticia caruiſſe.——

Enimuerò quoniam in procemijs explicandis diutius, ſed neceſſariò commorati ſumus, breuem Ciceronianæ doctrinæ ἀνακεφαλαίωσιν ſubijciamus: ut quibus aut memoria infirmior contigit, aut ociū ediſcendi deeſt, ij non planè inanes ex hac lectione diſcedant. Ii autem qui & Naturam & Fortunam habent magis propitiam, totum hoc opus crebra repetitione perquàm utiliter memoriæ mandabunt. Idq; facilius conſequentur, ſi præcepta hæc ad mores ſuos & omnes uitæ actiones accommodarint. Sed nos horum induſtriæ non diffiſi, rudioribus hos Procemij locos ediſcendos proponamus.

LOCI PROOEMII MEMORIAE mandandi.

I.

Officium, ſiue ab operificio & opificio παρὰ συγκοπὴν, ſiue ab efficio κατ' ἀντίστοιχον dicitur. Continent enim hi libri doctrinam uirtutum: hoc eſt, honeſtarum actionum.

II.

Differunt à doctrina ciuilitatis morū, quòd hæc pars quædam eſt officij, & magis in externo geſtu & cultu ſpectatur: cum doctrina officiorum animos humanos ad honeſtas opiniones atq; affectiones informet, quas conſimilia & dicta & facta conſequantur.

III.

Procemij partes præcipuæ ſunt tres:

Adhortatio tum ad ſcripta Ciceronis & philoſophica & oratoria legenda, quòd & ad dicendum & ad iudicandum proſint: tum ad Græca cum Latinis coniungenda, ut par ſit filius in utriuſq; orationis facultate. 1

Commendatio doctrinæ de Officijs, ab ampliſſimo uſu. 2

Admonitio, repudiatis Epicureis & Scepticis, Stoicos, Peripateticos & Academicos in hoc doctrinæ genere potiſſimùm ſequendos eſſe. 3

IIII.

Methodus doctrinæ de Officijs eſt duplex. Aut enim præceptorum cauſæ inueſtigantur, aut nuda præcepta traduntur. Sed plerunq; hæ methodi inter ſe miſcentur: ut & hic fit, & in parœneticis libellis Iſocratis.

V.

Officium diuiditur in κατόρθωμα, ideſt rectum ſiue perfectum, ac definitur, πρᾶξις ἀκόλουθος ὀρθῷ λόγῳ, hoc eſt, actio conſentanea rectæ rationi: uel.

uel πρόσταγμα νόμου, id eſt imperium mentis: Et καθῆκον μέσον, id eſt medium ſiue commune, ὃ πραχθὲν εὔλογον ἔχει τὸν ἀπολογισμόν: hoc eſt, quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poteſt.

ANNOTATIO.

Κατορθώματα ſunt commenta philoſophorum, & oſtendunt quantum etiam optimi uiri à perfectione uirtutis abſint: καθήκοντα, in uita ciuili reperiri poſſunt.

VI.

Cum officia ſint actio uirtutis, actionem deliberatio neceſſariò antecedat: quinque uias deliberationum, & proinde actionum etiam, oſtendit Cicero. Conſideretur igitur quod acturus es,

1 *Sit'ne honeſtum, an turpe?*

2 *Vtrum honeſtius, ſi duo: aut quid honeſtiſſimũ, ſi plura propoſita fuerint? Eadem eſt & turpitudinis ratio, dijudicandæ in exemplis.*

3 *Sit'ne utile, an noxium?*

4 *Vtrum utilius, aut quid utiliſſimum? Itemq; utrum nocentius, aut quid nocentiſſimum, in dehortando ſpectatur.*

5 *Sit'ne honeſtas utilitati præferenda, ſi pugnare inter ſeſe, unaq; teneri non poſſe uideantur?*

ANNOTATIO.

Locus facultatis & neceſſitatis honeſto & utili includuntur. Voluptas autem, aut honeſtum & utile comitatur: aut ſi eis repugnat, repudiari debet.

VII.

Cicero, priuſquam præcepta det, omnis uirtutis atq; officij originem à natura petit: hoc eſt, oſtendit ſemina uirtutum atq; officiorum ab ipſa natura inſita eſſe humanis animis: ne quis fortè putet nihil intereſſe, utrum præcepta hæc in degenda uita ſequatur, an uerò contemnat & derideat: id quod uulgò faciunt.

VIII.

Quatuor honeſti partes ſiue uirtutes, quæ ſunt fontes officiorum honeſtarumq; actionum, Prudentia, Iuſticia, Fortitudo, Temperantia, quanquam inter ſe colligatæ atque implicitæ ſunt: tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur.

IX.

Prudentiæ ſiue Sapientiæ quaſi materia eſt ueritas: reliquarum trium uirtutum ſocietas, & uitæ neceſſitates. Hactenus proœmium καὶ ἡ κατάστασις.

CICERO.

Ex quatuor autem locis, in quos honeſti naturam uimq; diuiſimus, primus ille qui in ueri cognitione conſiſtit, maximè naturam attingit humanam.

Ex quatuor.) *Abſoluta ὑποτυπώσει καὶ σκιαγραφίᾳ, ſequitur ἡ διαγραφὴ, καὶ διάρθρωσις. Orditur autem præcepta Prudentiæ à commendatione u il-*

ne uulgo hominum neceſſaria, quod minus curat ingenij opera, modò uentri proſpectum ſit. Quem cum ſolum curat, naturæ ſuæ oblitum in beluam degenerat.

Naturam attingit humanam.) *Quæ potiſſimum in excellentia mentis eſt poſita. Præterea cum gubernatrix reliquarum uirtutum ſit, iure principatum obtinet. Antequam enim ad agendum ueniatur, rectò iudicio eſt opus, quod ad mentem & prudentiam ſiue ſapientiam pertinet. Sumitur igitur prudentiæ laudatio à ſubiecti nobilitate. Nam reliquæ tres uirtutes non propriè in mente ſunt, nec τὸ ἡγεμονικὸν tractant, ſed præcipiente τοῦ ἡγεμονικοῦ, τὸ θυμοειδὲς καὶ ἐπιθυμητικὸν moderantur, quæ inſunt etiam in beluis. Diligenti meditatione dignus eſt hic locus, ut quilibet à natura beluarum ſe quàm maximè ſegregare ſtudeat, & animum à corpore ad mentem reuocet, quantũ fieri poteſt. Nam ueritatis & ſapientiæ ſtudium, uerum hominem, eumq; aliquo modo diuinum reddunt. Atqui etiam id ſtudium Dei cultus & amor hominum, & uniuerſæ uirtutis cura comitatur. Cæteræ autem uirtutes facilimè aberrant à ſcopo, & hominem quibuſdam beluis non diſſimilem faciũt, ſi uulgari more, & non uero iudicio ponderẽtur: cum uirtutes non ſint, ſed ſimulacra uirtutum. Nam magnitudo animi & fortitudo, uulgò maximè celebres, communes quodammodo ſunt cũ leonibus, aquilis, & id genus animantibus. In cæteris cum peccatur, quod crebrò fit (difficulter enim ἡ ἀκμὴ τῶν καιρῶν attingitur) magis etiam à natura humana deficitur. Nam ſtudium uoluptatum porco, cani, capro, non diſſimilem facit. Congerendæ pecuniæ occupatio, formicam Indicam repræſentat. Deniq; nihil omnium rerum eſt, quod homini minus commune cum feris ſit, quàm indagatio atq; inuentio ueri: &, qui cum hoc neceſſariò coniungitur, Dei cultus.*

Prudentia hominis decus.

Segregare nos à natura beſtiarũ pro uirili debemus.

Prodiuis lapſus

φιλαργυρία. ἀκρίβεια.

CICERO.

Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrũ putamus: labi autem, errare, neſcire, decipi, & malum & turpe ducimus.

Omnes enim.) *Ratio ſumitur ab experientia. Omnium (inquit) hominum cupiditas declarat hoc ſtudium naturale eſſe homini, et quaſi proprium. Vide Ariſtotelem α. τῶν μετὰ τὰ φυσικά, & alibi.*

Trahimur.) *Quaſi ui quadam naturæ, etiam inuiti quodammodo: quia mens nunquam acquieſcit, ocioſa eſſe non poteſt.*

Et ducimur.) *Natura cogit nos: cognitionis autem ſuauitas maximè delectat. Sic Mimographus Ducunt uolentem Fata, nolentem trahunt.*

Labi autem.) *Si hæc turpia ſunt, ſummo ſtudio caueantur. Caueri autẽ non poſſunt, aut certè minus commodè aut perfectè caueri poſſunt, ſine accurata inſtitutione. Ariſtoteles magno & profundo conſilio uirtutes non φυσικὰς δυνάμεις, ſed ἕξεις καὶ προαιρέσεις definiuit: ut admoneret, inſtitutione & exerci-*

Doctrina cautiores facit.

Non nimis indulgere ipſi nobis, neq; facile ignoſcere debemus.

exercitatione maximè eſſe opus. Vulgò dicitur, Humanum eſſe errare: et, Qui uitia oderit, homines odiſſe: quòd ſine peccatis & erroribus non uiui poſſit ſcilicet. Itaque non nimis ſeueros eſſe nos oportere: rectè fortaſſe, ne noſtro (quod aiunt) gladio ipſi iugulemur. Sed Plato minimè probat ea ingenia, quæ multum ſibi ignoſcant, nec grauiter erratis & peccatis ſuis doleāt. Grauiter etiam Iſocrates monet, peccata ſummo ſtudio eſſe minuenda. Cato autem ſe malle dicebat rectè factorum carere gratia, quàm pœna delictorum. Iſta igitur æquitate & facilitate, ſi res ita feret, in alios utamur. Nobis autem ipſi minimè ignoſcamus, ne peccandi conſuetudine licentiam augente, tandem licere nobis putemus, quicquid libitum fuerit: id quod multis, præſertim diuitibus & potentibus euenire uidemus: nec his tantum, ſed adoleſcentibus etiā, quorum petulantia non caſtigatur.

Licentia deteriores ſumus.

CICERO.

In hoc genere & naturali & honeſto, duo uitia uitanda ſunt.

In hoc genere.) *Ariſtoteles, ut dixi, contendit uirtutes eſſe μεσότητας: & habere bina ἄκρα, quorum alterum ὑπερβολὴν, alterum ἔλλειψιν appellat. Sic igitur & Cicero τὴν φιλοσοφίαν collocat in medio τῆς ἀμελείας, καὶ περιεργίας. Medium uerò tenuere beati, qui nec ſuperuacanea & inutilia cōſectantur: et in iјs elaborant, ubi faciunt operæprecium. Neq; uerò tu operæprecium illud intelligito, in quod Patrocli quidam nō diſsimilis Ariſtophanico, ſe incubuiſſe, me præſente & tacente, gloriabatur: ut opes pararet ſcilicet, neglecta literarum uanitate, quæ cum delectatione quadam occupare animum, rem familiarem nō admodum augere poſſent. Hunc autorem ſequūtur, qui opima ſacerdotia, qui dotatas uxores, qui uanos doctrinæ titulos, quo iure quaq; iniuria conſectantur: Non inquam hoc tu operæprecium hic intelligito: ſed animi atq; ingenij culturam, ſed uirtutis & ſapientiæ incrementa in maximo lucro deputato. Quod cum dico, non te Irum eſſe, & rem familiarem negligere iubeo: ſed ita corpori quod ſuū eſt tribuere, ut ne mens negligatur.*

Studiorum defenſio.

Et naturali, & honeſto.) *Quaſi dicat, magna cautione eſt opus ne ab officio aberremus, ſpecie aliqua recti decepti. Hac ſententia adoleſcentes contra uulgi obtrectationes defendere ſe poſſunt, cum ſtudijs uacant, quòd ea occupatio naturalis & honeſta ſit. Neque uerò ſine cauſa mireris, qui fiat, ut contra ipſius naturæ iudicium pueri pleriq; à diſcendo abhorreant. Sed cauſæ in promptu ſunt. Non enim à cognitione abhorrent (id quod delectatio fabellarum, & crebræ uarijs de rebus percontationes arguunt) ſed cognitionem uerborum peregrinorum principiò oderunt: nec perſpicere poſſunt, quæ deinde ſecutura ſit non modò utilitas, ſed etiam uoluptas. Eſt enim ἡ πικρότης τῶν ῥιζῶν τῆς παιδείας potiſſimùm in Grammatica, hoc eſt in cognitione peregrinarum linguarum poſita. Nam artium quidē aliarum methodi ſi quid habent moleſtiæ, id perexiguum eſt: οἱ καρποὶ uerò ſunt rerum cognitio, utiq; ſuauiſſima uel*

Cur pueri à diſcendo abhorreant?

ma uel pueris. Delectantur enim omnibus iſs ſermonibus, quos intelligũt: imò progreſsi paululum, è peregrinæ linguæ cognitione quoq; mirificam uoluptatem capiunt. Quantæ laudi ſibi ducunt (neq; id immeritò) ſi Latinè, ſi Græcè loqui norunt? ſi uerſus ſcribere didicerunt? ſi alios loquentes intelligunt? ſi ſuo Marte in libellis aliquibus uerſari poſſunt? Eſt autem acerbitas illa radicis ita lenienda, & quaſi condienda: primùm ut cogitent, Græcam Latinamq; linguam fores eſſe eruditionis: deinde ſi per eas, in ipſas ædes ingreſſi fuerint, ſe ſuauiſsimos fructus inuenturos eſſe. In quo credere debent parentibus, præceptoribus, et aliis prudentioribus: quoniã id ipſi nondũ intelligere poſſũt. Atq; hæc maxima cauſa eſt odij literarum. Accedit & altera: quòd inquieta ætas, non ſine moleſtia libris aſsidet, & ad ludicra & nugas magis fertur. Sed & hæc cauſa tolli poteſt aliquo modo, ſi cogitent nugas illas nihil habere laudis, permiſtas eſſe multis moleſtiis, non diu durare, plurimum nocere. Quod ut rectius intelligant, duos pueros inter ſeſe conferant, alterũ nugatorem & otioſum, alterum ſtudioſum & occupatũ: exactoq; anno expendãt, quid uterq; è ſuo uitæ genere fructus perceperit. Intelligent autem, puerũ ſtudioſum primũ uitiis multis caruiſſe, propter diſcendi occupationem. Deinde multo & doctiorem & meliorem eſſe factum, ſine ullo detrimento ſuo, & maxima cum approbatione omnium. Alterius uerò ludos & iocos euanuiſſe, ſi nullo cum probro & damno (quæ tamẽ uix caueri poſſunt) at ſine fructu et laude. Multum etiam refert, qui ſint mores, quæ doctrina præceptorum. Nam & his rebus pueri plurimùm uel inuitantur, uel alienantur. Optandum ſanè eſſet, eos eſſe magiſtros, qui non tantùm docerent, exigerent, obiurgarent, uerberarent: ſed etiam crebrò admonerent, hortarẽtur, laudarent in loco, incommodis & difficultatibus cuiuſq; mederi ſtuderent, et ſpe bona ingenia prouehèrent, et à deſperatione reuocarẽt. Quæ de præceptoribus dicta ſunt, etiã ad parẽtes ſunt referenda, quorũ culpa perire pleroſq; non ſine cauſa Quintilianus queritur.

Radix eruditionis amara, quomodo condienda.

Nugarum amor eruditionis fructus discutiendus.

Pueri præceptorum moribus uel alliciuntur, uel alienantur.

Parentum uecordia.

CICERO.

Vnum, ne incognita pro cognitis habeamus, hiſq; temerè aſſentiamur.

Ne incognita pro cognitis.) *Ad hoc uitium uitandum, Academici ſuum illud ἐπέχειν καὶ διασκέπτεσθαι uſurparunt: & nonnulli nimium σκεπτικοί τε καὶ ἐφεκτικοί, uel nouitatis uel modeſtiæ ſtudio τὴν ἀκαταληψίαν introduxerunt. Quaſi uerò non quædam euidentia eſſent, atq; in ipſos ſenſus incurrerent: quædam uerò obſcura & dubia, de quibus ſit amplius deliberandum, quæq; uariis coniecturis huc illuc trahantur. Nonnulla etiam, quæ ſciri nullo modo poſsint: ut, Stellarum numerus par ſit an impar? Quæ nũc exequendi & comprobandi locus non eſt.*

Hiſq; temerè aſſentiamur.) *τὸ ἀναιτιολόγητον καὶ ταχυπειθὲς, ſi quis ſtatim autoritate narrantis mouetur, & credit omnia, temeritatis eſt. Nam cauſarũ cognitio ſcientiã parit: ignoratio opinionẽ, dubitationẽ, admirationẽ. Nunc autẽ & doctores pendere à nutu præceptorũ, qui aliis in locis ſentiunt*

aliter,& uulgus hominum quouis doctrinæ quaſi uento circumferri & inter ſe rixari,non ſine dolore uidemus. ueræ autem pietatis ſtudium,corrigendorum affectuum curam, & Chriſtianæ uitæ conatum, quàm in paucis uidemus? Et tamen omnes Catholici,omnes Euangelici,omnes (ſi Chriſto placet) Chriſtiani ſumus. Qui ſi eſſemus:non profectò contentionis quàm ueritatis cupidiores eſſemus.

CICERO.

Quod uitium effugere qui uolet (omnes autem uelle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tempus,& diligentiam.

Omnes autem uelle debebunt) *Elegans παρένθεσις,ſimulq́; παραίνεσις:ne quis indulgeat ocio,ne oſcitet,ſibiq́; ignoſcat.*

Maturè auſpicandū, & ſtrenuè pergendum.

Et tempus.) *Hinc Nazanzenus: σύμβουλος, inquit, οὐδεὶς ἐστὶ βελτίων χρόνου. Id eſt,Nullus melior conſiliarius tempore. Ne autem tempore destituamur,τὸ παιδομαθῆ εἶναι καὶ ἀπερισπάστως φιλοσοφῆσαι,res maximi momenti eſt. Parentum igitur munus eſt,à teneris annis filiolos ſuos curare inſtituendos:iiſq́; ſuppeditare & ocium,& omnem diſcendi commoditatem. Et ſapienter Plato præcipit,cauendum eſſe in primis,ne quis ad illud quod tenere oporteat,diſcendum ſerò ueniat:ſed potius id & ſeriò, & per ludum atque iocum ſubinde meditetur. Locus hic admonet,excitandos adoleſcẽtes ad tempus parcè prudenterq́; diſpenſandum,ne (ut Seneca dicit) aliquando neceſſaria ignorent,quòd non neceſſaria didicerint:néue eis magna uitæ pars nihil agentibus,maior malè agentibus,tota aliud agentibus elabatur. Sed ne faſtidium non modò crambe,ſed mel etiam ſæpius appoſitum pariat: huc, qui uolent, aſciſcant ea quæ de ratione ſtudiorum alibi ſcripſimus.*

Et diligentiam.) *Hæc uaga,incerta, & ærumnoſa erit ſine Dialectica methodo,atq; etiam Rhetorica. Cum igitur conſiderandarum rerum diligentiam commendat:unà etiam artes dicendi,& in primis Dialecticam commẽdat:quæ non ſine cauſa ὄργανον ὀργάνων καὶ χεὶρ τῆς φιλοσοφίας inſcribitur: & Platone autore,oculos humanos in Barbarico cœno defoſſos, ſenſim attollit atq; abſtergit,ut in iudicando acutius cernant. Cuius ipſa uerba,ediſcendi cauſa,libet aſſcribere è 7. de Repub. ubi eam efficere ait δυνατὸν δοῦναί τε καὶ ἀποδέξασθαι λόγον, καὶ μὴ ὀκνῶσιν περὶ τὸ ὄν,ὑπὸ ἧς δυνατὸν εἰδέναι. καὶ τῷ ὄντι ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινι τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον ἠρέμα ἕλκειν καὶ ἀνάγειν ἄνω, συνεριθοῖς καὶ συμπεριαγωγοῖς χρωμένην ταῖς ἄλλαις εἴτε τέχναις,εἴτ' ἐπιστήμαις,εἴτε καὶ διανοίαις,&c. Vbi obiter græcæ linguæ ſtudioſi obſeruent,primum δοῦναι λόγους eſſe inuenire & explicare rationes:ἀποδέξασθαι uerò,aliorum rationes uel approbare uel improbare.non autẽ interrogare & reſpõdere, etſi hæc quoq; in diſputando fiunt. Deinde,ſine Dialectica uerum non ſatis perſpici in cauſis obſcurioribus. Poſtremò,cæteras artes cum ipſa Dialectica eſſe coniungendas.*

CICE-

CICERO.

Alterum eſt uitium, quòd quidam minus magnum ſtudium, multamq́ operam in res obſcuras atq difficiles cõferunt, eaſdemq́ non neceſſarias.

Alterum eſt uitium.) *Quemadmodum uitãda ſit ἡ ἔλλειψις, quæ eſt ſiue negligentia, ſiue temeritas, docuit breuiter omnino, ſed magna grauitate. Nũc etiam περὶ τῆς ὑπερβολῆς monet, in qua non illud tantum cauendum eſt, ne modus excedatur: ſed danda etiam opera, ne in delectu materiæ, in qua elaboremus, erretur. Ac facile nobis eſt hoc iudicium, qui in literis uerſamur: habemus tres eruditas linguas, habemus artes liberales 7. habemus Philoſophiã, Theologiam, Iuriſprudentiam, medendi artem: ſed ſunt in his ipſis quædam loca obſcura, dubia, inexplicabilia, ſuperuacanea: quibus omiſsis, uerſari in maximè neceſſarijs & utiliſsimis, prudentiæ fuerit, & iudicij non uulgaris: quæ ſingulatim perſequi, eorum eſt qui in Scholis docent. Homines autem curioſi, & ocio atq; ingenijs abundantes, ſi ita placet, Lulli artem neſcio quã, & Cabalam Hebræorum, & Chymiam (quæ ex diuitibus pauperes facere ſolet) & id genus alia commenta, nobis non repugnantibus, adiungant.*

Nimis magnum ſtudium.) *Vix hoc accidit in rebus honeſtis, & neceſſarijs, ut excedatur modus, (& Cicero etiam τὸ ἄγαν ad ſuperuacanea refert) qui tum excedi putandus eſt, cũ aut ualetudo læditur, aut alia uitæ neceſſaria officia deſeruntur. In non neceſſarijs autem, multoq́ue magis in noxijs, uel unum momentum temporis perit, rectius in res utiles conferendum.*

In res obſcuras.) *Prior cautio modum commendat, in honeſtis etiam ſtudijs: altera hæc delectum materiæ & generis ſtudiorum, in quo elaboremus, præcipit. Quibus autem in ſtudijs homini ingenuo, & non omnia ad ſordes diuitiarum, & gloriolæ uanitatem referenti elaborandum ſit, cùm multi uiri docti prudenter et fideliter monuerunt, tum uix quiſquam accuratius & copioſius Io. Ludouico Viue, in illis libris uiginti de Diſciplinis: quos ſtudioſis omnibus in manibus eſſe uelim. Sed ſi quem deterret prolixitas, extat eadem de re breue ſcriptum Rodolphi Agricolæ: item Sturmij libellus de Ludis literarum aperiendis, elegantiſsimus atque eruditiſsimus.*

In res obſcuras atq difficiles.) *Videntur ſignificari rixoſæ diſputationes Dialecticorum, ac potius Sophiſtarum, quos ἐριστικοὺς λόγους ueteres appellarunt. Item diſputationes de natura rerum, in quibus philoſophi plerunque diſſentiunt. Nec paruæ ſunt Aſtrologorum controuerſiæ, Theologorum longè & plures & maiores. Non hæc contemnenda quidem ſunt: ſed ea tenus attingenda, quatenus ingenium expediunt, non autem impediunt. hoc eſt, accipienda ſunt ea quæ dant: id eſt, quæ commodè intelligi, teneri, atque ad uitæ uſum conferri poſſunt, reliquis neglectis. Nam ſi, Fabio autore, inter Grammatici uirtutes eſt, quædam ignorare, hoc eſt, non eſſe curioſiorem: quid ſi idem*

ad alias quoq; diſciplinas trãsferatur? ne ſimiles euadamus Phariſæorum, qui mentã et anethum decimantes, potiora legis iudicium & miſericordiam, negligebant. In hoc genere immortalibus laudibus dignam nauauit operam uir præſtantiſſimus PHILIPPVS MELANCHTHON, qui præcipua & utiliſſima quæq; omnium bonarum artium capita magno iudicio ſelegit: quibus perceptis, rectius in omni autorum genere uerſari queas. Huius induſtriam alijs imitari, aut etiam alicubi uincere, fortaſſe non ita fuit difficile: poſtquam ille iam & glaciem fregerat, & uiam patefecerat. Quos efferre ſeſe non decet, neq; ἀπλακτίζειν εἰς ἐκεῖνον, καθάπερ τὰ πωλάρια περὶ τῶν μητέρων. Neq; enim fortaſſe ænigmata illa ſoluiſſent, niſi huius uitula araſſent. Fuit enim ea ingenij excellentia ille μικρὸς ἐὼν ῥώμην αὐνὴρ, γνώμην δὲ μέγιστος, ea indefatigabili induſtria, ut ſi pro iure ſuo in uno aliquo diſciplinæ genere elaborare illi licuiſſet, & ad oſtentationẽ & pompam illa conferre libuiſſet: Europam illius ſimilẽ multis ſeculis nec habuiſſe, nec habiturã fuiſſe, perſuaſiſſimum habeam. Nunc in tantis & tam uarijs occupationibus, curis & ſolicitudinibus, quas illi tempora Germaniæ noſtræ attulerunt, in perpetua & non rarò periculoſa ſeruitute: quis miretur, eum non ubiq; ſatisfacere ijs, qui toto menſe tot uerſus ſcribere non ſolent, quot ille uno die ſæpius, antelucano tẽpore epiſtolia exarauit? Sed quid de ingenio & doctrina loquor? Cum ea fuerit & animi bonitas, & uitæ integritas, & tantum de toto humano genere bene merendi ſtudium, ea etiam in aduerſarios moderatio, ut multo iuſtius de eo dici poſſit, quàm de Platone: uirum eum fuiſſe, quẽ laudari à malis ſit nefas. Fuit ille profectò felicior operis, quàm præmijs operarum. Opes enim, niſi fallor, minores reliquit ſuis, quàm à ſuis acceperat. Eas autem fecit operas annis 40 & amplius, quibus eruditi per Germaniã propè innumeri, cum grati animi teſtificatione fruuntur. Nam exteras nationes partim religionis controuerſiæ, partim φιλαυτία (ne alia cõmemorem) ab eo alienarunt. Ijſdemq́; forte de cauſis è noſtratibus etiam ingrati cuculi, aculeati ſcorpiones quidam illi inſultarunt. Quorum ille nunc apud ſuperos immortali æuo perfruens, ſi ſtulticiam non ridet, at improbitatem miſeratur. Sed nos mentem illi meliorem precati, ad inſtitutum redeamus.

Obſcuritas & difficultas excitatrix diligentiæ.

Eaſdemq́ non neceſſarias.) περισσὸς διορισμὸς neceſſarius. Neq; enim ſatis cauſæ eſt, uel in obſcuritate, uel difficultate, ut à rerum honeſtarum & utiliũ cognitione abhorreamus. Alioquin omnes uirtutes fugiendæ eſſent, quæ ſine labore contingere nequeunt. In ijs igitur, ſine quibus honeſtè & cõmodè uiui non poteſt, obſcuritas ingenij aciem excitet, difficultas animi neruos intendat. Neceſſaria autem intelligenda ſunt, quæ aut prudentiã, aut probitatem, aut eloquentiam augent: aut rei familiari, ualetudini, ſocietati hominum conſulũt. Non neceſſaria et ſuperuacanea, τὰ μηδὲν μὲν ὠφελοῦντα, πράγματα δὲ παρέχειν τοῖς μετιοῦσι δυνάμενα: quæ cũ nihil fructus, nihil utilitatis afferant. ſui ſtudioſis negocium faceſſere poſſunt, ut ait Iſocrates Sic aũt habendũ eſt. omnes artes et diſciplinæ ſua quædam principia habent. ſi non neceſſaria, at

Neceſſaria.

Superuacanea.

Artium principia & finis.

ria, at probabilia & ſimilia ueri: unde cætera præcepta extruuntur, nõ ad inanem occupationẽ, ſed ad uitæ uſum pertinentia. Id quod apud Lucianum in libello de Paraſitica, definitio artis oſtẽdit: τέχνη, inquit, ἐστὶ σύστημα ἐκ καταλήψεων συγγεγυμνασμένων, πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ. Accedũt deinde curioſitate aut uanitate eorũ qui in uno ſtudij genere (Scholiaſtici præſertim doctores) conſenuerũt, Labyrinthi quidam inextricabiles. Qui et contemnendi ſunt, & deridendi, cum τέλος εὔχρηστον abeſt. Neq; quiſquam putare debet ſe indoctiorẽ eſſe, quòd ignoret illa Nam obſcuriſſima, quæq; ferè aut minus neceſſaria ſunt, aut planè ſuperuacanea, nec digna ſtudio: aut ſi quid utile habent, maximè neceſſarijs & facilioribus cognitis, ſtudioſo per ætatem ipſa ſeſe declarant: idq; tum, cum id minimè agit. Is enim fortunæ principatus eſt, qui etiam ingeniorum fœturas amplectatur. In Philoſophia (non illa uera, quæ naturæ iudicium ſequitur: ſed quæ uulgò dicitur, cum μωροσοφίας rectius uocari poſſet) multa ſunt obſcura, intricata, inexplicabilia, ſuperuacanea, pernicioſa. In hiſtorijs multa ignota, dubia, cõtrouerſa, pugnãtia. In poeſi, quæ propter eloquentiam & ſuauitatem orationis potiſſimũ celebratur, portenta infinita: nec maiore digna ſtudio quàm fabellæ anicularũ quas uel hæ illis, uel illi his ſuppeditaſſe uideri queant. Grãmaticis tamen uenia datur, qui ſine hac nugaciſſima occupatione munus officij ſui tueri non poſſe uidentur, præſertim cum philoſophi & oratores, ſcripta ſua illorum exemplis & ſententijs ornarint atq; illuſtrarint. Theologiæ autem ea ratio eſt, ut qui non crediderint, nullo ingenio, nulla diligẽtia ſint intellecturi. Qui uerò crediderint, fieri aliter nõ poteſt quin τὴν ὑπακοὴν μετὰ τῆς ἀκοῆς τοῦ εὐαγγελίου ſummo ſtudio coniungant: hoc eſt, Euangelium non in labris illis natabit, ſed in cordibus ardebit, & uitam Deo gratam inſtaurabit. Quod ſi noſtris temporibus conſideraretur, omiſſa inueſtigatione myſteriorum Dei, & rixoſis diſputationibus repudiatis, magis piè ac tranquillius uiueretur. Nã quæ nunc faces diſſenſionum ſunt, eæ maxima ex parte diſputationibus aut obſcuriſſimarum aut minus neceſſariarum rerum accenduntur: neglecta interim fide uera, & charitate non ficta.

Curioſitas & uanitas profeſſorum.

Obſcuriſſima & maximè controuerſa pleraque minus utilia.

Philoſophia.

Hiſtoria.

Poeſis.

Theologiæ myſteria fidem poſtulant, diſquiſitionẽ auerſantur.

CICERO.

Quibus uitijs declinatis, quod in rebus honeſtis & cognitione dignis operæ curæq́ʒ ponetur, id iure laudabitur.

Id iure laudabitur) *Quaſi dicat, quamuis inſcitia hominum atq; iniquitas ſtudijs deditos & oderit, & contemnat. Reuocat igitur his uerbis homines ſtudioſos à uulgi ſtulticia, ad ipſius naturæ tribunal, laudabilem eſſe cognitionem rerum pronunciantis.*

CICERO.

Vt in Aſtrologia C. Sulpitium Gallũ audiuimus, & in Geome-

Geometria Sext. Pompeium ipſi cognouimus: multos in Dialecticis, plures in Iure ciuili.

Vt in Aſtrologia.) *Subijcit unum atque alterum exemplum clarorum uirorum, qui cum cæteris fortunæ ornamentis & Reipublicæ cura, ea etiam ſtudia coniunxerint, ſine quibus commodè uiui poſſe uideatur. Quæ cum laudet, multo magis ea laudat, quæ ad benè beateq; uiuendum, tutandamq; Rempublicam requiruntur. cuiuſmodi ſunt τά, τὰ ἠθικὰ, καὶ τὰ οἰκονομικὰ, καὶ τὰ πολιτικά: item Iuriſprudentia, Medicina, cognitio religionis in primis.*

Audiuimus.) *ſcilicet, operæ curæq; aliquid poſuiſſe. Ne quis fortè κορύζης τὴν ῥῖνα μεστὸς, & obeſæ naris homo, Ciceronẽ illius auditorẽ fuiſſe ſomniet, qui ipſius ætatem anteceſsit.*

Aſtrologiã & diligenter & ſobriè tractandã eſſe.

In Aſtrologia.) *Multorum conuicijs (eorum in primis qui ſe Theologos nominant) hæc diſciplina proſcinditur. Et ſanè fatendum eſt, curioſitate & uanitate profeſſorum multum ſuperſtitionis, multum uanitatis in eam irrepſiſſe: & plus ei tributum eſſe, quàm reipſa præſtare queat. Huc accedit & autorum in iudicando diſſenſio, & minus exquiſita & certa motuum ratio, propter aut nullam aut negligentem longi temporis obſeruationem. Sed tamen ſi & modus ſeruetur, nec quicquam admiſceatur quod cum naturalibus obſeruationibus non conſentiat: plurimum & delectabit, & aliquando etiam iuuabit: ut præclarè docet Ptolemæus in præfatione τῆς τετραβίβλου συντάξεως, & Pontanus in libris de Fortuna, & de Rebus cœleſtibus. Nam Iulius Frimicus & M. Manilius importuniores ſunt, fatalem omnino neceſſitatem atq; ineuitabilem ſideribus tribuendo. Ipſum autem Aſtrologiæ nomen, contrà quàm nunc fit, ueteribus & motum & effectum ſiderum complectitur. Quod de Aſtrologia dico, etiam de phyſiognomonia, μετωποσκοπίᾳ & χειρομαντείᾳ intelligatur. Conſtant enim & hæ nulla ſuperſtitione (ut quidam uel ex inſcitia ſentiunt, uel per calumniam dictitant) ſed naturalibus obſeruationibus longo uſu comprobatis. Quæ cum ita ſint (neq; uerò ita eſſe quiſquam, niſi impudens, negare poteſt) iniuriam his artibus faciunt, qui eas cum νεκρομαντείᾳ, πυρομαντείᾳ, γεωμαντείᾳ καὶ ὑδρομαντείᾳ, & alijs id genus ἀναπολογήτοις ſæpiſſimeq; fallentibus technis confundunt.*

In Geometria.) *Hæc unà cum Arithmetica, præterquàm quòd contractibus & Architecturæ atq; omnis generis opificijs ſeruiunt, à Platone dicuntur alæ, quarum ſubſidio in cœlum euoletur.*

Multos in Dialecticis.) *Quæ ſi & excellentiſſimum inſtrumẽtum & manus philoſophiæ ſunt, quis eorum rudis & ignarus eſſe uelit?*

Rabulæ pro iuriſcon ultis: proluſtiçiæ ſacerdotibus, ſycophantæ multi.

In iure ciuili.) *Hanc profeſsionem cum olim (ut ſecundo huius Operis libro aſſeritur) ſummorum uirorum eſſet. factam eſſe mercenariam, & magnopere dolendum eſt, et uitæ humanæ calamitoſum. Nam cum eorum qui Iuriſconſultorum nomen ſibi arrogant, tanta multitudo ſit: omni ſtudio plerique in eo elaborant, ut lites ex litibus ſerant, & reos (reos autem, Ciceronem ſequutus,*

quutus, eos appello, quorum res agitur: qui Græcè οἱ ἀμφισβητοῦντες dicuntur) non expediant, ſed potius expilent, & nunquam quietos eſſe ſinant: quòd alioqui ſplendorem ſuum tueri non poſſent. Ita ſordidorum quorundam hominum uitio (bonis enim uiris nihil per me detractum uolo) honeſtiſſima profeſſio, & Reipublicæ firmamentum, & pacis quaſi nutricula, in ſycophanticam & ſophiſticam conuerſa, litium ſeminarium quoddam eſſe cœpit. Quod ut fieret, non tam Iuriſconſultorum (etſi horum etiã) culpa factum eſt, quàm reorum qui ſana conſilia uel non admittunt, uel non remunerantur. In ius enim plerique ueniunt, non ut ius adipiſcantur, ſed ut libidinem animi ſui expleant, & ægrè faciant aduerſarijs. Ego me tamen (ut fert ſcholaſtica ſimplicitas ſcilicet, uel ſtulticia potius) illorum hominum mercenarium eſſe nolim. Viderint alij, quid Deo reſponſuri ſint.

Reorum improbitas.

CICERO.

Quæ omnes artes in ueri inueſtigatione uerſantur.

Quæ omnes artes.) *Omnia eorum ſtudia qui in Scholis & Academijs uerſantur, quocunque in diſciplinæ genere, ad hunc primum Officiorum fontem, quem Cicero ſiue Prudentiam ſiue Sapientiam appellat, referuntur. Neque uerò Ciceroni propoſitum fuit, omnium artium & diſciplinarum texere catalogum: ſed exempli cauſa proferre paucas, & ex his nonnullas quæ ſuperuacanei eſſe operis uulgò uideantur.*

In ueri inueſtigatione.) *Iuriſconſultus fortaſſe dicat, ſe æquitatem inueſtigare, Medicus ſanitatem, Theologus religionem. Quod ut concedendum eſt, ſic ab ijs diſciplinis ſeiuncta eſſe nequit ueritas. Proinde quicquid tractatur, ſiue ad ſciendum, ſiue ad agendum pertineat, quod cognitum uolumus: indagationi ueritatis rectè tribuitur.*

CICERO.

Cuius ſtudio à rebus gerendis abduci, cõtra officiũ eſt.

Cuius ſtudio.) *Exceptio addi poteſt hæc, niſi ipſum ſtudium ſit ea res quæ gerenda tibi ſit: cuiuſmodi munus eorum eſt qui adoleſcentiam in linguis & bonis artibus inſtituunt, aut qui populo doctrinam religionis explicant. Hi dum θεωρητικοὶ ſunt, unà etiam πρακτικοὶ ſunt: quoq; ſtudioſius monumenta ueterum excutiunt, eo rectius officio fungi poſſunt. Quamuis enim in obſcuris quibuſdam angulis deliteſcentes, remotiſſimi à Republica eſſe uideantur: tamen non parum operæ Reipublicæ conferunt rectè inſtituenda adoleſcentia, & ad omne officij munus erudienda. Cicero autem cum libros hos principibus Romanis potiſſimùm ſcriberet, clauſulam hanc adiecit: ut eos ab umbra in lucem, & ab ocio ad negocium reuocaret, ne uel Sardanapalos noſtri temporis non paucos imitati, uel inani quadam ſpecie doctrinæ, aliarum'ue occupationum ut ſibi blandientes, ſic alijs fucum facientes, luxurioſiſſimè uiuerent ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης.*

Quorundam eruditorum negocioſum eſſe ocium.

Ciceronem principes ab ocio reuocare uoluiſſe.

CICERO.

Virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit.

Actuoſam uirtutem & à Philoſophia, & à Theologia poſtulari.

Virtutis enim laus.) *Memorabilis ſententia, cui non diſsimilis eſt illa eiuſdem autoris: Fructũ ingenij & uirtutis tum maximè percipi, cum in proximum quemq; cõferatur. Diuus Paulus quoq; eam fidem probat, quæ ſit per charitatem efficax. Chriſtus ſeruator ex fructibus arborem, ex operibus fidem ſe iudicaturum denunciat: ſuorumq; mandatorum obſeruationem paſſim exigit, poſtulat, flagitat, eaq́ue negligentibus æternum exitium minitatur. Nos tamen, alij conciones, alij miſſas, non tam ex animo, quàm conſuetudinis cauſa & reprehenſionis metu audiſſe contenti, plerique in utramuis aurem ocioſe dormimus, genio ac libidinibus noſtris indulgẽtes. Quem ueternũ utinam ij qui pro ſuggeſto docent, nobis excutiant, animosq; noſtros à contentionibus & exagitatione aduerſariorum, ad officij noſtri ſalutisq; curam traducant. Nimis enim profectò, nimis ſecuri ſumus, ut etiam atq; etiam timendum ſit, ne ſponſo aduentante facibus extinctis, regni cœleſtis foribus excludamur. Quod Deus Opt. Max. qui omnes homines uult ſaluos fieri, clementer auertat. Sed ad Ciceronem redeo, cuius hæc ſententia ſic accipienda uidetur, ut περὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς potiſsimum intelligatur. Nam ἡ διανοητικὴ ἀρετὴ αὐτάρκης ἐστὶ, καὶ χωρὶς τῆς πράξεως.*

CICERO.

A' qua tamen ſæpe fit intermiſsio: multiq; dantur ad ſtudia reditus.

Hominẽ ſtudioſum & philoſophari & rem gerere poſſe.

A' qua tamen ſæpè fit intermiſsio.) *Tanta ſuauitas eſt philoſophiæ, ut ſanum atq; acutum ingenium difficilimè ab ea auellatur, neq; quicquam aliud agere malit: & tamen propterea ſocietatẽ ciuilem deſerere nolit. Quod cum non ſine moleſtia fiat, Cicero conſolationem quandam ſubiungit: Qui prudens, inquit, & parcus diſpenſator temporis fuerit, is eadem opera & θεωρητικὸς & πρακτικὸς eſſe poterit: ſic tamen, ut τὸ μὲν πολιτεύεσθαι ſit eius ἔργον, τὸ δὲ φιλοσοφεῖν πάρεργον.*

Eruditi & ſtudioſi principes.

Extant exempla occupatiſsimorum hominum, qui doctrinæ ſtudia cum adminiſtratione rei & priuatæ & publicæ, etiam in medio ſtrepitu armorum coniunxerunt: quibus uel reſpirandi ocium fuiſſe mireris, noſtræ ætatis exempla intuens. Cuiuſmodi fuerunt apud Græcos Thucydides, Xenophon, Demoſthenes, Demetrius Phalereus: apud Romanos uterq; Cato, C. Iulius Cæſar, & ante hũc uterque Africanus: ætate uerò Ciceronis pleriq; ſenatores, & poſt eum Auguſtus Cæſar, & plures eiuſdem familiæ principes ita dediti ſtudijs, ut non tantum uariæ lectioni uacarent, ſed libros etiam conſcriberent.

Conſectanda & uitanda homini ſtudioſo.

Fit intermiſsio.) *Quaſi dicat: nemo tam eſt in Republica occupatus, ut iuſtã habeat prorſus deſerendæ Philoſophiæ cauſam. Sed hic præter corporis uires mediocres, atq; animi induſtriã, frugalitas et ſobrietas requiritur: requiritur leuiũ & nugacium rerũ contemptus, cuiuſmodi ſunt amores, conuiuia,*

uaria

naria ludorum & exercitationum genera: requiritur animus ſapientiæ admiratione inflammatus, qui tantum ualet, ut grauiſſimus autor Iſocrates nulla cuiuſquam alterius rei ratione habita pronunciare non dubitarit, ἐὰν ἧς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής: Si ſtudioſus (inquit) fueris, multiplicem doctrinam tibi comparabis.

Dantur ad ſtudia reditus.) *Id eſt, à πράξει ad θεωρίαν redire licet, atq; adeò redeundum eſt. Neq; enim quiſquam ullius doctrinæ metam per omnem ætatem attingere poterit. Infinita eruditionis amplitudo, infinitum etiam ſtudium poſtulat. Vnde Seneca: Tam diu, inquit, diſcendum eſt, quàm diu neſcias: & (ſi prouerbio credimus) quàm diu uiuas. Ideq; paulò aſperius Mentiri dicit eos, qui ſibi obſtare ad ſtudia liberalia turbam negociorum uideri uelint. Simulant (inquit) occupationes, & augent, & ipſi ſe occupant. Redeundum autem eſt unicuiq; ad ſua ſtudia potiſſimum, medico ad medicinam, philoſopho ad philoſophiam: ſic tamen, ut Theologia quæ ad omnes Chriſtiani nominis homines ex æquo pertinet, inter cætera locum non poſtremum teneat.*

CICERO.

Tum agitatio mentis, quę nunquam acquieſcit, poteſt nos in ſtudijs cogitationis, etiam ſine opera noſtra continere.

Tum agitatio mentis.) *Quaſi dicat, ſtudijs locus eſt etiam extra Muſæum & bibliothecam. Bibliothecam enim quiſq; in capite ſuo circumfert, ſi modò eam aperire norit. Clauis autem huius bibliothecæ eſt, uel repetitio eorum quæ antè didiceris, uel meditatio eorum quæ agenda & cognoſcenda erunt.* Bibliotheca ingenij.

Quæ nunquam acquieſcit.) *Plato τὴν ψυχὴν αὐτοκίνητόν τε, καὶ ἀκίνητον, καὶ ἀθάνατον facit. Sed hoc non eſt huius loci. neq; enim hîc de animi immortalitate, ſed de eius exercitatione quæritur cuius: præclarũ exemplum in Africano, libri huius Operis tertij proœmio nobis proponitur. Cum autem quieti nullo modo eſſe poſſimus: quàm dementes ij ſunt, qui in nugis operam ponunt, cum eâdem opera utile ac neceſſarium aliquid conſequi poſſent? Hæc igitur agitatio mentis ad philoſophiam & uirtutẽ traducatur, & ita à nugis reuocetur, ut ſint τῶν σπουδαίων καὶ τὰ ἐνύπνια σπουδαῖα. Quid autem in ſolitudine & ocio meditaberis præſtantius & utilius, quàm τὸ γνῶθι σεαυτόν; ut expendas ipſe tecum quid ſcias, quid neſcias? quæ uirtutes tibi deſint, quæ uitia ſuperſint? quam Deo rationem actæ uitæ ſis redditurus? qua æquitate animi ſis moriturus, cæteroſq; uitæ caſus laturus? Quæ ut omnia et facilius & felicius præſtes, ſancti ſpiritus numẽ eſt implorandũ. δεῖ γὰρ ἐν ταῖς ἐρημίαις (ſecus quàm Iſocrati uidetur) οὐ βουλεύεσθαι μᾶλλον ἢ εὔχεσθαι: id eſt, in ſolitudine non conſultandũ magis, quàm orandum. Atq; in hac ipſa meditatione ordo aliquis eſt ſeruandus, ſi nihil magnopere urgeat. Prima ſit igitur animi cura, et animorũ atq; diſciplinarũ: altera, corporis et ualetudinis:*

poſtrema rei familiaris & cæterarum rerum. Qui autem publicum aliquod munus ſuſtinent: hi in ocio de negocijs cogitabunt, et res afferent in Senatum Cenſorij Catonis exemplo diu multumq́; cogitatas. Atq; etiam cùm utile, tum iucundum eſt, huiuſmodi meditationis fidelem & cordatum habere ſocium. Sed deſino, ut ne iniquior exactor uidear, qui homines defatigatos & anhelantes requieſcere & reſpirare non ſinam.

Sine opera noſtra.) *Cum igitur inquiſitio ueri non tantum honeſtiſſima, ſed facilima etiam ſit, nec ullis locis aut temporibus excludatur: erit perpetuò philoſophandum. Eſt autem hæc Philoſophia uel* πρακτικὴ, *uel* θεωρητικὴ, *quarum illam Ariſtoteles* φρόνησιν, *hanc* σοφίαν *appellat, & ratione materiæ diſtinguit.*

CICERO.

Omnis autem cogitatio motuſq́ animi, aut in conſilijs capiendis de rebus honeſtis, pertinentibus ad benè beateq́ uiuendum, aut in ſtudijs ſcientiæ cognitionisq́ uerſabitur.

Omnis autem cogitatio.) *Bimembris partitio philoſophiæ (ut modò dixi) in* θεωρητικὴν καὶ πρακτικήν. *Mens eadem eſt, ſed duplici munere fungitur. Notetur hic, excludi à Cicerone non tantùm malas cogitationes iniuriarum, ſcelerum atq; libidinum, ſed etiam nugarum & ineptiarum. Sic, etiã Cicerone autore, cogitationes, quod uulgo dicitur, immunes non erunt.*

Aut in conſilijs capiendis.) *Hoc maturæ ætatis præcipuè munus eſt.*

De rebus honeſtis.) *Hic animus curatur.*

Pertinentibus ad bene beateq́.) *Talis uitæ præcipua cauſa eſt uirtus. Accedunt tamen & corporis & fortunæ quoq; commoda. Chriſtiani autem (ut paulò antè dixi) cogitatio potiſſ. uerſabitur in rebus pertinentibus ad bene beateq́; moriendum: id quod uix, ac ne uix quidem fiet, niſi bene beateq́ue uixeris.*

Aut in ſtudijs.) *Pertinent & hæc ad animi curationem, & adoleſcentiæ in primis officium continent, cui nunc ea potiſſimum diſcenda ſunt, quibus adulta ætate utatur.*

PRAECEPTA VIRTVTVM: AC PRImùm de Prudentiæ officijs.

I.

Definitio Prudentiæ Ciceroniana: Prudentia, uirtus quæ in ueri cognitione conſiſtit, maximè attingit naturam humanam: cauetq́; ne labamur, erremus, neſciamus, & decipiamur.

ANNOTATIO.

Hæc uirtus θεωρητικὴ *eſt: &* τὸ ἡγεμονικὸν λογιστικὸν ἢ διανοητικὸν, *hoc eſt, mentem atq; iudicium expolit & informat.*

II.

Duo uitia uitanda ſunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque temerè aſſentiamur. Quod uitium effugere qui uolet (omnes autem uelle debebunt) adhibebit ad conſiderandas res & tempus & diligentiam. Alterum eſt uitium, quòd quidam nimis magnum ſtudium, multamq́; operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, eaſdemq́; non neceſſarias.

III.

Omnes artes in ueri inueſtigatione uerſantur.

IIII.

Artium ſtudio à rebus agendis abduci, contra officium eſt.

V.

Omnis cogitatio, motusq́; animi, aut in conſilijs capiendis de rebus honeſtis, & pertinentibus ad benè beateq́; uiuendum: aut in ſtudijs ſcientiæ cognitionisq́; uerſabitur. Hactenus de prudentia.

CICERO.

Ac de primo quidem officij fonte diximus. De tribus autem reliquis latiſsimè patet ea ratio, qua ſocietas hominum inter ipſos, & uitæ quaſi communitas continetur.

Ac de primo.) *Tranſitio à Prudentia ad Iuſticiam. De qua priuſquam agamus, teneatur Ariſtotelis aurea ſententia: ὁ κατὰ τὸν νοῦν (inquit) βίος, θεῖος καὶ εὐδαιμονέστατος: uita quæ mentem excolit, diuina & feliciſsima eſt. Item Ciceronis illa: Viuere docto homini cogitare eſt. Idem pro Archia: Hæc, inquit, ſtudia adoleſcentiam agunt, ſenectutem oblectant, &c. Hæ & ſimiles ſententiæ nobis ſtudia literarum uerè magnificeq́; commendant.*

Ac de primo.) *Scilicet καθόλου, more philoſophico, non tradidimus ipſam ſapientiam, quæ nullo uolumine comprehendi poteſt: ſed quo pacto in ſtudio ſapientiæ uerſandum ſit, breuiter admonuimus. Præcepta uerò ipſius ſapientiæ ſunt è ſuis diſciplinis atq; autoribus petenda. Quæ diſciplinæ quàm latè pateant, Politanus breuiter in ſuo Panepiſtemone recenſet. Conatus eſt et Georgius Valla omnes artes liberales, totamq́; philoſophiam Opere de Rebus expetendis & fugiendis, complecti. Extant etiam hac ætate doctiſſimorum uirorum in quolibet diſciplinæ genere utiliſſimæ Epitomæ, quæ ut planè doctum non reddant, illud tamen magnum eſt, quod nullius bonæ artis planè rudem eſſe ſinunt, cognitæ diligenter. Id quod utriuſque linguæ fundamentis iactis, maiore cũ uoluptate et fructu quàm moleſtia & labore fiet. Sic tamen, ut ſui quiſq; ingenij & ocij cæterarumq́; rerum habeat rationem. Mathematicas & Phyſicas rationes non omnes capiunt: à quibus ſi abhorreas, præſtiterit τὰ πρὸς τὰ ἄλλα τινα tractare.*

Sapiẽtia nullo uolumine cõprehendi poteſt.

Epitomæ artium utiles.

De tribus autem reliquis.) *Tota Iuriſconſultorum profeſſio in hac officij parte explicanda uerſatur. Inter philoſophum autem & Iuriſconſultum hoc intereſt, quòd ille τὸ μᾶλλον καθόλου paucis, ſed latiſſimè patentibus præceptis.*

Philoſophũ generalia, Iuriſconſultũ ſpecialia magis tractare.

præceptis atq; regulis comprehendit, ac ueluti maiorem ſyllogiſmi propoſitionem, eamq; ualde generalem cõſtituit: hic autẽ κατ' εἶδος *ſingula declarat, et ueluti minorem, quæ ſæpiſſimè in controuerſiam uocatur, attexit & probat. Sic (ut exemplo res fiat clarior) Iſocrates in libello ad Nicoclem ſcripto, philoſophi munere fungitur: οἱ δὲ ἀεὶ συνόντες καὶ τὰ καθ' ἑκάστην πρᾶξιν ὑποτιθέμενοι, Iuriſconſultorum quodammodo munus obeunt. Etſi enim hi quoque non de ſtillicidio Seij aut Titij, ſed* ἁπλῶς *de ſtillicidio tractant: tamen quicquid de ſtillicidio agant, id longè anguſtius eſt, quàm theſis philoſophorum, ſuum cuiq; tribui iubens. Latius enim, Seneca autore, patet officiorum quàm iuris regula: quæ etſi & ipſa maiorem ſyllogiſmi propoſitionem conſtituit (huiuſmodi enim ſunt omnes leges) tamen ſi cum amplitudine philoſophica comparetur, in maximis uerſatur anguſtijs. Cũ autem* τὰ κατὰ μέρος *infinita ſint, nec ullis commentarijs ſatis comprehendi poſſint: facile intelligitur, quàm non modò commoda, ſed etiam neceſſaria Iuriſconſulto ſit accuratior doctrinæ de moribus cognitio: cuius fundamẽtis fideliter iactis, ſubſtructionibus barbarorũ commentariorũ magna ex parte fortaſſis (modò per iudices & aduerſarios liceat) carere poterit: niſi fortè iudices cõſulere interdũ libeat, ſicubi quis ſuo iudicio diffiſus fuerit. Sed ſuum negociũ ipſi Iuriſconſulti agãt, cum quibus, ut & cũ medicis, quo cuiq; minus eſt negocij, eo beatior habetur.*

Conſociationi ciuili ſubijcit Cicero Iuſticiã, Beneficentiam, Fidem.

Ea ratio qua ſocietas.) *Eſt hæc Iuſticiæ periphraſis, aut, ſi cui ita libet, genus: ut conſociatio hominum inter ſeſe, ſit una uirtus, quæ ſub ſe contineat Iuſticiam, beneficentiam, fidem, tanquam ſpecies. Sed his argutijs non eſt opus. Cum enim ex Platone didicerimus, Iuſticiam* ἀλλότριον μὲν ἀγαθὸν, οἰκείαν δὲ ζημίαν *uulgò exiſtimari: facile intelligitur, eam potiſſimùm ad ſocietatem hominum pertinere, ſiue ipſam illa contineat, ſiue ab illa cõtineatur: & alijs prodeſſe potius quàm ijs penes quos eſt, uideri. Prodeſt autem ijs penes quos eſt, propterea quòd naturam ſecuti, & turpitudinem et legum pœnas uitãt. Nocet, dum non modò aliena, ui aut fraude ad ſe non pertrahit, ſed ſua etiam alijs communicat. Iniuſticiæ autem utilitas non intelligenda eſt de craſſis illis iniurijs quæ legibus uindicantur: ſed de huiuſmodi ſapientia (maliciam dicere non licet) qua circumuenire quouis modo ſimpliciores, & imbecilliores opprimere, artis eſt.*

CICERO.

Cuius partes duæ: Iuſticia, in qua uirtutis ſplendor eſt maximus, ex qua boni uiri nominantur: & huic coniũcta beneficentia, quam eandem uel benignitatem, uel liberalitatem appellare licet.

In qua uirtutis ſplendor.) *Ariſtoteles 5. Ethicorum ad Nicomachũ:* ἡ δικαιοσύνη *(inquit)* κρατίστη τῶν ἀρετῶν, οὔθ' ἕσπερος οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός.

Coniugata nõ uoce, ſed ui uerbi.

Ex qua boni uiri.) *Scilicet non uoce, ſed ui uerbi. Apud Græcos quidem* δικαιοσύνη καὶ δίκαιος ἀνὴρ *cõiugata ſunt & uoce, & ui uocis. Sed*

Latini

Latini malunt bonum, quàm iuſtum uirum dicere. Sic apud eoſdem Græcos ἀρετὴ & σπουδαῖος ἀνὴρ coniugata ſunt, non uoce, ſed ui uerbi. Nam τὸ ἐνάρετος recentiorum eſt, ut & uirtuoſus. Ἀγαθὸς uerò ἀνὴρ Græcis ſæpius τὸν ἀνδρεῖον, quàm τὸν δίκαιον ſignificat. Hic conſideretur etiam contrariū, quantus Iuſticiæ ſplendor eſt, tanta eſt iniuriæ fœditas: ut Iuſticia Heſpero & Lucifero, ſic iniuria Cerbero & Furijs comparari poteſt. Habent autem hæ commendationes eam uim, ut animos lectorum ad ſtudium huius uirtutis inflamment, & à contrario uitio deterreant. quaſi dicat: Qui Iuſticiam coluerit, uelut inſigne ſidus in cœlo fulgebit: &, ut Lyricus loquitur, micabit uelut inter ignes Luna minores. Sed his ſtatim occurrit: Quid ego ſolus colā iuſticiā & ueritatē, inter tot tyrannos & ſycophantas? An ut prædæ atq; ludibrio ſim omnibus? Non omnibus, ô bone uir. Sunt enim etiā boni uiri quidā: eſt Deus, qui quid et agas et feras intueatur, iudicet, ſuo tēpore quoq; aut uindicet, aut remuneretur, qui beatos pronūciat eos qui propter iuſticiā exagitētur. Tu modò uideto, ne uel erroribus, uel cupiditatib. tuis iuſticiæ nomē prætexas.

Iniuriæ fœditas.

Commendatio uirtutis, includit adhortationē.

Inter iniuſtos iuſtum eſſe oportere.

Huic cōiuncta beneficētia.) *Hæc ſublimior paulò eſt iuſticia, et adeò alienū nō appetit, ut etiā de ſuo iure cōcedat, et id præſtet quod ſine reprehēſione aliquo modo prætermittere poſſet. Quod aūt ſuprà de ſapientia et prudētia monui, idē etiā de liberalitate et beneficentia hîc teneatur: Ciceronē nō ſubtiliter diſtinguere cognata uocabula. Ariſtoteli quidē ἐλευθεριότης περὶ τὴν χρημάτων δόσιν, εὐεργεσία uerò & εὐποιΐα magis ad conſiliū & operā referūtur.*

Ἐλευθεριότης. εὐποιΐα.

CICERO.

Sed iuſticiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſsitus iniuria.

Sed iuſticiæ primum munus.) *Primùm, quid uitandum ſit, docet.*

Niſi laceſſitus iniuria.) *Exceptio, ne ius naturæ generalis hæc ſententia tollere uideatur. Omnes enim ſentiunt, uim ui repellere licere. Sed tamē id eatenus cōceſſum eſſe uidetur, ut te defendas tātùm, nec ultra defenſionē progrediaris. Nā id ſi facias: non iā repelles uim, ſed inferes. Chriſtus propemodū hoc quoq; tollere uidetur. In quo loco explicādo nō ſine cauſa ſudāt Theologi, metuentes ne Reſpub. peſſumeant, καὶ τὸ μὲν ῥητὸν ἀφέντες, τὰ δὲ τῆς διανοίας περιεργαζόμενοι, ſubtiles interpretationes et cōciliationes quærūt, diſtinguēda priuata et publica uindicta: et ea quā priuatā dicunt, ſi magiſtratus opē ferre nequeat, in publicā trāsformanda. Vt ut ſit, æquanimitatē et ſummā patiētiā ibi cōmēdari et præcipi, nō eſt dubiū. Superioris ætatis doctores cōſilia et præcepta Chriſti diſtinxerūt: ac quæ de paupertate, de tolerāda iniuria, de uita cœlibe, de mutuatione ſine uſura, de nō iurādo, & id genus alijs dicūtur, cōſilia eſſe & κατορθώματα aſſeruerūt. Sin ea non præſtētur, nihilo minus τὰ καθήκοντα poſſe conſeruari. Sed hæc Theologis dijudicanda relinquantur.*

Vim ui repellere an liceat.

CICERO.

Deinde, ut communibus pro communibus utatur, priuatis ut ſuis.

Deinde ut communibus.) *Diſtinctio poſſeſſionum hîc notatur, de qua pòſt.*

CICERO.

Sunt autem priuata nulla naturâ, ſed aut ueteri occupatione, ut qui quondam in uacua uenerunt: aut uictoria, ut qui bello potiti ſunt: aut lege, aut pactione, conditione, ſorte.

Cur diſtinctio poſſeſſionum neceſſaria.

Sunt autem priuata.) *Diſtinctionem poſſeſſionum neceſſariam fecit, aliorum ignauia, aliorum auaricia, aliorum luxus & immodeſtia. Iiſdemque de cauſis ἡ ἰσομοιρία diuturna eſſe non poteſt. In Vtopia quidē, autoritate magiſtratuum et labores & artificia, & prouentus ex æquo diſtribuuntur. Plato autem Arcadibus ſuam Rempublicam, in qua omnia communia feciſſet, perſuadere non potuit.*

Piſces. Syluæ. Paſcua Agri. Liberi.

Natura.) *Quæ uidetur ut aquam profluentem (cum qua tamen piſces non ubiq; iunguntur) & aerem, ita etiam ſyluas & agros feciſſe communes. ſed agrorum ſine cultura nulli fructus ſunt: paſcua & ſyluæ, in tanta hominum multitudine & importunitate ſine legibus & magiſtratibus citò uaſtarētur. Etſi autem à naturali illa communitate quidam liberos exceperūt: Plato tamen hos quoq; ciuitatis eſſe uoluit, & Lacedæmonij, cum ſe Reipublicæ, non ſibi priuatim, procreare liberos perſuaſum haberent: interdum certis de cauſis uxores etiam communicarūt inter ſeſe, ut Plutarchus in Lycurgo teſtatur.*

Veteri occupatione.) *Communitas hæc optimè intelligitur à primo ortu humani generis: ſed tamen ſtatim diſtinctio ſecuta fuiſſe uidetur. Nam Cainus agros coluit, Abel paſcua ſibi uendicauit. Veteris autem occupationis origo prima fuiſſe uidetur, diſtributio prouinciarum inter Noe filios, poſt diluuium. Deinde bellis & migrationibus maxima facta eſt mutatio, ac potius permutatio. Paucæ enim gentes funditùs deletæ ſunt.*

Aut lege.) *Cuiuſmodi ſunt, leges agrariæ, item hæreditariæ.*

Pactione.) *Pactum eſſe, quod duo uel plures inter ſeſe pepigerūt, atq; ita ius ſibi quoddam priuatum conſtituerunt, facile intelligitur: et habent pacta plerunq; conditiones quaſdam adiunctas: ut, Si propulſaris hoſtem, caſtellum hoc erit tuum: Ducta filia, ſemiſſem bonorum meorum tibi dabo, &c.*

Conditione.) *Quidam huc referunt locationem & conductionem. Ego ferè non uideo quid à pactione differat. Iureconſulti fortaſſe recentiores diſcrimina quædam conſtituunt, ut multis in alijs quoq; uocabulis: quæ ueteres autores, cum quibus nobis res eſt, neglexerunt. Quare qui uolet ex Iuriſconſultorum commentarijs hæc petat: ad Grammatici quidem munus propriè nō pertinent. Si tamen diuinare liceat, pactum erit hoc: Dabo tibi meam filiam. Conditio: ſi nauem incolumem reduxeris, dabo tibi filiam, &c. In Rhetoricis ad Herennium, & de Inuentione, pactum ſic definitur: ut ſit, quod inter aliquos cōuenerit: quod iam ita iuſtum putetur, ut iuri præſtare dicatur. Verrina au-*

rina autem 2. Manſit, inquit, in cõditione atq; pacto uſq; ad eum finem, dum iudices reiecti ſunt. Itaq; pro copia Ciceronis, pactionem & conditionem Synonymiam eſſe puto: qualis eſt, Contra morem conſuetudinemq; ciuilem. Sed certius aliquid afferenti libenter aſſentiar.

Sorte.) *Huiuſmodi fuerunt* κληρουχίαι *Athenienſium: talis etiam fuit partitio Cananeæ terræ.*

CICERO.

Ex quo fit, ut ager Arpinâs Arpinatium dicatur, Thuſculanus Thuſculanorum: ſimilisq; eſt priuatarum poſſeſsionum deſcriptio.

Ex quo fit ut ager.) *Priuata duplicia ſunt: aut ciuitatis totius, aut ſingulorum. Arpinates enim & Thuſculani, ſi cum Romani imperij amplitudine conferantur, tam priuati erant, quàm Cato & Marius cum Thuſculanis & Arpinatibus.*

CICERO.

Ex quo, quia ſuum cuiuſq; fit eorum quæ natura fuerãt communia, quod cuiq; obtigit, id teneat.

Ex quo.) *Hic tamen uis & fraus ſæpè multum ualuerunt. Et abundare unum aliquem, nihil tot egentiſsimis hominibus (quibus etiam labore quæritandi uictus ſæpè deeſt occaſio) impertientem, repugnare profectò Naturæ uidetur: utcunq; aliud ſit in mores receptum.* Vis, fraus, tenacitas, ab iniuria non uidentur excuſare.

CICERO.

Eo ſi quis plus appetet, uiolabit ius humanę ſocietatis.

Eo ſi quis plus.) *Hi à Græcis* πλεονεξίαι καὶ πλεονεκτικοὶ *appellantur: & ipſum uitiũ* πλεονεξία, *nunquam non inuiſum et pernicioſum Rebuſpublicis, quo & ſeditiones concitantur, & ad nouas tabulas uenitur: quæ Græcis* χρεῶν ἀποκοπαὶ *fuerunt, Soloni* σεισάχθεια, *id eſt oneris excuſsio. Lycurgus etiam ad* ἀναδασμὸν τῆς γῆς, *id eſt ad agros ex æquo inter ciues diuidendos proceſsit. Latè patent in hoc genere non eorum mercatorum modò uitia, qui & fœnore quos poſſunt trucidant, & iniqua mercium æſtimatione tam earum quas uendunt, quàm illarum quas recipiunt, miſeros opifices ad egeſtatem & reſtim redigunt: ſed etiam principum uirorum, qui uectigalibus more maiorum recipiendis haud contenti, non tondent oues ſuas, ſed deglubũt, quo luxui ſumptus ſuppetant, & nerui bellorum, quibus ſæpè carere liceret, non deſint. Hos omnes Cicero ſocietatis humanæ uiolatores appellat. Sed parum refert quid Cicero dicat. A Chriſto autem quid audient? Qui cùm ſordidos, tenaces, illiberales, immiſericordes in Gehennã releget: quid de Harpyis iſtis aliena per uim rapientibus fiet.*

CICERO.

Sed quoniam (ut præclarè ſcriptum eſt à Platone) non

q nobis

nobis ſolùm nati ſumus: ortuſq́ noſtri partẽ patria uendicat, partem parẽtes, partem amici: † atq; placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari: homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe, alijs alij prodeſſe poſſent: in hoc naturam ducem debemus ſequi, & communes utilitates in medium afferre mutatione officiorũ, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominũ inter homines ſocietatem.

V. L. atq; (ut placet Stoicis)

Inertes. Ignaui. Tyranni. Sed quoniam (ut præclarè, &c.) *Iuſticiæ præcepto adiungit commendationem liberalitatis, quæ facit ut priuata ſingulorum, propè omnium communia fiant, uiciſſitudine quadam. Locus hic adoleſcentes grauiſſimè exhortari poteſt, ut operam dent, ne ſint inutilia telluris pondera: ſed tùm ſibi, tum Reipublicæ prodeſſe poſſint. Continetur etiam hic grauiſſima accuſatio ignauorum & luxurioſorum diuitum, & multo maior tyrannicorum. Locus qui ex Platone citatur, extat Epiſtola nona ad Archytam Tarentinum, his uerbis: ἀλλὰ κἀκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι. Citatur hic locus ab autore noſtro etiam 2. de Finibus, in explicatione honeſtatis: quem ſtudioſis non modò legendum, ſed etiam ediſcendum cenſeo. Socrates autem latius etiam extendit neceſſitudinẽ ſuam,*
κοσμοπολίτης *cum ſe κοσμοπολίτην appellauit: quod qui cogitat, nemini petenti, quantum-*
φιλαδελφία. *uis peregrino, ſuam opem negabit: & φιλαδελφία in Euangelio maximè commendatur, cum omnes communem patrem Deum habeamus.*

Ad uſum hominum.) *Conſentit hæc ſententia cum ſacris literis: copioſiſſimeq́; tractatur à Cicerone, extremo libro ſecundo de Natura Deorum.*

Homines autem hominum cauſa.) *Propter ciuilem conſociationem, in qua Plato non reſiſtit, ſed Dei etiam cauſa conditum eſſe hominem monet, cum in Phædone ait, ὅτι ἓν τῶν κτημάτων θεοῖς ἐσμέν.*

Alij alijs prodeſſe.) *Si iuuandi cauſa homines nati ſunt: quò illi ſe uertent, quorum omnes cogitationes ad nocendum ſunt intentæ? qui maleficio & ſcelere paſcuntur?*

Tum facultatibus deuincire.) *Generali uocabulo docet, qua quiſq; re poſſit, Rempublicam eſſe iuuandum. Vt autem poſſit, non ignauo ocio, ſed uehementi ſtudio cõſequetur. Cõmendatur igitur hic φιλοπονία καὶ φιλοσοφία.*

CICERO.

Fundamentum autem iuſticiæ eſt FIDES: id eſt, dictorum conuentorumq́ conſtantia & ueritas.

Fundamentum autem.) *Metaphora ſatis nota & elegans. Pertinet autem Fi-*

tem Fides ad τὴν συναλλακτικὴν δικαιοσύνην potiſſimùm.

Dictorum conuentorumq́ꝫ.) *Videtur expreſiſſe Græcam phraſin, τὸ ἐμμένειν τοῖς εἰρημένοις τε καὶ ὡμολογημένοις.*

Conſtantia.) *Vt uerba ad rem conferantur, nec mutetur poſt pactũ ſententia: id quod faciunt leues homines, πολυμυθεῖς ὄντες μετὰ τὰ πράγματα, id eſt ὑδημυθεῖς. Sed ut leuitas improbatur: ita non maiorem habet laudem pertinacia eorum, qui conſtantiæ cauſa ſcilicet, opiniones prauas, ineptas, abſurdas, neſcio unde ortas defendunt.*

Et ueritas.) *Ne quærantur cauillationes, quibus promiſſa eludantur, & in alium ſenſum uerba detorqueantur. Id quo dhorũ temporum eſt artificiũ.*

Fiſtula (inquit ille) dulce canit, uolucrem dum decipit auceps.

CICERO.

Ex quo, quanquam hoc uidebitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde uerba ſint ducta: credamusq́ꝫ, quia fiat quod dictum eſt, appellatam fidem.

Quia fiat quod dictum eſt.) *Ipſum, inquit, ἔτυμον Fidei, quod eius munus ſit, ſatis declarat. πίστις Græcè παρὰ τὸ πεπεῖσθαι deducitur. Quare non uideo cur ſuccenſeamus ijs, qui perſuaſionem interpretantur. Quaſi uerò nobis uera minus quàm falſa perſuaderi poſſint? In Epiſtola quadam ad Tironẽ: Noſtra, inquit, ad dictã diem fient. Docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet.*

CICERO.

Sed iniuſticiæ duo ſunt genera: unum, eorum qui inferunt: alterũ, eorum qui ab his quibus infertur (ſi poſſunt) non propulſant iniuriam.

Sed iniuſticiæ duo ſunt genera.) *De Iuſticia paucis hactenus egit. Capita autem ſunt: 1. Deſcriptio iuſticiæ: 2. Laudatio. 3. Præceptum, neminem lædendum eſſe. 4. nemini ſuum rapiendum. 5. Reipublicæ & alijs inſeruiendum. 6. & poſtremò, fidem ſeruandam eſſe. Nunc ἀντίθεσις ſequitur, & collatio iniuriæ cum iuſticia, ut uis huius ex contentione contrariorum melius perſpiciatur.* ἀντεξέτασις τῶν περὶ δικαιοσύνης.

Duo genera.) *Primus τῆς ἀντιθέσεως locus eſt, partitio iniuriæ, quæ ſumitur à circumſtantia modi. Iniuria (inquit) fit uel inferendo, uel deſerendo. Ac prius membrum extra cõtrouerſiam eſt: alterum uerò, uulgus minus intelligit, quod ignotos ſibi alienos eſſe putat. Cicero autem contra generalẽ conſociationem omnium hominum obligare quemlibet ad defendendũ affirmat.* Iniuria, Lædens, Deſerens.

Si poſſunt.) *προδιορισμὸς neceſſarius, quo monet cuiq; uires ſuas expendendas eſſe, ne uel ea conetur quæ non poſſit, uel ea omittat quæ cõmodè poſſit ad exitum perducere qui quidẽ iuſticiæ leges uiolat. Quod etſi ad magiſtratus*

et Iuriſcōſultos præcipuè pertinet: tamē τὴν μεταφορὰν etiā ad alia uitæ genera transferri poteſt: ut ſic agricolæ et opificis propulſare penuriā neceſſariarū rerū, medici morbos, doctoris inſcitiā et nequitiā. ſunt enim harū quoq; et ſimiliū rerū non leuiores iniuriæ, ac potius maiores, quàm furū & latrunculorū.

CICERO.

Nam qui iniuſtè impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quaſi manus uidetur afferre ſocio.

Aut ira.) *qui affectus difficulter reprimitur. Anteuertit enim iudicium rationis, niſi magno ſtudio dometur. Hinc oriuntur conuicia, uulnera, cædes, etiam pernicioſa bella.*

Aut aliqua perturbatione.) *Quæ Græci ἤθη καὶ πάθη appellant, uulgo autem affectus ſiue affectiones animi dicuntur. eas Cicero perturbationes*
ψυχὴ. *appellat, Stoicos ſecutus, ipſaq; natura conſiderata. Animus enim hominis*
ἤθη. *per ſe, tranquillo mari comparari poteſt: ἤθη uerò, commotioni paruæ fluctuum: τὰ πάθη, magnæ tempeſtati.*

Societas. Afferre ſocio.) *Quaſi dicat, non excuſat te, quòd is quem uiolaſti, tibi alienus eſſe uidetur. Non enim certè alienus eſt, ſed ſocius, quia eiuſdem naturæ particeps: eſt κοσμοπολίτης, ſicut & tu es: eadem ciuitas utrunq; continet: eſt communio quædam inter uos fortunarum. σύζυγος eſt in uocabulo. Societatis autem quanta uis ſit, ex eo intelligitur, quòd poſtea cum parentibus, amicis, patria, ſocios coniungit.*

CICERO.

Qui autem nō defendit, nec obſiſtit (ſi poteſt) iniuriæ: tam eſt in uitio, quàm ſi parētes, aut amicos, aut patriam, aut ſocios deſerat.

Peccata quomodo paria. Qui autem nō defendit.) *Amplificatio hæc oriri uidetur è παραδόξῳ Stoicorum illo, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα: in quo illi non euentum delicti, ſed uel iudicij lapſum, uel uoluntatis peruerſitatem ſpectarunt.*

Exaggerationes utiles. Quàm ſi parentes aut amicos.) *Si hoc perſuaſum eſſet uulgo hominum, minus in uita eſſet iniuriarum. Nomina enim hæc apud pleroſq; ſacroſancta habentur. Laude dignæ ſunt huiuſmodi αὐξήσεις καὶ ὑπερβολαὶ, quæ ſtudium uirtutis augent, & uitiorū odiū ingenerāt. Neq; ſanè uideo, qua ratione amplificationes illæ oratoriæ defendi poßint, niſi ad hūc uſum conferātur.*

CICERO.

Atq; illæ quidem iniuriæ quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpè à metu proficiſcuntur: ut cum is qui alteri nocere cogitat, timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo.

Moderatione affectuũ iniurias faci limè uitari.

Metus, Cupiditas, Ambitio, Calumnia.

Auaricię cauſę, Neceſsitas, Luxus, Ambitio.

Atq; illæ quidem iniuriæ.) *Imitatur Cicero prudentem medicum, qui non prius ad curationem accedit, quàm morbi cauſam probè inueſtigarit: qua cognita, cætera omnia expeditiora ſunt. Monet igitur, ei qui Iuſticiæ ſtudeat, in eo in primis elaborandum eſſe, ut affectus illos qui ad iniuriam impellere ſoleant, refrenet ac moderetur. Enumerat autem quatuor cauſas, cur iniuriæ alijs inferãtur: metum, cupiditatem (ſub qua etiam auaricia comprehenditur) ambitionem, & calumniam. Quanquam poſtremum hoc potius ad modum inferendæ iniuriæ pertinet. Vt enim paulo antè conſtituit iniuriam lædẽtem & deſerentem: ſic poſtea dicet, iniuriam fieri uel ui, uel dolo. Quia uerò ſub cupiditate, ut dixi, complexus eſt auariciam, nocentiſsimum malum: eius quoque cauſas recẽſet tres, neceſsitatem, luxum, ambitionem. Liberalitatem enim non auſim dicere, ſi qui (ut Ouidius ſcribit)*

Quærere ut abſumant, abſumpta requirere certent,
Ipſis ut uitijs ſint alimenta uices.

Vis. Caſus. Perturbatio. Conſilium.

Quæ nocendi cauſa de induſtria.) *Apud Ariſtotelem prolixæ diſputationes ſunt* περὶ τοῦ ἀκουσίου καὶ ἑκουσίου. *Quæ ut rectius intelligantur, diſtinguit etiam* τὸ βίαιον, τὸ διὰ τύχης, τὸ διὰ πάθος, τὸ ἐκ προνοίας. *Cicero autem inſtituti ſui memor, craſsiore Minerua agit: atq; omiſsis ſubtilioribus his diſtinctionibus, iniurias eas potiſsimũ appellat, quæ conſultò fiãt, aut perturbatione aliqua: quæ medium quendam locum inter* τὸ ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον *obtinere uidentur:* τὰ δὲ ἐκ τύχης συμβαίνοντα, *inter iniurias non numerat.*

Iniuriæ à metu profectæ.

Cum is qui alteri nocere.) *Exempla huius rei infinita extant cùm in uita quotidiana tum in hiſtorijs ueterum. Sic Laius Oedipum, Aſtyages Cyrum, Pharao Moſen, Amulius Romulum & Remum, multi denique multos (ſed fatis aduerſantibus, fruſtrà) tollere ſtuduerunt. Neq; enim (ut Marcus Imperator collegæ ſuo ſcripſit) quiſquã ſucceſſorem ſuum ſuſtulit. Talis & Aegyptiorum regum metus fuit, qui geneſes omnium infantium per Mathematicos indagaſſe, &, ſi quis puer uel regi uel regno aduerſaturus eſſe uideretur, eum (autore Pontano) tollendum curaſſe perhibentur. Cui deniq; non in ore eſt, ſatius eſſe opprimere quàm opprimi? Sed ſi Plato, imò ſi Chriſtus nobis perſuaſiſſet, præſtare iniurias accipere quàm inferre: aliter & ſentiremus, & faceremus. Illud quidem cõceſſum eſt, ut inſidiatorem pro uirili caueas, teq; pro uirili contra eum munias. Etſi fatis urgentibus, humanam prouidentiam parum, atq; adeò nihil poſſe, compertum eſt. Ferendum igitur, non culpandũ, quod mutari non poteſt. Quia tamen fata nos ignoramus, induſtriam non remittimus: ſed pro uirili cauemus & uitamus eos, quos capiti noſtro imminere putamus. In quo meliore conditione ſunt οἱ αὐτεξούσιοι τῶν ἀργυρωνήτων καὶ πανταχόθεν καταδουλουμένων τε καὶ ὑποβεβλημένων.*

CICERO.

Maximã autem partem ad iniuriam faciendam aggre-

diuntur nonnulli, ut adipiſcantur ea quę concupiuerunt. In quo uitio latiſsimè patet auaricia.

Cupiditas multiceps.

Adipiſcantur ea quæ concupiuerunt.) *Libido ſiue cupiditas, quæ Græcis ὄρεξις eſt, ſiue ἐπιθυμία, rectiſsimè πολυκέφαλον θηρίον appellatur, non minus quàm populus: & rectè hydræ lerneæ comparatur.*

Latiſsimè patet auaricia.) *Genus nominauit cupiditatem: unam atq; alteram ſpeciem ſubijcit, auariciam & ambitionem.*

CICERO.

Expetuntur autem diuitiæ, cùm ad uſus uitæ neceſſarios, tum ad perfruendas uoluptates.

Aliud eſt eſſe diuitem, aliud beatū.

Expetuntur autem diuitiæ.) *Nunc ipſius auariciæ cauſas explicat, atq; enumerat. Obſeruetur autem, diuitias, quæ non propter ſe, ſed propter aliud expetuntur, non ſummum eſſe bonum. Aliud enim eſt, eſſe diuitem: aliud, beatum.*

CICERO.

In quibus autem maior eſt animus, in his pecuniæ cupiditas ſpectat ad opes, & ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Craſſus, negabat ullam ſatis magnam pecuniã eſſe ei qui in Republica princeps uellet eſſe, cuius fructibus exercitum alere non poſſet.

μεγαλοψυχία, Liberalitas

Maior eſt animus.) *Hinc μεγαλοψυχία, ſæpe à Græcis pro excellenti liberalitate capitur: cuius comites ſunt τὸ μεγαλόδωρον καὶ μεγαλοπρεπές: ut contrà μικροψυχία de tenacitate & ſordibus uſurpatur, ut non multo pòſt noſter autor dicet.*

Ad opes & gratificandi facultatem.) *Quæ non tam ab humanitate & benefaciendi ſtudio proficiſcitur, quàm ab oſtentatione et captatione auræ popularis.*

M. Craſsi auaricia.

M. Craſsi auaricia in Paradoxis etiam exagitatur, cuius pœnas ab eo Parthi exegerunt.

CICERO.

Delectant etiam magnifici apparatus, uitæq; cultus cũ elegantia & copia. Quibus rebus effectum eſt, ut infinita pecuniæ cupiditas eſſet.

Delectant etiam magnifici.) *Quod ſuprà dixit, Ad perfruendas uoluptates & id quod hic ſubijcit, uno nomine Luxus comprehendi poſſunt: etſi aliquid inter φιληδονίαν & μεγαλοπρέπειαν fortaſsis intereſt. φιληδονία enim ſemetipſam reſpicit, μεγαλοπρέπεια alijs ſe uenditat & commendat.*

Quibus rebus effectũ eſt.) *Quid incõmodi ex hac affectatione ſplendoris oriatur, innuit: taciteq; monet hos affectus eſſe moderandos, quòd alioqui coli iuſticia nequeat.*

CICERO.

Nec uerò rei familiaris amplificatio, nemini nocens, ui tuperanda eſt: ſed fugienda ſemper iniuria.

Nec uerò rei familiaris.) *Occupatio quædam, ne uituperatione auariciæ, conceſſam quoq; rei familiaris curam reprehendere uideatur: idq; propter uerba quæ anteceſſerunt, Quod cuiq; contigit, id teneat: eo qui plus appetet, uiolabit ius humanæ ſocietatis. Qui plus appetet: intelligendum eſſe, per iniuriam, hoc loco declarat.*

Plus appetere licet, ſed ſine cuiuſquam iniuria.

CICERO.

Maximè autem adducuntur plerięq;, ut eas iuſticiæ capiat obliuio, cum in Imperiorum, honorum, gloriæ'ue cupiditatem inciderint.

Maximè autem.) *Tertia cauſa inferendæ iniuriæ, ambitio: quam Græci trifariam effari poſſunt, φιλοτιμίαν, φιλοδοξίαν, καὶ φιλαρχίαν appellando. Idem ualet καὶ τὸ φιλόπρωτον. Ambitio autem & auaricia, duæ cupiditatis ſpecies hic à Cicerone numerantur, cum infinitæ ſint. Quicquid enim apud Græcos à nomine φίλος componitur, ad cupiditatem referri poteſt, ſiue ea bona & conceſſa ſit, ſiue mala & improbata. Quòd ſi dicere fas ſit, etiam philoſophiam Cicero paulò pòſt inter ſpecies uitioſæ cupiditatis recenſet, non minus quàm τὸ φιλοχρήματον, οὐχ ἁπλῶς δὲ, ἀλλὰ μετὰ προσδιορισμοῦ, ſi propter eam communis utilitas deſeratur:*

Ambitio.

Cupiditatis multa genera.

CICERO.

Quod enim eſt apud Ennium, Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt: id latius patet.

Nulla ſancta ſocietas.) *Enniana ſententia particularis eſt, quam Cicero correctione quadam uniuerſalem facit. Sic facile eſt ἐκ τῶν ἐπὶ μέρους τὰ καθόλου συλλογίζεσθαι: & ſpeciem transferre ad genus, ὑπόθεσιν ad θέσιν. In huiuſmodi autem locis rectè ſpecies maximè illuſtres deliguntur, ut hic imperij cupiditas. Rectè enim Pindarus:*

> ἄλλοισι δ᾽ ἄλλοις μεγάλοι, τὸ δ᾽ ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι.
>
> *Heſiodus humiliora exempla delegit.*
>
> καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.

Reuocatio ſpeciei ad genus, & è contrario.

Nec fides regni.) *Sumatur exemplum Romuli & Remi gemellorum, item Romuli & Tatij: ſumatur item exemplum triumuirorum M. Craſſi, C. Iulij Cæſaris, & Cn. Pompeij: item poſtea Lepidi, Antonij, Auguſti. Sic πολιτεῖαι mutantur paulatim in ὀλιγαρχίας, ὀλιγαρχίαι in τυραννίδας. Neque uerò tantùm ambitio in cauſa eſt, cur omnis poteſtas, ut ait Lucanus, ſit conſortis impatiens: ſed & diuerſa iudicia, diuerſæq; affectiones, quòd alius aliter Reipublicæ conſulendum eſſe cenſet: quodq; à collegis impeditur, quò minus officio fungi, & patriæ conſulere poſſe uideatur.*

Omnis poteſtas conſorti impatiens.

CICERO.

Nam quicquid eiuſmodi eſt, in quo non poſsint plures excellere: in eo plerunque fit tanta contentio, ut difficilimum ſit ſanctam ſeruare ſocietatem.

Sanctam ſeruare ſocietatem.) *Id eſt, inuiolatam: non dare operam, ut collega uel aperta ui, uel fraude remoueatur.*

CICERO.

Declarauit id modò † tempeſtas C. Cæſaris, qui omnia iura diuina atque humana peruertit, propter eum quem ipſe ſibi opinionis errore finxerat, principatum.

† *V. L. temeritas.*

Horum librorum ſcriptio.

Tempeſtas C. Cæſaris.) *Exemplum ſuperioris ſententiæ memorabile ſubijcit. Notetur & illud obiter, ſcriptos eſſe hos libros poſt cædem Iulij Cæſaris, cùm iam triumuiratus Antonij, Lepidi & Auguſti inchoaretur, non multò ante Ciceronis interitum.*

Tempeſtas.) *Significantius hoc uidetur, & magis propriũ, quàm quòd pleriq; codices habent, Temeritas. & Cato dixiſſe fertur, C. Cæſarem ſobriũ ad euertendam Rempublicam acceſsiſſe.*

Opinionis error multa ſibi fingit.

Opinionis errore.) *Videtur alludere ad dictum illud Cæſaris, cum ſe in minuto Alpium oppidulo primum, quàm Romæ ſecundum, eſſe malle profeſſus eſt. Elegans hic locus eſt, & utilis, ſi ad alias quoq; cupiditates transferatur. Multi multa opinionis errore ſibi fingunt, nec aliter ſe uiuere poſſe putant: quos leuis aliqua fortunæ mutatio facilè coarguit. Ira difficulter reprimitur: ſed tamen uix quiſquam tam iracundus eſt, quin eam præſente tyranno diſsimulet. Idem eſt & reliquorum affectuum iudicium, quos ſæpè reprimere poſſemus, ſi uellemus. Vt autẽ uelimus, ſæpè metus & pudor faciunt.*

CICERO.

Eſt autem in hoc genere moleſtum, quòd in maximis animis, ſplendidiſsimisque ingenijs plerũque exiſtunt honoris, imperij, potentiæ, gloriæ cupiditates.

Eſt autem moleſtum.) *πάθος ſubiungit, eoq; eximiã Cæſaris, cui multis in locis iniquior eſt, indolem commendat tacitè. Nam generalis hæc ſententia, contrà quàm ſuprà factum, ad indiuiduum debet, aut certè poteſt, referri. Videtur etiam Platonicum illud, ὅτι αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι καὶ τὰς κακίας, Magna ingenia magnis etiã ſcatere uitijs, periphraſticòs expreſsiſſe: genere non contentus, ſed formis nonnullis enumeratis.*

CICERO.

Quo magis cauendũ eſt, ne quid in eo genere peccetur.

Quo ma-

Quo magis cauendum eſt.) *Opportuna παραίνεσις: qua illud etiam innuitur, naturam doctrina & educatione moderandam eſſe. Quæ quanquã Cæſari non defuerunt: tamen imperij ſplendor omnes philoſophicas rationes apud eius animum obſcurauit, atq; obliuione deleuit. Non enim ſine cauſa dixit, Vt eos iuſticiæ capiat obliuio. Vt autem Cicero exempla ad doctrinam trahit, & inde uel adhortandi uel dehortandi occaſiones ſumit: ita nos hæc uerba monere debent, in rebus maximè ſecundis philoſophandum eſſe, ne ut Cæſarem iuſticiæ, ita nos philoſophiæ capiat obliuio, & perturbationũ procellæ iterum in animis noſtris ſæuire incipiant.* — Cauendum ne philoſophiæ nos capiat obliuio.

CICERO.

Sed in omni iniuſticia permultum intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quæ breuis eſt plerunque, & ad tempus: an cõſultò & cogitatò fiat iniuria. Leuiora enim ſunt ea quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea quæ meditata & præparata inferuntur.

Sed in omni iniuſticia.) *Instituit collationem quandam iniuriarum, minimè obſcuram. Ariſtoteles (ut paulò antè dictum) τὰ διὰ πάθος καὶ τὰ ἐκ προνοίας ἢ προαιρέσεως, καὶ τὰ διὰ τύχην, enumeratione ſua coniungit. Sed Cicero fortuita non uidetur numerare in iniurijs: ut cum Cephalus Procrin uxorem, uepre latentem, feram eſſe ratus, iaculo confixit. Eſt autem obſeruandum, primùm, perturbationem & caſum non tollere, ſed extenuare iniuriam. Deinde, operam eſſe dandam, ut affectibus imperemus, & appetitũ rationi obedientem præbeamus. Deniq; excitãda eſt attentio, ut fortuna quàm minimum in noſtris actionibus uendicare ſibi poſſit. Hac enim de cauſa omnibus & mentis & ſenſuum integritas data eſt, ut ijs ad ſuam & aliorum ſalutem uterentur: nec temerè admitterent, cuius pœnitere poſſet. Notetur hoc loco ſententia memorabilis, quæ eſt libro ſecundo Rhetoricorum ad Herennium: Nam qui ſe (inquit) per uinum, aut amorem, aut iracundiam fugiſſe rationem dicet: is animi uitio uidebitur neſciſſe, non imprudentia. Quare nõ imprudentia ſe defendet, ſed culpæ contaminabitur.* — Collatio iniuriarum. — Affectus domandi. — Fortuna cauenda. — Affectus & ebrietatem nõ excuſare.

CICERO.

Ac de inferenda quidem iniuria ſatis dictum eſt. Prætermittendæ autem defenſionis, deſerendiq; officij plures ſolent eſſe cauſæ.

Plures ſolent eſſe cauſæ.) *Nam inferendæ iniuriæ (non ut inferatur τεχνικῶς, ſed cur inferatur iniuria, τοῦ ἀδικεῖν) duas potiſſimùm tractauit, metum & cupiditatem. ac poſterioris duas maximè inſignes ſpecies, auariciam & ambitionem recenſuit: ita ut ad ternarium numerum (ſi cui fortè ita placet) redigi poſſint. Nam à calumnijs ortæ iniuriæ, quæ poſtea declarantur,* — [illegible]

Cauſæ iniuriarum recenſentur, ut uitentur.

potius ad modum & rationem quàm ad cauſam pertinent. Deſerentis autem iniuſticiæ quatuor poſſunt numerari cauſæ: fuga incommodorũ, pigricia, occupatio ſtudiorum (quæ uaria ſunt) & μισανθρωπία. Sed & hæ ad duo capita reuocari queant: fuga incommodorum & pigricia, ad metum: occupatio ſtudiorum & μισανθρωπία, ad cupiditatem. Illud autem per ſe clarum eſt, autor m noſtrum cauſas prætermiſſæ defenſionis enumerare tantùm, non etiam probare: ſed monere potius, ut incommoda ferantur, ut pigricia remoueatur, ut ſtudia relinquantur, ut μισανθρωπία eÿciatur ex animo, quò fungi officÿs boni uiri poſſis.

CICERO.

Nam aut inimicitias, aut laborem, aut ſumptus ſuſcipere nolunt: aut etiam negligentia, pigricia, inertia, aut ſuis ſtudÿs quibuſdam occupationibus'ue ſic impediuntur, ut eos quos tueri debeant, deſertos eſſe patiantur.

Aut inimicitias.) *Quas ſuſtinere graue eſt, ſi inopem contra potentem defendas: ut Cicero Quintium et Roſciũ Amerinum, contra Syllanam factionẽ.*

Aut laborem.) *Sine quo nihil confici poteſt.*

Sumptus. Aut ſumptus.) *Sine quibus ſæpè nec aduerſarÿs reſiſti, nec afflictis ſuccurri, nec Reſpublica rem benè gerere poteſt: ſicut Græci Oratores ſæpè conqueruntur, ciues diſſimulare ſuas opes, & cælare, ne ad belli uſus tributa conferre cogantur. In uita autem priuata, ſæpè propter amicos ſumptus eſſe faciendos, nemo ignorat, niſi qui non habet quod det.*

Negligentia. Negligentia.) *Quæ Græcis ἀκηδία eſt, καὶ ὀλιγωρία, καὶ ἀμέλεια, cum non curantur ea quæ curanda ſunt: uicium familiare puericiæ & adoleſcentiæ, quæ ſuis nugis intentæ, officÿ raró meminerunt, nec niſi coactæ ferè.*

[illegible] Pigricia.) *Quam definiunt fugam ſeu metum laborum, Græcè ἀργία ſiue μισοπονία: uicium phlegmaticis familiare, in quos Agathonis uerſiculus quadrabit,*

φαῦλοι βροτῶν γὰρ τοῦ πονεῖν ἡττώμενοι

θανεῖν ἐρῶσι. *Nequam, inquit, homines uicti laboribus mortem expetunt: hoc eſt, Moleſtiæ laborum ſunt eis morte acerbiores.*

Inertia. Inertia.) *Cognata inter ſe hæc tria uocacula ſunt: ſed duo priora rectius ad τὴν ὁρμὴν, poſtremum hoc ad τὸ λογιστικὸν refertur. Iners enim propriè eſt, artis expers, qui nihil didicit, nihil nouit, niſi fruges conſumere. Meminerint hic adoleſcentes, diſcendum eſſe, & meditandum, & labores capiendos: niſi in hoc iniuſticiæ genus incidere, atq; etiam egere uoluerint. Habet enim noſtra quoque ætas ſuum Vlyſſem, qui denunciet, οὔ τοι ἀεργὸν ἀνέξομαι, ὅς κ' ἐμοῖο χοίνικος ἅπτηται: Non ignauum feram, qui à me aletur.*

Studium. Aut ſuis ſtudÿs.) *Studium generale uocabulum eſt: ut ſtudium alendi equos, ſtudium alendi canes ad uenandum, ſtudium audiendi philoſophos. Exprimitur hæc uox compoſitis uerbis apud Græcos: cuiuſmodi ſunt, φίλιππος,*

πος, φιλοκυνηγέτης, φιλομαθὴς, & infinita alia. Literati autem homines id ad ſuum tantum uitæ genus κατ᾽ ἐξοχὴν tranſtulerunt.

Occupationibus.) *Si ſtudium eſt animi aſſidua & uehemens ad aliquam rem applicata magna cum uoluntate occupatio, ut philoſophiæ, poeticæ, geometriæ, literarum: ignauo utiq; ocio & turpibus uoluptatibus nihil loci relinquitur. Sic & pueri occupati ſunt, dum gaudent,*

Ocium & inanis occupatio fugienda.

Aedificare caſas, ploſtello iungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Cum autem (id quod antè dixi, & dicendum eſt ſæpius) nugæ non minus occupent, quàm res honeſtæ & utiles: quātæ inſaniæ fuerit, tempus malè perdere, quo rectiſſimè uti liceret?

Sic impediuntur.) *Intelligendum eſt, nulla neceſſitate, ſed ſuapte uoluntate coacti. Neq; uerò ſtudia honeſtaq; occupationes aliter reprehendi iudicandæ ſunt, quàm quatenus rebus magis neceſſarijs præferuntur: ſicut feciſſe uidetur Archimedes, qui captis Syracuſis, Geometriæ intētus, interitū ſibi acerſiuit. Habet tamē is excuſationem, quod ſuo illo ſtudio plus profuit patriæ, uarijs machinis contra hoſtem excogitatis, quàm aliquot millia militum.*

Studia rebus magis neceſſarijs poſthabenda. Archimedes.

CICERO.

Itaq; uidendum eſt, ne non ſatis ſit id, quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum: quòd in ueri inueſtigatione uerſentur, quodq; ea quę plerīq; uehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant, & pro nihilo ducant, propterea iuſtos eſſe.

Itaq; uidendum eſt.) *Inter ſtudia continetur etiam, & in primis quidem, philoſophia. quæ ſi ignaua ſit, ſi neq; Reipublicæ neq; priuatim cuiquam inſeruiat, cuiuſmodi fuit Epicureorum, à Cicerone uituperatur: modeſtè tamen, ne Platonem, cuius apud eum ſacroſancta fuit autoritas, uiolare uideatur. Plato iuſticiæ tribuit in philoſophis τὴν φιλαλήθειαν, καὶ τὴν ἐπιείκειαν καὶ ἀβλάβειαν, καὶ τὴν ἀπραγμοσύνην ἢ καταφρόνησιν τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων: hoc eſt, inquirendi ueri ſtudium, æquitatem & innocentiā, ocium ſiue rerum humanarum contemptionem, idq; uarijs locis. Libro autem ſexto de Republica, poſt longam commemorationem morum populi & publicarum corruptelarum: Quibus omnibus (inquit) conſideratis, quieſcens & ſuum agens negocium, uelut in tempeſtate, cum puluis & grando à turbine iactatur, ſub tectum aliquod ſe recipiens, cum alios iniquitate compleri uideat: benè ſecum agi cenſet, ſi quo modo ipſe purus ſceleris, & nefariorum facinorum, uitam hîc degat, ex eaque cum ſpe bona placidè atque alacriter diſcedat. Quam ἀπραγμοσύνην illis Cicero non concedit. Ac Plato quidem rectè negarit, opinor, ſe ocioſum atque ignauum fuiſſe: cum & tot præſtantes uiros inſtituerit, & tot egregia diuini ingenij monimenta reliquerit. Ad Epicureos autem hæc reprehenſio pertinere poteſt, ſi id eorū dogma fuit, quòd*

Platonis philoſophia.

Platonis κοινωφιλία.

Epicureorū φιληδονία.

tertio de Oratore his uerbis exponitur: Ac illud tantùm tanquam myſterium teneant, quòd negant uerſari in Republica eſſe ſapientis. Nam ſi hoc nobis & optimo cuique perſuaſerint: non poterunt ipſi eſſe, id quod maximè cupiunt, ocioſi.

Reprehenſiones ſint modeſtæ.

Ne non ſatis ſit id quod.) *Modeſta locutio: pro, fortaſſis non ſatis eſt,* κινδυνεύει οὐκ ἀρκεῖν, οὐχ ἱκανὸν εἶναι. *Meminerint adoleſcentes, in reprehendendo, magnos præſertim uiros, leniſſimis eſſe uerbis utendum: contraq́; amplis et magnificis, in ornando. alterũ enim modeſtiæ, candoris alterũ habetur.*

Nunquam philoſopho deeſſe quod agat.

Xenocrates à Lacone quodam deriſus.

In ueri inueſtigatione.) *Hoc Cicero nõ iuſticiæ, ſed prudentiæ tribuit, & ſapientiæ. Quibus ex uerbis naſutus aliquis ridendi philoſophos anſam arripere queat: ſicut fecit Lacon quidam Xenocrati, uirtutis inquiſitionem extrema ætate adhuc profitenti. Heus homo, inquit, nunquid apud inferos utêre uirtute, quam per omnem ætatem reperire non potuiſti? Sed cogitandum eſt, eam eſſe amplitudinem rerum, eam humani ingenij imbecillitatem, tot exiſtere calumnias, tot ſophiſmata, ut nunquam defuturus ſit inquirendi, repurgãdi & defendendi ueri locus. Deinde iniuriam fecit optimo & doctiſſimo ſeni ruſticus ille Lacon, qui uirtutem nullam niſi bellicam eſſe cenſuit. Quaſi uerò non inſignis uirtus fuerit, tanta in illo philoſopho & abſtinentia, & continentia, & ſeueritas, & docendi ſedulitas, quanta maxima eſſe poteſt?*

Quæ pleriq; uehementer.) *Cuiuſmodi ſunt opes & honores, præcipuæ omnium & contentionum & bellorum cauſæ. Ne hoc quidem Cicero tribuit iuſticiæ, ſed fortitudini* καὶ τῇ μεγαλοψυχίᾳ.

Contemnant & pro nihilo ducant.) *Scilicet quatenus luxui & oſtentationi, non naturæ neceſſitati ſeruiunt. Nemo enim certè philoſophorum cibum, potum, ueſtitum, domicilia contemnit, niſi mori cupiat. Sunt igitur huiuſmodi dicta generalia, naturæ & experientiæ repugnantia,* μετὰ προσδιορισμῶν, *ex æquo & bono intelligenda. Hinc facetè admodũ Diogenes* ἐρωτηθεὶς *à quodam rogatus: An etiam philoſophi placentis ueſcerentur? Omnibus, inquit, quibus cæteri mortales.*

Iuſtos eſſe.) *Scilicet* τὴν καθόλου δικαιοσύνην, *quæ omnem uirtutem cõtinet. Eſt igitur hic, Iuſtos eſſe, idem quod rectè facere, ſeu fungi officio, & carere iuſta reprehenſione.*

CICERO.

Nam dum alterum iuſticię genus aſſequũtur, † inferenda ne cui noceant iniuria: in alterum incidunt. Diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt.

† *V. L. in inferenda.*

Inferenda iniuria.) *Si iuſticiæ primum munus eſt, ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria: certè iuſticiam aſſequitur, inferenda iniuria qui nocet nemini: hoc eſt, is qui nemini nocet, qui nemini facit iniuriam, una ex parte iuſtus eſt: ſed altera iuſticiæ parte caret, quæ non contenta non nocere, etiam*

prodeſſe

prodeſſe uult. Ex ſemiſſe ergo iuſti atq; iniuſti ſunt, Cicerone quidem autore, philoſophi.

Quos tueri debent, deſerunt.) *Plato concedere poſſit, iniuſtè eos facere qui iſta faciunt. Sed ſe non eſſe ex eo numero, nec docere ita faciendū eſſe. Nam ipſe Socratem in iudicio capitali defendere uoluit, ut & Iſocrates Theramenem præceptorē: & uterq; ſuis, quoad potuit, benefecit. Notetur tamen emphaſis uerborum (diſcendi ſtudio impediti) quibus ſignificat, difficile eſſe factū, ut idem & θεωρητικὸς & πρακτικὸς ſit. Rectè igitur faciunt, qui omne adoleſcentiæ tempus doctrinæ ſtudijs impendunt, ut matura ætate rebus gerendis uacare poſſint, & actiones uel publicè uel priuatim ſalutares legendi, ſcribēdi, meditandi, uoluptati anteponunt: niſi fortè mūnus eorum non aliud niſi lectionem & ſcriptionem poſtulet, ut ij ſunt qui docent. Quod profectò parua cum laude atq; exiguo cum auditorum lectorumúe fructu facient, niſi lectitent, ſcriptitent, meditentur. Ii igitur ſiue philoſophi ſiue philologi, tum in arenam & ex Muſæo, in quo conchæ inſtar latitant, & ex umbra in lucem prodeunt, cum eruditionis ſuæ fructum cum alijs communicant. Nec illis inuidenda uirtutis laus, quæ omnis in actione conſiſtere dicitur. Nulláne actio eſt, num parua occupatio, legere & ſcribere continenter, meditari, docere, diſputare, declamitare? Nullúsne fructus ad ſocietatē ciuilem inde redit, ſi illa ſapienter fideliterq; adminiſtres? Vtrum præſtabilius? efficeréne (quod in te quidem ſit) ut ne qui litigare uelint, an litigantium audire cōtrouerſias? Et rogas, cui proſit ſeueritas illa philoſophica, & frons in rugas contracta, & ex lectione meditationeq; aſſidua pallor & macies? Itáne philoſophus non tam alios iuuat, quàm ſe, ut auarus numulis ſuis, delectat? Sed uideo te Pythagoram æmulari, qui reprehendit Anaximenem, quòd homo nobilis à gerenda Republica abſtineat: egregius ipſe bellator ſcilicet, qui magis agrum fabis conſitum, quàm inſequente, hoſtes formidarit, οὐχὶ μὲν τρόπαιον στήσας τῶν πολεμίων, ἀλλὰ φυγὼν ὡς πάλιν μαχησόμενος: id quod & Demoſthenes noſter fecit, ut uideas quàm fortes uiri ſint philoſophi. Et tamen ille Mercurij dono & immortali memoria & aureo femore inſignis, & ſolus lethæi poculi expers, quàm magnificè de ſe loquitur? κὴ ἐγὼ δὲ, inquit, οὐ πάντα πεδὶ σεῦ ἐμεωυτοῦ μύθους, ἀλλὰ καὶ ἐν πολέμοισι, οὓς διαφορέουσιν εἰς ἀλλήλους Ἰταλιῶται. Sed hæc iocularia ſcilicet ſiue iocis, ſiue ſannis eorum, qui ridendis philoſophis ſe uerum dicere putant, ſint reſponſa. Nam ea quæ in eadem epiſtola Pythagoræ præcedunt, Ciceronis ſententiæ multum ſuffragantur. εἰ ὑμεῖς, inquit, οἱ ὀνηιστοὶ τὰς πόλιας ἐκλείψετε, ἄτερ μὲν αὐτέων ὁ κόσμος ἀρθήσεται· ἐπικινδυνότερα δὲ αἱ τῇσι, τὰ ἐκ Μήδων, ἔστι δὲ αἰεὶ καλὸν αἰθερολογίην, μελεδωνόντ' ἐὸν τῇ πατρίδι κάλλιον. hoc eſt: Si uos optimates reſpublicas deſerueritis, illæ & ornamenta ſua amittent, & Medorum inſidijs erunt opportuniores. Neq; uerò ſemper rerum cœleſtium contemplatio præclara eſt: ſed patriæ ſuſcipere curam, præclarius.*

CICERO.

Itaq; eos ne ad Remp. quidē acceſſuros putat, niſi coactos.

Ne ad Rempublicam quidem.) *Quaſi dicat, adeò priuatos non adiuuant, ut & patriam, quæ pluris eſt, deſerant. Hac partitione priuatorum & publicorum officiorum, omnem philoſophis actionem adimit, & ſaxo quodammodo in edito monte collocato eos comparat: quod adeò neminem lædit, ut nec ad id impingere ſit facile. aut ſi mauis, candelæ ſub modio latenti: aut arboribus in prærruptis rupibus, quarum fructibus nemo fruatur.*

Niſi coactos.) *Scilicet uel neceſſitate Reipublicæ, cui idonei gubernatores deſunt: uel uoluntate populi, prudentis philoſophi gubernationem requirentis & amplectentis. Quæ duæ cauſæ cum rariſſime, uel nunquam potius incidant, & ipſo Cicerone teſte, philoſophorum rationes planè cum uſu Oratoris pugnent: prudenter philoſophi in umbra philoſophari, commentari, inſtituere adoleſcentes malunt, quàm cum ingrati populi ſtulticia & importunitate fruſtra conflictari, præſertim ſi inſtrumenta gerendæ Reipublicæ ipſis deſint τόλμα καὶ φωνῆς μέγεθος, audacia & magnitudo uocis: quod Iſocrates queritur, & tales ἀτιμωτέρους εἶναι παρ' ἀθηναίοις τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ dolet. id eſt: Minus illis ad honores & magiſtratus aditū patere, quàm in ærarios relatis. Multa etiam alia & corporum & fortunarum & animorum impedimenta non plebeios tantum homines, ſed nobiles etiam (quos hic potiſſimùm, niſi fallor, pungit Cicero) excuſare poſſunt, quò minus accedant ad rempublicam. Sed noſtra ætate res hæc ſe habet melius, ſublata Græcorum illa & Romanorum ambitione magna eſt parte, totoq; huius rei iudicio ad populum aut ſenatum tranſlato: niſi eos excipias, qui principum domos frequentant, non Reipublicæ ſtudio, ſed priuati ſplendoris & emolumenti cupiditate. De quibus Alciatus non uerè minus quàm eleganter:*

Vana Palatinos quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

CICERO.

Æquius autem erat, id uoluntate fieri. Nam hoc ipſum ita iuſtum eſt quod rectè fit, ſi eſt uoluntarium.

Aequius autem erat.) *Argutandi occaſionē captat ex uoce (coactos) quaſi Platone acutior: aut certè innuit, philoſophos uirtutis definitionem non animaduertere, in qua προαίρεσις eſt, non τύχη aut φύσις tantum.*

Si eſt uoluntarium.) *Nam quæ fortuitò fiunt, fortunæ & caſui: quæ ui aut metu, neceſſitati tribuuntur: uirtutis uerò laudem nō habent, tametſi euentus ſit laudabilis. Nam ἡ δικαιοπραγία τὴν δικαιοκρισίαν ſequitur: et utraq; comitem habet, ac ducem potius, τὴν προαίρεσιν.*

CICERO.

Sunt etiā qui aut ſtudio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam

quodam hominum, ſuum ſe negocium agere dicant, ne facere cuiquam uideantur iniuriam.

Aut ſtudio rei familiaris.) *Ciceronem de ijs loqui, qui Rempublicã capeſſere & poſſint & debeant, non eſt dubium: qui pauci ferè ſunt. Pauci enim uirtute, ſapientia, & rerum gerendarum facultate pollent. Reliqui igitur, qui priuatã uitam agunt, non reprehendẽdi ſunt, qui priuatim etiam ciuilem ſocietatem iuuare poſſunt. Diligens & liberalis paterfamilias, dum alit & regit familiã, multis benefacit: procreat & educat liberos, reipublicæ ſeminaria: honeſta aliqua arte & ſe & ſuos alit. Optandũ ſanè eſſet, multos eſſe huic iniuſticiæ generi obnoxios, ut ſuũ tantùm agerent negociũ, nec alios interturbarent. Nã ſi et magiſtratus ſuã Spartã ornarẽt, & reliqui ciues modeſtè illis parẽrẽt, honeſto aliquo opere occupati: quid tali ciuitate uel optare queas beatius?*

Eos etiã prodeſſe Reipublicæ, qui rẽpublicã non adminiſtrẽt.

Odio quodam hominũ.) *Hanc μισανθρωπίαν non tam natura (quanquam hoc quoq;) nonnullis eſſe inſitam, cuiuſmodi peruerſi Saturnini ab Aſtrologis traduntur, quàm ab ingrati populi uitio proficiſci, declarat Luciani Timon. Sic μισολογίαν parit uel ſumma eruditorum diſſenſio, uel irritum exquirendi ueri ſtudium, apud homines moræ impatientes, quiq; iuſtum tempus expectare non poſſunt.*

μισανθρωπία ex ingrato populi animo.

μισολογία.

Videantur.) *Quaſi dicat, πρόφασις illa eſt, non αἰτία: non ita oderunt iniuriam, ſed iniuſticiæ infamiam reformidant.*

CICERO.

Qui dum altero iniuſticiæ genere uacant, in alterum incurrunt. Deſerunt enim uitæ ſocietatem: quia nihil conferunt in eam ſtudij, nihil operæ, nihil facultatum.

Quia nihil conferunt.) *Hæc & Philoſophi, & patresfamiliâs, & agricolæ, & omnis generis artifices iure negare queant: ac dicere, crimen hoc in ſolis robuſtis medicis, & ignauis ac ſordidis diuitibus hærere. De furibus & latronibus & fœneratoribus, de hypocritis & ſycophantis & ſophiſtis, qui publicè priuatimq; plurimum nocent, hic non agitur. Plures autem ſint neceſſe eſt, qui magiſtratui pareant, quàm qui magiſtratũ gerant: & cum Reſpublica è re priuata ueluti conſtetur, qui priuatã uitam iuuat, Rempublicã etiã ſuo loco iuuat.*

Solos medicos & ignauos Euchiones uitæ ſocietati nihil conferre.

CICERO.

Quoniã igitur duobus generib. iniuſticię propoſitis, adiunximus cauſas utriuſq; generis, eaſq; res antè conſtituimus, quib. iuſticia cõtinetur: facilè quod cuiuſq; tẽporis officiũ ſit, poterimus (niſi noſmet ipſos ualdè amabimus) iudicare.

Quoniã igitur duobus.) *Concluſio τῆς ἀντιθέσεως, iuſticiæ & iniuſticiæ, quam magis illuſtrandæ iuſticiæ cauſa inſtitutã eſſe diximus. Additur autem appendix ſeu generalis regula, de caſibus dubijs dijudicandis.*

Quod cuiuſq; temporis officium ſit.) *Hoc ſic accipiendum eſt, pro*

Tẽpori ſeruit officium.

ratione

ratione circumſtantiarum (liceat enim uſitato, docendi cauſa, hoc tempore in Rhetoricis uti uocabulo) aliâs aliud & ſtatuendum & agendum eſſe : ut, eſt tempus, cum capeſſenda Philoſopho ſit Reſpublica: tempus eſt, cum fugienda ea ſit.

φιλαυτία tenebras offundit iudicio. Niſi noſmet ipſos ualde.) *Diligenter notetur, φιλαυτίαν tenebras offundere iudicio. Nam deberi nobis omnia, cæteris uerò parum aut nihil, exiſtimamus: minimis noſtris incommodis magis, quàm grauiſſimis aliorum malis afficimur.*

CICERO.

Eſt enim difficilis cura rerum alienarum : quanquam Terentianus ille Chremes, humani nihil à ſe alienũ putat.

Eſt enim difficilis cura.) *Conceſſio quædam eſt, quæ non quidem τὸ δέον, ſed τὸ γινόμενον exponit. Quaſi dicat: Philoſophi & Oeconomici homines non omnino ſine cauſa à Reipublicæ functionibus & alienarũ rerum cura abhorrent. Sed ſtatim additur correctio, ex Terentio ſumpta.*

Humani nihil à ſe alienum putat.) *Hoc eſt, ſatis ſibi eſſe cauſæ putat ad curandas res aliorum, eosq; re, opera, conſilio adiuuandos, quòd einſdem naturæ ſint participes.*

CICERO.

Sed tamẽ quia magis ea percipimus atq; ſentimus, quæ nobis ipſis aut proſpera aut aduerſa eueniunt, quàm illa quæ cæteris, quæ quaſi longo interuallo interiecto uidemus: aliter de illis, ac de nobis, iudicamus.

Difficilis rerum alienarum cura. Sed tamen quia.) *Non tantùm φιλαυτία, inquit, ſed etiã ignoratio, aut certè minus certa cognitio (quibus addi queat moroſitas eorũ, atq; ingratus animus, quorum commodis ſeruitur) rerum alienarũ curã difficiliorem facit.*

CICERO.

Quocirca bene præcipiunt, qui uetant quicquam agere, quod dubites æquum ſit an iniquum.

Dubitatio fugienda. Quocirca bene præcipiunt.) *Etſi obſcurius uidetur, quomodo concluſio hæc cum ijs quæ præcedunt, cohæreat: egregium tamen per ſe dictũ eſt, nec ualde abſimile Paulino illi, πᾶν τὸ μὴ ἐκ πίστεως ἁμαρτία ἐστὶ. Sed Cicero hic de ciuili fide ſiue perſuaſione ac iudicio æquitatis loquitur: non de Chriſtiana fide atq; fiducia, quam prorſus ignorauit.*

Quicquam agere.) *Etiã contrariũ intelligatur: nihil prætermittendum eſſe, quod ſcias æquum eſſe. Sic autẽ æquũ erit, ſi tui muneris atq; officij fuerit.*

CICERO.

Æquitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio cogitationem ſignificat iniuriæ.

Aequitas

Aequitas enim lucet.) *Plauſibilis ſanè ſententia,& in pleriſq; quotidianæ uitæ negocijs uera, quæ ſenſu communi dijudicantur. Sed incidunt ſæpè negocia, quæ doctiſſimos etiam homines ſolicitos habeant. Hinc ſunt tot Iuriſconſultorum commentarij: qui omnes ſuperuacanei eſſent, ſi hoc dictum in uniuerſum approbaretur.* Lux æquitatis.

Dubitatio cogitationem.) *Hoc eſt, ſi quis id facit, quod an æquum ſit dubitat: eum apparet ab inferenda iniuria nō abhorrere, cupiditatemq; ſuam iuſticiæ anteferre. Ad hanc aūt dubitationem tollendam (neq; uerò ijs in rebus quæ neceſſariò ſunt agendæ, σκεπτικοὶ καὶ ἐφεκτικοὶ eſſe debemus) cōſulendi ſunt uiri prudētes, & in eo doctrinæ genere cum laude uerſati, ex quo ſcrupulus ille iniectus eſt.* De rebus dubijs cōſulendi doctiores & prudētiores. *De rebus ad conſcientiam pertinentibus, conſulatur Theologus: eaq; cauſa fuiſſe uidetur inſtituendæ priuatæ confeſsionis, qua poſtea (ut in alijs quoq; rebus bonis fit) ſacrificuli abuſi ſunt ad tyrannidem ſuam & conſtituendam, & adamantinis uinculis conſtringendam.* Theologi. *De controuerſijs forenſibus & æquitate ciuili interrogetur Iuriſconſultus. Iuriſconſultum autem eum dico, non qui ſui emolumenti cauſa τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν ſtudeat: ſed qui pro ſua intelligentia uerè & liberè de iure reſpondeat, minimeq; diſsimulet quid æquum ſibi uideatur. Is enim ſolus Iuriſconſulti nomen meretur, & rectè iuſticiæ ſacerdos dicitur. Cæteri ſunt rabulæ forenſes, ſophiſtæ & ſycophantæ perditiſsimi, litium ſeminaria, & Rerumpublicarū peſtes. In alijs quoq; rebus (tametſi hoc ad iuſticiā non adeò pertinet) peritorū cōſilijs dubitationes omnes, quæ animū quietum eſſe non ſinunt, tollēdæ ſunt.* Iuriſconſulti. *Cum ualetudo ſolicitat, maturè fidelis & exercitatus Medicus adeatur.* Medici. *Si, quonam pacto rei familiari conſulendum ſit, ambigis: exquiratur ſententia prudentis & fortunati patris familiâs.* Oeconomici. *Deniq; opera detur, ut quòd tuopte ingenio perſpicere non potes, id aliorum prudentia tibi declaretur. Neq; uerò uel dubitationis uel ignorationis ſuæ quenquā pudere debet, aut mouere ſtultorum hominum reprehenſio, qui propterea peius de te exiſtiment, quòd te uel dubitare uel ignorare aliquid præ te feras, cum prudentiam potius & candorem tuum ſummoperè probare deberent.* Non eſſe turpe diſcere quod ignores.

CICERO.

Sed incidūt ſæpè tempora, cum ea quæ maximè uidentur digna eſſe iuſto homine, eoq́ꝫ quem uirū bonum dicimus, cōmutantur, fiuntq́ꝫ cōtraria: ut † reddere depoſitū: etiā'ne furioſo? facere promiſſum: quęq́ꝫ pertinēt & ad ueritatē & ad fidē, ea negare interdū, & nō ſeruare ſit iuſtū.

V. L. non reddere depoſitum. etiam in furioſo. promiſſum facere. ea migrare interdum.

Sed incidunt ſæpè tempora.) *Hic locus is eſſe uidetur, de quo libro 16. ad Atticū, his uerbis Cicero ſcribit: Ego & Poſidonij librum accerſiui, & ad Athenodorū Caluum ſcripſi, ut ad me τὰ κεφάλαια mitteret, quem expecto:* καθῆκον ἁπλῶς. καθῆκον κατὰ περίστασιν.

s quem

quem uelim cohortere & roges, ut quàm primùm. Agitur autem περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. Nam Laertius in uita Zenonis ait: καθῆκον aliud eſſe ἄνευ περιστάσεως ſiue ἁπλῶς, ut ὑγιείας ἐπιμελεῖσθαι καὶ αἰσθητηρίων: aliud κατὰ περίστασιν, ut τὸ πηροῦν ἑαυτὸν, καὶ τὴν κτῆσιν διαῤῥιπτεῖν. Pertinet autē hæc Ciceronis exceptio potiſſimū ad fidei definitionē, quàm iuſticiæ fundamentū eſſe dixit. Vulgare illud quidē eſt, ſed omnino uerū et neceſſariū, nihil tā exquiſitè poſſe præcipi & deſcribi, quin aliquādo ab eo ſit certis de cauſis recedēdū.

Exceptiones.

Commutantur fiuntq; contraria.) *Id eſt, ſi τὸ ῥητὸν urgeretur, & non ἡ διάνοια conſideraretur, non fieret officium, ſed officio repugnaretur.*

Locus ſuſpectus, & obſcurus.

Vt non reddere depoſitum.) *Locus hic eſt, qui & uerborum dubitationes habeat, & rerum ipſarum difficultatē, quiq; Grammaticis & Iuriſconſultis (ad quos hæc potiſſimum pertinent) negocium faceſſere poſſit. Etſi autem nos (ut Terentianum illum ſenem) noti omnes atq; amici deſerūt: hoc eſt, neq; uarij codices, neq; cōmentarij nodos hos ſatis expediūt: tamē opinionem noſtram candidè aperiemus, doctiorum iudicia libenter amplexuri. Videtur igitur legendum eſſe, Fiuntq; contraria: ut, reddere depoſitū, ſublata negatione. ut ſit ſententia: Reddere depoſitum eſt maximè dignū bono uiro, idq; ἁπλῶς καὶ ἄνευ περιστάσεως. Reddendum enim eſſe depoſitum, non tollendum quod non poſueris, ſeruanda eſſe promiſſa, & id genus complura, etſi nominatim præcepta nō ſunt à Cicerone, breuitati ſtudente, nec niſi generalia, & quæ momenti maioris ſunt explicante: ex ipſa tamē iuſticiæ & fidei deſcriptione, ac potius per ſeſe, uel puero nota ſunt, ex diſciplina domeſtica, & conſuetudine ciuili. Eadem mihi cauſa eſſe uidetur, cur de matrimonio, non minima felicitatis aut calamitatis parte, de re familiari, & id genus alijs uitæ quotidianæ cùm primis neceſſarijs tradendis minus laborarit. Quapropter negligentiæ non eſt accuſandus: ſed is potius uituperandus, qui ea ſuo Marte non inquirit, & è peritioribus cognoſcit. Sed ut ad inſtitutum redeam, ſequitur ἀνθυποφορὰ: Etiam'ne furioſo promiſſum facere? ſcilicet iuſtum eſt? Eſt'ne præſtandum furioſo etiam, quod promiſeris? aut reddendum depoſitum? Includit autem interrogatio negationē, quaſi dicat: Ei qui ſanus gladiū aut pecuniam apud te depoſuerit, errore mentis affecto, non ſeruabis fidem, quia pecuniam ſuo malo diſſipabit: gladio uel in ſemetipſum, uel in alios graſſabitur? Ponit enim craſſum id quidem, ſed illuſtre exemplum, quo minus acutos homines & ſuperſtitioſiores, qui grande nefas putant non reddere depoſitum, non facere promiſſum, quaſi conuincat, hæc aliquando conſeruato officio non præſtari poſſe: ut ſubtiliora etiam, quæ uidētur, facilius admittant. cuiuſmodi eſt illud, quod libro tertio huius Operis proponit, non reddendam pecuniam apud te depoſitam, etiam ſano, ſi is patriam oppugnatum eat: ſi tamen quiſquam ſanus tantum facinus animo ſuo concipere poſſit. Fortaſſis autem commodius fuerit, interrogationem ponere poſt Furioſo: Etiam'ne furioſo? ſcilicet eſt reddendum depoſitum. ut facere promiſſum, peculiare colon ſit, ſine exemplo: quanquam profectò durum id eſt, nec locus hic mendi ſuſpicione uacat. hæcq; duo*

Ciceronem non omnia perſecutum eſſe.

Coniugium. Oeconomia.

uerba

uerba ſine incōmodo prætermitti poſſe uiderētur, ſimpliciterq́; ſic legi: Fiūtq; contraria: ut, reddere depoſitum, promiſſum facere: quæ pertinent ad ueritatē & ad fidem, ea negare interdum, & non ſeruare ut ſit iuſtum. Verba autem ſic ordinanda cenſeo: ut οἷον, id eſt, uerbi cauſa, exempli gratia, reddere depoſitū, facere promiſſum, quæ duo pertinent ad ueritatem & ad fidem, ita commutantur, fiuntq; contraria, ut iuſtum ſit interdum ea negare, & non ſeruare: negare ſcilicet depoſitum, & non ſeruare promiſſum. Sed cum de ſententia conſtet, quæ quidem perſpicua eſt, uerba uel deprauata uel intricatiora negligentes, deſinamus uagari coniecturis: & autorem ſecuti Fabium, inter Grammatici uirtutes atq; interpretis numeremus, quædam ignorare. Libet tamen aſſcribere ſententiā eandē, tertio huius Operis libro dilucidius explicatā, his uerbis: Promiſſum potius non faciendum, quàm tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo & promiſſa non facienda nonnunquam, neq; ſemper depoſita reddenda ſunt. Si gladium quis apud te ſanæ mentis depoſuerit, repetat inſaniens: reddere, peccatum ſit: non reddere, officium. Quid? Si is qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ: reddes'ne depoſitum? Non credo. Facies enim contra Rempublicam, quæ debet eſſe chariſſima. Sic multa quæ natura uidentur honeſta eſſe, temporibus fiunt non honeſta. Facere promiſſa, ſtare conuentis, reddere depoſita, commutata utilitate fiunt non honeſta, &c. Neq; uerò quiſquam, opinor, ita uæcors eſt, ut depoſita in ſuum uſum conuertenda potius, quàm iudicio & autoritati magiſtratuum committenda eſſe arbitretur.

Quæq́ pertinent ad ueritatem.) *Reddere depoſitum iuſticiæ eſt, quæ ſuum cuiq; tribuit: ſeruare promiſſum, fidei, quæ eſt iuſticiæ fundamentum.*

CICERO.

Referri enim decet ad ea, quæ † poſui in principio, fundamenta iuſticiæ: primùm, ut ne cui noceatur: deinde, ut communi utilitati ſeruiatur. Ea cum tempore commutantur, commutatur officium, ut non ſemper ſit idem.

V. L. propoſui.

Referri enim decet.) *Inferiora enim capita iure cedunt ſuperioribus: res grauis moment, rebus leuioribus: ubi quæ quibus præſtent, acri iudicio eſt opus. Sunt autem hæc duo capita generalis regula iudicādi de æquitate, propterea q́; ſemper in conſpectu habenda, ne opus ſit tot prolixis commentarijs. Etſi autem Cicero (in hoc quidem Opere) ſententiam hanc,* ut communi utilitati ſeruiatur, *ijſdem uerbis non poſuit: è multis tamen, quæ anteceſſere, ſententijs, haud obſcure illa paſſim elici poſſunt.*

Capita iuſticiæ duo: 1 Ne cui noceatur. 2. Vtilitati communi ſeruiatur.

CICERO.

Poteſt enim accidere promiſſum aliquod & conuentũ, ut id effici ſit inutile, uel ei cui promiſſum ſit, uel ei qui promiſerit.

Finis promiſſorũ ſpectandus.

Vel ei cui promiſſum ſit.) *Hoc non facilè quiſquam ſanæ mentis iniquo animo feret: imò gratias aget alterius prudentiæ, & erga ſe beneuolentiæ. Nec enim noceri nobis, ſed conſuli uolumus. Itaq; finis ſpectandus eſt, nõ uerba, ſi cum fine pugnent.*

Præſtat non promittere, cuius pœnitere poſsit, quàm nõ ſeruare promiſſum.

Vel ei qui promiſerit.) *Hic etiam atq; etiam uigilandum, ne (ut alio loco dicit) latebra quæratur periurio, neúe ex φιλαυτίας in perfidiæ crimen incidamus, & omnes contractus abrogentur. Quoties enim accidit, ut quod hodie utile tibi putâris, cras tibi fraudi fore non dubites? Præclarè uerò ſeruabitur fides, ſi hæc licentia concedetur. Debes tu mihi* 1000 *aureos, ego alteri* 500, *is quoq; alijs* 300: *quibus illi non acceptis, ad reſtim redigentur. Tu ad dictam diem nõ ſoluis: nec creditor meus poteſt, à me deſtitutus. Illi ergo eſuriunt, aut cedũt bonis. Vide quó nos iſtæ tuæ bonæ rationes induxerint, quòd certis de cauſis inutile iudicaſti tibi, aureos mihi* 1000 *renumerare? Ego infamis, alter perfidus, miſeri omnes, ob uanitatem tuam. At Cicero de huiuſmodi rebus non loquitur? Vtcunq; ſit: non pecuniæ tantùm ea ratio eſt, ut calamitatem afferat non ſoluta: ſed alia quoq; complura non minoris momenti, ac potius longè maioris: cuiuſmodi ſit, in morbo periculoſo, in capitali iudicio, uel à medico uel à patrono deſtitui, ſine cuius ope ſaluus eſſe non poſsis.*

Promittendum ſub cõditione.

Præſtat igitur βουλεύεσθαι πρὸ ἔργου, *nec promittere quicquam, priuſquam omnia diligenter expenderis. Atq; etiam prudẽtiæ eſt, nihil niſi ſub conditione polliceri. cuiuſmodi eſt illud Demoſthenis,* ἐὰν ὁ θεὸς ἐθέλῃ, *Si uolet* DEVS: *quam clauſulam Chriſtiani piè prudenterq; uſurpamus. Et apud Thucydidem,* ἂν μή τι παράλογον γένηται, *niſi quid inopinatum interueniat. Etiam tabulis & ſyngraphis uſitato more additur, Bona fide, & citra dolum malum.*

Promiſſa dubitanter expectanda. Plura ſubſidia quærenda.

Neq; uero cautio minor in expectandis quàm faciendis promiſsis requiritur. Cogitabis, eum quo fretus ſis, eſſe hominem, qui & falli poſsit, & fallere, aut uarijs caſibus impediri. Circumſpicies igitur alia quoq; præſidia, ut ſi ab illo fueris deſtitutus, tamen tibi ſit proſpectum. Præſtat ἐπὶ δυεῖν ὁρμεῖν, *duabus ancoris niti.* οὔτε γὰρ ναῦν ἐκ μιᾶς ἀγκύρας, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ἠρτῆσθαι ἀσφαλές: *Neq; enim tutũ eſt uel nauem unica ancora, uel uitã una ſpe niti, ut quidam prudenter monuit. Multi ſunt* χρυσόλογοι καὶ ἄπιστοι, *uerbis benigni & liberales, animis uani et perfidi: qui quid de quoq; deinceps fiat, nihil habeant penſi, modò in præſentia neminem à ſe triſtem diſcedere patiãtur.*

CICERO.

Nam ſi (ut in fabulis eſt) Neptunus quod Theſeo promiſerat, non feciſſet: Theſeus filio Hippolyto non eſſet orbatus.

orbatus. Ex tribus enim optatis (ut ſcribitur) hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optauit. quo impetrato, in maximos luctus incidit.

Vt in fabulis eſt.) *Obſeruent obiter adoleſcentes, è lectione Poetarum hunc quoque fructum petendum, ut præcepta morum exemplis apud illos occurrentibus in utranq; partem illuſtrentur. Fecerunt ſcilicet iſti Poetici dij (ſi dijs placet) multa, quæ (ut ait Iſocrates) nemo uel inimicis ſuis obijcere audeat. Sed tamen hac Theſei & Phaetontis fabula ſignificare uoluerunt, opinor, ſtulticiam humanam, cuius pleraque uota nihil differant ab execrationibus. Quapropter Socrates nihil petendum nominatim à Dijs monuit, ſed illorum indicio permittenda omnia, duobus uerſibus adductis, quos eleganter Thomas Morus hoc modo interpretatus eſt:* Exēplis poetarū doctrina de moribus illuſtratur. Votorum humanorum ſtulticia.

Da bona, ſiue rogere DEVS, ſeu nulla rogeris:
Et mala, ſiue rogere, nega, ſeu nulla rogeris. Vel,
Et procul à nobis mala quæq; petentibus aufer.

Græca ſic habent in Alcibiade 2.

Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδου· τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπάλαλκε.

Nec minus prudenter & piè Euripides:

Ὦ Ζεῦ, πατήρ τε καὶ σοφὸς κλήζῃ θεὸς,
Βλέψον πρὸς ἡμᾶς, καὶ μετάστησον κακῶν.

Quos eleganti Vincentius Obſopæus diſticho conuertit:

Iuppiter alme parens, ſapiens, iuſtiſſimus idem:
Reſpice nos miſeros, atq; medere malis.

CICERO.

Nec promiſſa igitur ſeruanda ſunt ea, quæ ſint his quibus promiſeris, inutilia: nec ſi plus tibi noceant, quàm illi proſint, cui promiſeris. Contra officium eſt, maius damnum † anteponere minori. ut ſi cōſtitueris, te cuipiam aduocatum in rem præſentem eſſe uenturum, atq; interim grauiter ægrotare filius cœperit: non ſit contra officium, non facere quod dixeris: magiſq; ille cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur.

† *V. L. anteponi.*

Nec ſi plus tibi noceant.) *De quibus promiſſis Cicero loquatur, exemplum quod ſequitur, ſatis declarat: ijs nimirū, quæ non magni momenti ſint, nec grauiter eum lædant cui facta ſint. Eo igitur optimo uerborum ſuorū interprete utamur. Si uerò ad grauiora negocia transferantur, ciuilis conſociatio deſtruetur. Nam quibus miniſtris utetur Reſpublica, ſi cuique liberum* Lubrica fides publicè & priuatim nocens.

 erit pro-

erit propter ſeruitutis incommodum aliquod, aut maioris emolumenti ſpem, ſeruitio exire contra datam fidem. Eadem confuſio & in priuata uita ſequetur. Sed ut grauitatis & conſtantiæ eſt, datam dominis ſeruare fidem: ſic humanitas & liberalitas poſtulat, ut domini uel inſignia detrimenta miniſtrorum reſarciant, uel luculenta eorum emolumēta non impediant. Sic enim & fides & æquitas utrinq; ſeruabitur. Dolendum ſanè eſt, hoc τὸ περίστατον καθῆκον nimium placere noſtræ ætati, qua ad ſoluendam fidem qualibet cauſa ſatis grauis & iuſta eſſe putatur: adeò ut ſyngraphæ non ferè diutius ſeruētur, quàm alterutri parti commodum ſit. Pòſt uerò ſpecioſæ cauſæ quæruntur, quibus excogitandis qui plurimum ualent, in ſummo precio & honore habentur.

Leuitas noſtri ſeculi.

Maius damnum anteponi minori.) *Quaſi uerò perfidiæ crimen, ex philoſophorum ſententia, non maximum damnum ſit. Valeat igitur hæc ſententia ijs in rebus, quæ nobis adhuc integræ ſunt. In cæteris uerò, ubi fidem noſtram alijs aſtrinximus, repudietur: niſi cum bona illorum gratia mitigationem aliquam impetrare poſſimus. eamq; ueniam & petere prudentiæ eſt, & dare æquitatis: uſurpare ultrò, an perfidiæ crimine uacet, equidem ſtatuere non poſſum.*

Promiſſi gratia & petenda & facienda nonnunquam.

Aduocatum in rem præſentem.) *Formula hæc ijs de rebus uſurpatur, quæ cum controuerſæ ſint, non aliter, niſi ſi coràm ſpectentur, dijudicari poſſunt. cuiuſmodi ſunt limites agrorum, atq; ædium. Fortaſſis & mercium nonnullarum eadem eſt ratio. Hoto manus ſcribit, pertinere hoc ad uindicationes quæ fiebant in rem præſentem.*

Si ſe deſtitutum queratur.) *Hoc loco utile præceptum continetur cōtra moroſitatem in exigendis leuioribus promiſſis: cuiuſmodi ſunt, & hoc ipſum quod Cicero poſuit: & promiſſiones conuiuiorum, nuptiarum, deambulationum, & id genus aliæ res, quæ neutri parti multum uel commodare, uel incommodare ſolent: etſi nonnunquam incidunt tempora, ut & hæc grauia iudicari queant.*

Moroſitas in exigēdis promiſſis cauēda.

CICERO.

Iam illis promiſsis ſtandū non eſſe, quis non uidet, quæ coactus quis metu, aut deceptus dolo, promiſerit? Quæ quidē pleraq; iure prętorio liberantur, nonnulla legibus.

Quæ coactus quis metu.) *Vt ſi captus à latronibus, conſeruandæ uitæ cauſa, tantam pecuniam te numeraturum promittas, qua ſoluta omnibus fortunis euertaris. Quid huiuſmodi de rebus leges ſtatuant, notum eſt. An uerò Chriſtiano magis expediat, iuriſiurandi religionem pecuniæ poſthabere: multi docti & graues uiri non ſine cauſa dubitarunt. Optio datur etiam à latronibus, utrum pecuniam ſoluere, an perire malis? Deinde & illa optio tua eſt: nunquid numinis obteſtationi ſpeciem utilitatis poſthabere uelis? Denique id quoq; timendum erit, ne latrones ſæpius deluſi, ſtatim in captos ſæuiant.*

Magnam eſſe debere iuriſiurādi religionem.

Aut de-

Animaduerſio excitanda & diffidendum.

Aut deceptus dolo.) *Hic Iuriſconſulti dicunt, Iura uigilantibus eſſe ſcripta. Quæ ſententia ut impoſtoribus & ſycophantis non patrocinatur: ſic excitare diligentiam & prouidentiam non in uadimonijs tantum obeundis, ſed prorſus in omnibus rebus debet. Ignotum nemini eſt, quid inſidiarum ſit in uita: quàm pauci boni uiri ſint: quàm multi ſimulatores & diſſimulatores: ut per benignitatis ſpeciem plurimi in fraudem illiciãtur. Hæc cauſa fuit Heſiodo, ut etiamſi cum fratre quid contrahas, ex ſyngrapha agendum eſſe moneret. Huc accerſantur & prouerbia:* ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω: *&*, ὁ ἁλιεὺς πληγεὶς νόον οἴσει: *&*, προμηθεῖς μετὰ τὰ πράγματα, *et id genus alia: quibus ij deridentur, qui accepto demum malo ſibi cauere uolunt.*

Ius prætorium.

Iure prætorio.) *Prætores, quòd præeant uel in militia, uel iure, uel quòd præſint, dictos eſſe Grammatici putant. Quomodo autem Ius prætorium hic à legibus diſtinguatur, ſtatuere mihi quidem, in iure Scholaſtico quàm ciuili magis uerſato, difficile eſt. A Papiniano quidem libro Pandectarum 1. ſic deſcribitur: Ius prætorium eſt, quod prætores introduxerunt, adiuuandi uel ſupplendi uel corrigendi iuris ciuilis gratia, propter utilitatem publicã: quod & honorarium dicitur, ad honorem prætorum ſic nominatum. Et ibidem Martianus: Et ipſum (inquit) ius honorarium, uiua uox eſt iuris ciuilis. Cicero pro A. Cæcinna: Prætoris ait eſſe, dare iudicia. & in Rhetoricis ad Herennium, & 2. de Inuentione, prætoriarum exceptionum meminit. Vnde mea coniectura ſic fert, quam aliquid certius edoctus libenter abijciam: Si qui ius ſuum perſecuturi eſſent, adeundus erat prætor, ab eoq́; petendũ ut daret actionem, & citaret reum. Id uerò prætorem aliàs feciſſe, cum accuſatorem iuſtam cauſam habere cenſeret: aliàs negaſſe, cum manifeſtam iniuriam reo fieri crederet: nec accuſatori ullum eſſe ius aduerſarij perſequendi. In hanc coniecturam adducor, uerbis quæ extant 2. Rhetoricorum ad Herennium: Fit (inquit) ut eàdem de re ſæpè alius aliud decreuerit, aut iudicauerit. Quod genus, M. Druſus prætor urbanus, quo cum hærede mandati ageretur, iudicium reddidit: Sextus Iulius non reddidit, &c. In edictis item & interdictis Pandectarum paſſim prætor nunc ſe daturum actionem affirmat, nũc negat. Huc faciunt & loquendi modi,* λαγχάνειν δίκην, *quod Terentius iudiciũ adipiſcier dixit: item creberrimi illi apud Oratores Græcos,* ἐν τοῖς παραγγελτικοῖς λόγοις, εἰσαγώγιμον ἢ μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην: *hoc eſt, cõtrouerſiam eius eſſe generis, quæ in iudicium uenire, aut non uenire poſſit: hoc eſt, de qua accuſatori danda ſit actio in reũ, aut nõ danda: ut prætor controuerſiã tollat, antequã in iudicio diſceptetur, ob certã aliquam legẽ, aut ipſius negocij perſpicuitatẽ. Si igitur prætor actionẽ dederit accuſatori, reus tamẽ legibus quibuſdam abſolui poteſt. Extat autem libro 4. Pandect. titulo 2. Vlpiani ſententia, his uerbis: Ait prætor, quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo. Olim ita dicebatur: Quod ui, metus ue cauſa, &c. Poſtea ex Paulo Iuriſconſulto affertur hæc definitio: Vis, eſt maioris rei impetus, qui repelli non poteſt: uel neceſſitas impoſita, contraria uoluntati. Dolum autem ma-*

Vis.

Dolus.

autem malum eſſe dicunt, cum aliud agatur, aliud ſimuletur: quod pernicioſum eſt callidorum hominum artificium. ſimplices & minus cautos ſpe, pollicitationibus, ſimulatione beneuolentiæ, ſæpenumero in fraudem illicientiũ: qui tum demum ſe circumuentos intelligunt, cum emergere ſine calamitate non poſſunt. Quod autem ad leges attinet, fatendum eſt, de alijs locutum eſſe Ciceronem: quas nos ignoremus. Nihil tamen uetat, rei declarandæ cauſa etiam has recentiores afferre, quæ à Iuſtiniano approbatæ, atq; in unum quaſi corpus redactæ ſunt. Sed hæc Iuriſconſultis diſceptanda relinquantur, nos ad inſtitutum redeamus.

CICERO.

Exiſtunt etiam ſæpè iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida, ſed malicioſa iuris interpretatione. Ex quo illud, SVMMVM IVS, SVMMA INIVRIA, factum eſt iam tritum ſermone prouerbium.

Summa eorũ quæ præceſſerunt.

Exiſtunt etiam iniuriæ ſæpè.) *Iniuſticiæ tam inferentis, quàm deſerentis præcipuas cauſas, metum & cupiditatem enumerauit, ſubiectis ſpeciebus nonnullis. Deinde collationem inſtituit iniuriarum* διὰ πάθος, ἢ ἐκ προνοίας *factarum. In quo conſiderandum eſt omnes iniurias* ἀπὸ τῆς ὁρμῆς, *hoc eſt* τοῦ θυμοειδοῦς καὶ ἐπιθυμητικοῦ *principaliter proficiſci. Nam* τὸ ἡγεμονικὸν *iniuriam nemini facit, niſi ſit* ὑπὸ τῆς ὁρμῆς *corruptum, & ſubactum. Tum uerò, prauis affectibus inſeruit. Quod cum fit, fiunt* ἐκ προνοίας ἀδικήματα. *Cum uerò affectus per ſe ſubitò erumpunt, non conſulta ratione: fiunt iniuriæ* διὰ πάθος. *Subiectus poſtea eſt locus, ualde (ut dixi) ſcrupuloſus,* περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. *Nunc autem* τὸ τοῦ τρόπου *tractat: hoc eſt, circumſtantiam modi. Iniuria (inquit) fit uel aperta ui, uel occulta fraude & dolo. Qui locus, abſoluta æquitate bellica, repetitur.*

Iniurias uel ui uel fraude fieri.

Calumnia quadam.) *Calumnia fit uel falſa accuſatione, uel praua interpretatione ſcripti, aut legis alicuius, nocendi cauſa.*

Malicioſa iuris interpretatione.) *Hoc eſt, de induſtria ad priuatum commodum, & aduerſarij incommodum contra conſcientiam detorta.*

Summum ius, ſumma iniuria.) *Memoratu dignus eſt Columellæ locus lib. 1. Nec ſanè eſt nobis uindicandũ quidquid licet. nã ſummũ ius antiqui ſummã putabãt crucẽ. Nec rurſus in totũ remittendũ: quoniã uel optima nomina, non appellando fieri mala. fœnerator Alphius ueriſsimè dixiſſe fertur. Hactenus ille. Eſt autem ſummũ ius,* τὸ ἀκριβοδίκαιον, *cum uel* τὸ ῥητὸν *urgetur, et apices literarũ carioſius excutiũtur, neglecta ſententia: uel exquiſita officij ratio in domeſticis et publicis muneribus exigitur, neq; quicquam propter humanã imbecillitatẽ diſsimulatur. De hoc extant memorabiles Menãdri uerſiculi, quanquam ita perturbati, ut ratio dimenſionis non appareat:*

τὸ ἀκριβοδίκαιον, summũ ius.

καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσίν. ὁ δ' ὁρῶν αὐτοὺς λίαν
ἀκριβῶς, συκοφάντης * γίγνεται.

* φαίνεται.

Leges,

Leges, inquit, res præclara ſunt: ſed qui eas acutius quàm par eſt intuetur, calumniator exiſtit. Huius ſummi iuris moderatio, τὸ ὑπεικὲς καὶ ὑπείκεια dicitur: æquitas latinè, uel æquum & bonum, cum propter circumſtantias aliquas legi moderatio adhibetur. Qua uti potuiſſet, atq; haud ſcio an debuiſſet etiam, Manlius ille Torquatus, qui filium uictorem, & hoſtium contumelijs iritatum, ſecuri percußit. Manlius.

CICERO.

Quo in genere etiam in Repub. multa peccãtur: ut ille, qui cum 30 dierum eſſent cum hoſte factæ induciȩ, noctu populabatur agros: quòd dierũ eſſent pactæ, non noctiũ induciæ. Ne noſter quidem probandus: ſi uerum eſt, Q. Fabium Labeonem (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis & Neapolitanis de finibus à ſenatu datum, cum ad locum ueniſſet, cum utriſq; ſeparatim locutum, ne cupidè quid agerent, nec appeterent: ut regredi, quàm progredi mallent. Id cum † utriq; feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaq; illorũ fines, ſicut ipſi dixerant, terminauit: in medio relictum quod erat, populo Romano adiudicauit. Decipere hoc quidẽ, non iudicare eſt. Quocirca in omni re fugienda eſt talis ſolertia.

V. L. utrinq;.

Quo in genere.) *Cicero in hoc Opere non tantum τὰ ἠθικὰ, ſed etiam τὰ οἰκονομικὰ καὶ πολιτικὰ tractat. Sed illa ut ἔργον, hæc ut πάρεργον, atq; adeò ab his ut exempla ferè tantum petat, quibus in illis explicandis utatur. Quæ quidem aliquo modo inter ſeſe cohærent, cognata certè quidem ſunt: & (ſi uerè rem æſtimes) priuati cuiuſq; mores, & rei familiaris adminiſtratio, ad Reip. utilitatem & tranquillitatem referuntur. Qua florente, priuatæ etiam res ſingulorum fiunt meliores.* Publica & priuata inter ſe cohærere.

Vt ille qui cum.) *Non fuit ea curioſitas Ciceronis, quæ eſt noſtræ ætatis, ut in citandis alienis dictis & exemplis nominatim omnia exprimeret, & apices etiam literarum demonſtraret. Aſcribitur autẽ hæc hiſtoria ab alijs, Thracibus Bœotios oppugnantibus: ab alijs, Cleomeni Lacedæmonio, bellum gerenti cum Argiuis. Non conuenit etiam de numero dierum. Cum autem huiuſmodi in rebus Grammatici acerbè inter ſe digladiari ſoleant, atque eruditionem & diligentiã ſuam oſtentare: rectius ſentire uidentur ij, qui ſcopo autoris contenti, minuta iſta atq; inutilia negligũt. Scopus autem Ciceronis eſt, exemplum calumniæ afferre, quæ ſumpta eſt ex ἀμφιβολίᾳ. Nam qui petierãt inducias, intellexerant utiq; diem ciuilem, qui (Cenſorino autore) fit uno cœli circumactu, hoc eſt uiginti quatuor horarum ſpacio, & lucem ac tenebras* Scopo autoris conſiderato, inutiles controuerſias eſſe negligendas.

complectitur. Qui autem dederant inducias, inſidioſe utique, ut eos quos oppugnabant, ſecuros atq; incautos opprimerent, perfidiam ſuam ſophiſmate fucare conati ſunt: quaſi de eo tantum ſpacio locuti, quo ſol ſupra horizontem uerſaretur. Ad huiuſmodi ſophiſmata & συκοφαντίας cauendas, utilia præcepta traduntur ab Ariſtotele ἐν τοῖς σοφιστικοῖς ἐλέγχοις, quibus utendū eſt cōtra callidos & inſidioſos homines, ne ab ijs circūueniamur: non aūt ad ſimplices & incautos oppugnãdos. Transferatur enim & huc Phocylidis uerſus,

τὸ ξίφος ἀμφιβάλλου μὴ πρὸς φόνον, ἀλλ' ἐς ἄμυναν:

Vindictæ gladius, non cædis adeſto miniſter.

Nec propter patriam uiolanda iuſticia.

Q. Fabium Labeonem.) *Huic non diſsimile commentum aſcribit Valerius Maximus lib. 7. cap. 3. de nauibus Antiochi diuiſis.*

Decipere hoc quidem.) *Nam ſi iuſti hominis, & boni uiri officio fungi uoluiſſet, id quod in medio relictū erat, ex æquo inter Neapolitanos & Nolanos diuidere debuit. Notetur hic, ne propter patriam quidem, Iuſticiam eſſe uiolandam: id quod & in fine huius libri, itemq; in tertio apertè ſcribit.*

Quocirca in omni re.) *E` duobus his exemplis ſatis intelligitur, quicquid* πλεονεκτικῶς, *& auarè, atq; in fraudem alterius fit, eſſe fugiendum.*

Solertia noſtri ſeculi Ciceronianam ſimplicitatē deridet.

Fugienda eſt talis ſolertia.) *Fugienda, inquis Cicero. Qua igitur re differet homo politicus, & (ut nunc loquimur) aulicus, à ruſtico, & imperito rerum? O` te nunquam ſapientem: & aliquando tamen, id quod non eras, fruſtrà exiſtimatū. Quantum te, popule Romane, de Arpinate iſto Romulo ſefellit opinio? O` tuam calamitoſam, ac præcipitem ſenectutem. O` turpem exactæ dementiq; ætate caniciem.* Βεκκεσέληνα *iſta ſunt, & anilium deliramentorum ſimilia. Sic olim Prophetæ docuerunt, ſic Græculi ſophiſtæ, ſic iuſſu Chriſti piſcatores Apoſtoli: ſic adhuc neſcio qui homines parum ſani cerebri in ſcholis & ſacellis garriunt. Quæ ſi præſtanda fuerint, quis ulla uoluptate fruetur? Quis animi ſui libidinem explebit? Quis ſuis, ſuorumq; cōmodis conſulet? Quis opes, honores, gloriam conſequetur? Aliam uitam hæc ætas, alios mores hæc tempora poſtulant. Ad reſtim nobis res iſto pacto redierit: nulla re uulgo præſtabimus: æquo & pari iure cum cæteris uiuendum erit nobis: quod fuerit morte acerbius, & ſupplicijs inferorum, qui aut nulli ſunt, aut nihil ad nos attinent.*

Eſſe aliquos Manes, & ſubterranea regna,
Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur.

Quid enim Deus iſta curet? Dominatur ille in cœlis, terrā autem dedit filijs hominum. Inter quos excellunt ij, uelut inter ignes Luna minores, qui quouis modo diuitijs aucti, ad altiorem dignitatis gradum aſcenderunt. Hos iſti ipſi qui reprehendunt, adorare coguntur: fame perituri, niſi micas, quæ de illorū menſis cadunt, colligerent. Hæc, Auditores, noſtri ſeculi ſapientia eſt: ſic, ut non loquantur (etſi id quoque nonnulli faciunt) ita ſentire tamen eos, facta ipſa declarant. Iſtos ſuo quiſq; periculo imitabitur: etſi difficile eſt, tanto ſplendore fortunæ, & tam acerbis σαρκασμοῖς *non commoueri. Verùm*

Suo quiſque periculo ſplēdore impiorum faſcinabitur.

exitus

exitus acta probabit. Fortuna nimium quos fouet, ſtultos facit. Excuſſerunt iſtis ſcilicet occupationes huius uitæ, & Dei & ſuæ naturæ cognitionem: & (ut Liuius ait) diuitiæ auariciam, & abundantes uoluptates, deſiderium per luxum atq; libidine pereundi perdendiq; omnia inuexere. Noſtri igitur officÿ fuit, maturè nos præmonere, ut ſi quando in tales diſputationes incideritis, ne quid animo ſit nouum. Sed nos ad præcepta Ciceronis, iſtam Deo & naturæ contrariam ſapientiam execrati, redeamus: quæ qui ridet & contemnit is & amentiam ſuam, & conſceleratum animum prodit.

Vecordes & ſcelerati ſana præcepta rident.

CICERO.

Sunt autem quædam officia etiam aduerſus eos ſeruanda, à quibus iniuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus. Atque haud ſcio an ſatis ſit, eum qui laceſſierit, iniuriæ ſuæ pœnitere: ut & ipſe ne quid tale poſthac committat, & cæteri ſint ad iniuríam tardiores.

Sunt autem quædam officia.) *Sequitur declaratio dicti illius: Primū iuſticiæ munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria. Quatenus enim eam ulciſci liceat, & quomodo, hic declarat.*

Vlciſcendi modus.

Et puniendi modus.) *Affectus modum ſeruare nequeunt: ſed* ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶσιν, *ut prouerbio dicitur. Recta autem ratio iracundiā contra uictos, & cupiditatem alienarū opum moderatur, contrà quàm apud Xenophontem ſcribitur,* ὅτι τὰ τῶν ἡττωμένων τῶν κρατούντων γίγνεται: *id eſt, Eorum qui uicti ſunt opes, uictoris eſſe. Atq; hæc moderatio in priuatis perſonis ac negocÿs, à ſententia magiſtratuum & iudicum pendere debet, quorum eſt conſtituere* ὅ, τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτίσαι τὸν ἀδικήσαντα: *id eſt, quid uel corpore luendum, uel ære ſoluendum ſit, ut habebat Attica iudicÿ formula.*

Iniuriæ ſuæ pœnitere.) *Id ultrò facit bonus animus, qui per errorem, aut repentinum aliquem motum, iniuriam alicui fecit. Improbos uerò iniuriæ nunquam pœnitebit, niſi pœnis affecti fuerint. idq; innuere uidetur Cicero, cum ait:* ut ipſe ne quid tale poſthac committat, &c. *Huc pertinet illud Iphicratis de Lacedæmonÿs, qui negauit ſe crediturum eis prius, quàm fallere atq; iniuriam inferre non poſſent. Nam de eorum uoluntate non ſe dubitare. Sed propter adoleſcentes Græcæ linguæ ſtudioſos, ex oratione Demoſthenis* κατ᾽ ἀριστοκράτους *locum integrum aſſcribere libet:* Ἰφικράτην ἐφιάλτου φασίν, ἐξαπατώντων τι τῶν λακεδαιμονίων, καὶ προτεινόντων πίστιν ἥντινα βούλεται λαμβάνειν, εἰπεῖν, ὅτι πίστιν ἂν οἴεται γενέσθαι μόνην, εἰ δείξαιεν, ὅπως ἂν ἀδικεῖν βούλωνται, μὴ δυνήσονται. ἐπεί, ὅτι γε βουλήσονται, εὖ εἰδέναι. ἕως ἂν οὖν δύνωνται, πίστιν οὐκ εἶναι.

Pœnarũ cauſæ.

Et cæteri ſint ad, &c.) *Duæ precipuæ pœnarum & ſuppliciorum cauſæ ſunt: una, ut Iuſticiæ ſatisfiat: altera, publicum exemplum, quo ſ. alij cautiores fiant. quanto magis is, cuius res agitur, ſi pœna non fuerit capitalis? Facinoroſi autem publicis ſpectaculis in cruciatum aguntur, adoleſcentiæ potiſsimum cauſa, quæ illis tragœdijs magis commouetur, quàm philoſophicis præceptionibus. Sunt autem monendi adoleſcentes, barbaricæ immanitatis eſſe, huiuſmodi ſpectaculis delectari: prudentiæ uerò, excitari ad inuocandum Deum, ne & ipſi uel diaboli inſidijs, uel humana imbecillitate in talia facinora ruant, & ſimiles pœnas luant. Illud etiam pietatis eſt, intercedere apud Deum pro ſalute eorum qui ſupplicio afficiendi ſunt. A. Gellius lib 6. Cap. 14. tres pœnarum cauſas facit. unam, νουθεσίαν, κόλασιν ἢ παραίνεσιν, quæ uidetur adoleſcentiæ eſſe propria, etſi ad alios quoq; pertinere poteſt: cũ pœna adhibetur, caſtigandi atq; emendandi gratia, ut is qui fortuitò deliquit, attentior fiat, correctiorq́;. alteram, τιμωρίαν, qua læſi honor aſſeratur. tertiam, exemplum publicum, παράδειγμα. Quem locum qui uolet inſpiciat.*

CICERO.

Atq; in Repub. maximè conſeruanda ſunt iura belli.

Atq; in Repub. maximè.) *Modum in priuatis iniurijs, atq; inter priuatos, ultionis eſſe oportere, expoſuit. Eundem etiam in publica uindicta, cum populus populum ulciſcitur, ſeruandum præcipit.*

CICERO.

Nam cum ſint duo genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per uim: cumq; illud propriũ ſit hominis, hoc beluarum: confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore.

Ipſi calamitates noſtras augemus, nobis æquo plus tribuendo, alijs adimendo.

Nam cum.) *In mentẽ uenit hoc loco grauiſsimæ Iſocratis querelæ: πολλῶν, inquit, κακῶν τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων ὑπαρχόντων, αὐτοὶ πλείω τῶν ἀναγκαίων προσεξευρήκαμεν, πολέμους καὶ στάσεις ἡμῖν αὐτοῖς ἐμποιήσαντες. id eſt: Cum natura hominum per ſe multis malis obnoxia ſit, nos ipſi plura etiam neceſſarijs excogitauimus, bellis & ſeditionibus inter nos excitatis. Quo quæ maior inſania eſſe poſsit, cum tot αὐτομάτοις κακοῖς πλείω τὰ αὐθαίρετα cõiungere? Sapientum igitur principum fuerit, mala hæc aut cauere, ſi liceat: aut pro uirili minuere, & mitigare. Sed, ut ueriſsimè ſcripſit Sadoletus:* IRA DEI, ET PECCATA NOSTRA, NOBIS OBSTANT.

Duo genera decertandi.) *Id eſt, finiendi controuerſias, utrunque pro uirili cauẽdum, ne morbo ſit atrocius remedium. Sed hac de re alibi commodior erit dicendi locus.*

Per diſceptationem.) *Hæc conſtat accuſatione & defenſione, ſiue intentione & depulſione, & ſententia iudicis uel arbitri. Accedunt etiam teſtes, patroni, & aduocati plerunq;.*

Alterum per uim.) *cum ad manus & ad arma uenitur: quo genere*

χειροδίκαι

χειροδίκαι delectantur. idq́; noſtrates etiam Centauri probant: Ius pugnorũ, inquiunt, præclarum ius eſt.

Cumq́ illud proprium ſit hominis.) *Scilicet τὸ διαλυθῆναι διὰ λόγων, καὶ τὸ μὴ ἐπιτρέπειν τὴν κρίσιν τοῖς ὅπλοις, ut Græci loquuntur.*

Hoc beluarum.) *Huc pertinent Phocylidis uerſiculi, de ratione, & oratione: quibus cum homo cæteris animalibus ſit ſuperior, ijſdem Natura hominem armis in ſe tuendo uti uoluerit. etſi is ſæpenumero ſeſe cũm alijs flagitijs, tum ſæuitia beſtijs deteriorem præbet.*

Confugiendum eſt ad poſterius.) *Primum præceptum, Bellum ſine ſumma neceſſitate non ſuſcipiatur.*

CICERO.

Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt ob eam cauſam, ut ſine iniuria in pace uiuatur. Parta autem uictoria, conſeruandi ſunt hi qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt. ut maiores noſtri Tuſculanos, Æquos, Volſcos, Sabinos, Hernicos in ciuitatem etiam acceperunt: at Carthaginem & Numantiam funditùs ſuſtulerunt. Nollem Corinthum. Sed credo illos ſecutos opportunitatem, loci maximè: ne poſſet aliquando ad bellum faciendum locus ipſe adhortari.

Vt ſine iniuria.) *Cauſa finalis belli, unde intelligitur quàm propenſi ad pacem omnes eſſe debeant, magiſtratus in primis, quem ſua moderatione atq; prudentia populi temeritatem reprimere decet, atq; ſæpe opus eſt. Sed hic finis à paucis conſideratur, uel prauæ naturæ quodam impetu, uel cupiditate ocij & licentiæ, uel ex ambitione & auaricia in bella ruentibus. Nam ultio quidem iniuriarum neceſſaria magis, & iucũda eſſe uidetur, quàm probata Deo, & hominibus utilis. Qua de re uide Querelam pacis eloquentiſſimi uiri D. Eraſmi Roterodami.*

In pace.) *Finis belli pax eſt: pacis autem, honeſta diſciplina, & Dei cultus, non uoluptas & licentia. Quas Deus, ſi modum exceſſerint, bellis, fame, peſte, maximarum urbium & regnorum florentiſſimorum interitu coercere ſolet.*

Conſeruandi ſunt hi.) *Alterum præceptum: Non ſæuiendũ in uictos, præſertim non immanes, &c. Plenum humanitatis id quidem, cum pleriq; regum & magiſtratuum ſuorum iuſſu, non ſuapte uoluntate arma contrà ferant. Sed quid fit? Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui. & ideo fortaſſe delirant Reges, ut Achiui plectantur. Tyranni enim & pueri & hypocritæ Reges, ſunt flagella Dei. Galli Roma deleta, cum de pacis conditionibus ageretur, ſuperbè quædam atq; auarè agentes, eorum qui uicti eſſent, dixerunt eſſe plorare: τῶν νικηθέντων εἶναι, τὸ κλαίειν καὶ οἰμώζειν. & Xenophon,* Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

ὅτι τὰ τῶν ἡττωμένων, τῶν κρατούντων γίνεται: *Eorum qui uicti ſunt bona, eorum fieri qui uicerint. hæc auara non minus, quàm illa crudelis ſententia, iniqua utraq; & inhumana. Itaq; nō abs re Euripidis Iolaus,* τοῖς σοφοῖς εὐκτὸν, σοφῶν ἔχθραν συνάπτειν, μὴ μαθεῖ φρονήματι. πολλῆς γὰρ αἰδοῦς καὶ τύχης τις ἂν τύχῃ. *Sapientibus, inquit, optabile eſt ſapientis ſuſcipere inimicitias, non ferocis ſtulti. Magna enim ſpes clemētiæ & æquitatis eſt. Cogitat is enim rerū humanarū uiciſsitudinem,* καὶ τὸν ἀλλοπρόσαλλον ἄρην: *& ſe quoq; hominem eſſe meminit, qui & uinci & in uictoris poteſtatem uenire poſsit, & lege talionis male crudeliterq́; tractari. Quod ſi timendum non eſſet, cum ſit maximè timendum: ipſius tamen Naturæ iudicio, moderatio & clementia acerbitati & ſæuitiæ præſtat, nec conſcientiæ tantùm, ſed etiam famæ utilior.*

Vt maiores noſtri.) *Exempla clementiæ ſubijcit. Quanquam (ſi quis uerè iudicet) non tam humanitate populi Romani id factum, quàm amplificandæ urbis gratia: cuius incrementa, cum hi finitimi Romæ populi periculoſa ſibi fore iudicarent, fruſtrà, fatis aduerſantibus, prohibere ſunt conati. Bella igitur illa à metu uicinæ potentiæ orta fuerunt. De populis autem in urbem acceptis Ciceroni credamus: cui ſuæ urbis hiſtorias, quàm nobis alienigenis poſt tot ſecula, notiores fuiſſe probabile eſt. Qui ut uel memoria, uel* ἀνιστορησίᾳ *lapſus fuerit (quorum ut ego neutrum dico, ſic alios utrumq; ſuſpicari non prohibeo) tamen id noſtra nihil intereſt.*

Carthago. At Carthaginem.) *Quam Liuius æmulā Romani imperij appellat. idq́; maximè factum eſt autoritate Catonis Cenſorij, paci & ſecuritati patriæ conſulentis potius, quàm diſciplinæ et moribus: quorum Scipio Naſica rationem habendam cenſebat, incolumi Carthagine. Sed uiſus eſt Cato uariam belli fortunam,* καὶ τὸν ἀλλοπρόσαλλον ἄρην *pertimeſcere, ex nimio rerum futurarū metu: haud ſcio an non oblitus iuſticiæ, cum non apertè rebellaſſent Carthaginenſes.*

Numantia. Et Numantiam.) *Quæ tandem, ut & Carthago, à Scipione Aemiliano annis tredecim, non ſine cladibus & dedecore Romanorum exciſa eſt. Sūt hæc exempla & clementis & atrocis ultionis, pro conditione hoſtium: etſi quis eos crudeles in bello atque immanes eſſe dicat, qui libertatem ſuam eadem pertinacia defendunt, qua homines auari & impotentes eandem impugnant?*

Corinthus. Nollem Corinthum.) *Scilicet exciſam eſſe, propterea tantùm quòd populi Romani legati minus honorificè appellati fuerant, ut ait alibi. Alij lotio fuiſſe perfuſos tradunt. Leuioris igitur offenſæ minor etiam pœna eſſe debuit. Laudanda eſt Ciceronis ingenuitas, qui ne patriæ quidem chariſsimæ delicta diſsimulet, & tamen utrunq; excuſare ſtudeat.*

Secutos opportunitatem loci.) *Significat excidij huius cauſam fuiſſe, metum rebellionis Achæorum. Corinthum Horatius appellat bimarem, id eſt* διθάλασσον, *in Iſthmo ſitam: qui hinc Ionio, inde Aegæo mari alluitur. Fuit igitur locus opportuniſsimus & ad negociationem (unde opes, nerui*

nerui bellorum, multum augentur) & ad claſſes aliò atque aliò dimittendas.

CICERO.

Mea quidem ſententia, paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum.

Mea quidem ſententia.) *Quæ quidem plena humanitatis eſt, & Chriſtianis diligenter cogitanda, quibus Chriſtus pacem ſuam reliquit, & nihil æquè ac mutuam charitatem curæ eſſe uoluit.*

Quæ nihil habitura ſit inſidiarum.) *Inſidioſa pax eſt, quæ ea de cauſa fit, ut acceptis detrimentis reſarctis, & opibus auctis, bellum renouetur. Id quod adeò frequens & fuit, & eſt, ut Plato contendat, inane pacis eſſe nomen in terris,* καὶ πόλεμον ἀκήρυκτον εἶναι ἀεὶ πᾶσι πρὸς πάντας. *Bellum & occultum, & inexpiabile ſemper eſſe omnibus aduerſus omnes. Quod quis miretur, niſi is qui ſecum ipſe nunquam bellum geſſit? id eſt, homo ſocors atque iners qui nihil penſi habet: aut tyrannus fortunatus, cui pro ratione eſt uoluntas? Et Iſocrates:* νῦν δ᾽ οὐ διαλυόμεθα, ἀλλ᾽ ἀναβαλλόμεθα τοὺς πολέμους, καιρὸν ἀναμένοντες καθ᾽ ὃν ἀνήκεστόν τι διαθώμεθ᾽ ἀλλήλους. *Nunc, inquit, bella non componimus: ſed in id tēpus differimus, dū alios alij extremis cladibus afficiamus.* Pax inſidioſa.

Eſt conſulendum.) *Id eſt, conſilia ad pacem faciendam referenda ſunt.*

CICERO.

In quo ſi mihi obtemperatum eſſet: ſi non optimam, at aliquam Rempublicam, quæ nunc nulla eſt, haberemus.

In quo ſi mihi obtemperatum eſſet.) *Scilicet à Pompeio & Cæſare. Se præceptum ſuum ſecutum eſſe, et belli ſtudium Reipub. interitum attuliſſe, oſtendit. Verba Plutarchi de Cicerone hæc ſunt:* ἰδίᾳ συνεβούλευε. πολλὰ μὲν Καίσαρι γράφων, πολλὰ δὲ αὐτοῦ Πομπηΐου δεόμενος, πραΰνων ἑκάτερον καὶ παραμυθούμενος. *Priuatim (inquit) utriq; pacis autor fuit, crebrò ad Cæſarē ſcribendo, Pompeium crebrò rogando, & utrunque mitigando, & placando. Loca huc pertinentia, plurima paſſim ſunt in Ciceronis Epiſtolis, eaque non ignota.* Cicero pacis ſequeſter.

Si non optimam.) *Nam oligarchiæ quandam ſpeciem Cæſar & Pompeius reconciliati inſtituiſſent, imminuta nonnihil Senatus autoritate.*

Quæ nunc nulla eſt.) *Quomodo nulla? urbe incolumi, & non modò non diminuto, ſed amplificato etiam imperio? aut certè armis & autoritate Cæſaris cōſtabilito. Iſocrates huic quæſtioni reſpondet:* πᾶσα πολιτεία ψυχὴ ἐστι τῆς πόλεως. *Hinc Seruius Sulpitius, urbium cadauera appellat eas ciuitates, quæ cum quondam lumina Græciæ fuiſſent, tum alieno dominatu premerentur. Etſi non nego, Syllana tempeſtate nonnullas, etiam ſi non planè euerſas, tamen non omnino incolumes fuiſſe, propugnaculis & munitionibus fortaſſe dirutis, & partibus quibuſdam uel incenſis, uel alioqui ruinoſis & uaſtis.*

CICE-

CICERO.

Et cùm ijs, quos ui deuiceris, conſulendũ eſt: tum ij qui armis poſitis ad imperatorum fidem confugiunt, (quamuis murum acies percuſſerit) recipiendi ſunt.

Et cum ijs quos ui.) *Tertium præceptum, deditícios eſſe recipiendos, etiamſi hoſtile aliquid iam interceſſerit, atq; ad arma uentum fuerit.*

Quamuis murum aries percuſſerit.) *De re militari ueterum, conſulatur Vegetius, & alij. Noſtro more diceretur: Quamuis equi ad mœnia incitati, & cœpta oppugnatione tormenta in muros emiſſa fuerint. Ob man ſchon die ſtatt berrennet, das geſchitz abgeen laſſen, unnd ain ſturm angeloffen hett.*

CICERO.

In quo tantopere apud noſtros iuſticia culta eſt, ut ij qui ciuitates aut nationes deuictas bello, in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent more maiorum.

In quo tantopere.) *Subijcit exemplum Romanum, efficaciſſimum apud ſuos, quos à crudelitate deterrere ſtudet.*

Earum patroni eſſent.) *Id eſt, eos in Senatu defenderent, & adiutarẽt. Sic ex malo principio ſæpe magna conſlatur familiaritas. Et quidem ſeditioſis populis, longè magis expedit clementi domino, aut inhumano etiam parêre, quàm libertate ad licentiam abuti.*

CICERO.

Ac belli quidẽ æquitas ſanctiſsimè fœciali populi Romani iure perſcripta eſt.

Ac belli quidem æquitas.) *Longiorem diſputationem præcidit, & aliunde petendam eſſe monet. Quæ autem fuerit faciendi fœderis, & indicendi belli ratio (& hoc quartum præceptum eſſe poteſt) è primo libro Liuij, & alijs eſt cognoſcendum. Nam ius Fœciale (quod ego quidem ſciam) hoc tempore non extat.*

CICERO.

Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur: aut denunciatum antè ſit, & indictum.

Niſi quod aut rebus repetitis.) *Pro aut, aut: rectius legi uideretur, &, &: niſi codices refragarentur. nam & repetitio rerũ, & indictio belli ſimul requiri uidentur. Poteſt tamẽ* Repetitis rebus *ad ea bella referri, in quibus aliquid ui ereptum eſt, quod reſtitui poteſt.* Denunciatum *uerò, ad ea bella pertinere, in quibus nobis aut noſtris aliqua contumelia uel iniuria facta ſit, quamuis nihil ſit ablatum. cuiuſmodi eſt, uiolatio legatorum, cædes, coniunctio cum*

ſtio cum hoſtibus, &c. Apud Liuium, Sabini, qui non prius oſtenderunt quàm intulerunt bellum Romanis, uiolaſſe hanc legem uideri queant, niſi perfidia Romanorum, qui per ſpectaculi cauſam filias eorum rapuerant, excuſarentur.

CICERO.

Pompilius imperator tenebat prouinciam: in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem Pompilio uideretur, unam dimittere legionem: Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimiſit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet: Cato ad Pompilium ſcripſit, ut, ſi eum pateretur in exercitu remanere, ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento. Quia priore amiſſo, iurè pugnare cum hoſte nō poterat. Adeò ſumma erat obſeruatio in bello mouendo.

Pompilius imperator.) *Subijcit exemplum religionis maiorum in bello mouendo, quæ quidem maior fuit, quàm noſtræ ætatis Chriſtianorum: eorum præſertim, in quos illud Lucani conuenit,*

Nulla fides pietasq; uiris qui caſtra ſequuntur,
Venalesq; manus: ibi fas, ubi maxima merces.

Quia priore amiſſo.) *Obſeruetur ſubitò mutata forma orationis, ἀπὸ τοῦ διηγηματικοῦ εἰς τὸ αὐτοπρόσωπον. Malim legere, non poſſet, ſi quem codicem ſuffragatorem haberē. Eſt &, Adeò ſumma obſeruatio: non minus quàm illud, In tam optima cauſa, animaduertendum.*

CICERO.

M. quidem Catonis ſenis eſt epiſtola ad M. filium, in qua ſcripſit, ſe audiſſe eum miſſum factum eſſe à Conſule, cum in Macedonia, bello Perſico miles eſſet. Monet igitur, ut caueat, ne prælium ineat. Negat enim ius eſſe, qui miles non ſit, cum hoſte pugnare.

Bello Perſico.) *Fortaſſe Perſæo legendum. Illud certè bellum intelligitur, non quod cum Perſis Orientalibus populis: ſed quod cum Perſeo Philippi filio, ultimo rege Macedonum, Romani geſſerunt.*

CICERO.

Equidem illud etiam animaduerto, quòd qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis uocaretur, lenitate uerbi triſticiam rei mitigante. Hoſtis enim apud maiores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. In-

dicant XII Tabulæ: AVT STATVS DIES CVM HOSTE. Itemq́ꝫ, ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVTORITAS. Quid ad hanc manſuetudínem addí poteſt, cum quo cum bellum geras, tam molli nomine appellare? Quanquam id nomen durius effecit iam uetuſtas. A' peregrino enim receſsit, & propriè in eo qui contrà ferret arma, remanſit.

Equidem illud etiam.) *Romanos in gerendis bellis non tantum iuſtos, ſed etiam clementes fuiſſe, antiqui uocabuli etymologia oſtendere conatur: ſatis frigidè, ſi dicere fas eſt. Quid enim mea refert, quo nomine appeller, ſi uita mea petatur? Rectius Græcum epigramma:* εἴ με φιλεῖς (*inquit*) ἔργῳ με φίλει, καὶ μή μ' ἀδίκει σύ.

Diligis? officijs me dilige: lædere noli.

Nam quod Ariſtoteles ait, ὅτι τὰ ἐν τῇ φωνῇ ἐστι τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, *id eſt, uerbis affectiones animi declarari: inter ſinceros animos ualet. Inſidiatorum & hoſtium eſt alia ratio.*

Indicant duodecim Tabulæ.) *Hæc duo lemmata, ad oſtendendam ſignificationem ueterem uocabuli Hoſtis pertinent. De ipſis uerò intelligendis (neq; enim id huius loci eſt) nō puto nobis eſſe laborandū, cum truncata ſint, & imperfecta membra: & Cicero ſe id genus orationis intelligere, ſiue ſeriò ſiue ioco neget. Curioſi tamen, Aymari Riuallij hiſtoriam Iuris ciuilis, ſiue explicationem legum duodecim Tabularum, quas è libris Ciceronis de Legibus maxima ex parte collegit, conſulant licet.*

CICERO.

Cum uerò de imperio decertatur, belloq́ꝫ quæritur gloria: omnino ſubeſſe tamen cauſas oportet eaſdem, quas dixi paulò antè iuſtas cauſas eſſe bellorū. Sed ea bella quib. imperij gloria propoſita eſt, minus acerbè gerenda ſunt.

Cum uerò de imperio decertatur.) *Duas cauſas bellorū, duoq́; genera facit: unum, quod pro aris & focis geritur: alterum, quod propter fines propagandos, & imperij cupiditatem. Hæc duo genera attingit Demoſthenes in Olynthiacis, in hanc ſententiā:* ἴσασι γὰρ ὅτι νυνὶ οὐχ ὑπὲρ δόξης, οὐδὲ μέρους χώρας πολεμοῦσιν, ἀλλ' ὑπὲρ ἀναστάσεως καὶ ἀνδραποδισμοῦ τῆς πατρίδος.

Cauſas omnino ſubeſſe.) *Cauſas uerò recenſuit, Vt ſine iniuria in pace uiuatur, ut res repetantur: id eſt, ut ſatisfiat pro illata iniuria, deniq; ut indicatur bellum prius quàm inferatur,* ὅπερ τοῦ τρόπου μᾶλλον ἢ τῆς αἰτίας ἐστίν. *etſi modus ad formam referri poteſt, quæ inter cauſas & ipſa numeratur.*

Nulla belli ambitioſi gloria. Quibus imperij gloria.) *Gloria hæc apud Deum ignominia & ſcelus eſt. Neq; ſanè uideo, quomodo ab iniuſticia immunes ſint, qui uel audacia, uel*

ambitione

ambitione impulſi, imbecilliores opprimere conãtur, ſiue ui, ſiue dolo, ſiue publicè, ſiue priuatim. Sed tamen uidetur Cicero non id uelle, ut propter ambitionem ſuſcipiatur bellum, ſed ut illatum ab alijs propulſetur. Quod quàm religioſe obſeruatum ſit, non diſputo: quæſiſſe certè quidẽ Romanos cauſas ſubigendi orbis terrarum, probabiles magis quàm neceſſarias, conſtare arbitror.

Minus acerbè gerenda ſunt.) *Quintum præceptum. Minus autẽ acerbè geruntur bella, cum hoſtes, quamuis liceret, non delentur: non excindũtur urbes, ſed aut tributũ imponitur, aut captiuis ſeruitus tolerabilis proponitur.* Bella minus acerba.

CICERO.

Vt enim cum ciue cõtendimus aliter ſi eſt inimicus, aliter ſi competitor: cum altero certamen honoris & dignitatis eſt, cum altero capitis & famæ: Sic cum Celtiberis, cum Cimbris, bellum ut cum inimicis gerebatur, uter eſſet, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho, de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal, reliqui iuſtiores. Pyrrhi quidem de captiuis reddendis illa præclara:

Nec mi aurum poſco, nec mi precium dederitis:
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes:
Ferro, non auro uitam cernamus utriq;.
Vos ne uelit, an me, regnare Hera, quid'ue ferat ſors,
Virtute experiamur. & hoc ſimul accipe dictum:
Quorum uirtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem me libertati parcere certum eſt.
Dono ducite: doq; uolentibũ cum magnis Dijs.

Regalis ſanè, & digna Aeacidarum genere ſententia.

Cum ciuiliter.) *Rectiſſimè legi uidetur, Cũ ciue aliter. Alioqui particula Cum, ſuperuacanea hoc loco fuerit.*

Si eſt inimicus, aliter.) *Similitudine declarat, quæ in bello ſeruanda ſit moderatio.*

Si eſt inimicus.) *Cuiuſmodi fuerunt Clodius & Milo. Neq; uerò hæc ad priuatam uim tantum referenda ſunt, ſed etiam ad accuſationes publicas: cuiuſmodi fuerunt crimen læſæ maieſtatis, crimen repetundarũ, & id genus alia. Nam huiuſmodi facinora, apud Romanos & Athenienſes cuiuis accuſandi poteſtas fuit. Huc referantur uerba Iſocratis: ἐξεῖναι τοῖς ἐχθροῖς ἐπιθεῖναι τὰς ἀλλήλων ἁμαρτίας. Spectãrunt illi ſcilicet illud, ut licentia & priuatorũ ciuium & magiſtratuũ coherceretur: quod utiliſſimũ certè fuit. Sed, ut fit, hanc accuſandi ſontes poteſtatẽ, etiam inſontes calumniandi licentia eſt cõſecuta.* Publicæ accuſationes.

Competitoris & inimici paruum diſcrimen.

Aliter ſi competitor.) *Ex hac ambitione apud Romanos, honoris & gloriolæ appetentiſſimos, & crimẽ ambitus, & odia non parua naſcebantur, ut paruum eſſet competitoris & inimici diſcrimen.*

Pyrrhi quidem de captiuis.) *Exemplum belli clementer geſti. Libro autem huius Operis tertio, quam regi gratiam Fabricius retulerit, narratur: ut & hic paulò pòſt.*

CICERO.

Atq; etiam ſi quid ſinguli, temporibus adducti, hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides cõſeruanda. ut primo Punico bello Regulus captus à Pœnis, cum de captiuis commutãdis Romam miſſus eſſet, iuraſſetq; ſe rediturum: primùm ut uenit, captiuos reddendos in Senatu nõ cenſuit. Deinde cum retineretur à propinquis & amicis, ad ſupplicium redire maluit, quàm fidem hoſti datam fallere. Secundo autem Punico bello, poſt Cannenſem pugnam, quos decem Hannibal Romam aſtrictos miſit iureiurando, ſe redituros eſſe, niſi de redimendis ijs qui capti erant, impetraſſent: eos omnes Cenſores, quoad quiſq; eorum uixit, qui peieraſſent, in ærarijs reliquerũt: nec minus illũ qui iuriſiurandi fraude culpam inuenerat. Cũ enim Hannibalis permiſſu exiſſet è caſtris, redijt paulo pòſt, quòd ſe oblitum neſcio quid diceret. Deinde egreſſus è caſtris, iureiurando ſe ſolutum putabat: & erat uerbis, re non erat. Semper autem in fide quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum.

Fides etiam hoſti ſeruanda.

Atq; etiam ſi quid.) *Sextum rei bellicæ præceptum: fidem hoſti ſeruandam eſſe. quod quatuor exemplis illuſtratur: duobus malæ fidei, inter duo bonæ fidei collocatis. Laudandus eſt & hic candor Ciceronis, qui ne ciuium quidem ſuorum perfidiam, auertendi exempli gratia, tacuerit. Videtur autem delicatus aliquis de induſtria mutilaſſe hũc locum (in nonnullis eum codicibus perfidiæ exempla prorſus omittuntur) ne ſcilicet Romani populi gloriæ labes aliqua aſpergeretur. Quaſi uerò ullus homo, aut ullus populus ſit, in cuius uita & moribus, non aliqua uitia præclaris uirtutibus iuncta reperiantur, longa præſertim ætate.*

οὐδεὶς ἀναμάρτητος.

Vt primo Punico bello.) *De hoc exemplo lib. 3 huius Operis copioſius diſputatur. Fuerunt etiam noſtra ætate, qui hoc Reguli factum certis de cauſis cauillarentur, ut ſuo loco dicemus.*

Ad ſupplicium redire.) *Seruata fides à nemine reprehenditur: ſed primùm*

mum παρακινδυνεία, deinde animi robur in ferenda acceptæ cladis ignominia, in dubium uocatur.

In ærarijs reliquerunt.) *Id eſt, ignominia notarunt, quod Græci ἀτιμῶσαι dicunt: ut ærarios, τοὺς ὀφείλοντας τῷ δημοσίῳ.*

Erat uerbis, re non erat.) *Sophiſma inane fuit hoc, & commentum ridiculum potius, quàm ingenioſum. Cicero huc quoq; accommodat controuerſiam Rhetorum ῥητοῦ καὶ διανοίας. Græci duplicem λόγον ſtatuunt: ἐνδιάθετον, quæ eſt cogitatio: & προφορικὸν, id eſt orationem. Seruit autem ὁ προφορικὸς λόγος τῷ ἐνδιαθέτῳ, eiusq́; eſt miniſter atq; interpres. Quòd ſi ab animo diſſentit oratio, ſtatim mendacij atq; adeò perfidiæ crimẽ incurrit, & ab inſtitutione diuina recedit, ciuilemq́; ſocietatem funditus euertit. Nos enim quid loquantur alij, audimus atq; intelligimus: quid ſentiãt, ſi aliud ac ſentiũt loquuntur, perſpicere non poſſumus. Quare cautè accipiendum eſt Iuriſconſultorum dictum,* Suorũ uerborũ *quenq; eſſe interpretem affirmantium.* (Oratio mentis interpres eſſe debet. λόγος ἐνδιάθετος, προφορικός.)

Ac incidere quidem poteſt fortuitò ſæpe uel ambigui, uel obſcuri aliquid: ſed id de induſtria fallendi cauſa affectare, nõ eſt boni uiri. Imò danda opera eſt diſertæ & perſpicuæ orationi, ne uel fortuitò, uel data opera quenquã in fraudem illiciamus. Vnde præceperunt Stoici, τὸν σοφὸν ἀψευδήμονα εἶναι δεῖν: & præclara uirtus eſt φιλαλήθεια, quam Latini, ut & ἀλήθειαν, propter inopiã ſermonis, ueritatem dicunt, aliquando etiam fortaſſe candorem. Meritò igitur reprehenditur dictum illud: Linguam *eſſe datam homini, non ut uera, ſed ut opportuna loquatur. Quod tamen ferri poteſt, cum non ut alijs noceamus, ſed ut ipſi ab iniuria tutiores ſimus, uiolentiæ aut fraudis metu, aliquid ſimulamus, aut diſsimulamus. Multo magis id facere licet, cũ aliter alios iuuare nõ poſſumus, uel propter ſtuporem, uel propter affectus illorũ uehementes: cuiuſmodi ſunt pueri, & pueris ſimiles homines ſimplices, pertinaces, & tyranni. Iam, quia multi ſunt bilingues, καὶ ἀγκυλομῆται, qui aliud lingua promptum, aliud pectore clauſum gerunt, & ut quidam monet,* (Perſpicuitati ſtudendũ.) (Simulatio & diſsimulatio cauendi, non fallendi cauſa.) (Fide, ſed uide cui?)

Rara fides hominum, quia multi multa loquuntur: &c.
Fiſtula dulce canit, uolucrẽm dum decipit auceps:.

Prudentiæ fuerit, & ex re de qua agitur, & ex perſona qua cum agitur, coniecturam capere, quanta ſit habenda fides orationi: & ſic habenda fides, ut memineris τὸ ἐπιχάρμειον, νᾶφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν: hoc eſt, Cicerone interprete, Neruos atq; artus eſſe ſapientiæ Nõ credere. Planco quidem autore, CREDVLITAS *error eſt magis quàm culpa: & quidẽ in optimi cuiuſq; mentẽ facilimè irrepit. Sed hunc errorẽ M. Lepidus cum interitu Reipublicæ caſtigauit. Ego quidem ſi omnes, quibus cum mihi res eſt, boni & conſtantes atq; prudentes uiri eſſent: fiderem omnibus, ut natura mea fert. Nunc in tanta leuitate & uæcordia plurimorum, quid agas? Idem' ne eſt, eſſe fatuum & bonum uirum? Et cum quiſq; ſe ipſe fallat ſæpius (Quis enim eſt, qui non multa ſibi promittat, quæ nunquam facit?) ab alio quid expectes?.*

Semper autem in fide.) *Homo callidus & perfidus aliud ſentit, aliud dicit. Is uerò qui cum agitur, te id ſentire credit, quod dicas, idq́; ſpectat, eaq́ue conditione tecum agit. Quare (τὸ quid ſenſeris) aut mendi ſuſpicione, aut ἀκυρολογίας, non uacat. Græcè τὸ νοούμενον καὶ τὸ λεγόμενον ad utranque contrahẽtium perſonam referri poteſt. Dixeris autẽ, & ſenſeris, pro, dictum & ſenſum ſit, duriuſculum uidetur. Sed hæc παρέργα.*

CICERO.

Maximum autem exemplum eſt iuſticiæ in hoſtem à maioribus noſtris conſtitutum. Cum à Pyrrho perfuga Senatui eſt pollicitus, ſe uenenum Regi daturum, & eum necaturum: Senatus & C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hoſtis quidem, & potentis, & bellum ultrò inferentis, cum ſcelere interitum approbauit.

Cum ſcelere interitum approbauit.) *Hic Romani honeſtatem, hoc eſt, τὸ σεμνὸν καὶ ἔνδοξον, non autem (ut opinor) τὸ φύσει καλὸν, utilitati antepoſuerunt: ut & Athenienſes, cum Themiſtoclis conſilium de incendenda clàm Lacedæmoniorum claſſe repudiarunt: quòd nihil eſſe utile dicerent, niſi idem eſſet honeſtum. Noſtræ autem ætati, Corœbi illud magis placet:*

— Dolus, an uirtus, quis in hoſte requirat?

CICERO.

Ac de bellicis quidem officijs ſatis dictum eſt. Meminerimus autem, etiam aduerſus infimos iuſticiam eſſe ſeruandam. Eſt autem infima conditio & fortuna ſeruorum. Quibus non malè præcipiunt, qui ita iubent uti ut mercenarijs: † operam exigendam, iuſta præbenda.

† *V. L. ad operam. &, iuſta.*

Præcepta politica priuatis hominibus & ad iudicium & ad eloquentiam prodeſſe.

Ac de bellicis quidem.) *Pertinent hæc ad Principes & Reſpublicas, non ad homines priuatos. Neq; enim omnia quæ de moribus præcipiuntur, omnibus ex æquo conueniunt, propter diuerſa uitæ genera: prodeſſe tamen omnibus poſſunt, tum ad iudicium, in quo non minimus rectæ inſtitutionis fructus cernitur: tum ad eloquentiæ exercitationẽ, in laudandis & uituperandis dictis & factis aliorum.*

Seruitutis ortus

Meminerimus autem.) *Seruitus non eſt iuris naturalis, ſed orta eſt ex bellis potiſſimùm, ac deinde propagata procreatione. Nam ut ex ingenuis ingenui, ita è ſeruis ſerui naſcebantur. Deinde ea fuit quarundam nationum atque hominũ barbaries, et adhuc eſt (ut audio) no modò apud Barbaros quoſdam, ſed etiam Septentrionales nominis Chriſtiani populos, ut ultrò liberos ſuos uenderent. Nonnulli etiam ſua ſponte libertatem ſeruitute commutarunt, uel ex inopia, uel propter ſponſionem aliquam: ut olim Germani pro-*

pter lu-

pter ludum aleæ, bonam in re mala (ut ait Tacitus) ſeruantes fidem. Vnde iocoſum illud luſorũ emanaſſe apud noſtros crediderim, cum deeſt pecunia: Experiamur uter alteri ſeruire debeat. Imò nunc etiam in Comitatu Oetingenſi, & paſſim alibi multa ſunt mancipia, quæ appellant Leibaigne leut, quibus ſedes mutare, & apud alios contrahere matrimonia non licet, niſi redempto corpore. Nonnulli etiam quotannis aut ſingulas gallinas, aut ſolidum pro illa ſoluunt, teſtimonium ſeruitutis. Vtcunq; ſit, rectè locus de ſeruis, diſputationi de re bellica ſubijcitur: ne crudelitas eorum probetur, qui ſeruos contumelioſius quàm ullum iumentum tractant, & ob leues cauſas uel ſupplicio capitis afficiunt. Id quod hodie apud Turcos frequentiſſimum eſt: & Romanis etiam olim licuiſſe, exemplum illius teſtatur, qui ſeruum ob confracta cryſtallina murænis obijci iuſſit. Sacrarum uerò literarum longè maior eſt humanitas, quæ iumentorum etiam quieti & ocio diebus feſtis conſuluerunt.

Mancipia Germanorũ.

Seruos tractandos eſſe ut homines.

Etiam iumẽtis parcendum.

Vt mercenarijs.) *Hos Græci θῆτας appellant, qui cum liberi ſint, tamen paupertate coacti certo precio, & ad certum tempus, operas ſuas alijs locant.*

Ad operam exigendam.) *Ideſt, ut iubeantur id munus obire, cui deſtinati ſunt. Quòd ſi quis non feciſſet: paratæ plagæ erant, habendæ compedes, molendum in piſtrino, in latomijs aut metallis laborandum. Hæc enim ſeruorum ſupplicia apud Comicos & Hiſtoricos commemorantur. Varia autem fuiſſe ſeruorum genera & opificia adeò ut ingenui olim uix quicquam operis grauioris facerent, nemini lectioni ueterum aſſueto eſt ignotum.*

Seruorum pœnæ.

Iuſta præbenda.) *Hoc eſt, uictum & amictum: item relaxationem laboris interdum, & curationem aduerſæ ualetudinis. Si qui autem propitijs aſtris, humanioribus uenditi dominis, ſeruiebant liberaliter: heri ſummum precium quod habebant, libertatem, illis perſoluebant, ut ait Comicus. Ita illi fiebant è ſeruis liberti, hi ex heris patroni.*

Victus. Amictus. Curatio. Libertas.

CICERO.

Cum autem duobus modis, id eſt, aut ui aut fraude, fiat iniuria: fraus quaſi uulpeculæ, uis leonis uidetur: utrunque ab homine alieniſsimum, ſed fraus odio digna maiore.

Cum autem duobus modis.) *Appendix diſputationis de Iuſticia & Iniuſticia, quam ſuprà etiam obiter attigit, his uerbis: Exiſtunt etiam iniuriæ ſæpè calumnia quadam, &c. pertinens ad deteſtationem calliditatis, ſophiſticæ, ſycophantiæ, ἐπιχειρήσεως & tyrannidis: quibus rebus tota humana uita his temporibus ita ſcatet, ut ueritati, candori, æquitati, nihil penè loci relinquatur: & qui ab his flagitijs immunes ſunt, uix inter homines numerẽtur, ad res certè gerendas planè inepti iudicẽtur. Queſtus olim eſt Iuuenalis, Probitatẽ laudari et algere: nũc eã algere uidemus: nec algere tãtum, ſed et pedibus con-*

Laudi calliditatis, opponenda ueritatis admiratio, præcepta diuinitus.

bus conculcari, laudari uerò minimè. Huic peruerſitati hominum opponatur non tantùm Philoſophia, ſed & Sacrarum literarum ſacroſancta autoritas, quæ ueritatem & ſimplicitatem præcipiunt, mendacium uerò & impoſturas omnes ac uiolentiam deteſtantur: atq; etiã, in tanto improborũ numero, animi æquitatem & patientiam flagitant. Plato egregio dicto prudentiã ſiue ſapientiam ab impoſturis diſtinguit: πᾶσα *(inquit)* ἐπιστήμη χωριζομένη δικαιοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, οὐ σοφία, ἀλλὰ πανουργία φαίνεται*: Omnis (inquit) ſcientia, ſi à iuſticia cæteriſq; uirtutibus ſegregetur, non ſapientia, ſed impoſtura atq; improbitas habeatur.*

Magnum improbitatis & ſapientiæ diſcrimen.

Tyrannos & ſycophantas degenerare in beſtias.

Fraus quaſi uulpeculæ.) *Putant ſycophantæ & tyranni (tyranni autem intelligendi ſunt ij omnes, qui imbecilliores ui opprimunt: ut ſycophantæ, qui ſimpliciores fraude circumueniunt) ſe quoſdam ſemideos eſſe, ac humanam conditionem, propter ingenij uim & potentiæ facultatem, ſuperare. Cicero uerò pronunciat, eos ad beluinam naturam degenerare, naturæq; ſuæ obliuiſci: atq; adeò laude non eſſe dignos, ut meritò ſummam reprehenſionem incurrant. Nam quæ uituperatio grauior eſſe poteſt, quàm ſi quem dicas degeneraſſe in beluam?*

Fraus quaſi uulpeculæ.) *Huc pertinet Lyſandri dictum,* ὅποι ἂν ἡ λεοντῆ μὴ ἐξικνεῖται, τὴν ἀλωπεκῆν χρὴ μεταλαμβάνειν*: Quò leonina pellis penetrare nequit, ibi eius loco uulpina eſt adhibenda. Neq; uerò quòd id faciendum eſſe cenſeam, aut probem: ſed quòd ita uulgò fieri ſoleat, dictum hoc citare uolui.*

CICERO.

Totius autem iniuſticiæ nulla capitalior eſt, quàm eorum, qui tum, cum maximè fallunt, id agunt, ut uiri boni eſſe uideantur.

Aſtutam rapido geritis ſub pectore uulpem.

Capitalior.) *Vel nocentior, ut quæ caput & uitam petat, facilimeq; euertat: uel, pœna capitis magis digna.*

Viri boni eſſe uideantur.) *Tales ſunt, ſophiſtæ in ſcholis, hypocritæ in templis, ſycophãtæ in foro & iudicijs, nebulones deniq; & ueteratores in omnibus contractibus & uitæ generibus. Sed calumnia religionis, ut quæ & in hac uita, & poſt hanc uitam nocere ſoleat, omnium peſtilentiſſima eſt habẽda, & ſummo ſtudio cauenda & fugienda.*

SECVNDI FONTIS OFFICIORVM, IVSTICIAE PRAECEPTA.

I.

Definitio Iuſticiæ: Iuſticia, in qua uirtutis ſplendor eſt maximus, ſocietatem hominum inter ipſos, & uitæ quaſi communitatem continet.

II.

Iuſticiæ coniuncta eſt Beneficentia: quàm eandem uel Benignitatem, uel Liberalitatem appel are l.cet.

III. *Iuſti-*

III.

Iuſticiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria. 1

ANNOTATIO.

Ex hac Appendice oriuntur iudicia, ſupplicia, bella, excidia, ſeruitutes.

Deinde, ut communibus utatur pro communibus, priuatis autem ut ſuis. 2

Poſtremò, Naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo: tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines ſocietatem. 3

ANNOTATIO.

Hinc oriuntur magiſtratus & uaria munera, ſtudia, artificia, operæ, labores. Nec enim quiſquam debet eſſe ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, id eſt Telluris inutile pondus.

IIII.

Fundamentum iuſticiæ eſt Fides: id eſt, dictorum conuentorumq́; conſtantia & ueritas.

ANNOTATIO.

Vt iuſticiæ uis ac natura rectius perſpiciatur, iniuſticiæ genera & cauſæ exponuntur.

V.

Iniuſticiæ duo ſunt genera: unum, eorum qui inferunt: alterum, eorum qui ab ijs quibus infertur (ſi poſſint) non propulſant iniuriam.

VI.

Cauſæ iniuriarum ſunt, uel metus, uel cupiditas, atque in primis auaricia & ambitio. Ad auariciam autē impellit uel neceſſitas, uel luxus, uel ambitio.

VII.

Rei familiaris amplificatio nemini nocens, non eſt uituperanda: ſed fugienda ſemper iniuria.

VIII.

Leuiora ſunt ea quæ repentino aliquo motu incidunt, quàm ea quæ meditata & præparata inferuntur.

IX.

Prætermittendæ defenſionis, deſerendiq́ue officij cauſæ ſunt: fuga incommodorum, negligentia & pigricia, occupatio ſtudiorum, & rei familiaris ſtudium, in nonnullis etiam μισανθρωπία.

X. Regula generalis de obſcuris caſibus.

Nihil agendum, quod dubites æquum'ne ſit, an iniquum. Aequitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio autem cogitationem ſignificat iniuriæ.

XI. περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος.

Aliquando nec reddendum depoſitum eſt, nec ſeruanda fides. Referenda enim ſunt præcepta omnia ad fundamenta iuſticiæ: primùm, ut ne cui noceatur: deinde, ut communi utilitati ſeruiatur.

XII. Declaratio appendicis, Niſi laceſſitus iniuria.

Haud ſcio an ſatis ſit, eum qui laceſſierit, iniuriæ ſuæ pœnitere: ut ipſe ne quid tale poſthac committat, & cæteri ſint ad iniuriam tardiores. 1

2 *In Repub. conſeruanda ſunt iura belli.*

3 *Suſcipienda quidem bella ſunt ob eam cauſam, ut ſine iniuria in pace uiuatur. Parta autem uictoria, conſeruandi ſunt ij, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt.*

4 *Paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum.*

5 *Ciuitates & nationes deuictæ bello, in fidem & clientelā ſunt recipiendæ.*

6 *Nullum bellum eſt iuſtum, niſi quod aut rebus repetitis geritur, aut denunciatum antè ſit, & indictum.*

7 *Bella quibus imperij gloria propoſita eſt, minus acerbè gerenda ſunt.*

8 *Etiam hoſti ſeruanda eſt fides.*

9 *Seruis ita utendū, ut mercenarijs: ad operā exigendam, & iuſta præbenda.*

10 *Cum aut ui aut fraude fiat iniuria, totius iniuſticiæ nulla capitalior eſt, quàm eorum qui tum cum maximè fallunt, id tamen agunt, ut uiri boni eſſe uideantur.*

CICERO.

De iuſticia ſatis dictum eſt. Deinceps (ut erat propoſitum) de beneficentia ac liberalitate dicatur. Qua quidē nihil eſt naturæ humanæ accōmodatius: ſed multas habet cautiones.

Liberalitas iuſticiæ comes.

De iuſticia ſatis dictum eſt.) *Tranſitio à iuſticia ad liberalitatem. Fecit enim unam quandam uirtutem tanquam genus, quæ ſiue communitas ſiue πολιτικὴ appelletur, & duas ſpecies complectatur: Iuſticiam, quæ publicæ priuatæq; tranquillitatis cauſa res & poſſeſſiones diſtinguat, priuatasq; faciat ac defendat: & Liberalitatem, quæ ea quæ priuata ſunt, & optimo iure teneri poſſunt, propenſa quadam iuuandi uoluntate iterum uelut in commune conſerat, & egentibus impertiat. Non ſolet autem Cicero anguſtijs definitionum, ſi non dubijs & incertis, obſcuris certè plerunque & intricatis, ſeſe uelut includere: ſed libera oratione copioſius & dilucidius ſingulas uirtutes deſcribere, è quibus deſcriptionibus non difficile ſit conſtituere definitiones, cuiuſmodi hoc loco eſſe queat: Liberalitas, benignitas, ſiue beneficentia, eſt uirtus, quæ de ſua re priuata iuuat dignos, ſine cuiuſquam iniuria. Sed quia (ut dixi) in tanta breuitate neceſſe eſt obſcuritatis aliquid ineſſe, libera oratio adhibetur ad ſingulas partes declarandas.*

Copioſæ deſcriptiones loco definitionum.

Liberalitas quid.

ἐλευθεριότης, εὐποιΐα, εὐεργεσία, μεγαλοπρέπεια, μεγαλοψυχία.

De beneficentia ac liberalitate.) *Non diſtinguit hæc uocabula, ea de cauſa quam ſæpius diximus. Ariſtoteles εὐποιΐαν, ſiue εὐεργεσίαν, magis ad operam & conſilium refert: ἐλευθεριότητα, quæ anguſtiore nomine μεγαλοπρέπεια καὶ μεγαλοψυχία dicitur (neq; enim poſterius hoc, tantum ad fortitudinem à Græcis refertur) ad pecuniam ſiue opes. Neq; enim Pecuniæ nomine nummi tantum & nomiſmata, neq; æs aurum aut argentum ſignatum, ſed omnes diuitiæ aliquando ſignificantur.*

Qua quidem nihil eſt.) *More ſuo deſcriptioni uirtutis, adhortandi*

cauſa,

cauſa, & excitandi ad eam animi, laudationem ſiue commendationem præponit, Iſocratis imitatione τῇ παραινέσει τὴν παράκλησιν συζεύξας: ut in eo autore declarando diximus.

Laudatio uirtutis iuncta deſcriptioni.

Nihil accommodatius.) *Bifariam intelligi poteſt, uel οἰκειότερον καὶ μᾶλλον πρέπον, uel ὠφελιμώτερον καὶ χρησιμώτερον. Vtrunq; enim uox hæc rectè complecti poteſt. Nam præſtantiſſimorũ philoſophorum ſententia, homo ad Dei ſimilitudinem ſe (quoad eius fieri queat) conformare debet. Deo autem nihil eſt beneficentius: & meritis ſiue beneficentia parantur amici, qui in uarijs ærumnoſæ huius uitæ neceſſitatibus præſtò ſint. Beneficentia igitur & digniſſima homine eſt, & eidem utiliſſima: contrà, maleficentia diabolica eſt, & (ut poſtea dicet) naturæ hominum inimica crudelitas, & uitæ pernicioſa: nec ijs tantum qui læduntur, ſed ipſis etiam iniuriarum autoribus nocentiſſima. Etſi autem liberalitas propria diuitum & potentum uirtus eſſe uidetur, tamen ab ea ne infimæ quidem ſortis homines excludũtur: primùm, cum ſita ſit in animo: deinde, quis eſt qui non poſſit uel commendando, uel conſulendo, uel inſeruiendo, uel precibus & uotis faciẽdis, etiã potẽtiſſimos per occaſionem iuuare? Quod de iuuando dictum eſt, idem etiam de nocendo intelligatur. Vt enim cætera taceamus: mendax & calumniatrix lingua, etiam infimorum hominum, quot præſtantes uiros afflixit, occidit, euertit?*

Beneficentia & utiliſſima & homine digniſſima.

Etſi infimæ conditionis homines in loco uel prodeſſe uel obeſſe poſſe.

Multas cautiones.) *Id eſt, ſcientia etiam & certa ratio requiritur, neq; ſatis eſt animo ad iuuandum propenſo eſſe: & hic doctrinæ uſus eſt, ut naturam regat ac moderetur.*

Naturam doctrina regit.

Multas.) *Cicero tres enumerat, quæ tamen latè patent, & ſuas ſubdiuiſiones habent.*

CICERO.

Videndũ eſt enim primùm, ne obſit benignitas, & his ipſis quibus benignè uidebitur fieri, & cæteris. Deinde, ne maior benignitas ſit quàm facultates: tum, ut pro dignitate cuiq; tribuatur. Id enim eſt iuſticię fundamentum, ad quam hæc referenda ſunt omnia.

Id enim eſt iuſticiæ fundamentum.) *Suprà, fidem iuſticiæ fundamentũ eſſe dixit: rectè utroq; in loco. Nihil enim aliud uult, niſi, neq; iuſticiã ſine fide neq; libertatem ſine iuſticia poſſe conſiſtere: & iuſticiæ eſſe propriũ, ſuum cuiq; tribuere. Nam quod mihi promiſeris: id tuum eſſe deſinit, incipit eſſe meum. Quo ſi me fruſtrère: meum iam mihi rapies, non retinebis tuum.*

Fundamenta iuſticiæ, Dignitas, fides.

CICERO.

Nam & qui gratificantur cuipiam, quod obſit illi, cui prodeſſe uelle uideantur, non benefici, neq; liberales, ſed

† pernicioſi & aſſentatores iudicandi ſunt: & qui alijs nocent, ut in alios liberales ſint, in eadem ſunt iniuſticia, ut ſi in ſuam rem aliena conuertant.

† *V. L. Pernicioſi aſſentatores.*

Aſſentatores. Rapaces. Nam & qui gratificantur.) *Primæ cautionis declaratio, in qua aſſentatores & rapaces improbantur, & à beneficentiæ laude excluduntur.*

χαρίζεσθαι. Gratificantur.) *Videtur Græcum uerbum χαρίζεσθαι expreſsiſſe, quod & morem gerere, ſiue obſequi, & largiri ſiue donare ſignificat.*

Gratificationes pernicioſæ. Quod obſit illi.) *Hæc uerè ἄδωρα δῶρα ſunt, ut inimicorum. In hoc etiam peccant, qui mendicorum ignauiam & luxum eleemoſynis alunt: qui ægrotorum cupiditatibus, uitæ periculoſis, & ualetudini, inſeruiunt: qui omnem dant licentiam liberis, diſcipulis, ciuibus ſuis: qui deniq; gratiam inire, quàm prodeſſe malunt, ἄρεσκοι, χρυσόλογοι, κόλακες, παράσιτοι ὄντες.*

Munera hamos imitantia. Velle uideantur.) *Captatores hi ſunt uel auræ popularis, uel amplioris remunerationis, τεχνικῶς πωλοῦντες ἃ δωροῦνται· καὶ οὐ δόσιν, ἀλλ' ἐμπορίαν ποιούμενοι, ut ait Iſocrates.*

Pernicioſi & aſſentatores.) *Mihi non diſplicet addita coniunctio, ut græcè hoc ſit, κόλακες καὶ λυμεῶνες. Auræ popularis captatio notatur, in qua includi etiam inſidiæ queunt, quibus facillimè circumueniuntur ſimplices: ſi quis impoſtor atq; inſidus, non modò amicitiam ſimulet, ſed etiam munuſculis captet atque irretiat incautos animos, ut uel arcana eorum expiſcetur, quæ deinde uulget, uel rem atq; opes illorum interuertat. Huc pertinet dictum illud: Vigilandum eſt ſemper, multæ inſidiæ ſunt bonis. Conſtabit autem ſententia ſiue bonos uiros, ſiue bona & opes intelligas. nam utriſq; ſtruuntur inſidiæ.*

Iudicandi ſunt.) *Fit autem hoc minimè. Nam οἱ πρὸς τὸ φαυλότατον χαριζόμενοι, καὶ πρὸς χάριν ὁμιλοῦντες, in ſummis amicis numerãtur. In cauſa eſt ἡ φιλαυτία τῶν κολακευομένων, non rectũ iudicium. Contrà, οἱ πρὸς τὸ βέλτιστον ἀπεχθανόμενοι ferri non poſſunt, & capitales inimici habentur, per peram utiq; & maximo cum detrimentò. Nam eas, quas ſtulti putant, iniurias, quæ à nimia beneuolentia & fide oriuntur, Cicero ſuprà in Catalogo ſuo non recenſuit. Neq; enim iniuria eſt, cum præceptor optimos quoſq; autores diſcipulis proponit, declarat, exercet, ocium malefaciendi non concedit, tempus parcè diſpenſari & ſtudijs literarum impendi iubet. Non facit iniuriam ſacerdos, ſi prauos affectus & peruerſos mores liberè inſectatur & deteſtatur: ſi falſam religionis umbram nihil ualere apud Deum affirmat, ſed bonitatem arboris bonitate fructuum declarandam eſſe monet, hoc eſt, fidem per charitatem efficacem eſſe oportere docet. Nemini facit iniuriam magiſtratus, ſi luxum & licentiam populi coheret, ſi honeſtum opus facere cogit, aut inſeruire Reip. ſi delinquentes acriter punit. Sunt igitur ſeponendi hic praui affectus, & de cuiuſque officio iudicium recta ratione faciendum. Ita & quioribus ani-*

Iniurias ſtulti interpretãtur, ea quæ ex beneuolẽtia rectoque iudicio proficiſcuntur.

Præceptor. Sacerdos.

Magiſtratus.

ribus animis & orationis ueritatem, & diſciplinæ ſeueritatem feremus.

Et qui alijs nocent.) *Prima cautio duo uitia excludit: aſſentationē, de qua modò diximus: & rapinam, de qua nunc agit.*

In eadem ſunt iniuſticia.) *παράδοξον hoc uidetur. Nam multa putantur amicorum cauſa honeſtè fieri, quæ quis ſuapte cauſa non ſine uerecundia faceret. Sed errorem hunc Cicero aptè demonſtrat per id quod in confeſſo eſt. Similia enim delicta eſſe oſtendit, ſiue tua ſiue alterius cauſa pecces. & in Lælio præcipit, ut amicos nec turpia rogemus, nec faciamus rogati.* μέχρι βωμοῦ δεῖ φίλους [illegible]

CICERO.

Sunt autem multi, & quidem cupidi ſplendoris & gloriæ, qui eripiunt ab alijs, quod alijs largiantur: hicq; arbitrantur, ſe beneficos in ſuos amicos uiſum iri, ſi locupletēt eos quacunq; ratione. Id autem tantum abeſt ab officio, ut nihil magis officio poſsit eſſe contrarium.

Sunt autem multi.) *Quid fieri oporteat, id eſt τὸ δέον, expoſuit: nunc ſubijcit τὸ ἐναντίον, hoc eſt τὸ γινόμενον, uidelicet quid fieri ſoleat. Raro autem τὸ δέον καὶ τὸ γινόμενον coniunguntur. Id enim ſi fieret, non eſſet ullis præceptis opus.*

Et quidem cupidi ſplendoris.) *Suprà etiam, inter auariciæ cauſas ambitionem recenſuit, his uerbis: In quibus autem maior eſt animus, in his pecuniæ cupiditas ſpectat ad opes, & ad gratificandi facultatem.*

CICERO.

Quare L. Syllæ & C. Cæſaris pecuniarum tranſlatio à iuſtis dominis ad alienos, non debet liberalis uideri. Nihil eſt enim liberale, quod non idem iuſtum.

Pecuniarum tranſlatio à iuſtis dominis.) *De proſcriptionibus dictatorum loquitur. Iuſti autem domini intelligendi ſunt ij, qui eas opes uel à maioribus acceperunt, uel ſuapte induſtria & felicitate parauerunt: alieni, milites, centuriones, tribuni, cæteriq; quorum opera tyranni ad ſuam dominationem ſtabiliendam uſi fuerant.* Domini Iuſti. Alieni.

CICERO.

Alter locus erat cautionis, ne benignitas maior eſſet quàm facultates: quòd qui benigniores eſſe uolunt quàm res patitur, primùm in eo peccant, quòd iniurioſi ſunt in proximos. Quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt, & relinqui, eas transferunt ad alienos.

Alter locus erat cautionis.) *In eandem ſententiam præcipiunt Sacræ literæ, ut fontes noſtri penes nos ſint, noſq; eorum domini ſimus: ſed riuuli noſtri foràs profluant. Cuius dicti ſententia eſt, de ſorte & ſumma nihil decedere opor-* Fontes. Riuuli.

dere oportere, ſed de reditibus & prouentibus annuis benefaciendum eſſe egentibus.

Primùm in eo peccant.) *Aetiologia bipertita, fraudationem propinquorum & uiolationem aliorum complectens. Dicet autem poſteà, coniunctiſſimorum in primis habendam eſſe rationem.*

Proximis & relinquendæ opes, & ſuis egentibus impertiendæ.

In proximos.) *Vt ſunt parentes, uxores, liberi, fratres, cognati, &c. Et rectè quidem. Nam cum pleriq; opes ſuas à maioribus aut cognatis acceperint, æquum eſt eas in eadem manere familia, ut eius dignitas & conſeruari & amplificari poſſit.*

Et ſuppeditari.) *Scilicet dum nos ſumus ſuperſtites, & illi egent. Stultè faciunt atq; iniquè orbi diuites, qui pauperes cognatos ſpe tantùm hæreditatis ſuæ alunt: atq; ita & illos fraudãt, & omni ſemetipſos gratia priuant. Idẽ ferè ſentiendum de ijs, qui pauperibus nihil dum ualent impertientes, poſt obitum demum incipiunt eſſe benefici & liberales. de quibus eleganter Mimographus: Auarus, niſi cum moritur, rectè nihil facit.*

Erudiendi potius quàm ditandi liberi.

Et relinqui.) *iure hæreditario. Hic locus parentes admonere poteſt, ut quantum facultates ferunt, liberos ſuos rectiſſimè inſtituendos curent: qua ratione longè melius illis conſulunt, quam ſi paulò plus pecuniæ poſt obitum relinquant. Nam matura ætate, honeſtis artibus pecunia parari poterit: eruditio non niſi in adoleſcentia commodè paratur.*

CICERO.

Ineſt autem in tali liberalitate cupiditas plerunq; rapiendi, & auferendi per iniuriam, ut ad largiendum ſuppetant copiæ.

In tali liberalitate.) *Nõ quod ſit, ſed quòd falſò talis putetur: δοκοῦσι μὲν εὐποιΐα καὶ ἐλευθεριότης, ἀσωτία δὲ ἔστι, καὶ ἀδικία.*

Vt ad largiendum ſuppetant copiæ.) *Vulgò largitio fundum non habere dicitur, & gignere rapinas. Quod plerunq; fit: aut ut non fiat, egeſtas & mendicitas, nõ multo honeſtior, inde exiſtit. Exempla innumera ſunt rapacitatis: egeſtatis autem inſigne extat apud Lucianum in Timone: & multo illuſtrius in Acolaſto Euangelico, cui res tandem non quidem ad reſtim, ſed ad ſiliquas rediјt.*

CICERO.

Videre etiam licet pleroſq; non tam natura liberales, quàm quadam gloria ductos ut benefici uideantur, facere multa quæ uidentur magis proficiſci ab oſtentatione, quàm à uoluntate. Talis autem ſimulatio uanitati eſt coniunctior, quàm aut liberalitati, aut honeſtati.

Natura liberales.) *Qua non præeunte, & quaſi uiam monſtrante, præcepta uirtutis parùm proficiunt. Poſſit hic aliquis ex Ariſtotele argutari, libe-*

ralitatem.ſi uirtus ſit, à iudicio & uoluntate potius quàm à natura pendêre: quod nihil eſt neceſſe, cum doctrina parum proficiat, nõ ſuffragante natura. Nec enim fit ἕξις, niſi φυσικὴ δύναμις anteceſſerit.

Quæ ab oſtentatione.) *Diligenter inculcat hunc locum de non rapiendis largiendi cauſa alienis opibus, quòd uidebat ambitioſa Romanorum ingenia in eo genere multũ peccare. Exẽplo ſit Appius Pulcher; qui ambitione ſua prouinciã Ciliciam exhauſerat: ob quam Cicero ſingulari moderatione recreatam, multo maiorem non prudentiæ tantùm & abſtinentiæ, ſed etiam liberalitatis laudem eſt conſecutus, ſi quis uerè iudicet.*

Quam à uoluntate.) *Cauſa impellens liberalitatis eſſe debet φιλανθρωπία, & alienũ, non noſtrũ bonum: ut ſuccurratur egenis, nõ ut noſtræ laudes decantentur. Quod ſi fit: ut non magnopere ſit repudiandum, non tamẽ eſt ambiendum, ne oculus noſter ſit prauus, ut habet Euangeliũ. Ariſtoteles etiã ſcribit, ὁ ἐλευθέριος δώσει τοῦ καλοῦ ἕνεκα, καὶ ὀρθῶς, οἷς δεῖ, καὶ ὅσα, καὶ ὅτε, καὶ ἡδέως καὶ ἀλύπως. Id eſt: Liberalis dabit honeſtatis cauſa, et rectè, quibus & quantum eſt dandum: idq; faciet libenter, & ſine moleſtia.*

Alienum bonum liberalitati propoſitum.

Talis autem ſimulatio.) *Odioſo uocabulo utitur, & indigno uiris magnanimis: à quibus requiritur, autore Ariſtotele, ut candidè atq; apertè, ſine ulla fraude & dolo, agant omnia.*

ὁ μεγαλόψυχος, φανερόφιλος λέγεται καὶ φανερόμισος.

Vanitati.) *Vanũ dicitur, cui nihil ſolidi ſubeſt: quod tantũ ſpeciem quãdam habet, cũ re uera nihil ſit: cuiuſmodi ſunt umbræ et ſomnia. Pertinet etiam uanitatis uerbũ non minus ad mendacium, quàm ad oſtentationem: quæ inter ſe coniuncta ſunt.*

Vanus.

Aut honeſtati.) *Honeſtas, quippe genus, per omnia officia et omnis uirtutes fuſa eſt: & aliquando aut pro ſpecie uſurpari, aut cũ ſpecie cõiungi ſolet.*

CICERO.

Tertiũ eſt propoſitũ, ut in beneficẽtia delectus eſſet dignitatis. In quo & mores eius erũt ſpectãdi, in quẽ beneficiũ cõferetur, et animus erga nos, et cõmunitas ac ſocietas uitæ, & ad noſtras utilitates officia antè collata. Quæ ut concurrant omnia, optabile eſt. Sin minus: plures cauſæ, maioresq́; ponderis plus habebunt.

Tertiũ eſt propoſitũ.) *Id eſt, hãc ſtatui tertiã in beneficẽtia cautionẽ.*

Delectus eſſet dignitatis.) *Id eſt, ut ratio dignitatis haberetur, & dignior indigniori præferretur. Nã humanitas & pietas neminẽ egentẽ, quantumuis improbũ, ſacræ literæ ne inimicũ quidẽ beneficio indignũ eſſe ſtatuũt.*

In quo & mores.) *Qui dignitate alijs antecellãt, quadrimembri partitione explicat. Præſtat (inquit) uir bonus & ſapiens improbo & ſtulto: præferendus eſt amicus inimico: cognato potius benefaciendum quàm alieno: beneficium reddẽdum potius bene merito, quàm in eũ conferendũ qui antè nihil*

Quatuor cõditiones beneficentiæ.

officij ad

officÿ ad utilitates noſtras contulit. Qui autem gradus inter hos ipſos ſeruandi, & qui quibus præferendi ſint, nunc breuiter attingit, pòſt copioſius & diſtinctius explicaturus.

Quæ ut concurrant omnia.) *Id eſt: Si hæ quatuor conditiones in uno aliquo reperientur, grauiſſimas & neceſſarias habebimus cauſas ei benefaciendi: idq; cum ſumma uoluptate faciendi, ſine ulla pœnitentia ſumptuum aut laborum.*

Benefacere optabile.

Optabile eſt.) *Hoc Græci dicunt* αἱρετόν, *uel* εὐκτόν, *aut* εὐκταῖον. *Significat hoc uerbum, bonum uirum exoptare occaſionem beneficÿ in dignum collocandi.*

Plures cauſę maioresq́; dirigunt officium.

Plures cauſæ maioresq́.) *Generalis officÿ regula, in tota uita, in omnibus deliberationibus, in omnibus actionibus obſeruanda. Sed nos puerili exemplo declaremus. Ludum & ocium ſuadet, primùm cupiditas, deinde oblectatio, pòſt ſodales, poſtremò loci & temporis amœnitas. Quatuor hic cauſæ ſunt. Ad ſtudia uerò colenda, omiſſo ludo, ratio officÿ atque utilitatis hortatur atq; incitat. Hæ duæ cauſæ uincuntur numero, contraq́; pondere uincunt. Officÿ ergo eſt, diligentiæ aſſiduitatē ludo iocoq́; anteponere. Numeratio cauſarum non eſt difficilis: ſed ponderatio requirit ingeniū, doctrinam, uſum rerum, quibus iudicium expolitur & confirmatur.*

CICERO.

Quoniam autem uiuitur non cum perfectis hominibus, † ſed cum his, in quibus præclarè agitur, ſi ſunt ſimulacra uirtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio uirtutis appareat.

† *V. L. cum quibus non præclarè agitur, ſed ſunt, &c.*

Imbecillitati humanæ, non improbitati danda uenia.

Quoniam autem uiuitur.) *Mores in primis ſpectari iuſſit, quibus iudicandis ne moroſiores & ſeueriores ſimus,* πλὴν κατὰ λυπητικῶς *æquitatem præcipit adhibendam eſſe, & à Stoicorū* ἀκριβολογίᾳ *nonnihil recedendum, qui uirum bonum, eundemq́; ſapientem ita definiebant, ut in eum nullus error, nulla perturbatio caderet, quiq́; deus quodammodo eſſet in humano corpore.*

In quo aliqua ſignificatio.) *Suprà ſimulacra dixit, non quòd ſimulationem probet (ea enim ſummo odio digna eſt, & maximū improbitatis argumentum) ſed ſtudium uirtutis approbandum eſſe docet: tametſi longè à ſcopo abſit, ad quem tamen contendat.*

CICERO.

Colendum autem ita quenq; eſſe maximè, ut quiſq; maximè his uirtutibus lenioribus erit ornatus, modeſtia, temperantia, ac ipſa (de qua iam multa dicta ſunt) iuſticia.

Colen-

Colendum autem eſſe ita.) *In moribus ſpectatur uirtus: uirtutũ autẽ ipſarum diſcrimen quoddam hic conſtituitur, ut aliæ ſint ἠθικώτεραι, Modeſtia & Iuſticia: aliæ παθητικώτεραι, ut Prudentia & Fortitudo: non quòd re uera ita ſint (nam ſi ita eſſent, uirtutum nomen amitterent) ſed quòd Prudentia facilè degeneret in calliditatem, & ad impoſturam conferatur: Fortitudo autem plerunq; cum ſuperbia, ſæuitia, iracundia ſit cõiuncta. Loquitur enim Cicero non de uera uirtute hîc, ſed de umbra & ſimulacro uirtutis, populariter magis quàm exquiſitè. Vnde etiam uirtutes diuellit, & alios fortes, alios iuſtos & ſapientes facit. qua de re libro tertio agetur. Modeſtia uerò & Iuſticia minus habent periculi.*

Modeſtia & iuſticia præferuntur prudentiæ & fortitudini.

CICERO.

Nam fortis animus, & magnus, in homine non perfecto, nec ſapiente, feruentior plerunq; eſt: illæ uerò uirtutes bonum uirum uidentur † potius attingere.

† *V. L. propius attingere.*

Bonum uirum uidentur.) *Id eſt, Modeſtus & iuſtus homo potius uir bonus cenſetur, quàm homo fortis & prudens. Suprà dixit, ex Iuſticia uiros bonos nominari, non ex ſapientia aut fortitudine. Nam τὸ ἐπιθυμητικὸν minus uehemens eſt, quàm τὸ θυμοειδὲς: τὸ λογιστικὸν uerò corruptum, omnium ſceleratiſſimum & pernicioſiſſimum. Vnde apud Iſocratem, proceres aulici φθονοῦσι μὲν τοῖς εὖ φρονοῦσιν, ἁπλῶς δ' ἡγοῦνται σοὺς νοῦν οὐκ ἔχοντας.*

CICERO.

Atq; hæc in moribus. De beneuolentia autem, quam quiſq; habeat erga nos, primùm illud eſt in officio, ut ei plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur.

De beneuolentia.) *Altera cautio, quomodo animus cuiuſque erga nos æſtimandus ſit.*

A' quo plurimum diligimur.) *Difficile iudicium. Nam ſemetipſum quiſq; plurimum diligit, & propter ſeſe alios, quos ſibi iucundos fore atq; utiles ſperat. Pauci enim, his quidem temporibus, honeſtatem curant.*

Primùm illud eſt in officio.) *Id eſt, in primis ad officium pertinet, uel maximè officioſum eſt, in primis decet, μάλιστα καθῆκόν ἐστι.*

CICERO.

Sed beneuolentiam non adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potius & conſtantia iudicemus.

Sed beneuolentiam.) *De ſimulatione amicitiæ nihil dicit, quod (ut antè dictum eſt) impoſtura illa odioſiſſima eſt, prætereaq; cum nocendi uoluntate coniuncta. ſed illud monet eam ueram eſſe beneuolentiam, quæ à recto iudicio, non autem à temerario affectu proficiſcatur.*

Adoleſcentulorum more.) *Qui (ut ait Terentius) impenſe cupiunt, conſulunt parum, ſuntq́; (ut & mulieres) leui ſententia. In cauſa eſt feruor ætatis: &, ob incrementum, agitatio humorum perpetua, atq́; etiam imperitia rerum. Cum Terentianis dictis congruit Ariſtotelis ſententia, 2 Rhet. quam ediſcant adoleſcentes, ut ſua uitia & agnoſcant, & oderint, & emendent:* οἱ νέοι εὐμετάβολοι, καὶ ἁψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ παύονται. ὀξεῖαι γὰρ αἱ βουλήσεις, καὶ οὐ μεγάλαι, ὥσπερ αἱ τῶν καμνόντων δίψαι καὶ πεῖναι.

Ardore quodam.) *Quo amor facilè & incenditur, & deflagrat, ut ignis è ſtipula. Leuiſſimæ ſunt cauſæ diligendi, ut compotatio, ludus, deambulatio: leuiſſimæ etiam offenſarum, ut uerbum paulò aſperius.*

Qui ſe amari uult, ſit uir bonus.

Stabilitate & conſtantia.) *Quæ nulla eſſe poteſt, niſi in recto iudicio. Affectus enim, ut uenti, temerè oriuntur, temereq́; cōcidunt, et uariè mutantur. Hoc loco notetur, ſi à cordatis hominibus conſtanter amari uelimus, oportere in nobis eſſe conſtantiam, id eſt perpetuum uirtutis ſtudiū. Quis enim uir prudens honorificè de me ſentire poſſit, ſi ego turpiter & temerè uiuam?*

CICERO.

Sin erunt merita, ut non ineunda, ſed referenda ſit gratia: maior quædam cura adhibenda eſt.

Gratitudo.

Sin erunt merita.) *Virtutem hanc recenti uocabulo, eoq́; non inepto, ſi analogia ſpectetur, gratitudinem uocant: ſicut magnitudinem & beatitudinē dicimus, quæ Græcis* εὐχαριστία *eſt: Latini ueteres, aliàs gratiā, aliàs gratum & memorem animū, aliàs accepti beneficij memoriam, aliàs* κατ' ἐπίτασιν ἢ αὔξησιν *pietatem appellant. Huius præclarum encomiū extat in oratione Ciceronis pro Cn. Plancio. Ornat & hîc eam more ſuo laudibus, antequam quæ eius ratio eſſe debeat explicet.*

Maior quædam cura.) *Scilicet, Quàm cum benè meremur de ijs, qui nihil in nos nfficij contulerunt.*

CICERO.

Nullum enim officium referenda gratia magis neceſſarium eſt.

Cogitandū, qui ſint de nobis bene meriti.

Nullum enim officium.) *Mandetur memoriæ hæc ſententia, & animis perpetuò obuerſetur: diligenterq́; cogitetur, qui'nam de nobis bene meriti ſint, & benè mereantur adhuc, ne officio noſtro deſimus. Nemo autem ignorat, nos à Deo habere omnia: reliquos autem homines, ut parentes, ut magiſtratus, ut præceptores, patronos, tutores, amicos, inſtrumenta eſſe Dei, per quæ nobis benefaciat. Quos qui negligit aut contemnit, nefario impietatis crimine ſe polluit.*

Homines in nos benefici, Dei ſunt inſtrumenta.

Qua de re audiatur Iſocrates noſter, ad Philippum Macedonem ſuauiſſimè & eruditiſſimè ſic ſcribens: οἶμαί σε οὐκ ἀγνοεῖν, ὃν τρόπον οἱ θεοὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων διοικοῦσιν. οὐ γὰρ αὐτόχειρες, ὄντι μετὰ τῶν ἀγαθῶν,

ὄντι

ὅτι τῶν κακῶν γίνονται τῶν συνόντων αὐτοῖς· ἀλλ' ἑκάστοις τοιαύτην εὔνοιαν ἐμποιοῦσιν, ὥστε δι' ἀλλήλων ἡμῖν ἑκάτερα παραγίνεσθαι τούτων. Hoc eſt: Te non ignorare arbitror, quo pacto dij res humanas adminiſtrent. Non enim ipſi coràm uel proſperis uel aduerſis in rebus ſe conſpiciendos hominibus præbent, aut contrectandos manibus: ſed eam mentem dant ſingulis, ut uel cladibus ultrò citroq; ſeſe afficiant, uel communes utilitates in medium afferant, mutatione officiorum. Hæc ille. His igitur Dei ſiue nuncijs ſiue inſtrumentis omnibus, gratia ſi referri non poteſt, ſaltem habenda eſt: eorumq; beneficia & agnoſcenda & prædicanda ſunt, & perpetuò hæc animis alenda cogitatio, nos per occaſionem omnia facturos, quæ & illis, & ijs quos illi charos habeant, utilia & grata fore uideantur. Animus gratus & memor eſto.

Magis neceſſarium eſt.) *Primum argumentum commendationis à neceſsitate, ſeu cauſa efficiente, quod poſtea per collationem repetit. Neceſsitas autem hæc officij eſt, non uiolentiæ & coactionis externæ. Etſi profectò ſumma neceſsitas eſt colendæ honeſtatis à Natura & ipſo Deo nobis impoſita.*

CICERO.

Quòd ſi ea quæ acceperis utenda, maiore menſura (ſi modò poſsis) iubet reddere Heſiodus: quid'nam beneficio prouocati facere debemus?

Quòd ſi ea quæ.) *χρεία, ſiue argumentum ab autoritate, & à comparatis: id eſt, à minori ad maius.*

Heſiodus.) *Cuius hi uerſus ſunt:*

εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι
αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον αἴ κε δύνηαι.

Vbi (ut hoc obiter addam) τὸ μετρεῖσθαι paſsiuum eſt, Benè metire: id eſt, cura ut uicinus tibi benè metiatur.

·CICERO·

An non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quàm acceperunt?

An non imitari.) *Ab exemplo ſiue ſimilitudine terræ. Nam & à rebus mutis atq; inanimatis exempla petuntur, quæ nos admoneant muneris noſtri. Sic in Pſalmis: Cæli enarrant gloriam Dei, & uirtutem eius annunciat firmamentum.* Exempla ab elementis & cœlis.

Agros fertiles.) *Ex hoc exemplo intelligatur, quo quiſque honeſtiore animo ſit, eo cumulatius gratiam referre ſolere. Agri Babyloniorum centuplum afferre fructum prohibentur. Sic etiam honeſtiſsimus quiſq; animus abunde, modò poſsit, benemeritos remuneratur.*

CICERO.

Etenim ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, nõ

dubitamus officia conferre: quales in eos eſſe debemus, qui iam profuerunt?

Etenim ſi in eos.) *Aliud argumentum à minori. Vir enim prudens & bonus, rem certam incertæ ſpei utiq; præponit. Plus iuuat qui centum aureos largitur, quàm qui ſe aliquando nobis aliquid donaturum eſſe promittit. Sed uulgus hominum acceptorum beneficiorum oblitum, incertæ ſpei magis inhiare ſolet. Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benignè eſt.*

Spes utilitatis. Quos ſperamus nobis profuturos.) *Beneficentia hæc (ſi dicere liceat) καπηλικὴ eſt: & tamen non adeò improbanda propter humanæ uitæ neceſſitates: modò animus ſyncerus ſit, & abſit inſidioſa captatio.*

CICERO.

Nam cum duo genera liberalitatis ſint, unum dandi beneficij, alterum reddendi: demus, nec ne, in noſtra poteſtate eſt. non reddere, uiro bono non licet: modò id facere poſsit ſine iniuria.

Nam cum duo genera.) *Aliud argumentum, ſumptum à diſtributione, & tractatum per contentionem.*

Iuſticiæ & liberalitatis diſcrimen. Demus, nec ne.) *Hoc enim inter iuſtitiam & liberalitatem intereſt, quòd hæc uoluntaria eſt, & prætermiſſa non adeò grauem habet accuſationem: illa uerò, etſi & ipſa à libera uoluntate proficiſcitur (alioqui enim uirtus non eſſet, coacta ſi eſſet) negligi ſine graui crimine haud poteſt. Itaq; non tam illiberalis & ſordidus eſt ingratus, quàm iniurius & iniquus.*

Varias eſſe referendæ gratiæ rationes. Sine iniuria.) *Scilicet, & ſua & aliorum. προσδιορισμὸς hic grati animi laudem etiam infimæ ſortis hominibus & medicis relinquit, qui et agnoſcunt beneficium, & gratias agunt, & Deum orant ut bene merito uiciſſim benefaciat, quando id ipſi non poſſint. Etſi (ut antè diximus) nemo tam abiectus eſt, quin per occaſionem ut nocere, ita etiam prodeſſe alicubi poſſit, ſi non re, neq; conſilio, neque opera, at uel bene uel malè dicendo. Neque uerò neceſſe eſt ſemper eiuſdem generis beneficia reddi. Nam diuites pecuniam donare poſſunt: pauperes grati eſſe poſſunt opera atq; induſtria ſua.*

Ingrati animi crimen. *Appendicis uice notetur ſententia Xenophontis:* οἱ πέρσαι *(inquit)* οἴονται τοὺς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστ' ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονέας, καὶ πατρίδα, καὶ φίλους. ἕπεσθαι δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἡ ἀναισχυντία. καὶ γὰρ αὕτη μεγίστη δοκεῖ εἶναι ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών. *Hoc eſt: Ingratos Perſæ cenſent etiã deorum immortalium, & parentum, & patriæ, & amicorum eſſe maximè negligentes. Atq; etiam impudentia cum primis ingrati animi comes atque aſſecla eſſe uidetur, dux atq; autor omnis turpitudinis.*

CICERO.

Acceptorum autem beneficiorũ ſunt delectus habẽdi.

Acceptorum beneficiorum.) *Cum liberalitas, ſiue appendix ſiue propago que-*

pago quædam ſit iuſticiæ: non minus in referenda gratia, quàm in beneficio conferendo, ratio habenda eſt æquitatis, ne plus minus'ue fiat quàm par ſit. Aeſtimatio beneficiorũ.

Delectus habendi.) *Id eſt, Certus modus ſeruandus eſt: & diligenter expendendum, quanta fuerint beneficia, & cuiuſmodi.*

CICERO.

Nec dubium, quin maximo cuiq; plurimum debeatur.

Nec dubium, quin maximo cuiq;.) *Prima regula. Maxima autem beneficia, quæ homo homini præſtare poteſt (nam Deo quidem, ut antè diximus, debentur omnia) ſunt: doctrina ſalutaris, qua uitæ æternæ compotes fieri poſſumus: dehortatio à uitijs, adhortatio ad uirtutes, auulſio ab erroribus, inſtitutio ad ueritatem. Hæc enim cum ſalutari doctrina cohærent, quæ ut à perpaucis animo ſuſcipitur, & à plurimis non modò contemnitur & ridetur, ſed etiã capitalibus odijs exagitatur: ſic per Danielem promittit* DEUS, *fore ut ij qui multos erudierint ad iuſticiam, fulgeant ſicut ſol. Sequuntur deinde, conſeruatio uitæ, ualetudinis, famæ, dignitatis, rei familiaris. Quibus in rebus Medicorum, Iuriſconſultorum & amicorum uiget induſtria. Hinc etiam, quæ maleficia ſint maxima, clarum eſt.* Summum beneficium, ueram docere religionem.

CICERO.

In quo tamen in primis, quo quiſq; animo, ſtudio, beneuolentia fecerit, ponderandum eſt.

Quo quiſq; animo.) *Magnitudinem beneficiorum non per ſe ſpectandam eſſe, ſed ex animo æſtimandam, monet. ſicut & Homerus:*

—— χαρίτων γὰρ θυμὸς ἄριστος.

Et Euangelica uidua paupercula, maiorem liberalitatis laudem conſequitur, quàm diuites.

Animo.) *Scilicet ut nobis prodeſſet, non temerè, non inconſultò, non ut aliquid aucuparetur, non inſidioſe. Multorum enim munera imitantur hamos, aut ſunt uenenum melle prælitum. Quod utinam non experientia, ſtultorum magiſtra, complures doceret. Sunt enim in ijs locis, ubi peregrini mores omnem candorem & ueritatem ſuſtulerunt, etiam ſplendidiſſimi quique ſic affecti, ut ne quadrantem quidem cuiquam conferant, niſi aut pudore coacti, aut ſpe remunerandi impulſi: gratuitum & liberale nihil eſt: auara, ſordida,* πλεονεκτικά, *inſidioſa omnia, ſæpe etiam contumelioſa & crudelia: ut qui nõ habet in ære, luere cogatur in corpore: idq; ſic, ut quod ſcis neſcias: & aculeũ quidem ſentias, ſed quis te pupugerit, ignorare ſit neceſſe. Micant enim in tenebris, & ijs quidem artibus quas ſentias: ſed niſi diſſimules, inſanias. Sic multis ſtabunt Aeneia magno Hoſpitia. Vigilate adoleſcentes ſemper: multæ inſidiæ ſunt nobis: non eſt aurum, quicquid nitet: Fiſtula dulce canit, uolucrem dum decipit auceps.* Inſidioſa benignitas.

Studio.) *id eſt, alacritate: an* προθύμως, *an* αὐτεπάγγελτος; μὴ ἀηδῶς χαριζόμενος; *ut ait Iſocrates.*

CICERO.

Multi enim faciunt multa, temeritate quadam, ſine iudicio uel modo, in omnes: uel repentino quodam, quaſi uento, impetu animi incitati. Quæ beneficia ęquè magna non ſunt habenda, atq; ea quæ iudicio, conſideratè, conſtanterq́; delata ſunt.

Multi enim multa faciunt.) *ἀντίθεσις prodigorum, qui ſuperiorũ diſſimiles, minus mali, magis incauti, non tam aliȷs quam ſibimetipſis nocent: cõmiſeratione magis quam odio digni. Aliȷ legunt morbo, ut alludatur ad Græci poetæ uerba,*

Νόσον ἔχεις· χαίρεις διδούς.

Excludit hic Cicero τὸ ἀκρίτως, τὸ ἀμέτρως, τὸ ἀναξίως, τὸ ληστρικῶς διδόναι: hoc eſt, ne præter modum, ne ſine iudicio, ne indignis, ne ex rapto detur. Sunt enim conſideranda, perſona, tempus, modus, & reliqua.

Conſtanterq́;.) *Vt non pœniteat dati, dum is qui accepit, talis manet, qualis fuit: ut rebus eodem modo ſeſe habentibus, eadem ſit mens, eadem beneficentia & liberalitas.*

CICERO.

Sed in collocando beneficio, & in referenda gratia (ſi cætera † paria ſunt) hoc maximè officiȷ eſt, ut quiſq; maximè opis indigeat, ita ei potiſsimũ opitulari. Quod cõtrà fit à pleriſq;. A' quo enim plurimum ſperant, etiamſi his ille non * eget, tamen ei potiſsimùm inſeruiunt.

† *V. L. paria ſint.* * *egeat.*

Egentiſsimis potiſsimum ſuccurrendum.

Sed in collocando beneficio.) *Præceptum Chriſtianæ religioni omnino conſentaneum: egentiſſimo cuiq; maximè ſuccurendum eſſe.*

Si cætera paria ſint.) *Scilicet, Inter eos quibus benefaciendum eſt.*

Paria.) *id eſt: Si par ſit amicitia, uirtus, neceſſitudo, officia antè collata. Nam egeſtas auget cauſarum numerum, quibus ad benefaciendum incitemur.*

Quod contrà fit à pleriſq;.) *Ab ȷs ſcilicet, qui ad ſe ipſos omnia referunt: qui ſummum bonum ſuis cõmodis, non honeſtate metiuntur, περὶ πλείονος ποιούμενοι τὴν φιλαυτίαν τῆς φιλαδελφίας καὶ κοινωνίας. Horum eſt inſidioſa (ut antè dictum) & ſæpenumero pernicioſa liberalitas, ac potius cauponatio beneficiorũ. Quare pro uirili dent operam adoleſcentes, ne à nutu talium hominum pendeant fortunæ ſuæ: ſed in id ſtudeant, ut honeſtæ operæ ſuæ expetantur, nec ȷs aliȷ carere poſſint: curent, ut ſibi agendæ ſint gratiæ, non ut ipſi alios adorare cogantur. Gratuitum enim hoc ſeculo nihil eſt, nihil liberale, nihil candidum, nihil ſyncerum: ſubdola, obſcura, inſidioſa, uenalia, mercenaria omnia. ut nunquam uerius fuiſſe uideatur illud: Beneficium*

accipere,

accipere, libertatem uendere eſt.

A' quo enim plurimum ſperant.) *Hinc Martialis:*

Pauper eris ſemper, ſi pauper es, Aemiliane:
Dantur opes nullis nunc niſi diuitibus.

Idq́; fit Euangelicè, ab hominibus minimè Euangelicis. Habenti enim dabitur: non habenti autem, etiam id quod habet, eripietur.

CICERO.

Optimè autem ſocietas hominum coniunctioq́ ſeruabitur, ſi, ut quiſq́ erit coniunctiſsimus, ita in eum benignitatis plurimum confertur.

Optimè autem ſocietas.) *Membrum ſuprà tertio loco propoſitũ, communitas ac ſocietas uitæ, hîc quarto & poſtremo tractatur, fortaſſe propter prolixitatem. Neq; uerò piaculum eſt, inuertere aliquando utilitatis cauſa ordinem, modò conſtet diuiſionis numerus, nec quicquam neceſſarium prætereatur, aut redundans inſeratur.*

Si ut quiſq́ erit coniunctiſsimus.) *Nam hoc ſi factum fuerit, omnibus conſuletur, ne egentiſsimis quidem exceptis: quibus cum nihil ſit quod ipſi in ſuos conferant, ipſis ad alienorum diuitum opem confugiendum erit. Etſi hi ipſi etiam à mendicitate facilè uindicarentur, ſi quodq; municipium ſuos pauperes aut opus facere cogeret, aut aleret: id quod magno multorũ fieret bono. & quia fit quibuſdam in locis, magiſtratu ſeueriſsimè in ſingulos mendicorum angulos inquirente: non fieri (ut quidam cauſantur. nam fieri quidem utiliter nõ negant.) non poſſet, ſi ijs qui rerum potiuntur, pari curæ eſſet honeſta diſciplina (quæ in mendicitate nulla eſt, ſed ſumma ferè diſſolutio & nequitia miſeriæ par, ſi non illa ſuperior) hominumq́; & ſalus & commoditas, atq; uectigalium exactio & animi libido. Sed hæc, odioſa ſcilicet, miſſa faciamus: ne dum leones officij monemus, pro officio miſeri lepores deuoremur.*

CICERO.

Sed quæ naturæ principia ſint communitatis & ſocietatis humanæ, repetendum altius uidetur. Eſt enim primũ, quod cernitur in uniuerſi generis humani ſocietate.

Sed quæ naturæ principia.) *Coniunctionẽ hominum, illiusq́; gradus diſtinguit, à remotiſsimus ſumpto exordio. Eſt autem remotiſsimus gradus, & primus, ἡ ἀνθρωπότης, hoc eſt eiuſdem naturæ.* Humanitas. *Alter, eiuſdem gentis, nationis, linguæ communio. ut Germanus Germano plus debet, quàm Italo aut Gallo: Sueuus Sueuo item plus, quàm Bauaro aut Franco.* Natio. *Tertius, eadem ciuitas: ut Auguſtianus Auguſtano plus debet, quàm Vlmenſi.* Ciuitas. *Ciuitas autem intelligatur, eadem iuriſdictio, idemq́; magiſtratus: ut omnes qui Bauariæ duci parent, ciues ſunt, Latina conſuetudine. Ingolſtadienſes tamen inter ſeſe coniunctiores, quàm cum Monacenſibus. Quartus & proximus*

Familia. *mus gradus eſt, eadem familia: in qua tamē diſcrimina quædam ſunt. & huic uel comparantur, uel etiam præferuntur, amicitia, grati animi officium, & amor erga patriā, ut ſuo loco uidebimus. Qui igitur beneficus & liberalis eſſe cupit, ab hoc poſtremo gradu, ſi opus ſit, exorſus, per intermedios ad primum & remotiſſimum uſq; ſi facultates ferant, progrediatur: ſin minus, intra proximos reſiſtat.*

CICERO.

Eius autem uinculum eſt RATIO, & ORATIO: quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, iudicando, conciliat inter ſe homines, coniungitq́ naturali quadam ſocietate.

Eius autem uinculum eſt.) *Cum peregrinæ linguæ non intelliguntur: multum decedere uidetur huic coniunctioni. Sed tamen retinenda ea eſt propter rationis communionem, quæ plus ualere debet quàm oratio. Quæ tamen ipſa uel per interpretes, uel per commercia & conſuetudinem communicatur: aut certè nutibus, geſtibus & ſignis quibuſdam ſuppletur.*

Vinculum eſt, &c. cōiungitq́ naturali quadam ſocietate.) *Quid ais Cicero? Vinculum ſocietatis eſt oratio? ipſa Natura duce coniungit homines oratio?*

> Νήπιος εἶς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας:
> *Inſanis, uel ades longinquis hoſpes ab oris.*

Non hæc (apud nos quidem) eſt uirtus orationis: ſed contraria potius. Diſtractio ſocietatis eſt oratio, hominesq́; alienat & committit inter ſe ut gladiatores. Serit diſcordias, alit, propagat: ne quauſquā reconciliatio fiat, prouidet. Quod quo commodius fiat, nullaq́; cum uerecundia: inuitam ad ſe pertrahit, & manibus pedibusq́; reluctantem, Religionem, quæ nihil æquè ac pacem, concordiam, mutuum amorem, beneficentiam, tolerantiam iniuriarum quærit, poſtulat, flagitat. O rem miſeram & acerbam:

> *Iliacos intra muros peccatur, & extrà.*
> *Quicquid delirant docti, plectuntur inertes.*

At defendenda eſt ueritas? Vtinam defenderetur illa: non auaricia, non ambitio, non ocium, non uoluptates, non odium, non inuidia, non acerbitas naturæ pertinaciſſimè defenderētur. Si conſentimus in præcipuis articulis plerique; ſi atrociſſimæ pugnæ ſunt aut de rebus obſcuriſſimis, (unde enim alioqui tot & tam pugnantes ſententiæ?) aut de ceremoniis, in quibus non eſt ſalus: cur non adoramus Deum in ſpiritu & ueritate? Cur non fidem amplectimur, quæ ſit efficax per charitatem? Quæ ſi Dei donum eſt, & non eſt omnium: cur non eorum uicem dolemus, qui id donum nondum acceperunt? Cur non apud Deum pro eis intercedimus? At deplorati ſunt, & hoſtes Dei? Cur non bene precaris deuouentibus te, & perſequentibus, Chriſti & doctrinam & exemplum ſecutus? Deinde, qui ſcis eos eſſe tales? Quid ſi errant? Quid ſi

aliud

aliud ſentire non poſſunt, quàm quod uerum & rectum eſſe perſuaſum habent? Quid ſi aliud docentes, in tot præſertim diſſenſionibus, ſuſpectos habent? Quid ſi tu erras? Cum enim ſint Sectæ amplius decem (nolo enim augere numerũ) inter ſe contrariæ, & mutuis odijs & cõuicijs inter ſe pugnantes: rectè'ne omnes Scripturã ſacram pro ſe interpretantur? Id uerò fieri quî poteſt? Errant igitur aliqui. Si ex ignoratione ueri, miſeri: ſi ultrò, longè miſerrimi, & maximè deplorandi. Sed nos cuius ſpiritus ſumus? Odio perfecto proſequimur eos, & in ſanguine illorũ manus noſtras lauare cupimus. Hic zelus noſter: hac una re maximè prophetas imitamur. Cur non potius ieiunijs, caſtitate, ſanctimonia, contemptu rerum humanarum, precibus, patientia, charitate, & alijs ſancti Spiritus donis eoſdem imitamur? Hæc facere non potui quin afferrem in medium, neq; odio neq; gratia cuiuſquam, ſed pacis & cõcordiæ amore, cui ueritatem eſſe præferendam non ignoro: ſed monitũ quenq; uelim, ne ſibi φιλαυτίαν καὶ μισαδελφίαν ἀντὶ τῆς φιλαληθείας καὶ θεοσοφίας obrepere patiatur. Procliuis lapſus eſt. & cum plus una ſententia è decem, ſi non contrarijs, at multum diuerſis, uera eſſe non poßit: ut demus unam eſſe uerã, reliquæ nouem erunt falſæ. aut ſi falſæ non ſunt, ſed eiuſmodi, ut cõmoda interpretatione leniri poßint, cur harum nouem aſſertores omnes, unam illam ueram, alij aliter oppugnant, & ſe quoq; mordent inuicem? In quo rectè eos facere quis credat, cum eos non rectè ſentire conſtet? Iactant autem omnes Spiritum ſanctum, iactant ſtudium ueritatis, iactant fidei analogiam, & perpetuum Scripturæ, nonnulli etiam Eccleſiæ conſenſum Quæ cauſæ perturbationis huius? Dicam breuiter quod ſentio: Sine pennis uolare uolumus: & antequam pueri fiamus, ingredi regnum cœleſte. In myſteria Diuinæ Maieſtatis & arcana æternitatis inquirimus, ante percepta prima pietatis elementa: cum nos ipſos non cognoſcamus, ea cognoſcere ſtudemus, quæ nobis Deus nõ ſcienda, ſed credenda propoſuit. Non reſipiſcimus, uitam deprauatiſſimã non corrigimus, frenum cupiditatibus noſtris laxamus: corruptam naturam, non præcepta Chriſti, in conſilium adhibemus: & agrum tot zizanijs obſitum, tot ſentibus & ſaxis referium, Euangelij ſemine conſerimus ſcilicet. E tali cultura quos tu alios fructus expectes, quàm quos coràm intuêris? Mores perditiſſimos, affectus importuniſſimos, odia, ſimultates, æmulationes, inuidiam, perfidiam, obtrectationem, inſidias, rixas, conuicia, capitales inimicitias, pereundi perdendiq́; omnia libidinem. Neq; uerò neſcio, inter multos perditiſſimos homines non deeſſe quibus hæc diſpliceant, & morte acerbiora ſint: ad quos mea nihil pertinet oratio. Cæteri utinam hæc & alia, quæ breuitatis cauſa prætereo, diligentius conſiderarent: ac tandem ſæuire in ſua uiſcera, ob errata quædam etiam manifeſta, deſinerent. Quæ utiq; coarguenda ſunt: ſed ita, ut præfractos ſuo iudici relinquas, ſi emendari poſſe deſperes. Nec tamen de ullo deſperandum, cum & latro in cruce factus ſit Chriſti confeſſor: & Paulus è perſecutore Eccleſiæ, uas electum, & dicertiſſimus ac fideliſſimus præco Euangelij. Confitemur omnes Deum trinum & unum: Chriſtũ

iuſsiſſe prædicari pœnitentiam & remiſsionem peccatorũ in ſuo nomine, ſcimus: Chriſtum poſtulare & fiduciã ſui meriti, & nouam obedientiã, & fraternam charitatẽ, conſtat inter omnes: Chriſtum pronunciaſſe, nos, ſi fecerimus omnia, ſeruos inutiles eſſe, quis ignorat? Itaq; nec deſperandi, neq; uirtutibus ſuis gloriandi cuiquã relictus eſt locus. Cur igitur hæc certiſsima capita, & ſalutaria, non amplectimur? Cur in his nos nõ exercemus? Cur nõ propter hunc conſenſum potius alij alios diligimus, quàm propter leuiores controuerſias inſectamur? Tu qui rectè ſentis, aut ſentire tibi uideris (in quo ne fallare cauendum) alios doce humaniter, mone fideliter, conuince fortiter, exhortare quantũ potes: nec id tam uerbis, quàm inculpata uita & moribus ſanctis. Quod ſi omnes facerent, ſublata exacerbatione & exulceratione animorum: facilius etiam controuerſiæ dogmatum & rituum componerentur. Nunc in ea pleriq; opinione aut ſunt, aut (haud ſcio quibus de cauſis) ſe eſſe ſimulant, non poſſe ullam conſtitui concordiã in Eccleſia: idq; ipſe, fide extincta, charitate mortua, dominantibus prauis affectibus, licentia regnante, ijs quorũ intereſt, ueram, ſeriam, legitimam & iuſtam rerum curam non ſuſcipientibus, propemodũ credere cogor. Quare his omiſsis (ne in alienam meſſem falcem miſiſſe uideamur) ad ſcholaſticas noſtras & pueriles explicationes redeamus: eoq; magis, quòd ſi quid bene præcipias, obtẽperet nemo, & omniũ odiũ ſit incurrendum, à nemine aũt gratia iniri poſsit. Veritatem enim & candorẽ quia ferre non poſsumus: etiam Atticum mel nec palato ſapit, & ſtatim in ægro ſtomacho maleq; affecto hepate in bilem degenerat.

Ratio & oratio.) *Ratio fonti, oratio riuo inde profluenti rectè comparatur, unde quidam τὸν λόγον ῥεῦμα εἶναι τοῦ λογισμοῦ dixit. Ergo qui dant ſine mente ſonum, id eſt, qui temerè & ſtultè loquuntur, non rectè dicuntur uti oratione.*

CICERO.

Neq; ulla re longius abſumus à natura ferarum, in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, ut in equis, in leonibus: iuſticiam, æquitatem, bonitatem non dicimus.

Doctrinæ præſtantia. Neq; ulla re.) *Scilicet, quàm ratione & oratione: unde uirtutes omnes, & diſciplinæ extiterunt. Conſideretur hic doctrinæ utilitas, quæ facit ut homo uerè doctus indocto tantùm præſtet, quantum homo pecudi aut feræ. Expolitur enim humanum ingenium inſtitutione, plurimumq; augetur. Qua de cauſa potiſsimùm linguæ diſcendæ ſunt, ut ijs uelut inſtrumento quodam, cognitionis rerum compotes fiamus. Neque interim uel mercatores uel aulicos impedio, quo minus & ipſi Gallicè, Italicè, Hiſpanicè, aut (ſi ita libet) Sarmaticè quoq; diſcant, ſui quæſtus & commodi gratia: modò illi quoque laudem eruditarum linguarum nobis non inuideant, ideò quòd eas ignorant.*

In quibus ineſſe fortitudinem.) *καταχρηστικῶς utiq;. Nam ſi fortitudo iuſticiæ propugnatrix eſt: iuſticia uerò, ut & reliquæ uirtutes, τῶν αἱρετῶν, hoc eſt*

hoc eſt uoluntatem rectæ rationi obtemperantē requirit: fortitudo utiq; nec in leonem, nec in equum cadit, ſed ſimilitudine quadam illis tribuitur.

Bonitatem.) *καλοκἀγαθία, ἐπιείκεια, δικαιοσύνη, ἀρετὴ. hic intelligenda eſt, non τὸ χρήσιμον. Alioqui bonum etiam equum dicimus, qui ad equitandū & alios uſus paratus eſt: & equi bonitate, id eſt robore & celeritate, à latronibus & hoſtibus multi euadunt.*

Sunt enim rationis & orationis expertes.) *Ratio in controuerſiam uocatur à nonnullis, orationis & manuum quaſi prærogatiuam homini relinquentibus. Sed ſi quid in ijs quas brutas animantes dicimus, rationis in eſt, id ita eſt tenue, ſi cum homine conferatur, ut non maius appareat, quàm balatus ouis eloquentiæ Ciceronis comparatus. Vincimus igitur & ratione, & lingua, & manu, & uultu ad cœlos conuerſo, atq; utinam non multiplici etiam improbitate & impietate: cum proprium hominis & ornamentum & præſidium ſit Religio, de qua ſuprà aureum Mercurij Triſmegiſti dictum recitaui. Humanæ autem peruerſitatis cauſas monſtrant Theologi, uiri docti ſæpe mirantur.* Ratio brutorum tenuis.

CICERO.

Ac latiſsimè quidē patens hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes, ſocietas hæc eſt, in qua omnium rerum quas ad cōmunem hominum uſum Natura genuit, eſt ſeruanda communitas: ut quæ deſcripta ſunt legibus & iure ciuili, hæc ita teneantur, ut ſit cōſtitutum: è quibus ipſis cætera ſic obſeruentur, ut in Græcorum prouerbio eſt, Amicorum eſſe communia omnia.

Ac latiſsimè quidem patens.) *Præceptum de remotiſſimo gradu ſocietatis: Commodandum eſt, inquit, etiam ignotiſſimis, ſed ſine noſtro incommodo. Quæ tamen exceptio non ſordidè, ſed liberaliter eſt interpretanda, pro cuiuſq; facultatib. ne nimiū nobis decedere putemus, ſi alienos adiuuerimus.* Cauendæ ſordes.

In qua omnium rerum.) *Hic repetantur ea quæ ſuprà ſcripſit, his uerbi: Sunt autem priuata nulla natura, &c.*

Quas ad communem hominum uſum.) *Quid uerò illa non ad communem uſum cùm cæterorum animalium, tum hominum generauit? Num terram minus quàm ſolem, aerem, aquam, ſyluas? Sed terra, & quæ ex ea gignuntur, facta ſunt occupantium. Quòd ſi cætera quoq; liceret eodem modo conſtringere: ne ſolem quidem meridianum gratis intueri per quoſdam liceret.*

Vt ſit conſtitutum.) *Id eſt, Suum quiſque teneat, ne rapiat alienum: ne pœnas det legibus, ſi quis ita ferus eſt, ut non curet æquitatem.*

Peregrinis beneficiendum, ſed non temerè fidendum.

Amicorum omnia eſſe communia.) *Notetur hoc diligenter, omnes homines amicos eſſe iudicandos, nec ullum propter nationem aut linguam diuerſam auerſandum, niſi aliæ cauſæ acceſſerint. Vigilantia quidem opus eſt cum exteris nationibus rem habenti, propter ingeniorum & morum diſsimilitudinem, & animorum alienationem: cuius, quæ cauſæ eſſe uiderentur, in Panegyrico Iſocratis eſt à nobis expoſitum.*

CICERO.

Omnia autem † communia hominum uidentur ea, quę ſunt generis eius quod ab Ennio poſitum in una re, trãſferri in permultas poteſt:

Homo qui erranti comiter monſtrat uiam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit,
† Nihilo minus ipſi ut luceat, cum ille accenderit.

Vna enim ex re † ſatis pręcipitur, ut quicquid ſine detrimento poſsit commodari, id tribuatur cuiq; uel ignoto. Ex quo ſunt illa communia: Non prohibere † aqua profluente. † Pati ab igne ignem capere: Si quis uelit, conſiliũ fidele deliberanti dare. Quæ ſunt his utilia qui accipiunt, danti non moleſta. Quare & his utendum eſt, & ſemper aliquid ad communem utilitatem afferendum.

† *V. L. communia omnium. Vt nihilominus. Aquam profluentem. Pati ab igne ignem capere, ſi quis uelit: conſilium &c. Satis percipitur.*

πολυπραγμοσύνη & curioſitas cauenda.

(Si quis uelit) conſilium, &c.) *Ea quæ antecedunt, & ſatis perſpicua ſunt, & admonitionem non deſiderant. Parentheſis autem hæc eò referenda eſt, ne temerè alienis deliberationibus (quod & importunum & ſuſpectum fuerit) nos ingeramus: ſed ut rogati, operam non negemus. Quo in genere permulti peccant, non homini tantum, ſed & Dei optimi maximi conſilijs ſumma impudentia ſeſe ingerentes, & alia atque alia nefario ſcelere & immani furore calumniantes. At aiunt: A Deo quidem rectè omnia fieri, non ignoramus: ſed illud quærimus, an à Theologis Deo rectè tribuantur ea, quæ tribuuntur. Quæritote igitur uos. Ego hic minus ſapere & ſtultior eſſe malo, quàm dare pœnas curioſæ impietatis, & inſanientis (ut Horatius ait) ſapientiæ conſultus errare, parcus Deorum cultor & infrequens.*

Arcana Dei non inquirenda.

Moleſta fieri ea etiã, quæ moleſta non ſunt.

Danti non moleſtum.) *Scilicet, Quia nihil de prudentia decedit, ſed ei potius accedit aliquid. Moleſta tamen & incommoda fiunt hæc etiam aliquando, propter iacturam temporis, priuatis rebus & ſtudijs impendendi, ſi plures ſint qui importunè & ſæpius interpellent. Incommoda inquam & moleſta hæc fiunt, non autem facienda eſſe nego. Neque ſtudiorum oblectationem*

tionem uitæ uſui & commodis antepono. Imò hoc ipſo conſilio & duce uacandum ſtudijs puto, ut alijs cum plus ſapueris, eos conſilio iuues: & quæ condidiſti longi temporis lectione ac meditatione, depromas tandem, & tibi uni ſapere deſinas: ut omnis uirtutis laus in actione conſiſtat. Neq; uerò ij tantum agunt, opinor, qui bella gerunt, aut cauſas agũt: ſed & ij, niſi fallor, qui libros ſcribunt, qui alijs fideliter inſeruiunt. Quæ duæ res ſi quid ualeant, ignauiæ mihi crimẽ quis impinget? Nam à prima adoleſcẽtia & aulica & ſcholaſtica ſeruitus me tenuit occupatum: & ea uolumina in publicũ edidi (non dico quàm bona & utilia: nõ enim id nunc agitur) quæ ſuſtinere uix, geſtare ne uix quidem poſſim. Vnde uitæ meæ non ignarus, & laborum meorum æquus æſtimator facilè colliget, tantum mihi ad delectationem ſtudiorum relictum fuiſſe temporis, quantum ſomno, relaxationibus animi & curationi corporis detraxerim. Inuitus equidẽ facio, ut de me ipſe loquar. Nam quid inde ſperem, niſi naſum audientiũ? Sed αἱ ὑποψίαι καὶ συκοφαντίαι ſæpè faciũt τὴν περιαυτολογίαν neceſſariam. Quaſi prolixiore liceat uti, etiam illud addere poſſim, me non in minima parte incommodorum meorum hoc numerare, quòd doctrinam meam (ſi qua tamen illa eſt, & quantulacunq; eſt) pluribus impertiendi non datur occaſio. Sed ad inſtitutum redeamus.

CICERO.

Sed quoniam copiæ paruæ ſingulorum ſunt, eorum autem qui his egeant, infinita eſt multitudo: uulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennij finem, NIHIL OMINVS IPSI VT LVCEAT: ut facultas ſit, qua in noſtros ſimus liberales.

Sed quoniam copiæ paruæ.) *Scilicet, ſi conferantur cum magnitudine ſumptuum. Eſt hic locus conſiderandus, non ἁπλῶς, ſed κατὰ τὸ πρός τι. Sic Craſſus per ſe ditiſſimus, pauper ſibi uidebatur, quòd ſuis fructibus exercitũ alere non poſſet. Id enim ſua intereſſe putabat. Nos, quibus ſatis eſt, nos & noſtros alere, nihil tale deſideramus: abunde beati & diuites, cum non multum ſit, nihil ſi deſit. Sed ridemur ob hanc moderationem animorum, & æquitatem, ab auaris & ambitioſis iſtis, εἰδότων, καὶ τῶν ἑλλήνων καὶ τῶν βαρβάρων τούτους μάλιστ' εὐδαιμονοῦντας, οἳ τοὺς ὁμόρους ἀναστάτους ποιήσαντες, ἄφθονον καὶ ῥᾴθυμον αὑτοῖς κατεσκεύασαντο τὸν βίον. Sed dicant illi nobis, quæ uirtus, quæ gloria ſit, per iniuriam & uim oppreſſis imbecillioribus, & opibus cumulatis, luxurioſè uiuere?*

CICERO.

Gradus autem plures ſunt ſocietatis hominum. Vt enim ab illa infinitate diſcedamus: propior eſt eiuſdem gentis, nationis, linguæ, qua maximè homines coniun-

guntur. Interius etiam eſt, eiuſdem eſſe ciuitatis. Multa enim ſunt ciuibus inter ſe communia: forum, fana, porticus, uiæ, leges, iura, iudicia, ſuffragia, conſuetudines præterea, & familiaritates: multæ'que cum multis res, rationes'que contractæ. Arctior uerò colligatio eſt ſocietatis propinquorum. Ab illa enim immenſa ſocietate humani generis, in exiguum anguſtum'que concluditur. Nam cum ſit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi: prima ſocietas, in ipſo coniugio eſt: proxima, in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium Rei publicæ. Sequuntur fratrum coniunctiones: pòſt, conſobrinorum, ſobrinorum'que. Qui cum una domo iam capi non poſsint: in alias domos, tanquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia & affinitates: ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio & ſoboles, origo eſt rerum publicarum. Sanguinis autem coniunctio & beneuolentia, deuincit homines charitate. Magnum eſt enim, eadem habere monumenta maiorum: iiſdem uti ſacris: ſepulchra habere communia.

Gradus autem plures ſunt.) *Remotiſsima coniunctio ἡ ἀνθρωπίνης, omnes homines pares facit: ſed ciuilis coniunctio, diſcrimina quædam ſtatuit, quæ hic à Cicerone explicantur.*

Linguæ, quia maximè homines.) *Eſt enim ſermo inſtrumentum ſocietatis. Commendatur hic φιλοπροσηγορία καὶ εὐπροσηγορία, comitas & affabilitas.*

Multa de industria uideri à Cicerone prætermiſſa.

Prima ſocietas in ipſo coniugio eſt.) *Hîc locus eſſet diſputandi de officio mariti & uxoris: id quod duobus uoluminibus fecit Io. Ludouicus Viues. De educatione liberorum: quod argumentum ante alios tractauit Plutarchus. multa item alia ſcribi potuiſſent, quæ Cicero ſuo quodam conſilio nō attigit, ſiue quòd ea in medio poſita, iudicauit ex ipſo uſu & conſuetudine diſci rectius: ſiue quòd ſparſim ea dixit, unde huius etiam generis præcepta facile poſsint colligi. Maximè autem prolixitatis uitaſſe faſtidium uidetur, præceptis generalibus & præcipuis contentus.*

Vna domus, communia omnia.) *Scilicet, χρήσει, καὶ οὐ κτήσει. Nam communitas adeò in ciuitatibus locum non habet, ut etiam in eadem domo coniunctiſsimis ſit moleſta.*

Id autem

Id autem eſt principum.) *Hac de re conſulatur primus Politicorum Ariſtotelis.*

Et quaſi ſeminarium Reipublicæ.) *Sed quoniam,*

Neglectis urenda filix innaſcitur agris:
Seminarium hoc diligenter repurgandum eſt, ne
Infelix lolium & ſteriles dominentur auenæ:

Inſtituendæ pueritię maiorem & acriorem curam eſſe ſuſcipiendam.

Hoc eſt, adhibenda puericiæ & adoleſcentiæ accurata inſtitutio & educatio, domeſticaq; diſciplina cum ſcholaſtica coniungenda. Quod cum uulgus minimè faciat, & porcum diligentius ferè curet quàm filium: autoritate & imperio magiſtratuum adigendum erat, & adiuuandum, ut pueros grauioribus operibus nondum idoneos, uernaculis ſaltem literis, & elementis pietatis imbuendos curaret. Sic minus eſſet ignauiæ, petulantiæ, mendicitatis. Mediocria enim ingenia ſalutaribus monitis & præceptis à prima ætate erudita, per omnem uitam à turpitudine magis abhorrent, & honeſtatem magis amant. Sed ne ſutor (quod aiunt) ultra crepidam: etſi nos nihil niſi hãc crepidam utrunq; conſumus.

CICERO.

Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quàm cum uiri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate coniuncti.

Sed omnium ſocietatum.) *De hoc loco conſulatur Lælius Ciceronis. Gradus autem cognationum & affinitatum, diligentiſſimè à Iuris conſultis explicantur.*

CICERO.

Illud enim honeſtum (quod ſæpe diximus) etiam ſi in alio cernimus, tamen nos mouet: atq; illi, in quo id ineſſe uidetur, amicos facit.

Illud enim honeſtum.) *Notetur cauſa efficiens amicitiæ bonorum uirorum. Nam uulgus ſpe utilitatis, & uoluptatis illecebris magis mouetur.*

Quod ſæpè diximus.) *Tota enim doctrina morum quid aliud eſt, niſi explicatio honeſtatis, naturâ inſitæ mentibus humanis?*

CICERO.

Et quanquam omnis uirtus nos ad ſe allicit, facitq; ut eos diligamus, in quibus ipſa ineſſe uideatur: tamen iuſticia & liberalitas id maximè efficit. Nihil autem eſt amabilius, nec † copulatius, quàm morum ſimilitudo bonorum. In quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædem uoluntates: in

tes:in his fit,ut æquè quiſq; altero delectetur,ac ſeipſo:efficiturq; id quod Pythagoras uult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus.

† *V. L. Copulantius.*

Liberalitas gratioſa.

Iuſticia improbis inuiſa.

Fortitudo cur primo loco tractata ab Ariſtotele.

Et quanquam omnis uirtus.) *Confert ſpecies, iuſticiam & liberalitatem, cum genere, id eſt uirtute: & huic illas præfert. Ac ad liberalitatem quidem quod attinet, ea planè gratioſa eſt apud omnes: exceptis Euclionibus, qui ſuam exiſtimationem aliorum imminui benignitate putant: & ijs qui ſe præter meritum præteritos & neglectos eſſe queruntur. De iuſticiæ autem ea parte qua plectuntur ſontes, etiam atq; etiam dubites, cum, ſi non plures, multi tamen ſint improbi: qui quidem omni uirtuti inuideāt, obtrectent, obſiſtant, inſidientur, uim etiam faciant, ſi poſſint. Quæ inter alias Ariſtoteli etiam cauſa fuiſſe uidetur, cur Fortitudinem in prima uelut acie collocarit: quòd ſine generoſa indole, & præſtantis animi robore, cæteræ uirtutes locum tueri ſuum non poſſint. Nec enim noſter autor in ſuis de Republica libris fruſtrà & temerè ſcripſit: » Aut ingratos uniuerſos, aut inuidos multos, aut ini- » micos potentes, ſuis uirtutem præmijs ſpoliare: nec illam ſe multis ſolatijs ob- » lectare, maximeq; ſuo decore ſeipſam ſuſtentare. Sed hoc loco de diligēdi cauſis, non beneuolentiam populi, ſed amorem ſingulorum conciliantibus agit: & ut ſuprà lenioribus uirtutibus Modeſtiæ & Iuſticiæ in beneficentia principatum dedit, ita hic Iuſticiam & Liberalitatem in amicitia cæteris uirtutibus præfert, paulatimq; adiungit morum ſimilitudinem.*

Nihil autem eſt amabilius.) *Ariſtoteles in Oeconomicis, contrario dictum hoc illuſtrat:* αἱ ἀνομοιότητες, *inquit,* τῶν ἠθῶν ἥκιστα φιλικόν: *Nihil, inquit, eſt uel ad conſtituendam, uel ad tuendam amicitiam minus aptum, quàm diſſimilitudo morum.*

Nec copulatius.) συνεκτικώτερον. *Copulantius, id eſt quod magis copulet, etſi Græcæ uoci magis reſpondet: tamen perquam durum uidetur. Si autem, Cæſare autore, delectus uerborum origo eſt eloquentiæ, & uerbum inuſitatum tanquam ſcopulus fugiendum, & multa librarios deprauare conſtat: equidem rara omnia, tanquam ſuſpecta & dubia, uito, ſed idem non reprehendo.*

Eadem ſtudia.) *Si neq; ad quæſtum, neque ad ambitionem referantur. Nam alioqui*

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ,
καὶ πτωχὸς πτωχῷ. —— &,
Nulla fides regni ſocijs, omniſq; poteſtas
Impatiens conſortis erit. ——

Amicitia copulat, odium diuellit.

Vnus fiat ex pluribus.) ἡ φιλία ἰσότης, καὶ μία ψυχή, καὶ ὁ φίλος ἕτερος αὐτός. *Amicitia, inquit Pythagoras, eſt æqualitas, & unus animus, & amicus alter ipſe. Cuius eſt & per uulgatum illud,* κοινὰ τὰ τῶν φίλων.

Amor

Amor enim coniungit, odiũ diſtrahit. Vnde Ariſtoteles φίλον *definit,* μίαν ψυχὴν δύο σώμασιν ἐνοικοῦσαν: *Amicus, inquit, eſt unus animus in duobus habitans corporibus. Noſtrates autem craſsius, duos animos eſſe dicunt, & unum corpus: amicitiam, meretricio potius quàm philoſophico more definientes.*

CICERO.

Magna etiam illa cõmunitas eſt, quæ conficitur ex beneficijs ultrò citroq; datis & acceptis. Quæ mutua & grata dũ ſunt, inter quos ea ſunt, firma deuinciũtur ſocietate.

Deſcribitur hîc uulgaris amicitia, quam mutui auxilij indigentia conciliat. Nam

Vulgus amicitias utilitate probat.

Adoleſcentia uoluptate mouetur, & iuuenilibus ingenijs uiri. Paucos uirtus allicit ad diligendum: à qua nec utilitas maxima, nec uoluptas ſeiungitur.

CICERO.

Sed cum omnia ratione, animoq; luſtraueris: omnium ſocietatum nulla eſt grauior, nulla charior, quàm ea quæ cum Republica eſt unicunque noſtrûm. Chari ſunt parentes: chari liberi, propinqui, familiares. Sed omnes omnium charitates patria una complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?

Sed cum omnia ratione, animoq;.) *Rempublicam ſiue patriam in beneficentia, per contentionem, reliquis omnibus coniunctionibus anteponit.* Patriæ charitas. *Cauſæ in promptu ſunt, quòd ea reliquorum omnia officia quodammodo continet: & à Sophocle eleganter naui comparatur, qua incolumi, ſalui ſunt nauigantes: eademq; fracta, periclitantur omnes. uerba eius ex Antigona ſunt,*

τοῦτο γιγνώσκων, ὅτι
ἥδ' ἐστὶν ἡ σώζουσα, καὶ ταύτης ἔπι
πλέοντες ὀρθῆς τοὺς φίλους ποιούμεθα.

Pro qua quis bonus.) *Sic & Horatius: Dulce & decorum eſt (inquit) pro patria mori. Vt autem ijs parentibus, Ariſtotele autore, qui etiam erudierunt, plus debetur, quàm ijs qui genuerunt tantùm: quod hi uitæ, illi beatæ uitæ largitores extiterunt: ita etiam de patria ſentiendum, &, quæ patriæ humilioris munus explent, Academijs.*

Si ei ſit profuturus.) προσδιορισμὸς *neceſſarius. Cato Vticenſis, cum ipſe ſibi manus attulit, patriæ nihil profuit: ſed priuato pudori ſuo, ut putabat, conſuluit. Contra Menœceus, Macaria, Decij, Codrus, & alij plures,*

A morte

morte ſua uictoriam peperiſſe patriæ feruntur: diabolo ſcilicet humanas hoſtias flagitante.

CICERO.

Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui lacerarunt omni ſcelere patriam: & in ea funditus delenda, occupati & ſunt, & fuerunt.

Triumuirorum inſectatio.

Quo eſt deteſtabilior.) *Aptè digreditur in inſectationem eorum, qui Rempublicam labefactarant. uidentur autē perſtringi non tam Catilina cum factione ſua, & Clodianæ operæ (nam hi minus potuerūt, quamuis eis nocendi uoluntas non defuerit) quàm Cinna, Marius, Sylla, Cæſar, iam mortui: & qui adhuc ſuperſtites erant triumuiri, Antonius, Lepidus, Octauius, qui pòſt Auguſtus dictus eſt.*

Lacerata patria.

Qui lacerarunt.) *Referenda hæc uerba ſunt ad labefactatū ueteris Reipub. ſtatum, uiolatas leges: & oppreſſam libertatem. Nam quod ex Iſocrate ſuprà citauimus, πᾶσα πολιτεία ψυχὴ ἐστὶ τῆς πόλεως: qua ſublata, cadauer tantùm ciuitatis reſtat, quamuis ædificia priuatæq́; opes integræ ſint.*

CICERO.

Sed ſi contentio quædā & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officij: principes ſunt patria & parentes, quorum beneficijs maximis obligati ſumus: proximi liberi, totaq́; domus, quæ ſpectat in nos ſolos, neq; aliud ullum poteſt habere perfugium. Deinceps bene cōuenientes propinqui, quibus cum communis etiam fortuna plerunq; eſt. Quamobrem neceſſaria præſidia uitæ debentur his maximè, quos antè dixi.

Sed ſi contentio quædam.) *Nunc tandē diſertè explicat, quibus plurimum officiorum debeatur.*

CICERO.

Vita autem, uictusq́; communis, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, interdum etiam obiurgationes, † in amicitijs uigent maximè. Eſtq́; ea iucundiſsima amicitia, quam ſimilitudo morum coniugauit.

† *V. L. in amicis: ideſt, inter amicos.*

Vita autem uictusq́; communis.) *τὴν συμβίωσιν, hoc eſt crebros congreſſus & familiaritatem potius intelligo, quam habitationem in iiſdem ædibus, & menſam perpetuò communem. Quæ etſi nihil habent abſurdi, (præſertim cum probabile ſit, ut arctius amicitiæ uinculum apud ueteres, ita maiorem etiam fuiſſe familiaritatem) nunc tamen non ferè locum habent niſi in-*

niſi inter cœlibes, & anguſtè habitantes. Nam quod Lælius ait, cum Scipione ſibi domum fuiſſe & militiam communem: perinde accipio, ac ſi dixiſſet, ſe domi militiæq; uixiſſe cum eo familiariter.

Conſilia, ſermones.) *Obſeruentur hæc amicitiæ officia, quæ facilius intelliguntur, quàm à pleriſq; præſtantur.*

CICERO.

Sed in his omnibus officijs tribuendis, uidendum erit, quid cuiq; maximè neceſſe ſit: & quid quiſq; nobiſcum, uel ſine nobis, aut conſequi poſsit, aut non poſsit.

Sed in his omnibus officijs tribuendis.) *Beneficentiæ gradus hos ſtatuit: 1. Patriam & parentes: 2. liberos, totamque domum: 3. propinquos, hoc eſt, benè conuenientes, cognatos & affines: 4. amicos & familiares: 5. ciues: 6. eiuſdem nationis, gentis, & linguæ homines. Vt extremum & remotiſsimum locum teneat rationis & orationis ſocietas, id eſt ἡ ἀνθρωπότης. Nunc addit exceptionem, ſiue generalem regulam: Neceſsitas (inquit) aliquãdo hunc ordinem mutat & inuertit, ut non coniunctiſsimi, ſed egentiſsimi ſint adiuuandi. Egentiſsimi autem ritè habentur, qui & à pecunia inopes, & nullius conſilij ſunt, modò abſit pertinacia & negligentia. Nam ſi quis ad me, tali præditus ingenio, ueniat, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium expetens, ei reſpondeam: Neque pol conſilij locum habeo, neque auxilij copiam, δρῶν σε ἄνθρωπον ὄντα ἄθλιον φύσει: hoc eſt, præ cæteris egregiè ad miſeriam te natum eſſe cum uideam.*

Neceſsitate naturalis cõiũctionis ordinem immutari.

Pertinacibus & negligentibus conſuli non poſſe.

CICERO.

Ita non ijdem erunt neceſsitudinum gradus, qui & tẽporum: ſuntq; officia, quæ alijs magis quàm alijs debeantur: ut uicinum citius adiuueris in fructibus percipiendis, quàm aut fratrem, aut familiarem. At ſi lis in iudicio ſit, propinquum potius & amicum quàm uicinum defenderis.

Ita non ijdem erunt.) *Hoc eſt, Tempora (ſic enim Græci etiam ueteres τοὺς καιροὺς ἀντὶ τῶν περιστάσεων uſurpant) mutant aliquando gradus hos.*

Vt uicinum citius.) *Propter loci propinquitatem & mutuam operam, ſi fuerit opus.*

At ſi lis in iudicio.) *Hic naturalis neceſsitudo plus ualet, quàm uicinia. Et tamen ſumma ope nitendum, ut uicini ſint amiciſsimi.*

φίλοι γὰρ τῆλε οἰκοῦντες, οὐκ εἰσὶ φίλοι: Non amici ſunt, ut aiunt Græci, amici qui procul habitant: hoc eſt, ſæpe cum maximè opus eſt, adiuuare non poſſunt.

CICERO.

Hæc igitur, & talia, circumſpicienda ſunt in omni officio: & conſuetudo exercitatioq́ capiẽda, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſsimus: & addendo deducendoq́ uidere, quæ reliqui ſumma fiat: ex quo, quantũ cuiq́ debeatur, intelligas.

Exercitatio uirtutis adhibenda.

Et conſuetudo exercitatioq́ capienda.) *Tota doctrina morum finem habet practicum: hoc eſt, traditur non ſciendi tantum, ſed etiam agendi cauſa. Monet igitur, exercendo præcepta hæc rectiſſimè intelligi. Cum autem (ut initio dixit) nulla uitæ pars officio uacare poſsit: facilis eſt hæc exercitatio, & quotidiana, in rebus gerendis uerſanti: modò præcepta hæc in promptu ſint, & tanquam regulæ omnium dictorum & factorum adhibeantur. Sed homines ſtudioſi in ſuis Muſæis deliteſcentes, cum ad agendum uentum eſt, caligant & æſtuant,* ἅτε ἄπειροι ὄντες τῶν κατὰ τὸν βίον πραγμάτων, *ut ait Ariſtoteles. Itaq; ridentur à callidis & exercitatis, ut qui ſtudijs uitæ inutilibus ætatem conſumpſerint: atque etiam decipiuntur. Quaſi uerò id ſit actionum uitæ gnarum eſſe, fraudare & circumuenire incautos: & non potius nihil ſit homine indignius. Sed faciunt illi ſcilicet nihil alienum ſua diſciplina, cuius ſapientia eſt, quouis modo aut retinendæ aut acquirendæ pecuniæ intelligentia. Quare ſi cum talibus res erit, ſobrius quiſq; ſit: & neruos atq; artus eſſe ſapientiæ meminerit, non credere.*

Imperitia ſcholaſtica & uſui & prædæ eſt callidis hominibus.

CICERO.

Sed ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quãuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum, ſine uſu & exercitatione conſequi poſſunt: ſic officij conſeruandi præcepta traduntur illa quidem, ut faciamus ipſi, ſed rei magnitudo uſum quoq́ exercitationemq́ deſiderat.

Exercitatio uirtutis homine digniſſima.

Sed ut nec medici.) *Similitudine aliarum artium declarat, præcepta morum, niſi ad rem conferantur, eſſe inania. Quæ autem honeſtior, quæ laudabilior, quæ homine dignior, quæ utilior & iucundior (ſi uerè quis æſtimet) exercitatio poſſit eſſe illa, qua naturæ, id eſt Deo pareas: & uir bonus, amicus bonus, ciuis bonus euadas?*

Rei magnitudo.) *At uulgus hominum paruam eſſe rem, & facilem putat, fieri bonum uirum: eſſe autem bonum, ut difficile non ſit, at permanere eſt difficile. Vnde uulgari ioco dicitur, probitatem rem eſſe præclaram: quòd facile, ſi uelis, eam poſsis abijcere. Illud magni faciunt, poſſe incautos in fraudem illicere, & circumſcribere malis artibus. Hic uir eſt, in quouis loco paratus:* ἅτε πανοῦργος, καὶ δεινὸς πράγμασι χρῆσθαι.

BENE-

BENEFICENTIAE, BENIGNITATIS SIVE Liberalitatis præcepta.

I.

Beneficentia ac Liberalitate nihil eſt naturæ humanæ accommodatius.

II.

Videndum eſt, 1, ne obſit benignitas, & iis ipſis quibus benignè uidebitur fieri, et cæteris. 2. Deinde, ne maior benignitas ſit quàm facultas. 3. Tum ut pro dignitate cuiq; tribuatur.

Declaratio dignitatis.

In delectu dignitatis, & mores eius erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur: & animus erga nos, & communitas ac ſocietas uitæ, & ad noſtras utilitates officia antè collata.

1. De moribus.

Nemo omnino eſt negligendus, in quo aliqua ſignificatio uirtutis apparet: colendus eſt autem ita quiſque maximè, ut quiſq; maximè uirtutibus his lenioribus erit ornatus, modeſtia, temperantia, ac ipſa Iuſticia.

2. De beneuolentia.

Illud eſt in officio, ut ei plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur.

3. De meritis.

Nullum officium referenda gratia magis neceſſarium eſt. 1

Maximo cuiq; beneficio plurimum debetur, præſertim ſi iudicio, conſideratè, conſtanterq; delatum ſit. 2

In collocando beneficio, & in referenda gratia maximè officij eſt, ut quiſque maximè opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari, ſi cætera paria ſint. 3

4. De neceſsitudine, ſiue coniunctione.

Optimè ſocietas hominum coniunctioq; ſeruabitur, ſi, ut quiſq; erit coniunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. 1

Gradus ſocietatis humanæ ſic iudicandi ſunt, ut principes ſint 2

1 *Patria & parentes.*

2 *Vxor, liberi, totaq; domus.*

3 *Benè conuenientes propinqui.*

4 *Amici & benè meriti.*

5 *Ciues.*

6 *Qui ſunt eiuſdem nationis & gentis.*

7 *Omnes homines: cuius ut naturalis, ita remotiſſimæ ſocietatis uinculum eſt, ratio & oratio.*

Quicquid ſine detrimento poteſt commodari, id tribuatur cuiq; uel ignoto: cuiuſmodi ſunt, 3

Comiter monſtrare uiam.

Non prohibere aqua profluente.

Pati ab igne ignem capere.

Si quis uelit, conſilium fidele deliberanti dare: & id genus alia, quæ ſunt ijs utilia qui accipiunt, danti non moleſta.

4 *Quoniam copiæ paruæ ſingulorum ſunt: eorum autẽ qui his egeant, infinita eſt multitudo: uulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennij finem, Nihilo minus ut ipſi luceat: ut facultas ſit, qua in noſtros liberales ſimus.*

5 *In omnibus officijs tribuendis uidendum eſt, quid cuique maximè neceſſe ſit: & quid quiſq; nobiſcum, uel ſine nobis, aut poſſit conſequi, aut non poſſit.*

6 ADMONITIO DE ACTIONE, IN QVA OMNIS laus uirtutis conſiſtit.

Officij conſeruandi præcepta traduntur illa quidem, ut faciamus ipſi: ſed rei magnitudo uſum quoq; exercitationemq; deſiderat. Omnis enim uirtutis laus in actione conſiſtit: eſtq; hoc genus doctrinæ eiuſmodi, ad quod nõ tantum mentis agitatio, ſed actio etiam quædam atq; exercitatio ſit adhibenda.

CICERO.

Atq; ab his rebus, quæ ſunt in iure ſocietatis humanæ, quemadmodum ducatur honeſtum, ex quo ortum eſt officium, ſatis ferè diximus.

Atq; ab his rebus.) *Tranſitio à Iuſticia ad Fortitudinem ſiue μεγαλοψυχίαν, tertium officiorum fontem. In qua obſeruetur hic climax: Natura fons eſt honeſti, ſiue uirtutum: honeſtum fons eſt officiorum.*

In iure ſocietatis humanæ.) *Ius hoc ſocietatis humanæ, ſit nobis iure litium & immanitatis antiquius.*

Copioſior iuſticiæ explicatio aliunde petenda. Iuriſprudentia.

Satis ferè.) *Quia non fuit huius inſtituti, ſubtilius & accuratius omnia perſequi, ſed δεῖγμα τῆς δικαιοσύνης ἐξηγεῖν. Reliqua petantur è libris de Legibus, de Republica, atq; adeò ex tota Iuriſprudentia, quæ ſe diuinarum atq; humanarum rerum noticiam, iuſti atq; iniuſti ſcientiam eſſe profitetur.*

CICERO.

Intelligendum autem eſt, cũ propoſita ſint genera quatuor: è quibus honeſtas officiumq; manaret, ſplendidiſsimum uideri, quod animo magno elatoq;, humanasq; res deſpiciente factum ſit.

Intelligendum eſt autem.) *Præceptioni de fortitudine & hic, ſuo more, commendationem præponit, ſumptam ab opinione populari: & tractatam per contentionem contrarij, id eſt ignauiæ, additis exemplis celeberrimis, & argumento à ſigno, id eſt ſtatuis.*

Fortitudo calamitoſa uirtus: ſapientia uerò beata.

Splendidiſsimũ uideri.) *Non tã fortè Ciceroni (ὅσγε τὰ ἐμφρόνως τὰ μετήρχετο ἔργα λόγοις, γνοὺς δήπουθεν ὅτι οὐκ ἐλάττονα πολεμικῶν ἔργα) quàm uulgo hominum: propterea quòd fortiter facta in ſenſus incurrunt, nec ſubtile iudicium requirunt, ut cæteræ uirtutes. Deinde propulſatio periculorum, & emolumenta uictoriæ, populi admirationem excitant. Alioqui ſi quis uerè indi-*

rè indicet, uirtus hæc ex humanæ naturæ miſeria & prauitate ortum habet. Nam ſi nulli eſſent improbi, nullæque calamitates: nihil opus eſſet hac uirtute. Et ſapientia, omnium conſenſu, palmam obtineret: cum hominis propria ſit mentis agitatio.

Quod animo magno elatoq́.) *Eſt deſcriptio quædã Fortitudinis. Cicero enim (ut ſæpè monui) perinuitus & rarò facit, ut definitionum anguſtijs ipſe ſeſe circumſcribat: ſed libera & copioſa oratione, ea quæ ad rem declarandam pertinent, exequi mauult, nec docere tantum, ſed mouere etiam, & delectare. Quare ne nos quidem methodum accuratè obſeruabimus, quod è ſcriptis Ariſtotelis & aliorum facere difficile non eſſet: ſed libertatem autoris noſtri bona cum uenia imitabimur. Quos autem methodica breuitas delectat, ijs in promptu eſſe debent, doctiſſimi libelli Ariſtotelis & Plethonis de uirtutibus.*

Cicero non temerè ſe demittit in definitionũ anguſtias.

Libelli de uirtutibus.

Animo magno.) *magnas res appetente.*

Elatoq́.) *non humili & abiecto, ſed altè ſpectanti. ſicut monet Nazanzenus hoc uerſu:*

Elatio animi.

Θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων δ' ἐπιλήθεο πάμπαν.

Elationis enim uocabulum Ciceroni plerunq; honeſtum eſt, & ad μεγαλοψυχίαν *potius quàm ad* ἀλαζονείαν καὶ ὑπερηφανίαν *refertur.*

Humanasq́ res.) *Ideſt, fortuitas & externas, fortunæq́; ludibria. Platonem quidem duo bonorum genera facere, ſupra diximus:* θεῖα μὲν φρόνησιν, δικαιοσύνην, μεγαλοψυχίαν, σωφροσύνην: ἀνθρώπινα δὲ, κάλλος, ῥώμην, εὐγένειαν, ὑγίειαν, πλοῦτον. *id eſt, Diuina, prudentiam, iuſticiam, magnanimitatẽ, modeſtiam: Humana, formam, uires, nobilitatem, ſanitatem, diuitias, &c.*

Platoni duo ſunt bonorũ genera.

CICERO.

Itaq; in probris maximè in promptu eſt, ſi quid tale dici poteſt:

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem,

Illaq; uirgo uiri.† & ſi quid eſt eiuſmodi:

Salmaci da ſpolia, ſine ſanguine & ſudore.

Contraq; in laudibus, quæ magno animo & fortiter excellenterq; geſta ſunt: ea neſcio quo modo quaſi pleno ore laudamus.

† *V. L. Et ſi quid huiuſmodi. Salmacida ſpolia ſine ſudore & ſanguine. Pleniore ore.*

Itaq; in probris.) *Quemadmodum (inquit) ſummum dedecus habetur ignauia: ita ſumma fortitudinis laus eſſe putatur. Hæc uerba Ciceronis Plutarchus propemodum expreſſiſſe uidetur libello de Pueris educandis, cum de labe generis loquens:* ὀνείδη, *inquit,* πρόχειρα τοῖς ἐλέγχειν καὶ λοιδορεῖσθαι βουλομένοις.

CICERO.

Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, † Leuctris. Hinc noſter Cocles, hinc Decij, hinc Cn. & Pub. Scipiones, hinc M. Marcellus, & innumerabiles alij. Maximeq́ꝫ ipſe populus Romanus, animi magnitudine excellit. Declaratur etiam ſtudium bellicæ gloriæ, quòd ſtatuas quoq́ꝫ uidemus ornatu ferè militari.

† *V. L. Leuctris. Stratocle. Alij, Stratoq́;. Sed plerique codices, & ij quidem qui emendatiores uidentur, neutrum habent. Neque ego Stratoclem ſiue Rhetorem ſiue ducem ſcio: neq; Straton urbem tam celebrē, cuius in hoc catalogo meminiſſe uideatur operæ precium: undecunq; iſta irrepſerint.*

Hinc Rhetorum campus.) *Hoc eſt, Rhetores diſcipulos ſuos in genere demonſtratiuo potiſſimùm exercere ſolent. Neq; uerò ulla uirtus materiam æquè uberem & magnificam declamaturis ſuppeditat, ac Fortitudo, propter & popularem opinionem, ut dixi, & rerum geſtarum amplitudinem ac difficultatem.*

Hiſtorias priuato auditorũ ſtudio eſſe legendas.

De Marathone.) *Hiſtoriæ iſtæ petendæ ſunt è ſuis autoribus, Herodoto, Xenophonte, Thucydide, Plutarcho, Liuio, Floro, Iuſtino: qui priuato ſtudio per ætatem ab adoleſcentibus legendi ſunt, adiuncta etiam Geographia & Chronologia, ſine quibus ueluti cæcæ ſunt hiſtoriæ. Neque enim à præceptore omnia, neq; eodem tempore doceri poſſunt, aut debent. Opus igitur eſt priuato ſtudio, & longiore tempore.*

CICERO.

Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, ſi iuſticia uacat, pugnatq́ꝫ non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in uitio eſt. Non modò enim id uirtutis non eſt, ſed eſt potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaq́ꝫ probè à Stoicis definitur fortitudo, cum eam uirtutem eſſe dicunt, † propugnantem pro æquitate.

† *V. L. pugnantem.*

αἱ περὶ τὴν ἀνδρείαν ὑπερβολαὶ καὶ ἐλλείψεις.

Fortitudinis ſpecies & officia.

Sed ea animi elatio.) *Separat hic fortitudinem à temeritate ſiue audacia. Sunt enim hæ, ut & pertinacia, immanitas, arrogantia, crudelitas, confidentia, moroſitas, iracundia, ambitio, hyperbolæ: ut contrà ἐλλείψεις, ignauia, ſtupor, mollicies, pigritia. Cognata fortitudinis ſunt, fiducia, tolerantia, μακροθυμία, φιλοπονία. Species fortitudinis tres cōſtitui poſſunt, bellica, ciuilis, & priuata: quæ à nonnullis etiam Philoſophica dicitur. Ipſa autem fortitudo primùm res humanas, id eſt fortuitas contemnit, tam aduerſas quàm ſecundas mo-*

das moderatè ferens: deinde pericula neceſſaria & labores atq; moleſtias non reformidat: deniq; res arduas, magnas atq; utiles gerit.

Sed pro ſuis commodis.) *Scilicet πλεονεκτικῶς, cum iniuria aliorum: ut Philippum Macedonem Demoſthenes, C. Iulium Cæſarem & M. Antonium Cicero ſubinde criminantur. Nam alioqui natura ipſa hominem in primis ſui ipſius rationem habere iubet.*

Itaq; probè definitur à Stoicis.) *Virtus enim, genus eſt: pugnare pro æquitate, differentia: qua & à cæteris uirtutibus, & à temeritate atq; audacia, quæ pro ſuis affectibus, ſuaq; libidine pugnant, diſtinguitur.*

CICERO.

Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt, inſidijs & malicia laudem eſt adeptus. Nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod iuſticia uacat.

Quocirca nemo.) *Non tantum iniuſticia, ſed etiam calliditas à fortitudine aliena eſt: ut ſuprà dixit, iniurias uel ui fieri, uel fraude. Eſt enim hoc τοῦ τρόπου: ſicut & illud, Vtrum iniuria conſultò, an repentino aliquo animi motu inferatur. Poſſit hic diſputari de ſtrategematibus, quæ ut in re militari plurimum ualēt, in qua fortitudo maximè cernitur: ita inſidijs & dolo maximè conſtant, uulpinamq; pellem cum leonina coniunguntur: atq; adeò ſæpenumero pluſquàm arma, idq; minore cum iniuria generis humani, efficiunt. Sed ea diſputatio non pugnat cum hoc loco. Nam legitima quoq; bella propugnant pro iuſticia: in quibus huiuſmodi artes & calliditates, perfidia tamen remota, celebrantur. Vnde pòſt, Hannibalis & Fabij calliditas probatur, qui facilè cælarent, tacerent, diſſimularent, inſidiarentur, præriperent hoſtium conſilia.*

Nihil enim honeſtum.) *Perpetuò tenendum eſt illud quod ſuprà dixit, uirtutes inter ſeſe colligatas atq; implicitas eſſe: quæ & diſciplinarum liberalium ratio eſt, unde τῆς ἐγκυκλοπαιδείας nomen extitit.*

CICERO.

Præclarum igitur illud Platonis: Non ſolum, inquit, ſcientia, quæ eſt remota à iuſticia, calliditas potius quàm ſapientia eſt appellanda: uerùm etiam animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quàm fortitudinis.

Præclarum igitur Platonis.) *Dictum de iuſticiæ cū fortitudine cōnexione illuſtrat autoritate Platonis: eiusq; ſententiæ de ſapientia, per collationem attexit ſimilem ſententiam de fortitudine. Etſi Plato non tantum iuſticiam, ſed cæteras etiam uirtute. cum ſapientia coniungi uult. Addit enim, καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς.*

Si ſua cupiditate.) *Scilicet, Iniuſta: hoc eſt, διὰ πλεονεξίαν. Cupiditates autem intelligi poſſunt, uel pecuniæ, uel gloriæ, uel uoluptatum, uel ultionis.*

CICERO.

Itaque uiros fortes & magnanimos, eoſdem bonos & † ſimplices, ueritatis amicos, minimeꝙ fallaces eſſe uolumus: quæ ſunt ex media laude iuſticiæ.

† *V. L. Simplicis ueritatis.*

Itaque uiros fortes & magnanimos.) *Cognata fortitudinis recenſet.*

Aliud eſt ſimplicitas aliud ſtulticia.

Et ſimplices.) *Aliud eſt ſimplicitas, aliud ſtulticia. Stultus neque bona, neq; mala ſatis intelligit: ſimplex, cùm utraq; intelligat, mala deteſtatur, bona autem perſequitur. Sic Laertius* εὐήθειαν *à Platone in bonam partem uſurpari affirmat, ut & in Euripidis Licymnio, cum de Hercule loquens,* εὐήθης *(inquit)* φαῦλος, ἄκομψος, τὰ δὲ μέγιστα ἀγαθός, πᾶσαν ἐν ἔργῳ περιτέμνων σοφίαν. *Quæ uerba etſi difficulter latinè poſſunt exprimi, ſic tamen utcunq; interpremur: Bonus eſt, comis, ſimplex, ſed ad res maximas gerendas aptus, omnem ſapientiam in rectè factis collocans. Rectius uidentur alij legere,* Simplicis ueritatis amicos*: ut & Euripides,*

ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

φιλαλήθεια, [illegible]

Quæ ſunt ex media laude.) τὴν φιλαλήθειαν *alij prudentiæ adiungunt: & rectè quidem, cum uera intelligere ſtudemus. Sed & ad iuſticiam commodè refertur, cum ea quæ uera eſſe intelleximus, liberè & citra fucum & loquimur, & adminiſtramus.*

Ex media laude iuſticiæ.) *Medium pro optimo & perfectiſſimo uſurpatur.*

CICERO.

Sed illud odioſum eſt, quòd in hac elatione & magnitudine animi, facilimè pertinacia & nimia cupiditas principatus innaſcitur. Vt enim apud Platonem eſt, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate uincendi: ſic ut quiſque animi magnitudine maximè excellit, ita maximè uult princeps omnium, uel potius ſolus eſſe.

Sed illud odioſum eſt.) *Vitia ſunt uirtutibus finitima: eaq; de cauſa diligenter monſtranda, ut uitentur. Nec mihi etymologia hæc diſplicet, uitia dici à uitando. Quam utinam teneremus, eaque diligentiſſimè uitaremus.*

Pertinacia.) *Hanc à pertendendo uel tenendo dici uolunt, cum de iniuſta ſen-*

ſta ſententia decedere nolumus. Huic contraria uirtus, perſeuerantia & conſtantia dicitur.

Principatus.) *Φιλαρχία græcè dicitur, cum non propter publicam utilitatem, ſed priuati ſplendoris cauſa, & licentiæ, magiſtratus expetuntur. Hi τυραννικοὶ καὶ ὀλιγαρχικοὶ dicuntur, & omnibus temporibus inuiſi populo fuerunt.*

Innaſcitur.) *Sic Iuuenalis:*

Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Innuit igitur, doctrina excolendum eſſe animum: ac diligenter cauendum, ne ſpecie uirtutis uitium obrepat. Et quidem quo maiore quiſque eſt animo, eo diligentius eum ad æquitatem & moderationem erudire eſt opus.

Vt enim apud Platonem eſt.) *Iterum autoritate ſummi Philoſophi, ſuam ſententiam communit atq; illuſtrat. Extat autem locus in Lachete, ſiue περὶ ἀνδρείας: τοῖς λακεδαιμονίοις οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ, ἢ τοῦτο ζητεῖν καὶ ἐπιτηδεύειν, ὅ,τι ἂν μαθόντες καὶ ἐπιτηδεύσαντες, οἷοί τ' ὦσι πλεονεκτεῖν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον.*

Omnem morem Lacedæmoniorũ.) *Hoc eſt, Lacedæmonios ijs eſſe moribus, ut nihil æquè ac uictoriam expetant. μέλει ἐπιτηδεύειν, curæ eſt ſtudere: Cicero conuertit, morem. πλεονεκτεῖν περὶ τὸν πόλεμον ζητεῖν, uincendi cupiditatem.*

Princeps omnium.) *Qualis α Iliados ab Agamemnone depingitur Achilles, his uerſibus:*

Ἀλλ' ὅδ' ἀνὴρ ἐθέλει περὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων,
πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλει, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν,
πᾶσι δὲ σημαίνειν. ——

Vel potius ſolus eſſe.) *ὑπερβολικῶς hoc dicitur: & ſic accipiendum eſt, quemadmodum apud Homerum Iliados μ Tireſias,* Arrogantia procerum.

οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.
Hic ſapit unus, ut umbra fugax uolat altera turba.

Eodem modo locupletes & arrogantes homines (quibus familiarem eſſe uelim Iſocratis ad Dionyſium epiſtolam) ſe ſolos ſapientes & uirtute præditos, ac deos quoſdam eſſe exiſtimant: cæteros uerò præ ſe contemnunt, pro nihilo putant, ab ijs omnia ſibi deberi, & in illos licere omnia ſibi falſo perſuaſum habent. Sic accipere malo, quàm repetere nomen Princeps, quod per ſe cæteros inferioris conditionis eſſe declarat.

CICERO.

Difficile aũt eſt, cum omnibus præſtare cõcupieris, ſeruare ęquitatẽ: quę eſt iuſticię maximè propria. Ex quo fit, ut neq; diſceptatione uinci ſe, nec ullo publico & legitimo iure patiantur. Exiſtũtq; in Republica plerũq; largitores

& factioſi, ut opes quàm maximas conſequantur, & ſint potius ui ſuperiores, quàm iuſticia pares.

Difficile autem eſt.) *παρχίνεσιν tacitam addit, magnis animis neceſſariam. Sic, inquit, fortitudinis laudem expetito, ne ab æquitate diſcedas.*

Tyranni loco principũ.

Ex quo fit ut neq;.) *Fiunt igitur pro magnanimis iniqui & tyranni, & oppreſſores libertatis, qui à Poetis dicuntur χειροδίκαι, ὑπέρφιαλοι, ἀθέμιστοι. Hinc Ariſtophanes ἐν Βατράχοις monet, σκύμνον λέοντος πρῶτον μὴ ἐν τῇ πόλει μὴ τρέφειν: ἂν δὲ τραφῇ, ἐθίζειν πειθαρχεῖν τοῖς νόμοις: Primùm, leoninum catulum in urbe non eſſe alendum: Sin alatur, aſſuefaciendum legibus, ut pareat.*

Largitores & factioſi.) *Hoc eſt, uiolant legem de ambitu, corrumpunt largitionibus populum, ut ſibi magiſtratus mandentur: manumq́ue faciunt, qua aduerſarios opprimant, & impunè libidinem ſuam expleant. Sic Curio & Cæſar pleroſq; magiſtratus obtinuerunt. Sic à factione Clodiana Cicero pulſus eſt in exilium.*

Vi potius ſuperiores.) *Vt Octauij tribunus, cum ut Conſulatus domino ſuo immatura ætate mandaretur à Senatu non impetraſſet, prolato gladio: Si uos (inquit) non dabitis, hic dabit.*

CICERO.

Sed quo difficilius, hóc præclarius. Nullum enim eſt tempus, quod iuſticia uacare debeat.

Sed quo difficilius.) *Conceſſione quadam ueniam propemodum dat ambitioſis: ac potius inuerſione eoſdem à falſa laude ad ueram traducere conatur, ab ambitione ad æquitatem. Quaſi diceret: Ob hoc ipſum quod difficile uidetur, elaborandum eſt, ut ſine aliorum iniuria & fraude alijs præſtemus. δύσκολα γὰρ τὰ καλά: quod prouerbium interpretatur, ſed non nihil immutatum: ὅσῳ δυσκολώτερον, τοσούτῳ κάλλιον.*

Nullum enim eſt tempus.) *Innuit, nullam excuſationem relinqui ijs qui Iuſticiam uiolent, ſiue natura ſint adeò impotenti (prauitas enim naturæ, recta inſtitutione corrigenda eſt) ſiue ſplendore magiſtratuum & potentiæ inescati, ab æquo & bono diſcedant. Quaſi diceret: Non eſt indulgendum naturæ: non rei magnifica ſpecies, ſed æquitas intuenda eſt, ab eaque minimè deflectendum.*

CICERO.

Fortes igitur & magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam. Vera autem & ſapiens animi magnitudo, honeſtum illud, quod maximè natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria iudicat, principemq; ſe eſſe mauult quàm uideri.

Fortes

Fortes igitur.) *Pendet hoc à definitione Stoicorum.*

Vera autem & ſapiens.) *Iterum diſtinguit magnanimitatem ab ambitione, ſiue φιλοδοξίᾳ. Veram autem & ſapientem appellat, quæ rectæ rationis iudicium ſequitur, non immoderatum naturæ impetum, aut popularem opinionem.*

Honeſtum illud quod maximè.) *Hoc eſt, naturale honeſtum, τὸ φύσει καλὸν, οὐ τὸ δόξῃ: quod plerunque τὸ σεμνὸν, id eſt τὸ ἔξωθεν καλὸν appellari, ſuprà diximus.*

Quod natura ſequitur.) *Hoc eſt, quò natura humana ſuam cogitationem intendit, quodq́; mens perſpicit. Malim autẽ (ſi per codices liceat) legere:* Quod maximè naturam ſequitur. *Eſt enim natura humana origo honeſtatis: à cuius naturæ, hoc eſt rationis & mentis iudicio qui deflectit, honeſtatem uiolat, turpiterq́; facit.*

In factis poſitum.) *Pertinet ad dogma illud ab omnibus ſanioribus philoſophis approbatum, ὅτι τὸ καλὸν δι᾽ αὐτὸ αἱρετόν. Vt & Latinus Poeta:* Finis actionis, obedire Deo: reliqua commoda nihil niſi acceſſiones.

Ipſa quidem uirtus (inquit) precium ſibi. ——

Sententia eſt: rectè faciendum eſſe propterea, quòd Natura, hoc eſt Deus præcipiat: non ſpectanda eſſe emolumenta, non gloriam, non honorem. Quæ tametſi & ipſa expeti poſſunt, non tamen principalis finis & fundamenta ſunt honeſtarum actionum: ſed acceſſio quædam, eaq́; fortuita, & non perpetua. Sic Cicero Catilinæ coniurationem opprimere debuit, non ut pater patriæ appellaretur, ſed ut Rempublicam conſeruaret: quod ab eo cùm boni ciuis, tum uerò conſulis officium flagitabat. Ciceronis conſulatus. *Honorificum quidem illum titulum ultrò delatum, grato animo accipere, atque ita labores & pericula ſua quaſi condire potuit, & æquiore animo æmulorum obtrectationes & odia contemnere. Difficile hoc uidetur imperitis, laborare ſine fructu: qui non intelligunt, ipſum honeſtum laborem, inſignem eſſe fructum ſui ipſius, nec ſine ſcelere ſe aliter facere poſſe.* Gratuitus labor uulgo moleſtus.

In factis poſitum, non in gloria.) *Rectè facta ſunt corpus uirtutis: gloria uerò eſt uirtutis umbra, Crocodili prædita ingenio, fugientes ſequens, ſequentes fugiens.*

Principemq́ eſſe.) *Alludere uidetur ad Aeſchyli Amphiaraum:* Eſſe principem.

οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ᾽ εἶναι θέλει, &c.

Principem autem appellat eum, qui prudentia & uirtute alijs antecellit, & à natura adiumenta habet regendæ Reipublicæ: tametſi fortunæ aut hominum iniquitate, nullum magiſtratum adipiſcatur, ſed obſcurus in priuata uita deliteſcat. In quam ſententiam Ariſtoteles 1. Politicorum ſcribit: τὸ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν, ἄρχον φύσει, καὶ δεσπόζον φύσει: τὸ δὲ δυνάμενον τῷ σώματι ταῦτα ποιεῖν, ἀρχόμενον, καὶ φύσει δοῦλον. Id eſt: Id quod animo proſpicere poteſt, princeps natura eſt, & dominus. Quod uerò ea poteſt corpore exequi, ſubiectum, & natura ſeruum.

CICERO.

Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis uiris non eſt habendus.

Μεγαλοψυχία. Κενοδοξία. Etenim qui ex errore.) *Aetiologia, ex ratione contrariorum. Pugnãt enim inter ſeſe, contentum eſſe conſcientia uirtutis, & captare uanam glo-* Multitudo imperita. *riolam. Obſeruentur autem hæc epitheta diligenter. Multitudinem, hoc eſt uulgus, ſeu maximam partem hominum, quæ uel prauæ naturæ impetum ſequitur, uel malæ conſuetudinis exemplis trahitur, uocat imperitam, hoc eſt ignaram ueritatis: eiq́;, quod eſt conſequens, errorem, hoc eſt peruerſum de maximis & ſummè neceſſarijs rebus iudicium attribuit. Colligatur hinc ἀξίωμα: Homo doctus (quem omnino uirum bonum etiam intelligimus, non pendére debet ex errore imperitæ multitudinis: nec, quod exemplo fiat, rectè fieri putare: ſed præcepta Dei, & rectæ rationis iudicium ubique ſequi. Non enim tanta eſſet uitæ & morum perturbatio, niſi bona etiam ingenia, & à flagitijs abhorrentia, malis exemplis καὶ τῷ ὀχλώδει τρόπῳ corrumperentur.*

CICERO.

Facilimè autem ad res iniuſtas impellitur, ut quiſq; altiſsimo eſt animo, & gloriæ cupido. Qui locus eſt ſanè lubricus: quòd uix inuenitur, qui laboribus ſuſceptis, periculiſq; aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam.

Facilimè autem.) *Sæpius inculcat difficultatem moderationis, ut magni uiri ſint cautiores.*

Præmia Magiſtratus, Qui locus eſt ſanè lubricus.) *Cauſam difficultatis exponit, quod plerię; præmijs potius quàm officio moueantur. Præmium autem τοῦ πολιτικοῦ,* Auari, Delicati, Boni uiri. *& finis, Ariſtotele autore, eſt honor: quemadmodum auari pecunia, delicati uoluptas, boni autem uiri, rectè factorum conſcientia, quæ & iucunda eſt, & ſæpè cætera quoque præmia, ut honores & opes, affert.*

CICERO.

Omnino fortis animus & magnus duabus rebus maximè cernitur: quarum una in rerum externarum deſpicientia ponitur, cum perſuaſum eſt, nihil hominem, niſi quod honeſtum decorumq́ue ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nulliq́ue neque homini, neq; perturbationi animi, neq; fortunæ ſuccumbere.

Omnino

Omnino fortis animus.) *Poſtquam diligenter cauendam eſſe ambitionem pertinaciam, arrogantiam, ſimiliaque uitia, in quæ magni animi facilè incidunt, monuit: ad definitionem magnanimitatis reuoluitur, quam ea de cauſa ſæpius repetit, ſed alijs atq; alijs uerbis, ut probè animis infigatur, nec falſa Fortitudinis ſpecies incautis uelut obrepat.*

Fortis animus.) *Quaſi dicat, fortes & magnanimi habendi ſunt, non qui nec diſceptatione uinci ſe, nec ullo publico iure patiuntur: ſed ij, qui Fortunæ ludibria contemnunt, & magnas res & cum periculo coniunctas pro ſalute & dignitate Reipublicæ & ſuorum gerunt.*

Cernitur: quarum.) *Breuiter ſic dicere potuiſſet: Duo magni animi præcipua ſigna ſunt, deſpicientia rerum externarum, & adminiſtratio rerum magnarum.*

Nihil hominem, niſi quod.) *Sententia hæc ad* παράδοξα *Stoicorum pertinet, qui ſolam uirtutem bonum, ſolum uicium malum iudicabunt. Peripateticorum autem ſententia magis probatur, qui uirtutem ſummum quidem bonum, ſed non ſolum ſtatuunt. Nam illi quidem ea docent, quæ in hoc fragili corpore optari poſſunt, ſperari non poſſunt: hi ea tradunt, quæ & ſperari & præſtari queant.*

Stoicorum inania uota.

Peripateticorum commoda præcepta

Nullíq; neq; homini.) *Bifariam intelligi poteſt: uel ne ulla re honeſta ab alio uincatur, ſed principem uirtutis & ſapientiæ locum obtineat. Vnde illud Pelei ad Achillem:*

αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Vel, ut (quod ſuprà dixit) animus benè informatus à natura, nemini parére uelit, niſi præcipienti & docenti, aut utilitatis cauſa iuſtè & legitimè imperanti. Nam ſiquidem, Nulli homini ſuccumbere, *eò referas, ut aut obedientia magiſtratuum excutiatur, aut animi quadam pertinacia cedas nemini, quamuis potentiori, ſed perire malis quàm per tempus obſequi: elatio iſta animi nemini, opinor, cordato probabitur. Iſocrates certè aliud præcipit:* φαύλους ἡγοῦ μὴ τοὺς συμφερόντως ἡττωμένους, ἀλλὰ τοὺς μετὰ βλάβης περιγινομένους. *Contemnendos (inquit) exiſtima, non eos qui utiliter ſuccumbunt, ſed qui cum ſuo damno ſuperiores euadunt. & Latinus poeta præclarè:*

Pertinacia, ſtulti potius quàm magni animi.

Flectitur obſequio curuatus ab arbore ramus:
Frangas, ſi uires experiare tuas. Et:
Obſequio tranantur aquæ: nec uincere poſſis
Flumina, ſi uires experiare tuas.

Omnino arrogantia & pertinacia ſunt maximorum malorum cauſæ, tum præſertim, cùm ſe magnitudinem animi & conſtantiam perhiberi uolunt.

Neq; perturbationi animi.) *Hoc demum eſt magni animi: ut & id quod ſequitur, nulli fortunæ ſuccũbere. Nã qui uoluptati, dolori, iræ, inuidiæ, odio,*

Animum uincere.

odio,auariciæ,ambitioni,uindictæ cupiditati reſtiterit:is non temerè ab officio receſſerit,uel ſecundis rebus elatus,uel aduerſis proſtratus.

CICERO.

Altera eſt res, ut cum ita ſis animo affectus,ut ſuprà dixi,res geras magnas illas quidem,& maximè utiles,ſed uehementer arduas, plenasq; laborum & periculorũ, cùm uitæ,tum multarum rerum quæ ad uitam pertinent.

Res geras magnas illas quidem.) *Hæc intelligenda ſunt pro cuiuſq; conditione & ratione muneris. In ſuo quiſq; uitæ genere ſuum munus fortiter adminiſtrare debet,non autem ſe negocijs nihil ad ſe attinentibus ingerere.Quod qui faciunt, πολυπράγμονες appellantur, homines & publicè & priuatim pernicioſi.Medici non eſt,inficere fontes aut cibos, ne deſit quod agat:aut infligere uulnera,quæ curet:ſed cum opus eſt,mederi ægrotis.Neq; uerò unquam uel medico,uel bono uiro,in hac uitæ miſeria,uulnera deſunt quæ curet.Quæ ſi deeſſent:& publicæ felicitati & priuatæ tranquillitati eſſet gratulandum.*

Maximè utiles.) *Excludit temeritatem, ne leuibus de cauſis tragœdiæ (quod aiunt) moueantur.*

Sed & uehementer arduas.) *Non hoc uult, non poſſe aliquas res utiles geri,ſine difficultatibus & periculis.Sed illud potius,periculis & difficultatibus neminem à præclaris rebus gerendis deterreri oportere.*

CICERO.

Harum rerum duarum ſplendor omnis & amplitudo, addo etiam utilitatem,in poſteriore eſt:cauſa autem & ratio efficiens magnos uiros,in priore.In eo eſt enim illud, quod excellentes animos & humana contemnentes facit. Id autem ipſum cernitur in duobus:&, ſi ſolum id quod honeſtum ſit,bonum iudices:& ab omni animi perturbatione liber ſis.

Harum rerum duarum.) *Collatio duarum partium fortitudinis, quarum prior deſpicientia rerum externarum,ueluti cauſa efficiens ſtatuitur poſterioris,quæ res magnas gerit. Notetur hic, ad res magnas gerendas requiri animum inuictum. Collatio autem hæc non eò pertinet, ut altera pars alteri præferatur:ſed ut utraq; rectius & intelligatur,& coniungatur.Tribuit autem ſplendorem & amplitudinem, & utilitatem quæ ad Rempublicam redit,rebus geſtis. Facta enim in oculos hominum & ſenſus incurrunt: Animus autem, etſi ſua integritate & altitudine beatus, non niſi ex actionibus aliquo modo perſpici poteſt ab alijs, ſuo teſtimonio potius quàm aliorum iudicijs fretus.*

Deſpicictia. Efficientia.

Id autem

Id autem ipſum cernitur.) *Priorem partem deſpicientiam ſubdiuidit, in rectum iudicium de rebus bonis & malis, & in ἀπάθειαν: de qua quid ſentiendum eſſet, ſæpè iam dictum eſt: præfigi metam à Stoicis, quam nemo attingere poſſit, ut ſaltem ad μετριοπάθειαν, laudatam à Peripateticis, perueniretur.* Διαιρεσις ἀπαθεία.

CICERO.

Nam & ea quæ eximia pleriſq́ʒ, & præclara uidentur, parua ducere, eaq́ʒ ratione ſtabili firmaq́ʒ cõtemnere, fortis animi, magniq́ʒ ducendum eſt: & ea quæ uidentur acerba (quæ multa & uaria in hominũ uita fortunaq́ʒ uerſantur) ita ferre, ut nihil à ſtatu naturæ diſcedas, nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt, magnæq́ʒ conſtantiæ.

Nam & ea quæ eximia.) *Intelligenda ſunt bona corporis & fortunæ, de quibus ſuprà dictum eſt.*

Ratione ſtabili firmaq́ʒ.) *Excluduntur temerarij affectus, & inconſtantia. Deſpicientia iſta (inquit) non pendet à ſubito affectu, ſed à uero iudicio. Si Crates Thebanus, aurum per indignationem in mare abieciſſet, idq́ʒ poſtea ita curioſe inquiſiſſet (ut eum in Stygia palude facere Lucianus fingit) argueretur eius leuitas: ſed ſi ideo abiecit re diu deliberata, ne à cultura animi atq́ʒ ingenij, opum ſolicitudine abſtraheretur, ferri poteſt: laudandus etiam, ſi ea pecunia uel bonorum uirorum inopiam ſubleuaſſet, uel (quod eum quidã feciſſe cenſent) Rempublicam donaſſet.* Cratetis auri abiectio.

Quæ uidentur acerba.) *Quaſi dicat, Cum non ſint. Neq́ʒ enim quicquã, præter uitium & inſcitiam, Stoici malum iudicabant, uel potius aſſerebant.*

Quæ multa & uaria.) *Corpus enim non modò ſenectuti & morti, mille de cauſis impendenti, ſed infinitis etiam morbis & læſionibus obnoxium eſt. Opes infinitis caſibus pereunt: fama & exiſtimatio etiam ſæpe in diſcrimen uenit, per calumnias & mendacia improborum. Imò bona ingenij atq́ʒ animi aliquando labaſcunt. Sunt enim morbi, qui mentem etiam & memoriã adimant: & uirtutem in multis degeneraſſe, ac deniq́ʒ in flagitium eſſe commutatam, hiſtoriæ docent. Siue id delirio quodam fiat, ſiue nimia fortunæ indulgentia, ſiue occaſionibus & commercijs improborum, ſiue etiam mutatione humorum corporis, quam animorum etiam commutatio plerunq́ʒ comitatur, ſiue mali alicuius genij fraude atq́ʒ impulſu. Quæ Ariſtotelis & Galeni ſententia eſt. ἕπονται (inquit ille) αἱ διάνοιαι τοῖς σώμασιν, animi ſequuntur corpora: quod & in ebrijs & in ægrotis cernitur. Quod autẽ Zeno (ſi tamen Zeno, & non potius deriſor aliquis Zenonis) ſapientem & in melancholia & in ebrietate, eundem qui antè fuerit, fore affirmauit: equidem exiſtimo, primum eum daturum operam, ne uel inſaniat, uel inebrietur. Deinde, ſi iſta acciderint, naturam & atræ bilis & uini, affectata illus ſapientia longè fore potentiorem.* Totus homo Fortunę obnoxius. Zenonis ſapiens.

Præparatio contra caſus aduerſos.

tentiorem. Quæ cum ita ſint, nemo ſecurus eſſe poteſt, nemo ſuperbire debet ulla re: ſed quiſque diligentem adhibere præparationem, quæ fuerit in primis animus Deo dicatus, & illius ope fretus: deinde comes huius, innocentia & moderatio uitæ: denique prouidentia, ſine Dei auxilio inanis illa quidem, ſed cum inuocatione numinis ſi coniugatur, efficaciſſima.

Status Naturæ.

Nihil à ſtatu naturæ.) *Scilicet humanæ. Eſt autem is ſtatus, iudicium rationis ubiq; ſequi, non prauos affectus: conſeruare omnes uirtutes, & cum illis in omnibus & dictis & factis congruere: hoc eſt, nil facere aut dicere, aut etiam cogitare imprudenter, iniuſtè, timidè, ſuperbè, immoderatè. His ipſis in rebus poſita eſt etiam dignitas ſapientis, non in admiratione populi, aut ſplendore diuitiarum & honorum.*

CICERO.

Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate: nec qui inuictum ſe à labore præſtiterit, uinci à uoluptate.

Non eſt conſentaneum.) *Hoc loco non tam non probabile, quàm nõ decorum ſignificat: ut arguũt illa uerba quæ paulo pòſt ſequentur, [Sunt qui in rebus contrarijs parum ſibi conſtent.*

Contraria magnanimitati.

Qui metu non frangatur.) *Quæ magnanimitatis propria ſint, eamq́; ueluti abſoluant, hactenus expoſuit, & ſæpius alijs atq; alijs uerbis repetijt: ut ſit hic exemplum ἐπιμονῆς, ſiue ἐπεξεργασίας, quam & συνωνυμίαν & Expolitionem uocant. Neq; enim cognatas figuras ſubtiliter diſcernere propoſitum eſt. Nunc contraria ſiue pugnantia ſubijcit, longumq́; texit catalogum. Nam ἀφοβία coniuncta eſt fortitudini: ſed eidem repugnant φιλοψυχία, φιλοπλουτία, φιλοδοξία, φιλαρχία, item τὸ ἐκπαθὲς καὶ ἐμπαθές. Cognata uerò fortitudini ſunt, ut φιλοπονία, ita etiam ἀπάθεια: quam comitatur εὐθυμία, quæ & εὐεστὼ à nonnullis dicitur. Pugnat & ἀπραξία, hoc eſt ignauũ ocium, cum fortitudine.*

CICERO.

Quamobrem & hęc† uitanda ſunt, & pecuniæ fugienda cupiditas. Nihil enim eſt tam anguſti animi, tamq́ꝫ parui, quàm amare diuitias. nihil honeſtius, magnificentiusq́ꝫ, quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemq́ꝫ conferre.

† *V. L. uidenda.*

Quamobrem & hæc.) *Rerum externarum admiratio, mollicies animi, metus, cupiditas, uoluptas.*

Pecuniæ cupiditas.

Et pecuniæ.) *φιλοπλουτίαν ἢ φιλοχρηματίαν improbat Cicero: quem fatuũ fuiſſe dicẽt auari, & ignoraſſe quot ad res et quãtas opportuna ſit pecunia.*

Tam anguſti animi.) *Suprà dixit, in quibus maior ſit animus, in ijs pe-*

cuniæ

cuniæ cupiditatem ſpectare ad opes, & ad gratificandi facultatem: quæ inter ſe pugnare uidentur, cum non pugnent. Nam ij quibus magnum animum tribuit, non amant ipſam pecuniam καθ' αὑτὸ, ſed διὰ τὴν τιμήν: & res eódem penè recidit. Quacūq; enim de cauſa pecuniam ament, pecuniam certè amant.

Contemnere, ſi non habeas.) *Eatenus ſcilicet, quatenus & ad uitam honeſtè degendam neceſſaria non eſt, & ſalua honeſtate parari nequit. Nam mendicare certè quidem, magni animi non eſt: egere, atq; in ſordibus uiuere, cùm honeſto labore emergere liceret, ſtulticiæ & ignauiæ fuerit. Itaq; mirarer eos qui Diogenis impudentem mendicitatem admirātur: niſi animaduertiſſem, ijs eſſe quoſdam ingenijs, ut monſtris potiſſimùm delectentur, pica laborantibus mulieribus non diſsimiles.*

Quatenus contemnenda pecunia.

Monſtrorum amatores.

Ad beneficentiam.) *Scilicet, ijs rationibus obſeruatis, quæ in liberalitatis præceptis expoſitæ ſunt, & uberius atq; accuratius libro huius Operis ſecundo tradentur.*

CICERO.

Cauēda eſt etiā gloriæ cupiditas, ut ſuprà dixi. eripit enim libertatē, pro qua magnanimis uiris omnis debet eſſe cōtentio. Nec uerò imperia expetenda: ac potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam.

Cauenda eſt etiam.) *φιλοδοξία, καὶ φιλοτιμία, reijciuntur.*

Eripit enim libertatē.) *Quia cogit ſeruire populo, & eius gratiā uarijs & ſæpe parū honeſtis rationibus aucupari. Neq; uerò ambitio tantū, ſed & alij praui et uehementes affectus libertatē eripiūt: hoc eſt, menten ſui iuris eſſe non ſinunt, ſed quaſi tyrannide oppreſſos, in ſeruitutem redigunt.*

Affectus uehementiores libertatem eripiunt.

Omnis debet eſſe contentio.) *Paulo pòſt ait, libertatis eſſe propriū, uiuere ut uelis. Quod ita demum uerū erit, ſi ea uelis quæ recta et honeſta ſunt. Vnde Iuriſconſulti, nos legum ſeruos eſſe dicunt, ut liberi eſſe poſſimus. Alioqui non libertas iſta erit, ſed licentia, indulgere prauis cupiditatibus. Neceſſe eſt hominem ſeruire Deo, ſeruire rectæ rationi, ſeruire legibus, ſeruire omni officio, ſeruire legitimis magiſtratibus et dominis, ſeruire Reipublicæ, ſeruire commodis eorum quos charos habeat, tueriq; debeat. Vnde rectè exclamauit Euripides: οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἔστ' ἐλεύθερος, non eſſe quenquam mortaliū qui ſit liber. Quamuis ſubijcit alias cauſas, ſeruitutem pecuniæ, fortunæ & multitudinis. À legū autem ſeruitute qui ſe exemptū uoluerit, in deſertas inſulas erit deportādus, ne ſua libertate turbet ordinem & diſciplinam Reipublicæ.*

Libertatis proprium, uiuere ut uelis: ſi ea uelis, quæ recta & honeſta ſunt.

Non accipienda.) *Cum aut alij rectius ea gerere poſſint, aut ijs non eſt opus. Intelligenda autem potiſſimum ſunt imperia in milites Romano ueteri more, non hoc noſtro: quo Fridericus Saxo principatum ab Electoribus ſibi delatum, certo conſilio & ſingulari excelſi animi exemplo repudiauit, ut & Cicero triumphum in patriæ calamitate.*

Aut deponenda.) *Scilicet cum leges iubent: ut Conſulatus erat annuus*

apud Romanos, dictatura ſemeſtris. Incidunt & aliæ cauſæ, ut ualetudinis imbecillitas: aut ea moles negociorũ, cui tu par eſſe non poſsis, alij uerò poßint.

CICERO.

Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, cùm cupiditate & metu, tum etiam ægritudine & uoluptate animi, & iracundia: ut tranquillitas animi & ſecuritas adſit, quæ affert tum conſtantiam, tum etiam dignitatem.

Vacandum.) *Hic in genere præcipit ἀπάθειαν, qua continet ἀταραξίαν, ἀνορεξίαν, ἀφοβίαν, ἀλυπίαν, ἀφιληδονίαν, ἀοργησίαν, ἡσυχίαν, ἄδειαν. Sic enim fortaſſe græcè reddas Ciceronianum hunc catalogum.*

Animi uoluptas non improbatur.

Et uoluptate animi.) *τὸ Animi, aut redundat, aut ex rigore Stoico profectum eſt. Vnde illud Antiſthenis: μανείην, ἢ ἡσθείην. Nam animi delectationes, quæ ex uirtute & ſapientia oriuntur, & rectè factorum conſcientia, fugiendæ certè non ſunt, ſed omnibus modis expetendæ. Fortaßis autem uoluptatem animi intelligit, exultationem immodicam, & læticiam quaſi geſtientem. Qualis eorum eſt, qui inſperata felicitate potiuntur, quamq́; uetat Horatius eleganti illa oda, Rectius uiues Licini, &c. ad uerbum ediſcenda.*

Tum conſtantiã.) *Suprà dictum eſt, affectus eſſe leues & temerarios: mentem uerò tranquillã & conſtantem, repreßis affectibus. Ea uerò conſtantia magnificam ſpeciem ingerit oculis eruditis, quam Cicero uocat dignitatem.*

CICERO.

Multi autem & ſunt & fuerunt, qui eam quam dico tranquillitatem expetentes, à negocijs publicis ſe remouerunt, ad ociumq́; perfugerunt. In his & nobiliſsimi Philoſophi, longeq́; principes, & quidã homines ſeueri & graues, nec populi, nec principum mores ferre potuerũt: uixeruntq́; nonnulli in agris, delectati re ſua familiari.

Multi autem & ſunt.) *Dum uitant ſtulti, uitia in contraria currunt:*
Incidit in Scyllam, cupiens uitare Charybdim.

Suprà temeritatem, quæ res magnas quidem, ſed eaſdem non neceſſarias ſuſcipit: & ambitionem, quæ alio quàm debebat, conſilio ſuſcipit, cauere iußit. Nunc uitium his contrarium τὴν ἀπραξίαν καὶ ἰδιοπραγμοσύνην, aptißima tranſitione moderatur, ut ἡ εὐπραξία καὶ κατ' ἀρετὴν ἐνέργεια, καὶ αὐτὸ δὴ τὸ καθῆκον retineatur: hoc eſt, ut ea gerantur quæ officij ſunt, & quæ cũ officio pugnant non ſuſcipiantur. Elegantes uerſiculi ſunt:

ὁ πολλὰ πράττων { πολλὰ καὶ ἁμαρτάνει,
πολλὰς καὶ λύπας ἔχει.

Qui multa aget { *peccabit idem ſæpius,*
dolebit idem ſæpius.

Cum

Cum autem Cicero tranquillitatem animi, & uacuitatem ab angoribus præcipiat: ocium, & fuga Reip. ad illam εὐθυμίαν καὶ ἡσυχίαν accommodatiſſima uidentur. Eam opinionem nonnullorum occupatione quadam refutat: diſtinctione tamen ſeu exceptione adhibita. Vult enim omnes magnos uiros ſeruire Reipublicæ, & in rebus gerendis uerſari, duobus tantum hominum generibus exceptis: philoſophis excellentibus, & ijs quibus uires et facultates rerum gerendarum deſunt.

μεγίστοις φιλοσόφοις ἀδικεῖν.

Ad ocium perfugerunt.) *Q.d. Rempublicam tyrannum quendam, & crudelem dominum iudicantes, in ocium tanquam aſylum cupidiſſimè ſe cōtulerunt. In hanc ſententiam memoratur dictum Aeſchinis exultantis: Gaudere ſe, quòd liberatus eſſet à Republica, ὥσπερ λυττώσης κυνὸς ἀπαλλαγείς. In eandem ſententiam etiam Demoſthenes dixiſſe fertur: Si præſciſſet Reipub. mala, metum, inuidiam, calumnias, cōtrouerſias, lites, pericula, ſe potius rectà deſcenſurum ad inferos, hoc eſt oppetiturum fuiſſe mortem, optione data, quàm ad Remp. acceſſurum. Vnde apparet, non tam amore patriæ, quàm ob priuatas quaſdam rationes, ſiue cupiditate potentiæ, ſplendoris, gloriæ, ſiue auaricia impulſos, acceſsiſſe illos ad Rempublicam.*

Populus tyrannus.

In his & nobiliſsimi.) *Duo genera hominum ocij cupidorum recenſet: philoſophos, qui contemplationem actioni anteponunt: & homines ſeueros, qui cum æqua etiam imperia, ad ſuum arbitium non conſtituta ferre uix poſſint, iniquum dominatum & peruerſos mores deteſtantur. Recenſetur autem hic potius τὸ γιγνόμενον, quàm τὸ δέον præcipitur.*

Nec populi.) Δημοκρατίαν καὶ μοναρχίαν *intelligit, in quibus etiam αἱ παρεκβάσεις intelliguntur,* τυραννίς, ὀχλοκρατία ἢ ἀναρχία. *Vellent illi ἀριστοκρατεῖσθαι, hoc eſt optimis & ſapientiſsimis tum uiris tum legibus & ipſi parêre, & alios obtemperare: ſed & hic procliuis lapſus eſt in ὀλιγαρχίαν.*

Mores ferre.) *Vellent illi uiuere cum perfectis hominibus, aut ſaltem ijs in quibus eſſent ſimulacra uirtutis. Sed perpetuò maior eſt improborum & petulantium numerus. Ferendum igitur, non culpandum, quod mutari non poteſt. Sic præceptor uellet ingenioſos & diligentes diſcipulos inſtituere: ſed quia in hac negligentia parentum plures ſtupidi, & à literis abhorrentes, in Scholis retinentur, æquo animo ferenda eſt hæc perturbatio: &, ſi ipſe ſis officio functus, reliqua committenda Deo.*

Vitam inter ſtultos & improbos agere, neceſſe.

Vixeruntque nonnulli.) *Hoc in Græcia & Romæ plerunque licuit, & extra periculum fuit, ſi quis à Republica abſtinuit. Sed horum temporum maior eſt ſeruitus, quæ omnes etiam abditiſsimos angulos ſpe prædæ rimatur & penetrat, ut uix, ac ne uix quidem cogitationis libertas relinquatur.*

Aucta ſeruitus.

CICERO.

His idem propoſitum fuit, quod regibus: ut ne qua re egerent, ne cui parérent: libertate uterentur, cuius proprium eſt, ſic uiuere ut uelis.

Conceſsio ante refutationem. His idem propoſitum.) *Antequam refutationem inſtituat, cauſas ſeceſſus illius exponit, & penè laudat inſtitutum. Q. d. Magni animi non parua indicia in iſtis apparent, cum ſint & ſeruitutis impatientes, & cupidi libertatis. Etſi magnitudo animi in ijs eſſe maior uidetur, qui mores hominum ferunt, quàm in ijs qui fugiunt.*

Quod regibus.) *Magnificentiſsimo uocabulo inſtitutum eorũ ornat.*

Ne qua re egerent.) *Græci uerbis ſingulis hæc efferre poſſunt, αὐτάρκειαν, αὐτονομίαν, καὶ ἐλευθερίαν appellantes.*

Libertate uterentur.) *Naturalis libertas hic deſcribitur, quæ (quod quidem ad corporis neceſsitates & commoditates complures attinet) ad ſingulos in ſolitudine degentes pertinere poteſt. In Republica autem, ubi plurima propter alios & facienda & non facienda, & ferenda ſunt, loci nihil habet.* Libertas. *Nam ἡ πολιτικὴ ἐλευθερία non male ſic deſcribitur à Cœlio S. C. Libertas eſt tranquilla ſecuritas, & honeſta ciuium diſciplina, legum optimarum æquitate, in quauis Reipublicæ forma, parta & conſeruata.*

Sic uiuere ut uelis.) *Si ſcilicet (ut ſuprà dictum eſt) recta & honeſta uelis: & ita quidem recta & honeſta, ut cum Reipublicæ legibus & inſtitutis congruant. Hunc fructũ philoſophiæ eſſe, aſſeruit Ariſtoteles: quòd ipſe ultrò faceret ea, quæ reliqui metu legum & pœnarum. Hac libertate frui quiuis poteſt, qui appetitum rationi obedientem præbet. Rectè Sadoletus: Diſciplinæ* Quæ uelle debeamus. *(inquit) eſt, ex alienæ uirtutis præſcripto uiuere: uirtutis uerò, ſuæ. Velle autem debemus, ea quæ Deus, quæ recta ratio, quæ honeſtæ leges, quæ boni magiſtratus, quæ Domini legitimi præſcribũt. Interdum etiam Deo peccata noſtra caſtigante & facięda & perferęda multa ſunt, quæ cum regulis pugnant. In quo & obedientia Deo præſtanda, & agnoſcęda culpa noſtra, eaq́; & corrigenda & deprecanda eſt. Raro enim uera libertas cõtingit: aut ſi contingit, uitio hominum diuturna eſſe uix poteſt.*

CICERO.

Quare cũ hoc cõmune ſit potẽtiæ cupidorũ, cũ his quos dixi ocioſos: alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeãt: alteri, ſi contenti ſint & ſuo, & paruo.

Quare cum hoc commune.) *Collatione ocioſorum cum regibus, innuit magnitudinem animi etiam in priuatum hominẽ cadere, præſertim philoſophum: cuiuſmodi fuit Socrates, Crates, Diogenes, Demonax, atq; his omnibus (mea quidem ſententia) præferendus Epictetus, & fortaſsis alij plures. Nunc cauſas efficientes magnanimitatis inter ſe cõfert: Quod regibus (inquit) præſtat amplitudo opum, id philoſophi petunt παρὰ τῆς αὐταρκείας.*

CICERO.

In quo neutrorũ omnino contẽnenda eſt ſentẽtia. Sed & facilior & tutior, & minus alijs grauis aut moleſta eſt uita ocioſorum: fructuoſior autem hominũ generi, & ad clarita-

claritatem amplitudinemq́ aptior, eorũ qui ſe ad Remp. ad res magnas gerendas accommodauerunt.

In quo neutrorum.) *ἐπιεικῶς πάνυ ἀστεικῶς, et imitatione digna. Neq; enim temerè uel facta aliorum, uel ſententiæ condemnandæ ſunt: quarum ſi non certas & probabiles rationes habent, quibus fortaßis & nos, ſi eodem loco eſſemus, uteremur: τὸ φιλεπιτιμητὴν εἶναι, ut ait Iſocrates; & odioſum & periculoſum eſt, ſi diuerſæ partis diſertus patronus exiſtat.*

·Sed & facilior.) *Per contentionem, & publicæ & priuatæ uitæ tam cõmoda, quàm incommoda (ut nihil in rebus humanis ab omni parte beatũ eſt) exponit. Ocioſi, inquit, & quietius & ſecurius uiuentes, nemini quidem ſunt moleſti, ſed ijdem etiam nemini proſunt: contrà negocioſi, quamuis fieri nequeat quin aliquando alijs graues ſint, tamen plurimum conferunt Reipublicæ. Magnæ opes uix ſine iniurijs, aut ſaltem querelis aliorum uel parari, uel conſeruari, neq; priuatim neq; publicè poſſunt: exigenda ſunt tributa & uectigalia: cogendi ciues ad militiã, & alia munia Reipub. neceſſaria: praui mores ſeueritate cenſuræ corrigendi ſunt: accuſandi & puniendi perturbatores pacis & diſciplinæ: aduerſandum eſt ijs qui ſua temeritate & ſtulticia Reipub. malè conſulunt. In quibus rebus non tantum inuidia & odia multorum ſuſcipiuntur, ſed etiam capitalia pericula accerſuntur: id quod uel Demoſthenis & Ciceronis interitus declarauit. Plectuntur enim in rerumpublicarum mutationibus oratores & duces potiſſimùm, & ij quorum ſumma fuit autoritas: quòd eorum conſilijs, quæcunque aduerſarijs moleſta fuerunt, accepta referuntur.*

Bonum magiſtratum offenſas moroſorum & improborũ uitare non poſſe.

Oratores & duces plectuntur.

Fructuoſior autem.) *Loquitur de ijs qui Reipub. conſultum uolunt, non qui auariciæ & ambitioni ſuæ explendæ ſtudent. horum enim uita nihil eſt pernicioſius. Illi autẽ ſuos labores, moleſtias, curas, uigilias, ſolicitudines duabus rebus conſolari poſſunt: claritate atque amplitudine priuata, & publica utilitate.*

Solatia boni magiſtratus.

CICERO.

Quapropter & his forſitan concedendũ ſit Remp. non capeſſentibus, qui excellẽti ingenio doctrinę ſeſe dediderũt: & his qui aut ualetudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore cauſa impediti à Republica receſſerũt, cũ eius adminiſtrandæ poteſtatem alijs, laudemq́ concederent.

Quapropter & his forſitan.) *Quia, inquit, homines ocioſi nemini ſunt graues, & priuato ſtudio, ſuo Rempublicam etiam iuuare poſſunt, reprehenſione carent. Quæ enim barbaries eſſet, niſi ingenijs atque induſtria præſtantium philoſophorũ, cognitio rerũ tradita & percepta eſſet? Sed hic locus aliquanto pòſt copioſius tractabitur. Si qui autẽ nec uiua uoce docent, nec ulla fructuoſa monimenta poſt ſe relinquũt: ij dũ literis ſeſe oblectãt, uel inter œconomos,*

nomos, uel inter cauſarios: uel, ſi neutrum horum liceat, inter ocioſos & uoluptarios numerentur.

Rempublicam non capeſſentibus.) *Pro, ſi nō capeſſant, Græco more dictum: συγχωρητέον μὴ πολιτευομένοις.*

Valetudinis imbecillitate.) *Vt maioris Aphricani filius. Requiruntur enim ad res gerendas non tantum ingeniorum uires, ſed etiam nerui corporum.*

Aut aliqua grauiore cauſa.) *Vt ſi Reſpublica ſit à tyranno oppreſſa, nec liberas ſententias dicere liceat: quo ex numero Cicero eſt. Impediūt etiam multis in locis paupertas & ignobilitas. Iſocratem in priuata uita conſeneſcere coegit ἀτολμία καὶ ἀφωνία.*

Daui interturbantes omnia.

Poteſtatem alijs, laudemq́.) *Prudens & neceſſaria appendix, qua inuidi, obtrectatores, calumniatores excluduntur. Rectè Poeta ait:*

Summa petit Liuor, perflant altiſſima uenti.

Sunt item multi, qui cum ipſi nihil utile dicere aut facere nec poſſint nec uelint, in eo tamen ſedulò occupentur, ut aliorum induſtriæ obtrectent atque obſiſtant. Qua de re Cicero: Enitor (inquit) ut neq; amicis, neque etiam alienioribus, opera, conſilio, labore deſim. Hic meæ uitæ curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem & ſpeciē huius uitæ intuentur, ſolicitudinē autem & laborem perſpicere non poſſunt.

CICERO.

Quibus autem talis nulla ſit cauſa, ſi deſpicere ſe dicant ea quæ pleriq; admirentur, imperia & magiſtratus: his non modò non laudi, uerùm etiam uitio dandum puto. Quorum iudicium in eo quòd gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu eſt non probare. Sed uidentur labores & moleſtias, tum offenſionum & repulſarum quaſi quandam ignominiam timere, & infamiam.

Rempublicā eſſe, capeſſendam.

Quibus autem nulla talis.) *Propoſitio huius loci principalis eſt: Quāuis tranquillitatem animi in magnis occupationibus retinere difficile ſit: tamen ea de cauſa Rempublicam non eſſe deſerendam, ſed omnes animi neruos magis intendēdos. In quam ſententiā Ariſtoteles quoq; docet: δεῖ βουλόμενον καὶ μὴ βουλόμενον ἄρχειν τὸν ἄξιον: id eſt, Imperio dignum, uelit nolit, imperare oportet.*

Prætextus & uera cauſa differunt.

Si deſpicere ſe dicant.) *Inter πρόφασιν καὶ αἰτίαν magnum eſt diſcrimen, diligenter ubiq; expendendum. αἰτία cauſa eſt uera, qua quiſq; ad agendum impellitur: πρόφασις falſa, ſed ſpecioſa cauſa, quæ prauæ cupiditati & in honeſto facto patrocinari ſtudet. Cauſæ bellorum plerunq; ſunt, ambitio & auaricia, praui & uituperandi affectus. Sed hi diſſimulantur, ijsq; prætexitur uel defenſio pacis, uel ultio iniuriarum. Sic Cicero hic, quoſdam ait igna*

uiæ ſuæ

uitæ ſuæ prætexere deſpicientiam rerum externarum. Deinde ut concedat eos reuerà illas deſpicere: tamen ſatis cauſæ id eſſe negat ad ocium agendum, & de ſerendâ Rempub. Imò quo magis deſpiciant res fortuitas, eo ad res magnas gerendas eos aptiores eſſe contendit, per inuerſionem.

CICERO.

Sunt enim qui in rebus contrarijs parum ſibi conſtent, uoluptatem ſeueriſsimè contemnant, ſint in dolore molliores, gloriam negligant, frangantur infamia. Atque ea quidem non ſatis conſtanter.

Sunt enim qui.) *Per occaſionem digreditur in locum cõmunem eleganti contentione tractatum, de inconſtantia: cuius cauſa eſt naturæ quaſi claudicatio quædam, atq; animi imbecillitas. Tres (ut notum eſt) principes animi partes ſtatuuntur: ἡ διάνοια, mens rectè iudicans: ἡ ἐπιθυμία, quæ naturæ idonea aſciſcit: ὁ θυμὸς, exequens ea quæ ratio præſcribit. Hæ uires animi inter ſe conſentientes, perfectum & conſtantem uirum efficiunt. Sin quæuis harum ſuo muneri defuerit, leuitas quædam & infirmitas, aut etiam pugna & inteſtinum bellum ſequatur neceſſe eſt. Paucæ autem ſunt naturæ huiuſmodi, unde & pauci præclari uiri: ut & pauciſſimæ apud Aſtrologos fortunatæ geneſes, in quibus animi & corporis bona cum fortunæ muneribus coniungantur. Hinc illa ſenilis & ſuauis querela Iſocratis, in Panathenaici proœmio.*

Cõſtantiæ & leuitatis cauſæ.

Pauci præſtantes uiri.

Voluptatem ſeueriſsimè.) *Vtrunq; fortitudinis eſt, nec dolore nec uoluptate uinci. Quanquã enim aſpernatio uoluptatũ temperantiæ potiſſimũ tribuitur: tamẽ magno animi etiã robore in ea re eſt opus. Significat aũt pleroſq; imperfectos eſſe homines, nec integra uirtute. ſed quaſi dimidiata præditos.*

Facilius rebus commodis caremus, quàm incommodas ſuſtinemus.

Gloriam negligant.) *Et hoc fortitudinis eſt, φέρειν τιμὴν καὶ ἀτιμίαν. Sed facilius eſt carere ijs quæ pulchra & iucunda uideantur, quàm ferre ſordes & dolores. Lauticijs epularum carere non difficile eſt: ſed famem tolerare, acerbiſſimum.*

CICERO.

Sed his qui habent adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione, adipiſcendi magiſtratus, & gerenda Reſpublica eſt. Nec enim aliter aut regi ciuitas, aut declarari animi magnitudo poteſt.

Sed his qui habent.) *Tractata exceptione ocioſorum quorundam, redit ad propoſitionem: gerendam eſſe Rempub. ijs qui poſſint, duplici ratione addita. prior eſt, Sine magiſtratuum opera conſociationem humanam cõſiſtere non poſſe: quæ quidem grauiſſima & uериſſima eſt. ſed à rudi uulgo minimè intelligitur. Poſterior, nonnihil ad ambitionem & oſtentationem inclinat: In ocio, inquit, uirtus deliteſcit, nec nobilitari poteſt.*

Magiſtratus & neceſſarius eſt, & oſtendit uirum.

Adiumenta rerum gerendarum.) *Scilicet & à natura, et à fortuna.*

Adiumenta rerum gerendarum.

A natura, ut proſperam ualetudinem, prudentiam, eloquentiam, magnitudinem animi, patientiam laborum & moleſtiarum: quæ fortaſsis etiam ab arte & inſtitutione nonnihil mutuantur, A fortuna, nobilitatem, amicos, honeſtas occaſiones. Accedat & recta uoluntas, quæ id præſtet, ut reſpublica pluris fiat quàm priuata.

Adipiſcendi magiſtratus.) *In noſtra urbe melius ſe res habet, ubi non petendi, ſed uel inuitis gerendi ſunt magiſtratus, excluſa ambitione aperta. Nam de occulta quid agas? cuius, ut audio, ſe non ita olim οἱ πυθμενοσκόποι miniſtros præbuerunt.*

CICERO.

Capeſſentibus autem Remp. nihil minus quàm philoſophis, haud ſcio an magis etiam & magnificentia & deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum, quam ſæpe dico, & tranquillitas animi atque ſecuritas: ſiquidem nec anxij futuri ſunt, & cum grauitate conſtantiaque uicturi.

Capeſſentibus autem.) *Conſtructio paulò obſcurior uidetur rudibus. Sunt enim datiui, cum ablatiui requiri uideantur. Sententia eſt: Cum ij qui Remp. capeſſunt, nihil minus ſint quàm philoſophi, tamen ἀπάθεια non minus illis neceſſaria eſt quàm philoſophis.*

Et magnificentia.) *μεγαλοπρέπειαν Græci dicunt, quæ eximia liberalitas eſt: cum hic μεγαλοψυχία potius requiratur. Si ſcriptura non fallit, magnificam ſpeciem cum approbatione in oculos hominum incurrentem deſignare uidetur: quæ Græcis σεμνότης eſt καὶ εὐσχημοσύνη.*

Siquidem nec anxij.) *Ratio à neceſſario, aut certe utili & commodo. Magiſtratus, inquit, niſi magnanimi fuerint, & miſerrimi & turpiſsimi erunt. Meditanda cuique ſunt adminiſtrationis incommoda & pericula, &, in recta conſcientia, contemnenda, & euentus Deo permittendus.*

CICERO.

Quæ eo faciliora ſunt philoſophis, quo minus multa patent in eorum uita, quæ fortuna feriat: & quo minus multis rebus egent: & quia, ſi quid aduerſi eueniat, tam grauiter cadere non poſſunt.

Paupertas & obſcuritas non inuidenda philoſophis.

Quæ eò faciliora.) *Repetitio collationis ſuprà inſtitutæ, pertinens ad excitandam magiſtratuum diligentiam, atque adhortandum ad philoſophiæ ſtudium, quo facilius res externas deſpicere queant: in quibus ſolis philoſophi meliori conditione ſunt, quàm potentes. Nam uita & corpora eorum æquè omnibus fortunæ telis patent. Fruuntur igitur prærogatiua quaſi quadam paupertatis, & inopiæ, & obſcuritatis, minimè certè quidem inuidenda.*

CICE-

CICERO.

Quocirca non ſine cauſa maiores motus animorū concitantur, maioraq́ꝫ † efficiendi Remp. gerentibus, quàm quietis. Quo magis his & magnitudo animi eſt adhibenda, & uacuitas ab angoribus.

† *V. L. efficienda. Alij: maiorq́; cura efficiendi.*

Quocirca non ſine cauſa.) *Idem initio quoq; dixit, his uerbis: Quæ cura exuſcitat etiam animos, maioresq́; ad rem gerendam facit.*

Maioraq́ꝫ efficiendi.) *Scilicet motus, ἀπὸ κοινοῦ. Non obſcurum eſt, gubernationem ciuitatis plus habere negocij, quàm familiæ curam. Cicero autem ſententiam hanc accommodat ad excitandam attentionem, atque induſtriam animi.*

CICERO.

Ad rem gerendam autem qui accedit, caueat ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit: ſed etiam, ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipſo cōſiderandum eſt, ne aut temerè deſperet propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatē. In omnibus autē negocijs, priuſquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

Ad rem gerendam.) *Vt ſuprà ab ignauia deterruit, idq́ue (niſi fallor) arte quadam, ut ambitioni Romanorum ueluti ſuffragando, eos æquiores haberet: ita nunc eoſdem minore cum offenſa, maiorīq; cum autoritate à temeritate dehortatur. Splendida (inquit) res & glorioſa eſt, Reipublicæ adminiſtratio, ſed non cuiuſuis eſt: multa requiruntur in eo, qui cum laude magiſtratum gerere uelit. Quibus rebus qui deſtituitur, is in priuata uita ſe contineat. quod Iſocrates fecit: qui ob timiditatem & gracilitatem uocis non Remp. gubernandam, ſed adoleſcentiam inſtituendā, & ſcribendas orationes ſibi ſumpſit, natura ſua in conſilium adhibita. Cuius exemplum ſtudioſos homines poſt adoleſcentiæ tirocinium imitari uelim, ne uel deſperatione fracti, rebus ſe dignis abſtineant: uel cupiditate inflammati, maiora uiribus aggrediantur. Sed hoc alibi commodius.* Verſandum diu quid ferre recuſent, Quid ualeāt humeri.

In quo ipſo.) *Elegās collatio τῆς ἐλλείψεως καὶ ὑπερβολῆς. Aequi (inquit) indices eſſe debemus noſtrarum uirium, nec arrogare nec derogare nobis ipſi nimium. Magnum hic diſcrimen naturarum eſt. Calidi homines plerunque ſunt arrogātes: et temerarij: frigidi minus ſibi tribuūt quàm præſtare poſſunt, & ſunt ſanè minus apti ad res gerendas.*

In omnibus autem negocijs.) *Generale præceptum, diligenter meditādum in omnibus deliberationibus. Præparatio autē qualis eſſe debeat, è rei natura eſt colligendū. Vt ſi philoſophiæ ſtudiū tibi ſit propoſitū, conſiderandū* Preparatio diligens.

 eſt inpri-

Et Themiſtocles.) *Alterum argumentum ἐκ τοῦ αὐτάρκους. ſed negari hoc quoq; poteſt, ut paulò antè dixi. Vt enim fruſtra ſunt arma foris, niſi eſt conſilium domi: ſic fruſtra eſt conſilium domi, niſi ſint arma foris.*

—— Alterius ſic Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Neq; enim omnia bella, etſi multa, uel conſilio præcaueri: uel, ubi exarſerint, ſine armis reſtingui poſſunt.

CICERO.

Licet eadem de Pauſania Lyſandroq́; dicere: quorum rebus geſtis quanquam imperium Lacedæmonijs dilatatum putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus & diſciplinæ conferendi ſunt. Quin etiam ob has ipſas cauſas, & † paratiores habuerunt exercitus, & fortiores.

V. L. parentiores, εὐπειθέστερα καὶ μαχιμώτερα: ſed uidetur inſolentius.

Honeſta diſciplina potior armis.

Quin & ob has ipſas cauſas.) *Graue quidem hoc argumentũ eſt, ſumptum à cauſa efficiente. Similis eſt locus in Iſocratis Panegyrico, ubi ait: maiorum honeſtam diſciplinam in cauſa fuiſſe, cur Athenienſes ea uirtute eſſent, ut fortiter poſſent profligare barbaros. Quod ſi, quod ſentio, dicendum eſt: ciuilis adminiſtratio bellicæ fortitudini tantum præſtat, quantum bello pax. Eſt autem pax naturæ & felicitatis, bellum neceſſitatis & calamitatis. Præterea belli finis pax eſt, non pacis bellum. Cur autem fortitudo tanti fiat, alio loco dictum eſt. Neq; ſanè de bellica uirtute quicquam detractum uolumus, modò intra ſuos fines ea ſe contineat, ſeq; propugnatricem eſſe iuſticiæ meminerit.*

CICERO.

Mihi quidem neq; pueris nobis M. Scaurus C. Mario, neq; cum uerſaremur in Republica Q. Catulus Cn. Pompeio cedere uidebantur. Parua enim ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. Nec plus Africanus, ſingularis & uir & imperator, in excidenda Numantia Reipub. profuit: quàm eodem tempore P. Naſica priuatus, cum Tyberiũ Gracchum interemit. Quanquam hæc quidem res non ſolum ex domeſtica eſt ratione: (attingit enim etiam bellicam, quoniam ui manu'que confecta eſt) ſed tamen id ipſum geſtum eſt conſilio urbano, ſine exercitu.

Mihi

Mihi quidem neq; pueris.) *Hactenus externis exemplis eſt uſus: nunc Romana adiungit, & ea quidem non ut quicquam probet, ſed ut ſententiam ſuam declaret.*

CICERO.

Illud autem optimum eſt, † in quod inuadi ſolere ab improbis & inuidis audio:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Vt enim alios omittamus, nobis Remp. gubernantibus, non'ne togæ arma ceſſerunt? Neq; enim in Rep. periculum fuit grauius unquam, † nec maius ocium. Ita conſilijs, diligentiaq; noſtra, celeriter de manibus audaciſsimorum ciuium delapſa arma ipſa ceciderunt. Quæ res igitur geſta eſt unquàm in bello tanta? Qui triumphus conferendus? Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hæreditas huius gloriæ, & factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certè uir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit: ut diceret, fruſtra ſe tertium triumphũ deportaturum fuiſſe, niſi meo in Rempublicam beneficio, ubi triumpharet, eſſet habiturus.

V. L. In quo me inuadi. Nec maius odium.

Illud autem optimũ eſt.) *Cicero immodico gloriolæ ſtudio, & iactatione ſui, deriſuq; aliorum, inuidiam atque odia multorum ſuſcepit: in primis autem, poſt Catilinæ interitum ſibi deus quiſpiam uiſus, hunc uerſum, qui à multis διὰ τὸ ὁμοιόπτωτον deridetur, edidit. Eum uerſum & factum ſuum defendit atq; amplificat, addita eleganti ἐπιδιορθώσει, oratione ad filium conuerſa, & Pompeij teſtimonio adducto. Sed niſi C. Antonius armis obuiam iuiſſet Catilinæ, nec Pompeius & alij Imperatores Mithridatem cæteroſque populi Romani hoſtes profligaſſent: quid tandem toga & lingua Ciceronis effeciſſet? Sed concedamus bono & bene merito ſeni laureolæ Ciliſſæ, belli ciuilis calamitate factam iacturam, his uerbis reſarcire.* Ciceronis laureola.

Neq; enim in Republica.) *Ad hunc locum intelligendum, legatur Coniuratio Catilinæ apud Saluſtium. Cicero autem (ut fuit glorioſulus) illud factum ſuum ornat, ſed modeſtè, duabus occupationibus adhibitis. Nam & maledicis ſe reſpondere neceſſariò, præ ſe fert: & cõmemorationem hanc ad exhortationem filij accommodat. Deniq; Pompeij (à quo ſibi gratulationem non miſſam, quadam epiſtola ſtomachatur) teſtimonium, dicterijs Saluſtij & aliorum opponit.*

CICE-

Præparatio contra caſus aduerſos.

tentiorem. Quæ cum ita ſint, nemo ſecurus eſſe poteſt, nemo ſuperbire debet ulla re: ſed quiſque diligentem adhibere præparationem, quæ fuerit in primis animus Deo dicatus, & illius ope fretus: deinde comes huius, innocentia & moderatio uitæ: denique prouidentia, ſine Dei auxilio inanis illa quidem, ſed cum inuocatione numinis ſi coniugatur, efficaciſſima.

Status Naturæ.

Nihil à ſtatu naturæ.) *Scilicet humanæ. Eſt autem is ſtatus, iudicium rationis ubiq; ſequi, non prauos affectus: conſeruare omnes uirtutes, & cum illis in omnibus & dictis & factis congruere: hoc eſt, nil facere aut dicere, aut etiam cogitare imprudenter, iniuſtè, timidè, ſuperbè, immoderatè. His ipſis in rebus poſita eſt etiam dignitas ſapientis, non in admiratione populi, aut ſplendore diuitiarum & honorum.*

CICERO.

Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate: nec qui inuictum ſe à labore præſtiterit, uinci à uoluptate.

Non eſt conſentaneum.) *Hoc loco non tam non probabile, quàm nō decorum ſignificat: ut arguūt illa uerba quæ paulo pòſt ſequentur, Sunt qui in rebus contrarijs parum ſibi conſtent.*

Contraria magnanimitati.

Qui metu non frangatur.) *Quæ magnanimitatis propria ſint, eamq; ueluti abſoluant, hactenus expoſuit, & ſæpius alijs atq; alijs uerbis repetijt: ut ſit hic exemplum ἐπιμονῆς, ſiue ἐπεξεργασίας, quam & συνωνυμίαν & Expolitionem uocant. Neq; enim cognatas figuras ſubtiliter diſcernere propoſitum eſt. Nunc contraria ſiue pugnantia ſubijcit, longumq; texit catalogum. Nam ἀφοβία coniuncta eſt fortitudini: ſed eidem repugnant φιληδονία, φιλοπλουτία, φιλοδοξία, φιλαρχία, item τὸ εὐπαθὲς καὶ ἐμπαθές. Cognata uerò fortitudini ſunt, ut φιλοπονία, ita etiam ἀπάθεια: quam comitatur εὐθυμία, quæ & εὐεστὼ à nonnullis dicitur. Pugnat & ἀπραξία, hoc eſt ignauū ocium, cum fortitudine.*

CICERO.

Quamobrem & hęc† uitanda ſunt, & pecuniæ fugienda cupiditas. Nihil enim eſt tam anguſti animi, tamq́; parui, quàm amare diuitias. nihil honeſtius, magnificentiusq́; quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemq́; conferre.

† *V. L. uidenda.*

Quamobrem & hæc.) *Rerum externarum admiratio, mollicies animi, metus, cupiditas, uoluptas.*

Pecuniæ cupiditas.

Et pecuniæ.) *φιλοπλουτίαν ἢ φιλοχρηματίαν improbat Cicero: quem fatuū fuiſſe dicet auari, & ignoraſſe quot ad res et quātas opportuna ſit pecunia.*

Tam anguſti animi.) *Suprà dixit, in quibus maior ſit animus, in ijs pecuniæ*

cuniæ cupiditatem ſpectare ad opes, & ad gratificandi facultatem: quæ inter ſe pugnare uidentur, cum non pugnent. Nam iÿ quibus magnum animum tribuit, non amant ipſam pecuniam καθ' αὑτὸ, ſed διὰ τὴν τιμήν: & res eódem penè recidit. Quacūq; enim de cauſa pecuniam ament, pecuniam certè amant.

Contemnere, ſi non habeas.) *Eatenus ſcilicet, quatenus & ad uitam honeſtè degendam neceſſaria non eſt, & ſalua honeſtate parari nequit. Nam mendicare certè quidem, magni animi non eſt: egere, atq; in ſordibus uiuere, cùm honeſto labore emergere liceret, ſtulticiæ & ignauiæ fuerit. Itaq; mirarer eos qui Diogenis impudentem mendicitatem admirãtur: niſi animaduertiſſem, iÿs eſſe quoſdam ingeniÿs, ut monſtris potiſſimùm delectentur, pica laborantibus mulieribus non diſſimiles.*

Quatenus contemnenda pecunia.

Monſtrorum amatores.

Ad beneficentiam.) *Scilicet, iÿs rationibus obſeruatis, quæ in liberalitatis præceptis expoſitæ ſunt, & uberius atq; accuratius libro huius Operis ſecundo tradentur.*

CICERO.

Cauẽda eſt etiã gloriæ cupiditas, ut ſuprà dixi. eripit enim libertatẽ, pro qua magnanimis uiris omnis debet eſſe cõtentio. Nec uerò imperia expetenda: ac potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam.

Cauenda eſt etiam.) *φιλοδοξία, καὶ φιλοτιμία, reÿciuntur.*

Eripit enim libertatẽ.) *Quia cogit ſeruire populo, & eius gratiã uariÿs & ſæpe parũ honeſtis rationibus aucupari. Neq; uerò ambitio tantũ, ſed & aliÿ praui et uehementes affectus libertatẽ eripiũt: hoc eſt, menten ſui iuris eſſe non ſinunt, ſed quaſi tyrannide oppreſſos, in ſeruitutem redigunt.*

Affectus uehementiores libertatem eripiunt.

Omnis debet eſſe contentio.) *Paulo pòſt ait, libertatis eſſe propriũ, uiuere ut uelis. Quod ita demum uerũ erit, ſi ea uelis quæ recta et honeſta ſunt. Vnde Iuriſconſulti, nos legum ſeruos eſſe dicunt, ut liberi eſſe poſſimus. Alioqui non libertas iſta erit, ſed licentia, indulgere prauis cupiditatibus. Neceſſe eſt hominem ſeruire Deo, ſeruire rectæ rationi, ſeruire legibus, ſeruire omni officio, ſeruire legitimis magiſtratibus et dominis, ſeruire Reipublicæ, ſeruire commodis eorum quos charos habeat, tueriq; debeat. Vnde rectè exclamauit Euripides: οὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἔστ' ἐλεύθερος, non eſſe quenquam mortaliũ qui ſit liber. Quamuis ſubÿcit alias cauſas, ſeruitutem pecuniæ, fortunæ & multitudinis. À legũ autem ſeruitute qui ſe exemptũ uoluerit, in deſertas inſulas erit deportãdus, ne ſua libertate turbet ordinem & diſciplinam Reipublicæ.*

Libertatis proprium, uiuere ut uelis: ſi ea uelis, quæ recta & honeſta ſunt.

Non accipienda.) *Cum aut aliÿ rectius ea gerere poſſint, aut iÿs non eſt opus. Intelligenda autem potiſſimum ſunt imperia in milites Romano ueteri more, non hoc noſtro: quo Fridericus Saxo principatum ab Electoribus ſibi delatum, certo conſilio & ſingulari excelſi animi exemplo repudiauit, ut & Cicero triumphum in patriæ calamitate.*

Aut deponenda.) *Scilicet cum leges iubent: ut Conſulatus erat annuus*

apud Romanos, dictatura ſemeſtris. Incidunt & aliæ cauſæ, ut ualetudinis imbecillitas: aut ea moles negociorū, cui tu par eſſe non poſſis, alij uerò poſſint.

CICERO.

Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, cùm cupiditate & metu, tum etiam ægritudine & uoluptate animi, & iracundia: ut tranquillitas animi & ſecuritas adſit, quæ affert tum conſtantiam, tum etiam dignitatem.

Vacandum.) *Hic in genere præcipit ἀπάθειαν, qua continet ἀταραξίαν, ἀνορεξίαν, ἀφοβίαν, ἀλυπίαν, ἀφιληδονίαν, ἀοργησίαν, ἡσυχίαν, ἄδειαν. Sic enim fortaſſe græcè reddas Ciceronianum hunc catalogum.*

Animi uoluptas non improbatur.

Et uoluptate animi.) *τὸ Animi, aut redundat, aut ex rigore Stoico profectum eſt. Vnde illud Antiſthenis: μανείην, ἢ ἡσθείην. Nam animi delectationes, quæ ex uirtute & ſapientia oriuntur, & rectè factorum conſcientia, fugiendæ certè non ſunt, ſed omnibus modis expetendæ. Fortaſsis autem uoluptatem animi intelligit, exultationem immodicam, & læticiam quaſi geſtientem. Qualis eorum eſt, qui inſperata felicitate potiuntur, quamq́; uetat Horatius eleganti illa oda, Rectius uiues Licini, &c. ad uerbum ediſcenda.*

Tum conſtantiā.) *Suprà dictum eſt, affectus eſſe leues & temerarios: mentem uerò tranquillā & conſtantem, repreſſis affectibus. Ea uerò conſtantia magnificam ſpeciem ingerit oculis eruditis, quam Cicero uocat dignitatem.*

CICERO.

Multi autem & ſunt & fuerunt, qui eam quam dico tranquillitatem expetentes, à negocijs publicis ſe remouerunt, ad ociumq́ perfugerunt. In his & nobiliſsimi Philoſophi, longéq́ principes, & quidā homines ſeueri & graues, nec populi, nec principum mores ferre potuerūt: uixeruntq́ nonnulli in agris, delectati re ſua familiari.

Multi autem & ſunt.) *Dum uitant ſtulti, uitia in contraria currunt: Incidit in Scyllam, cupiens uitare Charybdim.*

Suprà temeritatem, quæ res magnas quidem, ſed eaſdem non neceſſarias ſuſcipit: & ambitionem, quæ alio quàm debebat, conſilio ſuſcipit, cauere iuſsit. Nunc uitium his contrarium τὴν ἀπραξίαν καὶ ἰδιοπραγμοσύνην, aptiſsima tranſitione moderatur, ut ἡ εὐπραξία καὶ κατ' ἀρετὴν ἐνέργεια, καὶ αὐτὸ δὴ τὸ καθῆκον retineatur: hoc eſt, ut ea gerantur quæ officij ſunt, & quæ cū officio pugnant non ſuſcipiantur. Elegantes uerſiculi ſunt:

ὁ πολλὰ πράττων { πολλὰ καὶ ἁμαρτάνει,
πολλὰς καὶ λύπας ἔχει.

Qui multa aget { *peccabit idem ſæpius,*
dolebit idem ſæpius.

Cum

Cum autem Cicero tranquillitatem animi, & uacuitatem ab angoribus præcipiat: ocium, & fuga Reip. ad illam εὐθυμίαν καὶ ἡσυχίαν accommodatiſſima uidentur. Eam opinionem nonnullorum occupatione quadam refutat: diſtinctione tamen ſeu exceptione adhibita. Vult enim omnes magnos uiros ſeruire Reipublicæ, & in rebus gerendis uerſari, duobus tantum hominum generibus exceptis: philoſophis excellentibus, & ijs quibus uires et facultates rerum gerendarum deſunt.

μεγίστοις φιλόσοφοι ἀδιάφοροι.

Ad ocium perſugerunt.) *Q. d. Rempublicam tyrannum quendam, & crudelem dominum iudicantes, in ocium tanquam aſylum cupidiſſimè ſe cõtulerunt. In hanc ſententiam memoratur dictum Aeſchinis exultantis: Gaudere ſe, quòd liberatus eſſet à Republica, ὥσπερ λυττώσης κυνὸς ἀπαλλαγείς. In eandem ſententiam etiam Demoſthenes dixiſſe fertur: Si præſciſſet Reipub. mala, metum, inuidiam, calumnias, cõtrouerſias, lites, pericula, ſe potius rectà deſcenſurum ad inferos, hoc eſt oppetiturum fuiſſe mortem, optione data, quàm ad Remp. acceſſurum. Vnde apparet, non tam amore patriæ, quàm ob priuatas quaſdam rationes, ſiue cupiditate potentiæ, ſplendoris, gloriæ, ſiue auaricia impulſos, acceſſiſſe illos ad Rempublicam.*

Populus tyrannus.

In his & nobiliſſimi.) *Duo genera hominum ocij cupidorum recenſet: philoſophos, qui contemplationem actioni anteponunt: & homines ſeueros, qui cum æqua etiam imperia, ad ſuum arbitium non conſtituta ferre uix poſſint, iniquum dominatum & peruerſos mores deteſtantur. Recenſetur autem hic potius τὸ γινόμενον, quàm τὸ δέον præcipitur.*

Nec populi.) *Δημοκρατίαν καὶ μοναρχίαν intelligit, in quibus etiam αἱ παρεκβάσεις intelliguntur, τυραννίς, ὀχλοκρατία ἢ ἀναρχία. Vellent illi ἀριστοκρατεῖσθαι, hoc eſt optimis & ſapientiſſimis tum uiris tum legibus & ipſi parêre, & alios obtemperare: ſed & hic procliuis lapſus eſt in ὀλιγαρχίαν.*

Mores ferre.) *Vellent illi uiuere cum perfectis hominibus, aut ſaltem ijs in quibus eſſent ſimulacra uirtutis. Sed perpetuò maior eſt improborum & petulantium numerus. Ferendum igitur, non culpandum, quod mutari non poteſt. Sic præceptor uellet ingenioſos & diligentes diſcipulos inſtituere: ſed quia in hac negligentia parentum plures ſtupidi, & à literis abhorrentes, in Scholis retinentur, æquo animo ferenda eſt hæc perturbatio: &, ſi ipſe ſis officio functus, reliqua committenda Deo.*

Vitam inter ſtultos & improbos agere, neceſſe.

Vixeruntq́ue nonnulli.) *Hoc in Græcia & Romæ plerunque licuit, & extra periculum fuit, ſi quis à Republica abſtinuit. Sed horum temporum maior eſt ſeruitus, quæ omnes etiam abditiſſimos angulos ſpe prædæ rimatur & penetrat, ut uix, ac ne uix quidem cogitationis libertas relinquatur.*

Aucta ſeruitus.

CICERO.

His idem propoſitum fuit, quod regibus: ut ne quare egerent, ne cui parêrent: libertate uterentur, cuius proprium eſt, ſic uiuere ut uelis.

Conceſsio ante refutationem.

His idem propoſitum.) *Antequam refutationem inſtituat, cauſas ſeceſſus illius exponit, & penè laudat inſtitutum. Q. d. Magni animi non parua indicia in iſtis apparent, cum ſint & ſeruitutis impatientes, & cupidi libertatis. Etſi magnitudo animi in ijs eſſe maior uidetur, qui mores hominum ferunt, quàm in ijs qui fugiunt.*

Quod regibus.) *Magnificentiſsimo uocabulo inſtitutum eorũ ornat.*

Ne qua re egerent.) *Græci uerbis ſingulis hæc efferre poſſunt, αὐτάρκειαν, αὐτονομίαν, καὶ ἐλευθερίαν appellantes.*

Libertate uterentur.) *Naturalis libertas hic deſcribitur, quæ (quod quidem ad corporis neceſsitates & commoditates complures attinet) ad ſingulos in ſolitudine degentes pertinere poteſt. In Republica autem, ubi plurima propter alios & facienda & non facienda, & ferenda ſunt, loci nihil habet.*

Libertas.

Nam ἡ πολιτικὴ ἐλευθερία non male ſic deſcribitur à Cœlio S. C. Libertas eſt tranquilla ſecuritas, & honeſta ciuium diſciplina, legum optimarum æquitate, in quauis Reipublicæ forma, parta & conſeruata.

Sic uiuere ut uelis.) *Si ſcilicet (ut ſuprà dictum eſt) recta & honeſta uelis: & ita quidem recta & honeſta, ut cum Reipublicæ legibus & inſtitutis congruant. Hunc fructũ philoſophiæ eſſe, aſſeruit Ariſtoteles: quòd ipſe ultrò faceret ea, quæ reliqui metu legum & pœnarum. Hac libertate frui quiuis poteſt, qui appetitum rationi obedientem præbet. Rectè Sadoletus: Diſciplinæ (inquit) eſt, ex alienæ uirtutis præſcripto uiuere: uirtutis uerò, ſuæ. Velle autem debemus, ea quæ Deus, quæ recta ratio, quæ honeſtæ leges, quæ boni magiſtratus, quæ Domini legitimi præſcribũt. Interdum etiam Deo peccata noſtra caſtigante & faciẽda & perferẽda multa ſunt, quæ cum regulis pugnant. In quo & obedientia Deo præſtanda, & agnoſcẽda culpa noſtra, eaq; & corrigenda & deprecanda eſt. Rarò enim uera libertas cõtingit: aut ſi contingit, uitio hominum diuturna eſſe uix poteſt.*

Quæ uelle debeamus.

CICERO.

Quare cũ hoc cõmune ſit potẽtiæ cupidorũ, cũ his quos dixi ocioſos: alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeãt: alteri, ſi contenti ſint & ſuo, & paruo.

Quare cum hoc commune.) *Collatione ocioſorum cum regibus, innuit magnitudinem animi etiam in priuatum hominẽ cadere, præſertim philoſophum: cuiuſmodi fuit Socrates, Crates, Diogenes, Demonax, atq; his omnibus (mea quidem ſententia) præferendus Epictetus, & fortaſsis alij plures. Nunc cauſas efficentes magnanimitatis inter ſe cõfert: Quod regibus (inquit) præſtat amplitudo opum, id philoſophi petunt τὰ τῆς αὐταρκείας.*

CICERO.

In quo neutrorũ omnino contẽnenda eſt ſentẽtia. Sed & facilior & tutior, & minus alijs grauis aut moleſta eſt uita ocioſorum: fructuoſior autem hominũ generi, & ad clarita-

claritatem amplitudinemq́ aptior, eorũ qui ſe ad Remp. ad res magnas gerendas accommodauerunt.

In quo neutrorum.) *ἐπιείκεια πάνυ ἐπιεικὴς, et imitatione digna. Neq; enim temerè uel facta aliorum, uel ſententiæ condemnandæ ſunt: quarum ſi non certas & probabiles rationes habent, quibus fortaſsis & nos, ſi eodem loco eſſemus, uteremur: τὸ φιλεπιτιμητὴν εἶναι, ut ait Iſocrates; & odioſum & periculoſum eſt, ſi diuerſæ partis diſertus patronus exiſtat.*

Sed & facilior.) *Per contentionem, & publicæ & priuatæ uitæ tam cõmoda, quàm incommoda (ut nihil in rebus humanis ab omni parte beatũ eſt) exponit. Ocioſi, inquit, & quietius & ſecurius uiuentes, nemini quidem ſunt moleſti, ſed ijdem etiam nemini proſunt: contrà negocioſi, quamuis fieri nequeat quin aliquando alijs graues ſint, tamen plurimum conferunt Reipublicæ. Magnæ opes uix ſine iniurijs, aut ſaltem querelis aliorum uel parari, uel conſeruari, neq; priuatim neq; publicè poſſunt: exigenda ſunt tributa & uectigalia: cogendi ciues ad militiã, & alia munia Reipub. neceſſaria: praui mores ſeueritate cenſuræ corrigendi ſunt: accuſandi & puniendi perturbatores pacis & diſciplinæ: aduerſandum eſt ijs qui ſua temeritate & ſtulticia Reipub. malè conſulunt. In quibus rebus non tantum inuidia & odia multorum ſuſcipiuntur, ſed etiam capitalia pericula accerſuntur: id quod uel Demoſthenis & Ciceronis interitus declarauit. Plectuntur enim in rerumpublicarum mutationibus oratores & duces potiſsimùm, & ij quorum ſumma fuit autoritas: quòd eorum conſilijs, quæcunque aduerſarijs moleſta fuerunt, accepta referuntur.*

Bonum magiſtratum offenſas moroſorum & improborũ uitare non poſſe.

Oratores & duces plectuntur.

Fructuoſior autem.) *Loquitur de ijs qui Reipub. conſultum uolunt, non qui auariciæ & ambitioni ſuæ explendæ ſtudent. horum enim uita nihil eſt pernicioſius. Illi autẽ ſuos labores, moleſtias, curas, uigilias, ſolicitudines duabus rebus conſolari poſſunt: claritate atque amplitudine priuata, & publica utilitate.*

Solatia boni magiſtratus.

CICERO.

Quapropter & his forſitan concedendũ ſit Remp. non capeſſentibus, qui excellẽti ingenio doctrinæ ſeſe dediderũt: & his qui aut ualetudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore cauſa impediti à Republica receſſerũt, cũ eius admi niſtrandæ poteſtatem alijs, laudemq́ concederent.

Quapropter & his forſitan.) *Quia, inquit, homines ocioſi nemini ſunt graues, & priuato ſtudio, ſic Rempublicam etiam iuuare poſſunt, reprehenſione carent. Quæ enim barbaries eſſet, niſi ingenijs atque induſtria præſtantium philoſophorũ, cognitio rerũ tradita & percepta eſſet? Sed hic locus aliquanto pòſt copioſius tractabitur. Si qui autẽ nec uiua uoce docent, nec ulla fructuoſa monimenta poſt ſe relinquũt: ij dũ literis ſeſe oblectãt, uel inter œconomos,*

nomos, uel inter cauſarios: uel, ſi neutrum horum liceat, inter ocioſos & uoluptarios numerentur.

Rempublicam non capeſſentibus.) *Pro, ſi nõ capeſſant, Græco more dictum: συγχωρητέον μὴ πολιτευομένοις.*

Valetudinis imbecillitate.) *Vt maioris Aphricani filius. Requiruntur enim ad res gerendas non tantum ingeniorum uires, ſed etiam nerui corporum.*

Aut aliqua grauiore cauſa.) *Vt ſi Reſpublica ſit à tyranno oppreſſa, nec liberas ſententias dicere liceat: quo ex numero Cicero eſt. Impediũt etiam multis in locis paupertas & ignobilitas. Iſocratem in priuata uita conſeneſcere coegit ἀτολμία καὶ ἀφωνία.*

Daui interturbantes omnia.

Poteſtatem alijs, laudemq́.) *Prudens & neceſſaria appendix, qua inuidi, obtrectatores, calumniatores excluduntur. Rectè Poeta ait:*

Summa petit Liuor, perflant altiſsima uenti.

Sunt item multi, qui cum ipſi nihil utile dicere aut facere nec poſsint nec uelint, in eo tamen ſedulò occupentur, ut aliorum induſtriæ obtrectent atque obſiſtant. Qua de re Cicero: Enitor (inquit) ut neq; amicis, neque etiam alienioribus, opera, conſilio, labore deſim. Hic meæ uitæ curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem & ſpeciẽ huius uitæ intuentur, ſolicitudinẽ autem & laborem perſpicere non poſſunt.

CICERO.

Quibus autem talis nulla ſit cauſa, ſi deſpicere ſe dicant ea quæ pleriq; admirentur, imperia & magiſtratus: his non modò non laudi, uerùm etiam uitio dandum puto. Quorum iudicium in eo quòd gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu eſt non probare. Sed uidentur labores & moleſtias, tum offenſionum & repulſarum quaſi quandam ignominiam timere, & infamiam.

Rempublicã eſſe capeſſendam.

Quibus autem nulla talis.) *Propoſitio huius loci principalis eſt: Quãuis tranquillitatem animi in magnis occupationibus retinere difficile ſit: tamen ea de cauſa Rempublicam non eſſe deſerendam, ſed omnes animi neruos magis intendẽdos. In quam ſententiã Ariſtoteles quoq; docet: δεῖ βουλόμενον καὶ μὴ βουλόμενον ἄρχειν τὸν ἄξιον: id eſt, Imperio dignum, uelit nolit, imperare oportet.*

Prætextus & uera cauſa differunt.

Si deſpicere ſe dicant.) *Inter πρόφασιν καὶ αἰτίαν magnum eſt diſcrimen, diligenter ubiq; expendendum. αἰτία cauſa eſt uera, qua quiſq; ad agendum impellitur: πρόφασις falſa, ſed ſpecioſa cauſa, quæ prauæ cupiditati & in honeſto facto patrocinari ſtudet. Cauſæ bellorum plerunq; ſunt, ambitio & auaricia, praui & uituperandi affectus. Sed hi diſsimulantur, ijsq; prætexitur uel defenſio pacis, uel ultio iniuriarum. Sic Cicero hic, quoſdam ait igna*

uiæ ſuæ

uitæ ſuæ prætexere deſpicientiam rerum externarum. Deinde ut concedat eos reuerà illas deſpicere: tamen ſatis cauſæ id eſſe negat ad ocium agendum, & de ſerendã Rempub. Imò quo magis deſpiciant res fortuitas, eo ad res magnas gerendas eos aptiores eſſe contendit, per inuerſionem.

CICERO.

Sunt enim qui in rebus contrarijs parum ſibi conſtent, uoluptatem ſeuerißimè contemnant, ſint in dolore molliores, gloriam negligant, frangantur infamia. Atque ea quidem non ſatis conſtanter.

Sunt enim qui.) *Per occaſionem digreditur in locum cõmunem eleganti contentione tractatum, de inconſtantia: cuius cauſa eſt naturæ quaſi claudicatio quædam, atq; animi imbecillitas. Tres (ut notum eſt) principes animi partes ſtatuuntur: ἡ διάνοια, mens rectè iudicans: ἡ ἐπιθυμία, quæ naturæ idonea aſciſcit: ὁ θυμὸς, exequens ea quæ ratio præſcribit. Hæ uires animi inter ſe conſentientes, perfectum & conſtantem uirum efficiunt. Sin quæuis harum ſuo muneri defuerit, leuitas quædam & infirmitas, aut etiam pugna & inteſtinum bellum ſequatur neceſſe eſt. Paucæ autem ſunt naturæ huiuſmodi, unde & pauci præclari uiri: ut & paucißimæ apud Aſtrologos fortunatæ geneſes, in quibus animi & corporis bona cum fortunæ muneribus coniungantur. Hinc illa ſenilis & ſuauis querela Iſocratis, in Panathenaici proœmio.*

Cõſtantiæ & leuitatis cauſæ.

Pauci præſtantes uiri.

Voluptatem ſeuerißimè.) *Vtrunq; fortitudinis eſt, nec dolore nec uoluptate uinci. Quanquã enim aſpernatio uoluptatũ temperantiæ potißimũ tribuitur: tamẽ magno animi etiã robore in ea re eſt opus. Significat aũt pleroſq; imperfectos eſſe homines, nec integra uirtute, ſed quaſi dimidiata præditos.*

Facilius rebus commodis caremus, quàm incommodas ſuſtinemus.

Gloriam negligant.) *Et hoc fortitudinis eſt, φέρειν τιμὴν καὶ ἀτιμίαν. Sed facilius eſt carere ijs quæ pulchra & iucunda uideantur, quàm ferre ſordes & dolores. Lauticijs epularum carere non difficile eſt: ſed famem tolerare, acerbißimum.*

CICERO.

Sed his qui habent adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione, adipiſcendi magiſtratus, & gerenda Reſpublica eſt. Nec enim aliter aut regi ciuitas, aut declarari animi magnitudo poteſt.

Sed his qui habent.) *Tractata exceptione ocioſorum quorundam, redit ad propoſitionem: gerendam eſſe Rempub. ijs qui poßint, duplici ratione addita. prior eſt, Sine magiſtratuum opera conſociationem humanam cõſiſtere non poſſe: quæ quidem grauißima & uerißima eſt. ſed à rudi uulgo minimè intelligitur. Poſterior, nonnihil ad ambitionem & oſtentationem inclinat: In ocio, inquit, uirtus deliteſcit, nec nobilitari poteſt.*

Magiſtratus & neceſſarius eſt, & oſtendit uirum.

Adiumenta rerum gerendarum.) *Scilicet & à natura, et à fortuna.*

D *À natu-*

Adiumenta rerum gerendarum.

A natura, ut proſperam ualetudinem, prudentiam, eloquentiam, magnitudinem animi, patientiam laborum & moleſtiarum: quæ fortaſſis etiam ab arte & inſtitutione nonnihil mutuantur, A fortuna, nobilitatē, amicos, honeſtas occaſiones. Accedat & recta uoluntas, quæ id præſtet, ut reſpublica pluris fiat quàm priuata.

Adipiſcendi magiſtratus.) *In noſtra urbe melius ſe res habet, ubi non petendi, ſed uel inuitis gerendi ſunt magiſtratus, excluſa ambitione aperta. Nam de occulta quid agas? cuius, ut audio, ſe non ita olim οἱ πνδυματοφόρων miniſtros præbuerunt.*

CICERO.

Capeſſentibus autem Remp. nihil minus quàm philoſophis, haud ſcio an magis etiam & magnificentia & deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum, quam ſæpe dico, & tranquillitas animi atq; ſecuritas: ſiquidem nec anxij futuri ſunt, & cum grauitate conſtantiaq; uicturi.

Capeſſentibus autem.) *Conſtructio paulò obſcurior uidetur rudibus. Sunt enim datiui, cum ablatiui requiri uideantur. Sententia eſt: Cum ij qui Remp. capeſſunt, nihil minus ſint quàm philoſophi, tamen ἀπάθεια non minus illis neceſſaria eſt quàm philoſophis.*

Et magnificentia.) *μεγαλοπρέπειαν Græci dicunt, quæ eximia liberalitas eſt: cum hic μεγαλοψυχία potius requiratur. Si ſcriptura non fallit, magnificam ſpeciem cum approbatione in oculos hominum incurrentem deſignare uidetur: quæ Græcis σεμνότης eſt καὶ εὐσχημοσύνη.*

Siquidem nec anxij.) *Ratio à neceſſario, aut certe utili & commodo. Magiſtratus, inquit, niſi magnanimi fuerint, & miſerrimi & turpiſſimi erunt. Meditanda cuiq; ſunt adminiſtrationis incommoda & pericula, & , in recti conſcientia, contemnenda, & euentus Deo permittendus.*

CICERO.

Quæ eo faciliora ſunt philoſophis, quo minus multa patent in eorum uita, quæ fortuna feriat: & quo minus multis rebus egent: & quia, ſi quid aduerſi eueniat, tam grauiter cadere non poſſunt.

Paupertas & obſcuritas non inuidenda philoſophis.

Quæ eò faciliora.) *Repetitio collationis ſuprà inſtitutæ, pertinēs ad excitandam magiſtratuum diligentiam, atq; adhortandum ad philoſophiæ ſtudium, quo facilius res externas deſpicere queant: in quibus ſolis philoſophi meliori conditione ſunt, quàm potentes. Nam uita & corpora eorum æquè omnibus fortunæ telis patent. Fruuntur igitur prærogatiua quaſi quadam paupertatis, & inopiæ, & obſcuritatis, minimè certè quidem inuidenda.*

CICERO.

Quocirca non ſine cauſa maiores motus animorũ concitantur, maioraq́; † efficiendi Remp. gerentibus, quàm quietis. Quo magis his & magnitudo animi eſt adhibenda, & uacuitas ab angoribus.

† *V. L. efficienda. Alij: maiorq́; cura efficiendi.*

Quocirca non ſine cauſa.) *Idem initio quoq; dixit, his uerbis: Quæ cura exuſcitat etiam animos, maioresq́; ad rem gerendam facit.*

Maioraq́; efficiendi.) *Scilicet motus, ἀπὸ κοινοῦ. Non obſcurum eſt, gubernationem ciuitatis plus habere negocij, quàm familiæ curam. Cicero autem ſententiam hanc accommodat ad excitandam attentionem, atque induſtriam animi.*

CICERO.

Ad rem gerendam autem qui accedit, caueat ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit: ſed etiam, ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipſo cõſiderandum eſt, ne aut temerè deſperet propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatẽ. In omnibus autẽ negocijs, priuſquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

Ad rem gerendam.) *Vt ſuprà ab ignauia deterruit, idq́ue (niſi fallor) arte quadam, ut ambitioni Romanorum ueluti ſuffragando, eos æquiores haberet: ita nunc eoſdem minore cum offenſa, maioriq; cum autoritate à temeritate dehortatur. Splendida (inquit) res & glorioſa eſt, Reipublicæ adminiſtratio, ſed non cuiuſuis eſt: multa requiruntur in eo, qui cum laude magiſtratum gerere uelit. Quibus rebus qui deſtituitur, is in priuata uita ſe contineat. quod Iſocrates fecit: qui ob timiditatem & gracilitatem uocis non Remp. gubernandam, ſed adoleſcentiam inſtituendã, & ſcribendas orationes ſibi ſumpſit, natura ſua in conſilium adhibita. Cuius exemplum ſtudioſos homines poſt adoleſcentiæ tirocinium imitari uelim, ne uel deſperatione fracti, rebus ſe dignis abſtineant: uel cupiditate inflammati, maiora uiribus aggrediantur. Sed hoc alibi commodius.*

Verſandum diu quid ferre recuſent, Quid ualeat humeri.

In quo ipſo.) *Elegãs collatio τῆς ἐλλείψεως καὶ ὑπερβολῆς. Aequi (inquit) iudices eſſe debemus noſtrarum uirium, nec arrogare nec derogare nobis ipſi nimium. Magnum hic diſcrimen naturarum eſt. Calidi homines plerunque ſunt arrogãtes: et temerarij: frigidi minus ſibi tribuũt quàm præſtare poſſunt, & ſunt ſanè minus apti ad res gerendas.*

In omnibus autem negocijs.) *Generale præceptum, diligenter meditãdum in omnibus deliberationibus. Præparatio autẽ qualis eſſe debeat, è rei natura eſt colligendũ. Vt ſi philoſophiæ ſtudiũ tibi ſit propoſitũ, conſiderandũ* Preparatio diligens.

 eſt inpri-

eſt inprimis ingenium, ſit'ne ſatis acutum? poſſit'ne contemnere uoluptates? ac ferre meditandi legendiq; labores aſsiduos? Deinde, an ſit copia eruditorum et fidelium præceptorum? Poſtremò, an tenuitate philoſophicæ uitæ, hoc eſt mediocri uictu & amictu, ſine ullo ſplendore & magnificentia, cõtentus eſſe, & multos nequaquam doctrina & ingenio tibi pares anteferri, æquo animo ferre poſsis? His rebus & ſimilibus exploratis, ad philoſophiæ ſtudiũ accedas licet. Ad eundem modum quid cætera quoque uitæ genera poſtulent, diligenter eſt conſiderandum. In nullo autem magis ea conſideratio eſt neceſſaria quàm in ſacerdotio, quod myſteria diuina tractat, et nunc (proh dolor) illotis manibus (quod aiunt) imò impuris & inquinatis animis tractatur à multis, non aliud niſi inſcitiæ & ignauiæ ſuæ receptum quærentibus. Nam cordatiores & meliores ad muneris & ampliſsimi & periculoſiſsimi adminiſtrationem acceſſuri, quamuis non ignorent ὅτι ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ θεοῦ ἐστι: tamen parabolæ Euangelicæ de Rege bellum parante, & ædificaturo, memores, & ætatem maturiorem expectant, & diligentem adhibent præparationem. Quæ cuiuſmodi ſit, ipſi pro ſua prudentia intelligunt.

CICERO.

Sed cum pleriq; arbitrentur, res bellicas maiores eſſe quàm urbanas: minuenda eſt hęc opinio. Multi enim bella ſæpe quæſiuerunt propter gloriæ cupiditatem. Atq; id in magnis animis ingenijsq; plerũq; cõtingit: eoq; magis, ſi ſint ad rem militarẽ apti, & cupidi bellorũ gerẽdorum.

Sed cum pleriq; arbitrentur.) *Fortitudo (ut antè dixi) diuidi poteſt in priuatam & publicam: publica ſubdiuidi in bellicam & ciuilem. Harum igitur duarum hîc inſtituitur ἀντεξέτασις: in qua Cicero eò inclinat, & rectè*
Rex bonus, & ſæuis bellator fortis in armis. *quidem, ut in ciuili fortitudine magis eſſe cenſeat elaborandum. Neque tamen negari poteſt, fortitudinem militarem quoq; magnifaciendam eſſe, quòd ſine ea Reſpublicæ incolumes eſſe nequeunt. Coniungenda eſt igitur utraq;: ac ciuilis quidem & priuata adminiſtratio exoptanda, bellica uerò (quantum fieri poteſt) neceſſaria ne ſit præcauendum.*

Multi enim bella.) *Cur minuenda bellicæ gloriæ opinio? ne temeraria bella ſuſcipiantur. Honos enim alit artes. Non igitur rem militarem, ſed temerarium bellandi ſtudium improbat Cicero: ſuosq; ciues admonet, licere eis gloriam parare pacatis etiam temporibus. Bella enim ſine multis cladibus geri non poſſunt: & uaſtitatem omnium rerum, quibus humana uita & ſuſtentatur & ornatur, efficiunt. Inprimis uerò diſciplinam honeſtam (noſtro certè quidem ſeculo) labefactant atq; euertunt.*

CICERO.

Verè autem ſi uolumus iudicare, multæ res extiterunt urbanæ maiores clarioresq; quàm bellicæ. Quãuis enim Themi-

Themiſtocles iure laudetur, & ſit eius nomen quàm Solonis illuſtrius, citeturq́; Salamis clariſsimæ teſtis uictoriæ, quæ anteponatur conſilio Solonis ei, quo primùm conſtituit Areopagitas: non minus præclarum hoc, quàm illud, iudicandum eſt. Illud enim ſemel profuit, hoc ſemper proderit ciuitati: hoc conſilio leges Athenienſium, hoc maiorum inſtituta ſeruantur. Et Themiſtocles quidem nihil dixerit, in quo ipſe Areopagum adiuuerit: † at ille adiuuit Themiſtoclem. Eſt enim bellum geſtum conſilio Senatus eius, qui à Solone erat conſtitutus.

V. L. At ille, uerè à ſe adiutum Themiſtoclem. Al. At ab illo uerum eſt adiutum. Al. At ille dixerit uerè, à ſe, &c.

Rerũ neceſſariarum contentiones.

Verè autem ſi uolumus.) *Propoſitio: Res urbanas multas præſtare bellicis. Rationes mox uidebimus. Etſi autem comparationes huiuſmodi aliquando ad falſas opiniones, & iniqua iudicia refutanda pertinent: tamen earũ rerum contentiones, quarum nulla carere poſſumus, uidentur magis ad oſtentationem ingenij, aut praui alicuius affectus obſequium, quàm ad uitæ utilitatẽ pertinere. Quid enim opus eſt comparare inter ſe præſtantiam ignis & aquæ? Neq; enim igni neq; aqua uita noſtra carere poteſt. Sic pacata Reip. adminiſtratio utiq; optabilior eſt, quia facit ad conſeruationem uitæ, & omnium bonarum rerum amplificationem. Sed ſi urbs ab hoſtibus oppugnetur, quid fiet de togatis iſtis, quantumuis prudentibus, niſi etiam bonus Imperator & fortes milites præſtò ſint, hoſtemq́; ui & armis propulſent?*

Conſtituit Areopagitas.) *Duæ hic hiſtoriæ attinguntur, quarum fides penes Ciceronem ſit, qui ſuos utiq; autores habuit. De prima origine Areopagitarum ego nihil dum (quod quidem meminerim) legi: neq; etiam Herodotus meminit Senatus Areopagitici, cum Themiſtoclis conſilium ab Athenienſibus approbatum eſſe ſcribit.*

Illud enim ſemel profuit.) *Negare hoc poſſit meritò Themiſtocles. Nã urbe à Barbaris deleta, ciuibus etiam trucidatis, aut in ſeruitutem abductis: quis aut ubi fuiſſet Senatus Areopageticus? Non'ne fuiſſet etiam tum eadem Athenarum conditio, quæ nunc eſt poſt excidium Mahometicum? quæ olim Sagunti, euerſi ab Hannibale?*

Hoc conſilio.) *Proponit, Reipublicæ pacatam adminiſtrationẽ aliquando præſtare bellicæ fortitudini. Ratio, conceſſione πὲν καταληπτικῶς prępoſita, ſubiungitur à duratione, uel diuturnitate temporis. Nunc addit exaggerationem, ab effectibus ciuilis prudentiæ, qui ſunt conſeruatio legum & moris maiorum.*

Et Themiſtocles.) *Alterum argumentum ἐκ τοῦ αὐτάρκους. ſed negari hoc quoq; poteſt, ut paulò antè dixi. Vt enim fruſtra ſunt arma foris, niſi eſt conſilium domi: ſic fruſtra eſt conſilium domi, niſi ſint arma foris.*

——Alterius ſic Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Neq; enim omnia bella, etſi multa, uel conſilio præcaueri: uel, ubi exarſerint, ſine armis reſtingui poſſunt.

CICERO.

Licet eadem de Pauſania Lyſandroq́ dicere: quorum rebus geſtis quanquam imperium Lacedæmonijs dilatatum putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus & diſciplinæ conferendi ſunt. Quin etiam ob has ipſas cauſas, & † paratiores habuerunt exercitus, & fortiores.

V. L. parentiores, εὐπειθέστερα καὶ μαχιμώτερα: ſed uidetur inſolentius.

Honeſta diſciplina potior armis.

Quin & ob has ipſas cauſas.) *Graue quidem hoc argumentũ eſt, ſumptum à cauſa efficiente. Similis eſt locus in Iſocratis Panegyrico, ubi ait: maiorum honeſtam diſciplinam in cauſa fuiſſe, cur Athenienſes ea uirtute eſſent, ut fortiter poſſent profligare barbaros. Quod ſi, quod ſentio, dicendum eſt: ciuilis adminiſtratio bellicæ fortitudini tantum præſtat, quantum bello pax. Eſt autem pax naturæ & felicitatis, bellum neceſſitatis & calamitatis. Præterea belli finis pax eſt, non pacis bellum. Cur autem fortitudo tanti fiat, alio loco dictum eſt. Neq; ſanè de bellica uirtute quicquam detractum uolumus, modò intra ſuos fines ea ſe contineat, ſeq; propugnatricem eſſe iuſticiæ meminerit.*

CICERO.

Mihi quidem neq; pueris nobis M. Scaurus C. Mario, neq; cum uerſaremur in Republica Q. Catulus Cn. Pompeio cedere uidebantur. Parua enim ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. Nec plus Africanus, ſingularis & uir & imperator, in excidenda Numantia Reipub. profuit: quàm eodem tempore P. Naſica priuatus, cum Tyberiũ Gracchum interemit. Quanquam hæc quidem res non ſolum ex domeſtica eſt ratione: (attingit enim etiam bellicam, quoniam ui manu'que confecta eſt) ſed tamen id ipſum geſtum eſt conſilio urbano, ſine exercitu.

Mihi

Mihi quidem neq; pueris.) *Hactenus externis exemplis eſt uſus: nunc Romana adiungit, & ea quidem non ut quicquam probet, ſed ut ſententiam ſuam declaret.*

CICERO.

Illud autem optimum eſt, † in quod inuadi ſolere ab improbis & inuidis audio:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Vt enim alios omittamus, nobis Remp. gubernantibus, non'ne togæ arma ceſſerunt? Neq; enim in Rep. periculum fuit grauius unquam, † nec maius ocium. Ita conſilijs, diligentiaq; noſtra, celeriter de manibus audaciſſimorum ciuium delapſa arma ipſa ceciderunt. Quæ res igitur geſta eſt unquàm in bello tanta? Qui triumphus conferendus? Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hæreditas huius gloriæ, & factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certè uir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit: ut diceret, fruſtra ſe tertium triumphũ deportaturum fuiſſe, niſi meo in Rempublicam beneficio, ubi triumpharet, eſſet habiturus.

V. L. In quo me inuadi. Nec maius odium.

Illud autem optimũ eſt.) *Cicero immodico gloriolæ ſtudio, & iactatione ſui, deriſuq; aliorum, inuidiam atque odia multorum ſuſcepit: in primis autem, poſt Catilinæ interitum ſibi deus quiſpiam uiſus, hunc uerſum, qui à multis διὰ τὸ ὁμοιόπτωτον deridetur, edidit. Eum uerſum & factum ſuum defendit atq; amplificat, addita eleganti ὑποδιορθώσει, oratione ad filium conuerſa, & Pompeij teſtimonio adducto. Sed niſi C. Antonius armis obuiam iiſſet Catilinæ, nec Pompeius & alij Imperatores Mithridatem cæteroſque populi Romani hoſtes profligaſſent: quid tandem toga & lingua Ciceronis effeciſſet? Sed concedamus bono & bene merito ſeni laureolæ ciliſſæ, belli ciuilis calamitate factam iacturam, his uerbis reſarcire.* Ciceronis laureola.

Neq; enim in Republica.) *Ad hunc locum intelligendum, legatur Coniuratio Catilinæ apud Saluſtium. Cicero autem (ut fuit glorioſulus) illud factum ſuum ornat, ſed modeſtè, duabus occupationibus adhibitis. Nam & maledicis ſe reſpondere neceſſariò, præ ſe fert: & cõmemorationem hanc ad exhortationem filij accommodat. Deniq; Pompeij (à quo ſibi gratulationem non miſſam, quadam epiſtola ſtomachatur) teſtimonium, dicterijs Saluſtij & aliorum opponit.*

CICE

CICERO.

Sunt igitur domeſticæ fortitudines non inferiores militaribus, in quibus plus etiam quàm in his operę ſtudijq́ ponendum eſt. Omnino enim illud honeſtũ, quod ex animo excelſo magnificoq́ quærimus, animi efficitur, non corporis uiribus.

Sunt igitur domeſticæ.) *Modeſtius concludit, quàm propoſuit: ut uideatur iniquum petijſſe, quò æquum ferret. Additur & adhortatio ad utrũq; fortitudinis genus amplectendũ, ſic tamen, ut urbanæ adminiſtrationi, quàm bellicæ occupationi plus tribuatur.*

Omnino enim illud.) *Fortitudo, inquit, ſita eſt in animo, non in corpore. Argumentum à ſubiecto ſeu materia fortitudinis. Sed cum in bello (ut quidam dixit) bis peccare non liceat: certè prudentia & magnitudo animi, maior etiam in bello quàm in pace requiritur.*

CICERO.

Exercendum tamen corpus, & ita afficiendum eſt, ut obedire conſilio, rationiq́ poſsit in exequendis negocijs, & in labore tolerando.

Exercendum tamen.) *Huc pertinent ἡ δίαιτα, ratio uictus quotidiani: καὶ τὰ γυμνάσια, exercitationes, quæ apud Græcos & Romanos ad rationem ualetudinis & uirium accommodabantur. Sic Cicero & Demoſthenes multa incommoda corporis ſingulari induſtria & temperantia correxerunt. Nos autem luxu & ocio, aut intempeſtiuo labore, bonum habitum corporis plerunque corrumpimus: unde & uires tenuiores, & morbi plures, & uita breuior.*

κινήσεις. γυμνάσια.

Ita afficiendum.) *Græcè, οὕτω διατεθῆναι καὶ τὸ σῶμα. Quem græciſmũ qui non animaduerterunt, legendum putarunt, ſed perperam, Ita aſſuefaciendum, &c.*

CICERO.

Honeſtum autem id quod exquirimus, totum eſt poſitum in animi cura & cogitatione. In quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati Reip. præſunt, quàm qui bellum gerunt.

Honeſtum autem.) *Animi enim imperio (ut ait Saluſtius) corporis ſeruitio magis utimur.*

CICERO.

Itaq́ eorum conſilio ſæpe aut non ſuſcepta, aut confecta bella ſunt, nonnunquam autem illata. Vt M. Catonis

conſilio

conſilio bellum tertium Punicū, in quo etiam mortui ualuit autoritas. Quare expetenda quidem magis decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo.

Itaque eorum conſilio.) *Concluſionem more ſuo repetit, & nouas rationes attexit. Maior (inquit) eſt togatorum autoritas, quàm armatorum.*

CICERO.

Sed cauendum, ne id bellandi magis fuga, quàm utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud niſi pax quæſita uideatur.

Sed cauendum.) *Et temeritatem & timiditatem uitari iubet, addita appendice de legitimo fine bellorum, qui eſt conſeruatio & recuperatio pacis, non amplificatio opum & gloriæ. Pittacus monebat, incruentas uictorias quærendas eſſe.* Incruentæ uictoriæ ſtudendum.

CICERO.

Fortis uerò animi & conſtantis eſt, non perturbari in rebus aſperis: nec tumultuantē de gradu deijci, ut dicitur: ſed † præſenti animo uti, & cōſilio, nec à natura diſcedere.

† *V. L. Præſentis animi uti conſilio.*

Fortis uerò animi.) *Tractata collatione urbanæ & bellicæ fortitudinis, alias quaſdam magnanimitatis ſiue partes ſiue proprietates recenſet: quarum prima eſt ea, quam Ariſtoteles paucis uerbis perſtringit. μεγαλοψυχίας (inquit) δεῖ φέρειν εὐτυχίαν καὶ ἀτυχίαν.*

Tumultuantem.) *θορυβούμενον, tumultu perterritum aut perturbatum.*

CICERO.

Quanquam hoc animi, illud etiam ingenij magni eſt, præcipere cogitatione futura: & aliquanto antè cōſtituere, quid accidere poſsit in utranque partem: & quid agendum ſit, cum quid euenerit: nec committere, ut aliquando dicendum ſit, NON PVTARAM.

Quanquam hoc animi.) *Breuis collatio prudentiæ & fortitudinis, quarum illa proſpicit, hæc perfert res aduerſas. Videtur ſententiam hanc à Pittaco tranſtuliſſe, de quo Diogenes Laertius: ἔλεγε συνετῶν ἀνδρῶν εἶναι, πρὶν γενέσθαι τὰ δυσχερῆ, προνοῆσαι ὅπως μὴ γένηται: ἀνδρείων δὲ γενόμενα εὖ θέσθαι.*

Percipere cogitatione.) *προλαμβάνειν τῇ γνώμῃ, id eſt antecapere uel anticipare animo, proſpicere ſeu prouidere antequam fiant.*

In utranque partem.) *Vt & res ſecundæ moderatè, & aduerſæ fortiter ferantur.*

Non putaram.) *Stultorum uulgò prouerbiū hoc dicitur. Nam uiri pru-*

dentes conſiderato & Reip. & ſuo priuato ſtatu, è rebus præſentibus diuinant futuras: id quod faciendum eſſe monet Iſocrates. προνοεῖν χρὴ, καὶ οὐ μετανοεῖν τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν: Viri ſapientis eſt, antè, & non poſt factum, ſapere. Nemo tamen eſt, cui non multa præter opinionem accidant: tanta eſt humanæ mentis imbecillitas, & caligo: tanta etiam ſæpenumero uel temeritas, uel negligentia.

CICERO.

Hæc ſunt opera magni animi, & excelſi, & prudentia conſilioq́; fidentis.

Hæc ſunt opera.) *Scilicet domi & foris, in pace & bello res magnas & neceſſarias gerere, nec ſecundis nec aduerſis rebus corrumpi. Notetur autẽ neceſſaria prudentiæ cum fortitudine copulatio.*

CICERO.

Temerè autem in acie uerſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam, & beluarum ſimile eſt.

Temerè autem in acie.) *Veriſſima ſententia, copioſè atq; utiliter tractata ab Eraſmo in prouerbio, Dulce bellum inexpertis: & in Querela pacis.*

CICERO.

Sed cum tempus neceſſitasq́; poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſeruituti turpitudiniq́; anteponenda.

Sed cum tempus eſt.) *Verbum* EST *omitti poteſt: niſi fortè moneat, non ſemper hoſti pugnandi copiam faciendam: ſed tum demum, cum ſuperiores eſſe poſſimus. Sic Iphicratem ſcribit Demoſthenes, ea capienda eſſe duci conſilia dixiſſe, ut non hæc uel illa, ſed hæc fierent: οὐ τὰ καὶ τά, ἀλλὰ τά.*

Seruitus duplex.

Et mors ſeruituti.) *Seruitus alia eſt honeſta & neceſſaria, qua res & publicæ & priuatæ conſeruantur, de qua ſuprà dictum: alia turpis & pernicioſa, cum res impiæ & flagitioſæ à tyrannis imperantur, de qua hîc Cicero loquitur. Etſi fieri poteſt ut etiam de forma Romanæ Reip. ueteris admoneat, & ciues ſuos ad pellendos tyrannos incitare uelit. De qua ſeruitute nos non laboramus, qui bene imperantib. quibuſuis in quauis Republica parêre, quàm imperare ipſi, longè malumus.*

CICERO.

De euertendis autem diripiendisq́; urbibus ualde cõſiderandũ eſt, ne quid temerè, ne quid crudeliter fiat. Idq́; eſt magni uiri, rebus agitatis, punire ſontes, multitudinẽ conſeruare: in omni fortuna, recta atq; honeſta retinere.

De euertendis.) *De togata fortitudine plus hactenus uerborum fecit, quàm de armata, quam nunc tractat: etſi ſuprà in Cap. de Iuſticia, non pauca de hac quoq; dicta ſunt.*

De euer-

De euertendis.) *Id eſt, quod attinet ad euerſionem urbium. Græci dicunt κατασκάπτειν, καὶ ἐξανδραποδίζεσθαι. Sententia eſt: non ſine graui cauſa euertendas & diripiendas eſſe. ſicut fecit Iulius Cæſar, qui in Hiſpania nõnulla oppida nihil commerita, tantum locupletandi militis cauſa, diripuit.*

Rebus agitatis.) *Id eſt, diligenter exploratis, cognitaq́; cauſa: auditis non tantum accuſatoribus, ſed etiam reis.*

Punire ſontes.) *autores ſiue defectionis, ſiue rebellionis. Hoc ſtatu rerum plerunq́;, ut dixi, plectuntur Magiſtratus, oratores, conſiliarij: & in Eccleſia, cum ex diſsidio religionis bellum eſſe ortum putatur, concionatores.*

In omni fortuna.) *Innuit, uictoriæ non licere quicquid libeat. Quanquã uulgò perſuaſum ſit, penes eum ius uitæ necisq́; eſſe.*

CICERO.

Vt enim ſunt (quemadmodum ſuprà dixi) qui urbanis rebus bellicas anteponant: ſic multos reperies, quibus periculoſa & calida cõſilia quietis cogitationibus ſplendidiora & maiora uideantur.

† *V. L. callida.*

Vt enim ſunt.) *Duo extrema fortitudinis, temeritatem & timiditatem, uitari iubet.*

Callida conſilia.) *Calida legendum eſſe, ipſa ſententia docet: ut apud Terent. Modò ne nimis calidum hoc ſit. Græci enim θερμὸν ἔργον, pro audaci & temerario uſurpant. Nam calor efficiens cauſa eſt audaciæ.*

Quietis cogitationibus.) *Hoc eſt, affectus ſuos & cupiditates rectæ rationi anteponunt. Quietæ cogitationes fuerunt Fabij Maximi, Hannibalem iuueniliter exultantem patientia ſua mollientis: contraq́; Minutij calida. & Marcellum quidam gladium, Fabium cunctatorem ſcutum Romanorum dixerunt. Sed rectius uidentur quietæ cogitationes τὰ πρὸς εἰρήνην καὶ ἡσυχίαν βουλευόμενα intelligi: nec tam agi de belli tempore, quàm de pacato, ne id bellandi cupiditate turbetur.*

CICERO.

Nunquàm omnino periculi fuga committendum eſt, ut imbelles timidiq́ uideamur: ſed fugiendum illud etiã, ne offeramus nos periculis ſine cauſa, quo nihil poteſt eſſe ſtultius.

Quo nihil poteſt eſſe ſtultius.) *Omni enim animantium generi id eſt à natura tributum, ut ſe, uitam, corpusq́; tueatur. Nam quod cauere poſsis, ſtultum eſt admittere.*

CICERO.

Quapropter in adeundis periculis conſuetudo imitãda medicorum eſt, qui leuiter ægrotantes leuiter curant,

grauioribus autem morbis periculoſas curationes & ancipites adhibere coguntur.

Quapropter in adeundis.) *Similitudine medicorum, à temeritate deterret. Vnde Terentianus θράσων (μᾶλλον δὲ θρασύδειλος) Omnia prius, inquit, experiri quàm armis ſapientem decet.*

Periculoſas curationes.) *Vbi, ſi non ſucceſſerit, uita ægrotantis periclitetur. Plato γεννα̃ια φάρμακα probat: quòd mori præſtet, quàm diu à morbis excarnificari. Inter extrema remedia poſſunt etiam uſtiones & ſectiones numerari. Sic Ouidianus Iupiter:*

Cuncta quidem tentanda: ſed immedicabile uulnus
Enſe recidendum, ne pars ſyncera trahatur.

Quod uideri queat è Sophoclis Aiace ſumptum: οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ θροεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι.

CICERO.

Quare in tranquillo tempeſtatem aduerſam optare, dementis eſt: ſubuenire autem tempeſtati quauis ratione, ſapientis: eoq́ magis, ſi plus adipiſcare re explicata boni, quàm addubitata mali.

Quare in tranquillo.) *Alia ſimilitudo, ſumpta à nauigantibus.*

Quauis ratione.) *Id eſt, etiam cum periculo & iactura.*

Re explicata.) *Id eſt, ad felicem exitum perducta.*

Addubitata.) *Id eſt, in diſcrimen adducta. Sententia eſt, tum demum audendum eſſe, cum neceſſitas urgeat: & minus damni ſit timendum, ſi non ſucceſſerit, quàm ſperandũ boni, ſi ſucceſſerit. Huc Euripidea illa pertinẽt: δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύει πλέον. & τολμᾶν ἀνάγκη, κἂν τύχω, κἂν μὴ τύχω.*

CICERO.

Periculoſæ autem rerum actiones, partim ijs ſunt qui eas ſuſcipiunt, partim Reip. Itemq́ alij de uita, alij de gloria & beneuolentia ciuium in diſcrimen uocantur.

Periculoſæ autem.) *Diuiſio periculorum in priuata & publica. Priuata rurſus diuidit ab obiectis.*

CICERO.

Promptiores igitur debemus eſſe ad noſtra pericula, quàm ad communia: dimicareq́ paratius de honore & gloria, quàm de cæteris commodis.

Promptiores igitur) *Præcepti huius ea ratio eſt, quod in re aliena minus nobis licet, quàm in noſtra.*

De honore & gloria.) *Nam, Ariſtotele autore, uitæ politicæ finis & fructus eſt honor, non diuitiæ aut uoluptates. Et quadam epiſtola honeſtius ait eſſe*

ait eſſe Cicero, de amici pecunia laborare, quàm de ſua. Quanquam haud ſcio, an de parando honore, id eſt magiſtratu ſit dimicãdum: ut rectè factis gloriã aſſequaris, laborare, nõ eſt adeò uituperandum: defendere uerò famam, etiam neceſſarium.

CICERO.

Inuenti autem multi ſunt, qui non modò pecuniam, ſed etiam uitam profundere pro patria parati eſſent: ijdem gloriæ iacturam ne minimam quidem facere uellent, ne Rep. quidem poſtulante. ut † Callicratides, qui cum Lacedæmoniorum dux fuiſſet Peloponneſiaco bello, multaꝗ feciſſet egregiè, uertit ad extremum omnia, cum cõſilio non paruit eorum qui claſſem ab Arginuſis remouẽdam, nec cum Athenienſibus dimicandũ putabant. Quibus reſpondit: Lacedæmonios claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe: ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe.

† *V. L. Callicratidas.*

Inuenti autem ſunt.) *τῷ δέοντι ſubijcit τὸ γινόμενον, idq; exemplis illuſtrat.*

Vt Callicratides.) *Bellum Pelopõneſiacum deſcripſit Thucydides: ab eoq; prætermiſſa, perſecutus eſt Xenophon, qui primo Ἑλληνικῶν paulò aliter hoc exponit quàm Cicero. ἡ σπάρτη (inquit) οὐδὲν μὴ ἧττον οἰκιεῖται αὐτοῦ ἀποθανόντος, φεύγειν δ' αἰσχρὸν εἶναι ἔφη.*

CICERO.

Atq; hæc quidem Lacedęmonijs plaga mediocris fuit: illa peſtifera, qua, cum Cleombrotus, inuidiam timens, temerè cum Epaminonda conflixiſſet, Lacedæmoniorum opes corruerunt.

Atq; hæc quidem.) *Alterum exemplum pernicioſæ temeritatis, collatione tractatum, de quo & ipſo cõſulatur Xenophon libro 6. eiuſdem operis.*

CICERO.

Quanto Q. Maximus melius? de quo Ennius:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtq; magiſq; uiri nunc gloria claret.

Quanto Q. Maximus.) *τὸ γινόμενον, id eſt, quid fieri ſoleat, duobus exemplis illuſtrauit. nunc τὸ δέον, id eſt, quid fieri debeat, uno declarat. Memorabile autẽ eſt huius Fabij dictum, cum quibuſdam nunciantibus, eum, ut*

timidum & imbellē malè audire, reſpōdit: Tum uerò timidus eſſem, ſi propter uulgi ſermones à ratione conſiliorum meorum diſcederem.

CICERO.

Quod genus peccādi uitandum eſt etiam in rebus urbanis. Sūt enim qui quod ſentiunt, etiamſi optimum ſit, tamen inuidiæ metu non audent dicere.

Quod genus peccandi.) *Per occaſionem, à rei bellicæ præceptis ad urbanam adminiſtrationem tranſit: eaq́; cuiuſmodi eſſe debeat, docet.*

Inuidiæ metus.

Tamen inuidiæ metu.) *Primum præceptum. Liberæ & Reip. utiles ſententiæ dicendæ ſunt, repudiato metu, gratia, odio, omnibus prauis affectibus. Inuidia hîc intelligenda eſt, offenſio & obtrectatio eorum à quibus diſſentimus: ſicut paulò antè Cleombrotum inuidiam timuiſſe dixit, cum timeret reprehenſiones amicorum, confligere cum Thebanis iubentium: & obtrectationes inimicorum, qui eum colludere cum Thebanis, & rei bene gerendæ occaſionem de induſtria amittere, calumniabantur. Sic noſtro tempore in Religionis controuerſijs magis ſpectare nōnulli uidentur, quid ſuis probare poſſint, quàm quid ueriſſimum ſit. Quòd ſi in uitio ſunt, qui timent inuidiā: quid de ijs dicendum, qui ex inuidia honeſta conſilia aliorum impediunt, & ſalutares conatus interturbant?*

CICERO.

Omnino qui Reip. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum, ut utilitatem ciuium ſic tueantur, ut quęcunq; agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, ut totum corpus Reip. curent: ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant.

Omnino qui Reip.) *Præcepta hæc ſparſim extant apud Platonem, lib. de Rep. primo, quarto & ſexto.*

Vt quicquid agunt.) *Secundum præceptum. Publica utilitas, priuatis commodis eſt anteponenda: & priuata perſona depoſita, publica aſſumenda.*

Commodorum ſuorum rara obliuio.

Obliti commodorum.) *Perdifficile hoc, ideoq́; rarū admodū eſt, propter φιλαυτίαν. Hinc crebræ ſunt apud Græcos ſcriptores querelæ, de corruptelis & peculatu Oratorum, Magiſtratuum & iudicum.*

Romanę reipublicæ ordines.

Alterum ut totum.) *Romana Reſp. in tres potiſſimum ordines diſtributa fuit, Patricios, Equites & Plebem. Conſules autem & Prætores, cæteriq́; maiores Magiſtratus plerunq; nobilitatis potentiam & opes, cum iniuria plebis & ignominia defenderunt. Contrà Tribuni plebis aduerſati potentibus, plebis importunas & iniquas cupiditates aluerunt, multitudine freti. Sub tribus autem illis ordinibus uaria uitæ genera continebantur: ut ſacerdotes, publicani, mercatores, opifices, eruditi, libertini, mercenarij, &c. Maximum*

ximum autem diſcrimen in Reip. quaſi corpore conſtituunt, opum inæqualitas, & uetuſtatis ſiue nobilitatis opinio.

Nobilitas, Diuitiæ.

Vt totum corpus Reip.) *Tertium præceptum: In magiſtratu nulla debet eſſe προσωποληψία: hoc eſt, opum & dignitatis reſpectus. ſed,*

—— Rex Iuppiter omnibus idem.

Quod ſic tamen intelligatur, ut Geometrica proportio ſeruetur, & ſuum cuiq; pro ratione dignitatis tribuatur. Seruari enim æqualitas nihilominus poteſt, etiamſi non idem detur plebeio & nouo homini, quod patricio & nobili. ac iniqui & iniurij mihi uidentur alienigenæ & uictu quæritando occupati, ſi ſibi Curiam patere, & ad omnes magiſtratus eſſe aditum poſtulent. Sed fit hoc partim incogitantia, partim faſtu & ſocordia nobilitatis. Alioqui ciuitas aut peregrinis non impleretur, aut (ut ij certis de cauſis excludi nō poſſent) ut ſuum negocium agerent proſpiceretur, & uigilantius adminiſtrarentur omnia.

Patriciorum ſocordia nouorum hominū ali audaciam.

CICERO.

Vt enim tutela, ſic procuratio Reip. ad eorum utilitatem qui commiſsi ſunt, non ad eorum quibus commiſſa eſt, gerenda eſt.

Vt enim tutela.) *Tertiū præceptū illuſtratur primùm ſimilitudine: deinde cōtrario, addito euentu: poſtea exēplis Athenienſis & Romanæ Reipub.*

Vt enim tutela.) *Omnis igitur magiſtratus ſe tutorem eſſe meminerit: omnis ciuis, ſe orphanum & pupillum. Itaq; in Auguſtana Repub. ij quorum ſumma eſt autoritas, inſtituto ueteri* TVTORES CIVITATIS *appellantur, quòd eis totius Reip. ſalus commiſſa eſt.*

Magiſtratus eſt tutor.

CICERO.

Qui autem parti ciuium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſsimā in ciuitatem inducunt, ſeditionē atq; diſcordiam. Ex quo euenit, ut alij populares, alij ſtudioſi optimi cuiuſq; uideantur, pauci uniuerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ ortæ: in noſtra Rep. non ſolùm ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella ciuilia. Quæ grauis & fortis ciuis, & in Rep. principatu dignus, fugiet atq; oderit, tradetq; ſe totum Reipublicæ.

Seditionem atq; diſcordiam.) *Hæ oriuntur, ubi πλεονεξία dominatur, & nō ſuum cuiq; ius tribuitur. Noſtris temporibus hæc mala diſsidijs religionis exulcerantur: quod apud ueteres rariſsimè, nec adeò Tragicè factū eſt.*

Diſsidia religionis.

Ex quo euenit.) τὸ γινόμενον. *Noſtra etiam ætate hæ factiones cognitæ fuerūt, cum alij uulgi licentiam fouerent, alij dominatū nobilium & ſacerdotum confirmatum uellent. Hinc tumultus ille ruſticorū atrociſsimus, quod*

Factionibus & ſeditionibus, æquitate & ſeueritate magiſtratuū occurrendum.

Seruile

Seruile bellum latinè dici poteſt, exortus eſt. Abſit uerò ut atrociora mala ſe quantur, quæ quidē importunis quibuſdã oratoribus & tribunicijs concionibus populum concitantibus cordi eſſe uidentur: aut certè non ſatis ab eis prouideri. τὸ ὅλον: Vniuerſi curãdi ſunt: nõ aut optimates aut plebeij tantùm, nõ aut ſacerdotes aut profani tantũ, ſed omnes ex æquo, & pro dignitate cuiuſq;.

Iliacos intra muros peccatur, & extrà.

Quicquid delyrant reges, plectuntur Achiui: & uiciſſim,

Quicquid delyrant Achiui, Reges etiam plectuntur. Nemo de ſuis erroribus & peccatis corrigendis cogitat: ſed omnes factiones, aduerſariorum interitũ exoptant & machinantur. Eſt'ne hæc Chriſtiana charitas? Eſt'ne hæc Euangelica diſciplina? Ita'ne Chriſtus præcepit? Quis unquam ita inſanijt, ut omnia perire mallet, quàm ferre quædam, & animo ſuo moderari? O importunam & peſtiferam medicinam, quæ eſt ipſo morbo atrocior? Sed hæ pœnæ ſunt perfidiæ, libidinum, impietatis, crudelitatis: quibus omnes Pœnos, omnes Sybaritas, omnes Epicuros, omnes Phalaridas ſuperamus.

Malle perire quàm cedere.

Tradetq́ ſe totum Reip.) *Hoc eſt, unicus illi ſcopus erit, ſalus & felicitas patriæ: hanc unam ſpectabit, ad hanc omnia referet. hoc argumentum unum tenebit: Eſt è Republica, ergo faciendum: Incommodat patriæ, ergo cauendum. Quæ uerò in alios conferet, ita conferet, ut in utilitatem Reip. redundent. Imitandus erit is, quem Philalethes ad Liliorum & Aquilarum ſtudiũ præ ſe ferre dixit: cũ reuera neutris, ſed ſolis clauibus βαλανηφόροις ſtuderet.*

CICERO.

Neq; opes aut potentiam conſectabitur: totamq́ eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat.

Neq; opes.) *Factiones & æmulationes inter magiſtratus uetantur. cui præcepto (ut ambitio & auaricia taceantur) calumnia religionis facit quò minus obtemperetur.*

Vt omnibus conſulat.) *Iſtud fieri qui poteſt, in tam contrarijs & opinionibus & uoluntatibus? Niſi id omnibus conſulere dicas, omnium, quantum ſalua fide poſſis, habere rationem: obſeruata tamen proportione geometrica, ut maximè neceſſariæ Reipublicæ parti plurimus labor impendatur. Qua moderatione ſi nihil proficias: an nullam in partem inclinandum, et ſimplex ueritas & æquitas contra omnium odium defendẽda? Præclarum id quidem: ſed Deo duce & auſpice opus eſt.*

CICERO.

Nec uerò criminibus falſis in odiũ aut inuidiam quenquam uocabit: omninoq́ ita iuſticiæ honeſtatiq́ adhæreſcet, ut, dum eam cõſeruet, † quamuis grauiter offendat, mortemq́ oppetat potius, quàm illa deſerat, quæ dixi.

† *V. L. quemuis.*

Nec uerò criminibus falſis.) *Quartum præceptum: φιλαλήθεια decet magiſtratum. Apud Athenienſes fuerunt plurimi ſycophantæ, qui ſe δημαγωγοὺς appellabant, multitudinis aſſentatores, obtrectatores diuitum. Accedebat id quoq; mali, ut quidam corrupti largitionibus hoſtes colerent: eosq́; qui Rempublicam ſaluam uolebant, calumniarentur. Qua de re conſulatur oratio Demoſthenis περὶ στεφάνου, καὶ περὶ παραπρεσβείας.*

Δημαγωγοὶ συκοφάνται προδόται.

Omninoq́; ita iuſticiæ.) *Quintum præceptum: Magiſtratus honeſtatis amantiſsimus eſſe debet. Qualis ſi fuerit, ſuæ priuatæ familiæ diſciplinam pro uirili in totam ciuitatem propagabit.*

CICERO.

Miſerrima eſt omnino ambitio, honorumq́; contentio: de qua præclarè apud eundem Platonem, ſimiliter facere eos qui inter ſe contenderent, uter potius Rempublicam adminiſtraret, ut ſi nautæ certârent, quis eorum potiſsimùm gubernaret.

Miſerrima eſt.) *Sextum præceptū παράδοξον: uitandam eſſe ambitionē. Nam illi ea re ſe feliciſsimos opinantur, ſi quo iure quá'ue iniuria honores adipiſcantur. Sed reuerà miſeri ſunt, homines ambitioſi. Primùm quòd honeſtatem & leges uiolant: deinde quòd infinitas occupationes & pericula ſibi accerſunt. Qua de re conſulatur libellus de Petitione conſulatus.*

Ambitioſi miſeri.

De qua præclarè.) *Similitudine declarat abſurditatē ambitionis. Sententia eſt: magiſtratus geruntur, non ut ipſe ſis illuſtris: ſed ut Remp. conſerues, quo nihil eſt difficilius. Conſeruata autem Rep. ſinguli etiam conſeruantur: perdita, pereunt. Accerſunt igitur ambitioſi non tantum alijs, ſed & ſibi, & ſuis etiam, interitum. Argumentum hoc à fine Reip. gerendæ ſumptum, qui eſt non ſplendor priuatus, ſed publica ſalus. Similitudo autem ſumpta à re nautica, illuſtris eſt. nam nauigantium uita quatuor digitis à morte abeſſe rectè dicitur, & pendet à funibus. Sic græcus poeta:*

Finis magiſtratus, non ſplendor priuatus, ſed publica ſalus.

Vitæ nauigatio.

πλοῦς σφαλερὸς (inquit) τὸ ζῆν. χειμαζόμενοι γὰρ ἐν αὐτῷ
πολλάκι ναυηγῶν πταίομεν οἰκτρότερα.
τὴν δὲ τύχην βιότοιο κυβερνήτειραν ἔχοντες,
ὡς ὑπὸ τοῦ πελάγους ἀμφίβολοι πλέομεν.
οἱ μὲν ἐπ' εὔπλοιαν, οἱ δ' ἔμπαλιν. ἀλλ' ἅμα πάντες
εἰς ἕνα τὸν κατὰ γῆς ὅρμον ἀπερχόμεθα.

Vita, inquit, eſt periculoſa nauigatio: in qua tempeſtatibus iactati, ſæpe miſerabilius quàm naufragi affligimur. Cum autem uitæ gubernatricem Fortunam habeamus, ambigui uelut in pelago erramus, alij ſecundo curſu, alij aduerſo: donec tandem omnes ad unum illum portum ſubterraneum nauem appellamus.

Si nautæ certarent.) *Euidentiſsimum (ut piraticas graſſationes taceam)*

periculum eſt in mari, ſi quid peccatum fuerit, naui uel demerſa fluctibus, uel in ſcopulos aut ſyrtes impulſa, uel ab inſtituto curſu reiecta. Pericula in Rep. perperam adminiſtrata, non tam minora ſunt, quàm tardiora, & minus euidentia.

CICERO.

Idemq; † prĳcepit, ut eos aduerſarios exiſtimemus, qui arma contrà ferant, non eos qui ſuo iudicio tueri Remp. uelint. Qualis fuit inter P. Aphricanum & Q. Metellum ſine acerbitate diſſenſio.

† *V. L. præcipit.*

Prudentia. Beneuolentia.

Qui ſuo iudicio tueri.) *In magiſtratu requiruntur prudentia & recta uoluntas. Sunt autem raræ hæ dotes: & ſæpe alterutra, ſi non utraq;, deſideratur. Qui Reip. conſultum nolunt, ſed ſuum negocium agunt, repudiandi & hoſtes iudicandi ſunt. Qui autem imperitia & opinionis errore falluntur, erudiendi, & in aliam ſententiam traducendi ſunt: in quo non parua eloquentiæ uis apparet, niſi pertinacia priuatorum affectuum repugnet.*

Sine acerbitate diſſenſio.) *Vtinam hoc exemplum etiam ad Eccleſiaſticas & ſcholaſticas diſputationes transferretur, quarum finis eſt declaratio & defenſio ueritatis: non oppreſſio aduerſariorum, & ex uictoria gloriolæ uanitas. Diſſenſio pertinet ad diuerſum iudicium: acerbitas ad alienationem animorum & uoluntatum, quæ quidem plerunq; coniunguntur: ſed coniungi neceſſe non eſt, neq; adeò debent. Qua de re præclara extat, & plena humanitatis, apud Georgium Gemiſthum diſputatio. Sed nos haud ſcio quo zelo nos impediri dicimus, quo minus & meliorem mentem aduerſarijs dari optemus, & noſtris uitijs æquè ac illorum iraſcamur. Cur uerò non illos ſuo iudici potius relinquimus, quàm exterminatos è rerũ natura uolumus? Nos ne angeli ſumus qui zizania, Domini iuſſu euellamus & comburamus? An deletis aduerſarijs, etiam diabolum delebimus, omuium errorum, ſcelerum, turbarum ducem & autorem? Neq; uerò is ego ſum, quod iniqui dictitant, qui reprehendi errores nolim. Non ita inſanio. Refutentur errores diuina autoritate, preces fiant pro errantibus. Pertinacium intemperiæ Chriſtiana patientia ferantur, non autem noſtris odijs irritentur, flagitijs inflammentur. Iuſtus primùm ſit accuſator ſui, & trabem è ſuo oculo eijciat, quò acutius perſpiciat feſtucam in alieno. Si, quod ſentio, liberè mihi dicendum eſt, & ut liceat oro: uehementes iſtæ contentiones, & odiorum acerbitates, non mihi uidentur è ſtudio ueritatis & Chriſtiana charitate proficiſci, neq; etiam ad Euangelij incrementa magis quàm ad Eccleſiæ & Reipublicæ perturbationem ſpectare. Accuſo neminem: ſed orandus Deus, ut plures diſcant ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, ne hominibus impijs & flagitioſis, ſæpe etiam Catechiſmi ignaris, aures conuicijs in aduerſarios coniectis impleantur: & ipſi interim, ij qui ſunt eſſe pergant: ne ij qui abſunt peius audiant, quàm ij qui adſunt, illis*

impro-

improbitate pares, ſi non deteriores. Plura non dico. Sat dictum intelligenti, Chriſtum non modò ſanam doctrinam, ſed etiam fraternam charitatem, & cor mundum & uitam puram putam, à ſuis flagitare. Nos uerò dum de doctrina digladiamur, cætera omnia tanquam ſurdi & cæci præterimus. Interim nimis altercãdo ueritas amittitur: & controuerſiæ religionis nedum religionem, ſed omnem propè humanitatem tollunt atq; euertunt.

CICERO.

Nec uerò audiendi ſunt, qui grauiter iraſcendum inimicis putabũt: idq; magnanimi & fortis uiri eſſe cenſebunt.

Nec uerò audiendi.) *Septimum præceptum, quod clementiam commendat. Memoratur dictum Valentis Imperatoris, eum qui ab ira facilè recedat, facile etiam à iuſticia recedere. Quod Ciceroni non probatur. Pliniana ſententia humanior, aut certè minus rigida, & noſtris ingenijs moribusq; aptior eſt. Qui (inquit) uitia odit, homines odit: hoc eſt, ut Horatius ſcribit,*

—Vitijs nemo ſine naſcitur: optimus ille
Qui minimis urgetur.—

Facilè autem intelligitur, non hoc uelle autores hos, non inuiſa eſſe debere uitia bonis uiris. Nequaquam illi hoc ſentiunt. Illud uolunt, fore ut is qui ſeuerius inquirat in mores hominum, in μισανθρωπίαν incidat, & ut alios oderit, ſic & ipſe ſit alijs inuiſus, par pari referentibus. Ad multa igitur eſſe conniuendum, & ſæpe humanæ fragilitati, tot erroribus, tot uitijs, tot malis obnoxiæ ignoſcendum: nec tam qui ſint alij, quàm quales nos eſſe deceat, conſiderandum.

Inimicis.) *Non de hoſtibus, id eſt ijs qui arma contrà ferunt, loquitur: ſed de ijs, quorum in Repub. iudicia & uoluntates à noſtris abhorrent, aut à quibus aliqua iniuria ſumus affecti. Huiuſmodi offenſas tranquillitati publicæ condonare, pietatis eſt, & prudentiæ: ne utrinq; factionibus excitatis, priuata mala in ipſam ciuitatem redundent.*

CICERO.

Nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro uiro dignius, placabilitate atq; clementia.

Nihil enim laudabilius.) *Quia nihil difficilius, quàm iræ moderari in magna poteſtate: nihil rarius, quòd homines potentes leuiſſimas ſui offenſas crimen læſæ maieſtatis interpretãtur. Placabilitatis autem eſt, iram miſſam facere: clementiæ, ſupplicia mitigare.*

CICERO.

In liberis uerò populis, & in iuris æquabilitate, exercenda eſt etiam facilitas, & altitudo animi, quæ dicitur: ne, ſi iraſcamur aut intempeſtiuè accedentibus, aut

†impru-

† imprudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem & odioſam incidamus.

† *V. L. impudenter.*

In liberis uerò populis.) *Octauum præceptum, de facilitate, quæ Græcis εὐκολία eſt: contrarium δυσκολία. Hæc etiam reges & principes, qui ſoli rerum potiuntur, commendat.*

Altitudo animi quæ dicitur.) *Græcè, τὸ λεγόμενον βάθος τῆς ψυχῆς. προσεπίπληξις addita eſt metaphoræ, ſumptæ à rebus humi defixis, ad quas externa iniuria non facile penetrare poſſit. Vult, animum ita munitum eſſe, ut nulla re facilè offendatur. Aulici proceres uſurpant prouerbium, neſcio*

Humores helleboro philoſophiæ expurgandi.

unde ſumptum, Quærere humorem: *quo cùm alia animi uitia, tum iracundiam & moroſitatem cuiuſq; ſignificant. Iracundum iritant, ambitioſum laudibus extimulant: querulum & moroſum, uicem eius dolendo, ad ſuſpiria & lachrymas impellunt: libidinoſo puellas, auaro pecuniam prædicant: alios deniq; alijs rationibus explorant, ut uel ridendi uel exagitandi habeant occaſionem. Ii mali humores philoſophiæ potionibus expurgandi ſunt, aut certè diſſimulandi, ne quolibet uerbo exagitati, ebulliant & efferueſcant.*

Imprudenter rogantibus.) *Id eſt, ea poſtulantibus, quæ honeſtè & ſine magna fraude noſtra præſtare non poſſumus. Si,* imprudenter rogãtibus, *legatur, ſententia mihi uidebitur frigidior: niſi dicas, impudẽtis iraſci, non eſſe moroſitatis. Neutrum certè bellum & iucundum, ſiue impudẽter ſiue imprudenter rogeris: utrunq; uerò ferre æquo animo, facilitatis eſt, & humanitatis, atq; adeò conſuetudinis. Qui enim aſſueuit huiuſmodi hominibus, ridet potius quam ſtomachatur: ſatis edoctus, ſtultos & improbos non aliud ſolere, atq; adeò non poſſe. Illud potius cauet, ne ſtultis & impudentibus illorum rogationibus temere aſſentiatur. Imprudenter autem rogant, qui ipſi cauſam ſuam non ſatis cognitam habent, nec ſatis ſciunt quid ſibi explicari uelint: aut qui ea interrogant, quæ eos ſcire, ipſorum nihil intereſt: quorum alterum ſtulticiæ, alterum curioſitatis fuerit.*

Moroſitas & inutilis & odioſa.

In moroſitatem inutilem.) *Magno compendio à moroſitate deterret, cum eam & inutilem eſſe, & odioſam dicit. Inutilem, ei in quo eſt (qui enim magiſtratum gerit, uitare non poteſt, quo minus ab importunis & ſtultis hominibus intempeſtiuè, imprudenter, atq; etiam impudenter & accedatur & rogetur) odioſam uerò, alijs. Stulticiæ igitur eſt, nullo ſuo cum fructu odium quærere. Moroſitati opponatur patientia, quam conſuetudo & conſideratio rerum humanarum, atq; ipſius officij ratio augebit & confirmabit, naturæq; acerbitatem & iracundiam moderabitur.*

CICERO.

Et tamen ita probanda eſt manſuetudo atq; clementia, ut adhibeatur reipub. cauſa ſeueritas; ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt.

Et tamen

Et tamen ita probanda eſt.) *Nonum præceptum, de ſeueritate: quod eſt ſuperioris ſiue correctio, ſiue declaratio quædam.*

Reipub. cauſa.) *Id eſt, ut tranquillitas & honeſta diſciplina conſeruetur. Nam alioqui faciè cuiuis, quod liberet, licere paterentur boni uiri.*

Sine qua adminiſtrari.) *Extat opuſculũ Lactantij de ira Dei, quo multis & argumentis & exemplis docet, nullum imperium ſine ſeueritate conſtare poſſe. Quanquam ſubtili diſputatione nihil eſt opus, cum uita quotidiana doceat, omnes licentia fieri deteriores. Itaq; magnitudine pœnæ, ſupplicijq; grauitate, improbi ſæpe deterrendi ſunt à ſceleribus.* Sine ſeueritate honeſtã diſciplinam conſeruari non poſſe.

Ciuitas.) *Non ciuitas tantum, ſed nec Eccleſia, nec ſchola, nec familia, in tanta petulantia & nequitia hominum: qua Nicocles apud Iſocratem multos eſſe coactos ait, aſperius quàm pro natura ſua imperare. Moleſta quidem & grauia ſunt ſeueriora imperia: ſed omnino neceſſaria, & ſalutaria ijs qui ipſi ſuæ uitæ modum habere aut neſciunt, aut nolunt.*

CICERO.

Omnis autem & animaduerſio & caſtigatio, contumelia uacare debet: neq; ad eius qui punit aliquem, aut uerbis caſtigat, ſed ad Reipub. utilitatem referri.

Omnis autem & animaduerſio.) *Seueritas poſita eſt uel in obiurgatione, uel in uexatione corporis, uel in contumelia aliqua & ignominia, uel in mulcta pecuniaria. Quibus in rebus qui ſeruandus ſit modus, quinq; regulis hic præſcribitur.*

Contumelia uacare debet.) *Prima regula. Sic tamen accipienda: niſi petulantia hominis, & exemplum, hoc poſtulent. Nam animo generoſo quouis ſupplicium leuius eſt ignominia: ut contrà ſumum præmium, Honos & gloria.* Ignominia. Gloria.

Neq; ad eius qui punit.) *Secunda regula, quæ excludit auariciam tyrannicam: ut cum Centauri quidam nouas leges excogitant, quibus pauperes uiolatis, argento, ut ait Comicus, emunguntur.*

CICERO.

Cauendum eſt etiam, ne maior pœna quàm culpa ſit.

Cauendum eſt etiam.) *Tertia regula: Poena delicto par eſſe debet. Excluditur hic crudelitas tyrannica. Apud Virgilium Mezentius:*

Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis.

Et Draconis leges ſanguine ſcriptæ eſſe dicebantur: quòd omnibus etiam minimis delictis capitale ſupplicium conſtituiſſet. Iſocrates, etiam mitigationem ſuppliciorum probat.

CICERO.

Et ne iiſdem de cauſis alij plectantur, alij ne appellentur quidem.

Ingenij & anteactæ uitæ habendā eſſe rationem.

Et ne iiſdem de cauſis.) *Quarta regula: Aequalitas ſeruanda eſt. Sed hæc æqualitas non tantum in factis, ſed etiam in perſonis ſpectari debet. Qua de re præclara Terentij ſententia tenenda eſt: Duo (inquit) cum idē faciunt, ſæpè fit ut poſſis dicere, hoc licet impunè facere huic, illi non licet: non quòd diſſimilis res ſit, ſed quòd is qui facit. Sic in iudicijs, ob anteactam uitam ſæpè reo ignoſcitur, aut grauis pœna irrogatur. Idem & in Scholis faciendum erat, ut pro ſuo quiſq; ingenio tractaretur: alius aſperius, propter negligentiam & petulantiam: alius mollius, propter modeſtiam & amorem ſtudiorum: alius uerberibus compellendus eſt ad faciendum officium, alius uerbis caſtigandus, alius laudibus excitandus. Alioqui malè conſuletur diſcentium ingenijs, ſi τῷ λευκῷ λίθῳ λευκὴ σταθμὴ, quod aiunt, fuerint præceptores.*

Ne appellentur quidem.) *Plecti, pro grauiter puniri, rectè accipies. Sed appellari, pro in ius uocari, perperam exponi puto: ſed accipio pro, ne uerbis quidem caſtigari, ut ſuprà dixit. Quanquam non appellari lenius etiam uidetur, cum conniuemus ad omnia.*

CICERO.

Prohibenda autem maximè eſt ira in puniendo. Nunquàm enim iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum.

Prohibenda autem maximè.) *Quintum præceptum: Cauendam eſſe iracundiam, in quo Peripateticorum ſententiam improbat, eique Stoicam ἀπάθειαν opponit.*

Iratus qui accedit.) *Commoueri ira propter delicta, non uetat: ſed irrogare pœnam dum iraſcaris, uetat. Sic feciſſe ſcribitur Archytas, & Plato etiam, qui ſeruo à quo offenſus fuerat, dixerit: ἐκόλαζον ἄν, εἰ μὴ λίαν ὠργιζόμην. Quod Cicero quarta Thuſculana interpretatus: Quo te modo, inquit, accepiſſem, niſi iratus eſſem?*

Quæ eſt inter nimium & parum.) *Sic expreſſiſſe uidetur τὴν μεσότητα, τὴν μεταξὺ ὑπερβολῆς καὶ ἐλλείψεως.*

CICERO.

Quæ placet Peripateticis, & rectè placet, modò ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à Natura datam. Illa uerò omnibus in rebus repudianda eſt: optandumq́; ut ij qui præſunt Reipub. legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur.

Quæ placet Peripateticis.) *Stoici τὴν ἀπάθειαν, Peripatetici τὴν μετριοπάθειαν commendant, & iracundiam dicunt quaſi cotem eſſe fortitudinis. Cicero autem rectè hic optandi uerbo eſt uſus. Neq; enim naturæ imbecillitas fert, ut animi rebus triſtibus, indignis, atrocibus non commoueantur. Atque adeò rectum uidetur, improbis & hominibus & factis iraſci. Hoc enim ea uirtus quæ μισοπονηρία dicitur, flagitat: non minima Iuſticiæ pars. Neq; in hoc naturæ iudicium reprehendendum eſt, quæ nihil temerè aut iniuſtè facit. Quare Ariſtoteles affectus natura inſitos non extirpandos, ſed moderandos eſſe cenſet: cum nullus omnino ſit, qui non, ſuo loco adhibitus, uirtuti ſeruire poſſit. Nam ut cæteros minus uitioſos taceam: inter inuidiam quoq; & maleuolentiam, quæ Græcis ἐπιχαιρεκακία eſt, medium ſeu uirtutem ſtatuit νέμεσιν, hoc eſt indignationem, de indignis improborum ſucceſſibus, & rebus aduerſis bonorum.*

μισοπονηρία improbis & hominibus & factis iraſcitur.

Omnes affectus uirtuti ſeruire poſſe.

CICERO.

Atq; etiam in rebus proſperis, & ad uoluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamq; magnopere fugiamus. Nã ut aduerſas res, ſic ſecundas immoderatè ferre, leuitatis eſt: præclaraq; eſt æquabilitas in omni uita, & idem ſemper uultus, eademq; frons: ut de Socrate, itemq; de C. Lælio accepimus.

Atq; etiam in rebus.) *Decimum præceptum: de moderatione in ſucceſſibus. Rectè autem Poeta:*

Luxuriant animi rebus plerunq; ſecundis,
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.

Nam ut aduerſas.) *Ratio per collationem contrariorum.*

Præclaraq; eſt.) *Vt leuitas repugnat magnanimitati: ſic conſtantia, illius uel propria uel cognata eſt.*

Vt de Socrate.) *Illuſtratur hoc præceptum exemplis, quæ quidem naturæ humanæ captum excedere uidentur, aut certè ὑπερβολικῶς eſſe ſcripta. Nam ut animus & ſenſus obiectis rebus uariè commouetur, ita uultus animi index idem eſſe uix, ac ne uix quidem poteſt. Diſſimulari quidem & lætitia rerum ſecundarum, & calamitatum dolor utcunq; poteſt: idq; faciendum eſſe, præcipit Iſocrates.*

CICERO.

Philippũ quidem Macedonum regẽ, rebus geſtis & gloria ſuperatũ à filio, facilitate & humanitate uideo ſuperiorẽ fuiſſe. Itaq; alter ſemper magnus, alter ſæpe turpiſsimus

fuit; ut

fuit: ut rectè præcipere uideantur qui monent, ut quanto ſuperiores ſimus, tanto nos ſummiſsius geramus.

Moderatio animi, rebus geſtis potior

Philippum quidem.) *Duo contraria exempla: alterum moderati animi, alterum immoderati. In quibus illud etiam obſeruatu dignum eſt, quòd conſtantia & moderatio animi, rebus geſtis antefertur. Hiſtoriæ autem requirantur è Plutarcho, Q. Curtio, Arriano, & Diodoro Siculo lib. 6.*

Vt rectè præcipere.) *Autoritate unius è ſeptem ſapientibus, Chilonis opinor, præceptum hoc confirmat, cuius inter alia & hoc dictum refert Diogenes:* ἰσχυρὸν ὄντα πρᾶον εἶναι, ὅπως οἱ πλησίον αἰδῶνται μᾶλλον ἢ φοβῶνται. *hoc eſt: Potens ſi fueris, manſuetus eſto, ut alij te uereantur magis quàm formident.*

Tanto nos ſummiſsius.) *Pleriſq; animi cum fortuna creſcunt. ijdemq; fortunam euertunt: quæ ſe reuerenter haberi uult.*

CICERO.

Panætius quidem Africanum auditorem & familiarē ſuum, ſolitum ait dicere, ut equos propter crebras contentiones præliorum, ferocitate exultantes, domitoribus tradere ſoleant, ut his facilioribus poſsint uti: ſic homines ſecundis rebus effrenatos, ſibiq; præfidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, ut perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, uarietatemque fortunæ.

χρείαν *ſubijcit, qua homo fortunatus feroci equo, ratio & doctrina freno eruditè comparatur.*

Ciceronis fortuna uaria.

Vt perſpicerent.) *Sententia memorabilis, quæ infinitis exemplis maximorum uirorum, qui in tragicos caſus inciderunt, illuſtrari poſſet. Sed ſatis ſit nobis ipſe huius libelli autor, maxima fortunæ & indulgentia & uarietate uſus: ac deniq; proditus, eiectus, proſcriptus & interfectus.*

CICERO.

Atq; etiam in ſecundiſsimis rebus maximè eſt utendū conſilio amicorum: hisq; maior etiam quàm antè tribuenda eſt autoritas. ijſdemq; temporibus cauendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus: in quo falli facile eſt. Tales enim nos eſſe putamus, ut iure laudemur. Ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis uerſantur erroribus.

Atq;

Atq; etiam.) *Præceptum undecimum & duodecimum, ſuperiori affinia, & quodammodo ex eo propagata, & planè cum eo cohærentia: unum de audiendis amicorum conſilijs, alterum de uitanda adulatione: de qua rectè quidam dixit, melius eſſe incidere εἰς κόρακας, ἤπερ εἰς κόλακας, quod corui mortuos, adulatores uiuos deuorent.* Conſilia. Adulatio.

In quo falli facile eſt.) *Definitio quædam adulationis. Adulatio (inquit) eſt iucunda quædam impoſtura. Cauſam autem affert τῆς φιλοκολακίας, τὴν αὐτοκολακίαν ſeu φιλαυτίαν.* φιλαυτία μήτηρ κολακείας.

Ex quo naſcuntur.) *Ab effectis adulationis. Adulatio (inquit) iudicium homini adimit: quo amiſſo, deriſus aliorum uitari non poteſt. Rectè apud Terent. ſeruulus de Gnathone paraſito: Hic (inquit) homines ex ſtultis inſanos facit.*

Inflati opinionibus.) *Libet aſſcribere Iſocratis uerba, non diſſimilia:* οὐκ ἤμειψας, *inquit,* μετὰ τῆς τύχης τὴν φύσιν. ἔτι τὸν θύλακον ἔχεις δερμάτινον. θνητὴν ἔχεις ἐκ προοιμίου τὴν σύστασιν. τί δῆτα τὸ κενὸν τοῦτο δοξάριον ὑπὲρ τοσοῦτον τὸν πήλινον ἀσκὸν διεφύσησε; μεγάλης ἀνοίας γέγονε πλήρης, ὦ δύστηνε, καὶ τῆς φύσεως τὴν γνῶσιν ἀφῄρησαι. *id eſt: Non unà cùm fortuna mutaſti etiam naturam. Adhuc pelliceo ſacco es amictus. Nam tui ortus primordium mortale fuit. Cur igitur inanis iſta gloriola luteũ utrem ſic inflauit? Ingenti amentia repletus es, ô infelix, & naturæ fragilis agnitione poliatus. Epicharmus:* αὕτα, *inquit,* φύσις ἀνθρώπων, ἀσκοὶ πεφυσημένοι: *id eſt, Hæc natura eſt hominis, utres ſunt inflati. & Anaxarchus corpus ſuum* ἀσκὸν, *id eſt utrem appellauit:* πτίσσε, *inquit tyranno,* τὸν Ἀναξάρχου ἀσκόν, Ἀνάξαρχον γὰρ οὐκ ἂν δύναιο: *Contunde Anaxarchi utrem, Anaxarchum enim non poteris. Sed & Ariſtophanis uerſus, iocos ut ſolet ſerijs miſcentis, huc accommodari poſſunt:*

ἄνδρες ἀμαυρόβιοι, φύλλων γενεῇ προσόμοιοι:
ὀλιγοδρανέες, πλάσματα πηλοῦ, σκιοειδέα φῦλα,
ἀμενηνοί, ἀπτῆνες, ἐφημέριοι.

Quæ uerba tametſi Latinè pari lepore nullo modo poſſunt exprimi, ſic tamen utcunq; declaremus:

Viri obſcuræ uitæ, foliorum genti conſimiles,
Exiguæ uirtutis, figmenta cerea, umbratile genus:
Imbecilles, inuolucres, unam dieculam uiuentes.

Verbo ἀπτῆνες *uidetur deriſiſſe Platonis hominem,* ζῶον ὄντα δίπουν καὶ ἄπτερον: *ut & Diogenes fecit, cum proiecto in Academiam gallo gallinaceo, cui pēnas detraxerat, Ecce (inquit) Platonis hominē: cui tamē Plato poſt latos ungues addidit* (πλατυώνυχον) *ut inter gallum & Micyllũ aliquid intereſſet.*

CICERO.

Sed hæc quidem hactenus. Illud autem ſic eſt iudicandum, maximas geri res, & maximi animi, ab ijs qui Rem-

publicam regant: quòd eorũ adminiſtratio latiſsimè pateat, ad plurimosq́; pertineat. Eſſe autẽ magni animi, & fuiſſe, multos etiã in uita ocioſa: qui aut inueſtigarent, aut conarentur magna quædam, ſeq́; ſuarũ rerum finibus cõtinerẽt: aut interiecti inter philoſophos, & eos qui Remp. adminiſtrarent, delectarẽtur re ſua familiari: non eam quidem omni ratione exaggerantes, neq; excludentes ab eius uſu ſuos, potiusq́; & amicis impertientes & Reipublicæ, ſi quando uſus eſſet. Quę primùm benè parta ſit, nullo neque turpi quæſtu, neq; odioſo: tum quàm plurimis (modò dignis) ſe utilem præbeat: deinde augeatur ratione, diligentia, parſimonia: nec libidini potius, luxuriæq́;, quàm liberalitati & beneficentiæ pareat.

Sed hæc quidem hactenus.) *Præciſio longioris diſputationis περὶ τῶν πολιτικῶν παραγγελμάτων: quæ & ipſe ſex libris de Repub. & tribus de Legibus, copioſius explicarat, & peculiari libello à Plutarcho collecta ſunt.*

Illud autem ſic eſt iudicandum.) *Vt ſuprà fortitudinem in bellicam & urbanam diſtribuit, ita nunc in publicam & priuatam partitur: ac poſteriorem duplicem facit, Philoſophicam & Oeconomicam, quæ eſt hominum ditiſsimorum, quibus rationem cum laude uiuendi recteque utendi ſuis opibus, ſi à Repub. abſtineant, præſcribit.*

Non eam quidem omni ratione.) *Excludit auariciã & tenacitatẽ.*

Neq; excludentes.) *Requirit benignitatem.*

Quæ primùm benè parta ſit.) *De quæſtibus poſtea dicet. Noſtro autem ſeculo non quæritur unde habeas, ſed an habeas.*

Tum quàm plurimis.) *Qui fructus & uſus legitimus diuitiarum eſt.*

Deinde augeatur.) *Suprà rei familiaris amplificationem, quæ nemini noceret, uituperandam eſſe negauit: hîc eandem præcipit ac docet.*

Ratione.) *Vt intelligas quæ res uberiores fructus afferant, & reditus certiores.*

Diligentia.) *Vt ipſe rem tuam cures, nec in ulla parte ceſſes.*

Parſimonia.) *Quam in Paradoxis magnum eſſe uectigal affirmat. Neq; hæc cum liberalitate pugnat, quæ dat cum decet: hæc aſſeruat, cum non dedecet, ut ſit quod dare poſsit, cum opus eſt, ὅπως ἂν καὶ εὐδοκιμῇς καὶ ἐπαρκῇς.*

CICERO.

Hæc præſcripta ſeruantem, licet grauiter, magnificè, animoſeq́; uiuere: atq; etiam ſimpliciter, fideliter, & uitæ hominum amicè.

Hæc præ-

Hæc preſcripta ſeruantem.) *Cõcluſio tertij fontis officiorum, Fortitudinis, ſeu magni animi: uel commendatio præceptorum quæ hactenus tradidit, ab effectu.*

Grauiter.) *conſtanter, abſq; leuitate.*

Magnificè.) *cum ſplendore & gloria.*

Animoſè.) *abſq; metu & trepidatione.*

Simpliciter.) *ſine ſophiſtica & ſycophantica.*

Fideliter.) *abſq; perfidia & negligentia.*

Vitæ hominum amicè.) *humaniter, non tyrannicè, non μισανθρώπως. Quæ cum ita ſint, magni facienda ſunt præcepta: etſi profectò, mea quidem opinione, uix ulla uirtus eſt, quæ plus à natura ſumat, & minus arte tradi queat, quàm fortitudo, ſeu magnitudo animi. Timida enim & abiecta ingenia, quicquid agas aut dicas, Ante tubam trepidant. Conſuetudo tamen periculorum & laborum multum ualet. Vnde quidam robuſtos legi milites iuſsit: ſe, ut fortes euaderent, curaturum profeſſus.*

Hominem natura ignauum & ſordidum, uix fore magnanimum & ſplẽdidum.

Ἀνακεφαλαίωσις EORVM QVAE SCRIPTA ſunt de tertio fonte officij, ſeu parte honeſtatis, Fortitudine.

I. APPELLATIONES ET DEFINITIONES ſeu deſcriptiones Fortitudinis.

Animus magnus, elatusq;, humanasq; res deſpiciens.

Res magno animo & elato, fortiter excellenterq; geſtæ.

Animi magnitudo.

Vir fortis & magnanimus, idem bonus, & ſimplicis ueritatis amicus, minimeq; fallax eſt.

Fortitudo uirtus eſt, propugnans pro æquitate.

Rerum externarum deſpicientia, & res magnas illas quidem, & maximè utiles, ſed & uehementer arduas, plenasq; laborum & periculorum cùm uitæ, tum multarum rerum quæ ad uitam pertinent, gerere.

Fortitudinis eſt, non frangi metu, cupiditate, labore: non uinci uoluptate, auaricia, iracundia, ambitione, ulla perturbatione animi.

Magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam.

Vera & ſapiens animi magnitudo illud honeſtum, quod natura maximè ſequitur, in factis poſitum, non in gloria iudicat, principemq; ſe eſſe mauult quàm uideri.

Excellens animus, & humana contemnens, nihil niſi quod honeſtum decorumq; ſit aut optans aut expetens, nulli neque homini neque perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbens.

Vir magnus, robuſtus animus, magna conſtantia.

Se ad Rempub. & ad res magnas gerendas accommodare.

Pro libertate, cuius proprium eſt ſic uiuere ut uelis, magnanimis uiris omnis eſt contentio.

Animus excelſus, magnificusq́;, fortis & conſtans.

Magnus animus & excelſus, & prudentia conſilioq́; fidens.

Grauis & fortis ciuis, in Republica dignus principatu.

ANNOTATIO.

Deſcriptiones hæ partim rem ipſam, id eſt Fortitudinem declarant: partim perſonam uiri fortis quaſi depingunt. Cum aũt qualitates (in qua claſſe uirtutes, uitia, artes, ſcientiæq́; ſunt) in ſenſus non incurrant: illuſtriores fiunt, ſi ad perſonas transferantur. Quare ſi clarius intelligere cupis quid ambitio, quid fortitudo ſit, C. Iulij Cæſaris perſonam tibi proponito: ſi, quid eruditio, perſonam Ariſtotelis, &c.

II. DIVISIO.

- *Fortitudo*
  - *Publica*
    - *Vrbana.*
    - *Bellica.*
  - *Priuata*
    - *Philoſophica.*
    - *Oeconomica.*

ΑΝΤΕΞΕΤΑΣΙΣ ΤΗΣ ΠΟΛΙΤΙΚΗΣ ΠΡΟΣ τὴν πολεμικήν. Verba Ciceronis:

Res urbanæ non ſunt minores quàm bellicæ, & domeſticæ fortitudines non inferiores militaribus.

Non minorem utilitatem afferunt, qui togati Reipub. præſunt, quàm qui bellum gerunt.

Iis qui habent à natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione, adipiſcendi magiſtratus ſunt, & gerenda Reſpublica eſt.

Parua ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi.

Expetenda magis eſt decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo.

Hæc de urbana fortitudine.

De militari fortitudine.

Cum tempus neceſſitasq́; poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſeruituti turpitudiniq́; anteponenda.

Exercendum corpus, & ita afficiendum eſt, ut obedire conſilio rationiq́; poſſit, in exequendis negocijs, & in labore tolerando.

Expugnatis urbibus, magni uiri eſt, rebus agitatis punire ſontes, multitudinem conſeruare, in omni fortuna recta atq; honeſta retinere.

Promptiores debemus eſſe ad noſtra pericula, quàm ad communia: dimicareq́; paratius de honore & gloria, quàm de cæteris commodis.

III. AFFINIA, SIVE OFFICIA fortitudinis.

Quorum coaceruatio etiam deſcriptionem eius conſtituit. ſicut Iſocrates longa enumeratione præceptorum in Parænefi, deſcribit prudentem & bonum uirum: in oratione ad Nicoclem, bonum principem: in ea quæ Nicocles inſcri-

inſcribitur, bonum populum, & principum bonos miniſtros ac ciues. Sunt enim Parænetici libelli nihil aliud, niſi prolixæ deſcriptiones aut uirtutum, aut uirtutibus præditorum hominum: quanquam hi potius ad exornationes, quàm ad parænefes referuntur.

In uiro politico requiruntur,

ἀπάθεια, *ſiue* εὐθυμία: *animi tranquillitas, & uacuitas ab angoribus.* 1

παῤῥησία, *dicendi libertas.* 2

τὸ φιλόπολι καὶ κοινωφελὲς, *amor ciuitatis, & publicæ utilitatis ſtudiũ.* 3

φιλαλήθεια, *amor ueritatis.* 4

τὸ φιλόκαλον, *amor honeſtatis.* 5

ἀφιλοτιμία, *fuga ambitionis.* 6

τὸ εὐόργητον, ἢ καὶ ἀόργητον, *placabilitas & clementia.* 7

εὐκολία, καὶ βάθος ψυχῆς, *facilitas & altitudo animi.* 8

τὸ αὐστηρὸν, *ſeueritas: in qua quinq; cauenda ſunt, contumelia, priuata utilitas, uiolatio modi, inæqualitas, iracundia.* 9

μετριοπάθεια, *ſiue* σωφροσύνη: *moderatio, æquabilitas, conſtantia.* 10

πειθαρχία, *ſiue* τὸ συμβουλεύεσθαι: *arrogantiæ, faſtidij, temeritatiſque fuga.* 11

μισοκολακία, *adulatorum odium.* 12

πρόνοια, *ſiue* προπαρασκευή: *prouidentia, ſeu præparatio diligens.* 13

Hæc à Cicerone ſparſim hoc ferè modo explicantur:

Ad rem gerendam qui accedit, caueat ne id modò conſideret, quàm res illa honeſta ſit: ſed etiam, ut habeat efficiendi facultatem.

In omnibus negocijs, priuſquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

Non perturbari in rebus aſperis, animi: illud etiam ingenij magni eſt, præcipere cogitatione futura, & aliquanto antè conſtituere quid accidere poſſit in utranq; partem, & quid agendum ſit, cum quid euenerit: nec committere, ut aliquando dicendum ſit, Non putaram.

Qui Reipub. præfuturi ſunt, utilitatem ciuium ſic tueantur, ut quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Deinde totum corpus Reipublicæ curent.

Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro uiro dignius placabilitate, atq; clementia.

Adhibenda eſt Reipub. cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt.

Omnis & animaduerſio & caſtigatio, contumelia uacare debet: neque ad eius qui punit aliquem, aut uerbis caſtigat, ſed ad Reipublicæ utilitatem referri.

Cauendum etiam, ne maior pœna quàm culpa ſit: & ne iiſdem de cauſis alij plectantur, alij ne appellentur quidem.

Prohibenda maximè eſt ira in puniendo.

Vt aduerſas res, ſic ſecundas immoderatè ferre, leuitatis: præclaraq́; eſt æquabilitas in omni uita.

In ſecundiſſimis rebus, maximè utendum eſt conſilio amicorum.

Cauendum, ne aſſentatoribus aures pateſaciamus: neúe adulari nos ſinamus, in quo falli facile eſt.

Nec anxium eſſe, & cum grauitate conſtantiaq́; uiuere.

Hæc ferè ſunt τὰ πολιτικὰ παραγγέλματα, domi militiæq́; utilia.

IIII. PVGNANTIA SIVE contraria,

Quæ ſunt ὑπερβολαὶ καὶ ἐλλείψεις, quas uno uerbo παρεκβάσεις appellare licet: cum is modus, qui eſt inter nimium & parum, non ſeruatur.

αὐθάδεια, contumacia, pertinacia.

θρασύτης, audacia, temeritas.

φιλαρχία, καὶ τὸ φιλόπρωτον, cupiditas imperiorum.

κενοδοξία, inanis gloriolæ ſtudium.

ἀστάθεια, ἢ ἀνωμαλία ψυχῆς, animi leuitas, & quaſi uacillatio & titubatio.

φιληδονία, amor uoluptatum.

φιλοπλουτία, auaricia.

ἀπραξία, ſiue ἀργία, ocium ignauum.

δειλία, timiditas.

ἀθυμία, cum quis deſperat propter ignauiam.

ὑπερηφανία, ſuperbia.

τὸ δυσάρεστον, faſtidium, moroſitas.

ἀλαζονεία, arrogantia.

ὠμότης, crudelitas, ſæuitia.

Hæc Cicero ad hunc ferè modum ſparſim expoſuit.

Animus paratus ad periculum, qui ſua cupiditate, non ſalute communi impellitur, audaciæ potius quàm uirtutis nomen habeat.

Pertinacia, & nimia cupiditas principatus.

Nec diſceptatione uinci ſe, nec ullo publico ac legitimo iure pati.

Exiſtere in Repub. largitorem & factioſum, ut opes quàm maximas conſequare: & ſis potius ſuperior ui, quàm iuſticiā par.

Nunquam omnino periculi fuga committendum eſt, ut imbelles timidiq́; uideamur. Sed fugiendum illud etiam, ne offeramus nos periculis ſine cauſa: quo nihil poteſt eſſe ſtultius.

Sunt qui quod ſentiunt, etiamſi optimum ſit, tamen inuidiæ metu non audent dicere.

Rumores anteponere ſaluti.

Labores & moleſtias, tum offenſionum & repulſarum quandam quaſi ignominiam timere, & infamiam.

In rebus

In rebus contrarijs parum ſibi conſtare, uoluptatem ſeuerißimè contemnere, in dolore eſſe molliorem, gloriam negligere, frangi infamia.

Non conſiderare, an habeas rem honeſtam efficiendi facultatem: temerè deſperare propter ignauiam, nimis confidere propter cupiditatem.

Bella quærere, propter gloriæ cupiditatem.

Temerè in acie uerſari, & manu cum hoſte confligere.

Periculoſa & calida conſilia quietis cogitationibus & maiora & ſplendidiora ducere.

In tranquillo tempeſtatem aduerſam optare.

Offerre ſe periculis ſine cauſa.

Miſerrima eſt omnino ambitio, honorumq; contentio.

Tranquillitatem & ſecuritatem expetentem, contentum & ſuo & paruo, à negocijs publicis ſe remouere, ad ociumq; perfugere.

Nec populi nec principum mores ferre poſſe.

EXCEPTIO.

Et his forſitan concedendum ſit, Rempub. non capeſſentibus, qui excellenti ingenio doctrinæ ſeſe dediderunt: & his, qui aut ualetudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore cauſa impediti, à Repub. receſſerūt, cum eius adminiſtrandæ poteſtatem alijs, laudemq; concederent.

ANNOTATIO.

Cum contrariorum eadem doctrina ſit: ſi quid omiſſum uidebitur, petatur uitium à uirtute contraria. Poteſt & ſtudioſus Dialecticæ, hæc omnia diſtinguere accuratius.

2. Annotatio.

Exceptio eorum qui gerenda Repub. abſtinere poſſint, etiam priuatæ fortitudinis diuiſionem, quæ uel philoſophica eſt, uel œconomica, continet, ex ipſo Cicerone petendam.

Res familiaris.

À diuitijs abſit αἰσχροκέρδεια. γλισχρότης, πλεονεξία, ἀσωτία: *id eſt, ſordes, tenacitas, auaricia, profuſio. contraq; cum opibus coniungatur* τὸ φιλόπολι, τὸ κοινωνικὸν, καὶ πλουτικὸν τοῖς ἀξίοις, καὶ ἐπιμέλεια οἰκονομικὴ, καὶ φειδώ: *hoc eſt, amor patriæ & ſocietatis, tribuatur dignis, adhibeatur diligentia & parſimonia.*

CICERO.

Sequitur, ut de una reliqua parte honeſtatis dicendum ſit, in qua uerecundia, & quaſi quidam ornatus uitæ: temperantia & modeſtia, omniſq; ſedatio perturbationum animi & rerum modus cernitur.

Diuerſam rationem præceptorum & uarias uirtutum appellationes ad eādem tendere finē honeſtæ disciplinæ & trāquillę beatæq; uitæ.

Sequitur ut de una reliqua.) *Magno conſenſu & Græcorū & Latinorum ſcriptorū, quatuor præcipuæ uirtutes ſeu partes honeſti numerantur: nō quin plures ſint, aut eſſe poßint: ſed quòd cæteræ ad has facilè accōmodari, & ſub eis cōprehendi queunt. Deinde cum magna ſit earū inter ſeſe cognatio, adeò*

adeò ut aliæ ſine alijs conſiſtere uix poßint: fit ut aliæ proprietates alijs uirtutibus, pro cuiuſq; ſcriptoris arbitrio tribuantur. Quæ res cum tantum methodo, non autem ſine & utilitate præceptorum differat: non debet adoleſcentes turbare, aut efficere ut minoris faciant has præceptiones. Naturæ enim uis & lumen, uirtutűq; dignitas & præſtantia propterea non extinguitur, & tollitur, ſi alius uirtutes in pauciora capita contrahit, alius in plura diducit: alius alio ordine utitur, aut etiam nominibus diuerſis eaſdem appellat. Hoc quidem ad diſcendum aptißimum eſt, ſi accuratißima diſtinctio adhibeatur: qualis eſt in libello Ariſtotelis περὶ ἀρετῶν, itemq; Plethonis: qui quidem ad uerbum ediſcendi ſunt. Sic enim prolixæ diſputationes de doctrina uirtutum, quæ tum apud Græcos, tum apud Latinos ſcriptores extant, maxima ex parte perſpicuæ erunt, & facilè memoriæ mandabuntur. Hæc, antequam ad Temperantiæ explicationem accederemus, præfari uiſum eſt: quòd Cicero hîc nonnulla tradit, quæ ab Ariſtotele (quem utinam Cicero, ut & magnificè laudauit, ita etiam ſæpius eſſet imitatus) ad alias uirtutes referuntur. Idq; eò fieri conijcio, quod noſter autor recentiores Academicos, & Stoicos potißimum, quorum monumenta interciderunt, ſecutus uidetur. Accedere illud etiam poteſt, ut minus de ſubtili diſtinctione uirtutum, quàm de copioſa earum explicatione laboraret: quòd ſuis ciuibus, minutã Græcorum diligentiam & ſubtilitatem aut aſpernantibus, aut certè parui facientibus, opus hoc conſcripſit. Sed ut ad rem ueniamus, tres ſuperiores uirtutes, quanquam in omni ætate rationis compote locum habere poſſunt: tamen Prudentia, Iuſticia & Fortitudo in uirilem magis quàm in puerilem cadere uidentur. Modeſtia autem & uerecundia in primis decent atq; ornant adoleſcentiam. Quare in ijs in primis probæ indolis adoleſcentes elaborandum ſibi cenſebunt, ut quibus nunc præcipuè ſit locus. Cæteras autem, etſi nunc minus appareant: tamen cognoſcendas eſſe, ut ijs uiri facti utantur.

Certam uirtutum methodum eſſe utiliorem.

Modeſtia pueritiæ & adoleſcentię maximè decora.

Sequitur ut de una.) *Vnum in locum uaria uocabula congerit. Inter quæ etſi diſcrimen aliquod conſtitui poteſt: tamen id Cicero, ut dictum eſt, parum curat. Obſeruanda eſt autem eius methodus. Cum Temperantia coniungit Decorum: quod non tantùm in honeſtate, ſed etiam in rebus fortuitis ſiue externis ſpectatur, & ijs quas uulgo circumſtantias dicunt. Habetur ratio familiæ, temporis, loci, ætatis, opum, & ſi qua ſunt id genus alia. Et quia id decorum tam in dictis & geſtibus, motuq; corporis, quàm in factis cernitur: hinc fit, ut hoc loco & de ſermone & de uitæ genere conſtituendo, alijsq; ſimilibus rebus præcipiatur, ut ſuo loco uidebimus.*

Decorum.

In qua uerecundia.) *Definitio quædam, ſeu deſcriptio Modeſtiæ, conſtans enumeratione partium.*

Omnisq; ſedatio perturbationum.) *Commune hoc eſt uirtutum omnium, quod Temperantiæ quaſi proprium tribuit Cicero: ideò fortaſſe, quòd nulla uirtus ſuum nomen & munus tueri poteſt, niſi modus, qui eſt inter nimium & parum, obſeruetur. Nam Prudentia & Modeſtia eæ uirtutes ſunt,*

Prudentia & temperantia per reliquas etiam uirtutes ſparſæ.

ſunt,ut cum utraq; ſuum quoddam munus habeat, tamen nec iuſticia nec fortitudo ſine ijs eſſe poſſint. Prudentia autem excolit τὸ ἡγεμονικὸν, fortitudo τὸ θυμοειδὲς: iuſticia tum τὸ θυμοειδὲς, tum τὸ ἐπιθυμητικόν: temperantia uerò plus negocij habet in moderando ἐπιθυμητικῷ. Quare ſedatio perturbationum κατ' ἐξοχὴν illi tribuitur, ut & decorum ſpeciale: quod cupiditates uariæ multiplicesq; ſunt, & Lerneæ hydræ non ineleganter comparantur.

CICERO.

Hoc loco continetur id, quòd dici Latinè Decorum poteſt: Græcè enim τὸ πρέπον dicitur. Huius uis ea eſt, ut ab honeſto non queat ſeparari. Nam & quod decet, honeſtum eſt: & quod honeſtum eſt, decet. Qualis autem differentia ſit honeſti & decori, facilius intelligi quàm explanari poteſt. Quicquid enim eſt quod deceat, id tum apparet, cum antegreſſa eſt honeſtas.

Hoc loco continetur.) *Ariſtoteles τὸ πρέπον καὶ τὸ καλὸν non diſtinguit: fortaſſe quòd τὸ καλὸν Græcis tam ad corpus quàm ad animum refertur, ut & honeſtū apud Latinos. ut Terentius, Glycerium erat forma præter cæteras honeſta & liberali: & Virgilio ſunt honeſti equi ſpadices, glaucíq;. Eſt autem diſcrimen τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ πρέποντος ferè idem, quod τοῦ σεμνοῦ καὶ τοῦ καλοῦ alibi eſſe diximus: quòd illud τὸ ἔξωθεν καλὸν, hoc τὸ ἔσωθεν σεμνὸν complectitur. hoc eſt, τὸ καλὸν eſt honeſtum internum: τὸ σεμνὸν (quod παρὰ τὸ σέβεσθαι fieri uidetur) externa ſpecies quæ incurrit in oculos, eorumq; mouet approbationem.*

Honeſtum in animo uerſari: decorum incurrere in oculos.

Huius uis eſt ea.) *Hoc eſt, conuertuntur inter ſeſe, ut cauſa & effectus, uel ut antecedens & conſequens.*

Qualis autem differentia.) *Occupatio, ſeruiens attentioni. Non enim deſtituitur uerbis, quibus hoc diſcrimen explicet: ſed cogitationem lectoris excitare uult, ut ipſe rem conſideret. Notetur locus. quamuis Horatio autore,*

Operam eſſe dandam diſertæ elocutioni.

Dictio prouiſam rem non inuita ſequatur:

tamen deeſſe aliquando rebus uel animo, uel ſenſu etiam comprehenſis, uerba idonea: dandáq; eſſe operam, ut quæ animo conceperimus, diſertè etiam eloqui poſſimus: quæ res & exquiſitam cognitionem rerum, & multam lectionem optimi cuiuſq; autoris poſtulat.

CICERO.

Itaq; non ſolùm in hac parte honeſtatis, de qua hoc loco diſſerendum eſt, ſed etiam in tribus ſuperioribus apparet.

Decorum. Itaq; non ſolum.) *Diuiſio decori, quæ ut à rudioribus facilius intelligatur, hoc modo explanari poteſt. Decorum aut eſt poeticum: idq; poſitum eſt* I. Poeticum. *in autoritate ueterum poetarum, atq; in primis Homeri: & hiſtoricorũ, qui deſcribunt homines non quales eſſe debent, ſed quales eſſe ſolent. qua de re con*II. Philoſophicum. *ſulatur Ars poetica Horatij. Aut philoſophicum, quod deſcribit hominem non qualis eſt, ſed qualis lege naturæ eſſe debet. Hoc triplex conſtitui poteſt.* 1. Generale. *Generale, cum ἡ ὁρμὴ appetitus, & inferiores animi partes τὸ θυμοειδὲς καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν, ſuperiori τῷ ἡγεμονικῷ, id eſt: rationi obediunt, ac tota uita omnibus uirtutibus ornata eſt: nihil cogitatur, nihil dicitur, nihil agitur, quod non approbationem mereatur. Hæc eſt ἁρμονία καὶ συμφωνία ὅλης τῆς ψυχῆς. Tale decorum fingi quidem animo, ſed re ipſa demonſtrari in hac prauitate & imbecillitate hominum non magis poteſt, quàm τὰ κατορθώματα* 2. Speciale, *Stoicorum, de quibus ſuprà dictum eſt. Speciale decorum poſitum eſt in tribus ſuperioribus uirtutibus: ut cum Themiſtocles ligneum Apollinis murum interpretatus eſt ingenij ſagacitate, claſſem, qua Græcia contra Perſas defen*ex prudentia ortum: *deretur: apparuit in eo decorum, ortum à prudentia. Sic in Platone, cum Deũ ita definit, ut humana ratio nihil acutius cogitare poſſit: eſſe Deum ſcilicet mentem æternam, cauſam boni naturæ rerum. Cum Hercules occiſo perfido* ex iuſticia ortum: *Laomedonte, Priamo inſonti regnum reſtituit: apparuit in eo decorum ex iuſticia ortum. Cum Leonidas corpore ſuo Perſas aditu Græciæ excludere non* ex fortitudine. *dubitaret, decorum in eo fuit magni & excelſi animi. Singulare, quod re ipſa à ſpeciali nihil differt, ſed tamen κατ' ἐξοχὴν ab eo diſtinguitur. Tale fuit de*3. Singulare, ortum ex modeſtia. *corum Alexandri Magni, qui uxore & filiabus Darij captis abſtinuit: quãuis αἱ Περσίδων κόραι ἀλγηδόνες τῶν ὀφθαλμῶν eſſent, ut quidam dixit.*

CICERO.

Nam & ratione uti atq; oratione prudenter, & agere quod agas conſideratè, omniq; in re quid ſit ueri uidere & tueri, decet: contrà q; falli, errare, labi, decipi, tam dedecet, quàm delyrare & mente captum eſſe. Et iuſta omnia decora ſunt: iniuſta contrà, ut turpia, ſic indecora. Similis eſt ratio fortitudinis. Quod enim uiriliter animoq; magno fit: id dignum uiro, & decorum uidetur. Quod contrà, id ut turpe, ſic indecorum.

Nam & ratione uti.) *Fidelis & ſolers doctor eſt Cicero. Nam quia de tribus uirtutibus multa uerba facta ſunt, quæ ob prolixitatem non facile ab omnibus memoria teneri poſſunt: hoc loco per occaſionem cuiuſq; illarum deſcriptionem repetit.*

Oratione uti prudenter. Oratione uti prudenter.) *Aduerbium* PRVDENTER, *ad orationem po-*

nem potius quàm ad rationem referri uidetur. Quid eſt enim rationis uſus, niſi prudentia? Stulticia uerò & temeritas, quid ſunt aliud, niſi uel non adeſſe, uel non adhiberi rationem? Niſi fortè dicas, calliditatem & fallacias quoque ratione conſtare, ſed mala & peruerſa.

Contraq́; falli.) *Antitheſi deſcriptiones illuſtrat.*

Tam dedecet quàm delyrare.) *ὑπερβολὴ ſiue Stoica ſiue oratoria, ut turpiſſima re propoſita, à negligentia & temeritate deterreat homines. Habent huiuſmodi exaggerationes in adhortando & dehortando non modò locum, ſed etiam laudem.* Exaggerationum locus.

CICERO.

Quare pertinet quidem ad omnem honeſtatem hoc, quod dico, decorum: & ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, ſed ſit in promptu. Eſt enim quiddã (idq́; intelligitur in omni uirtute) quod deceat, quod cogitatione magis à uirtute poteſt quàm re ſeparari. Vt enim uenuſtas & pulchritudo corporis ſecerni non poteſt à ualetudine: ſic hoc de quo loquimur decorum, totum quidem illud eſt cum uirtute confuſum, ſed mente & cogitatione diſtinguitur.

Quare pertinet quidem.) *Paulo antè, facilius intelligi decorum quàm explanari poſſe, dixit: quæ uerba difficultatem quandam rei innuunt, quam nunc tollit.*

Eſt enim quiddam.) *Generale decorum hîc deſignat, & apta ſimilitudine decorum & honeſtum diſtinguit.*

Secerni non poteſt.) *Hoc eſt, ualetudo fundamentum eſt pulchritudinis. pulcher eſſe non poteſt, qui non rectè ualet: rectè quidem ualere poteſt, qui pulcher non eſt. Pulchritudo enim eſt apta figura membrorum, cum coloris quadam ſuauitate: ut à Cicerone 4. Tuſculana definitur. Videntur quidem nonnulli in morbis acutis atque tumoribus ſolito pulchriores: ſed ea non uera, neq; diuturna, ſed pernicioſa pulchritudo eſt.* Valetudo formæ fundamentum.

CICERO.

Eſt autem eius deſcriptio duplex. Nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate uerſatur: & aliud huic ſubiectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis.

Nam & generale.) *Diuiſio decori, & utriuſq; partis deſcriptio. Quanquam pòſt, tertiam etiam addere uidetur, quod ſuprà ſingulare decorum appellare libuit.*

CICERO.

Atque illud ſuperius ſic ferè definiri ſolet: Decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differat. Quæ autem pars ſubiecta generi eſt, eam ſic definiunt, ut id decorum eſſe uelint, quod ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio & temperantia appareat, cum ſpecie quadam liberali.

Decorum id eſſe, quod.) *Excellentia hominis poſita eſt in rationis & orationis facultate atq; uſu, ut eleganter Phocylides ſcribit. Poſitum ergo eſt generale decorum, in perſona humana: ſpeciale, in temperantia: quæ ab ea perſona humana utiq; non excluditur, ſed propter excellentiam (ut dixi) à cæteris uirtutibus hic diſtinguitur.*

Ingenuorum & ſeruorum diſcrimen eſſe.

Cum ſpecie quadam liberali.) *Ingenuorum & ſeruorum diſcrimen, dum ius ſeruitutis uiguit, dumq́; honeſtæ educationis ac publicæ priuatæq́ue diſciplinæ maior habita fuit ratio, magis conſpicuum fuit quàm nunc. Etſi nunc quoq; non paruum cernitur inter eos diſcrimen qui ruri temerè educati ſunt, & eos qui liberaliter & eleganter ſunt inſtituti.*

CICERO.

Hæc ita intelligi, poſſumus exiſtimare ex eo decoro, quod Poetæ ſequuntur. de quo, alio loco plura dici ſolent. Sed tum ſeruare illud Poetas, quod deceat, dicimus, cum id quod quaque perſona dignum eſt, & fit, & dicitur: ut ſi Æacus aut Minos diceret, Oderint dum metuant, aut, Natis ſepulchrum ipſe eſt parens: indecorum uideretur, quòd eos fuiſſe iuſtos accepimus. At Atreo dicente, plauſus excitantur: eſt enim digna perſona oratio.

Obſcuriora notioribus declaranda.

Hæc ita intelligi.) *À philoſophis res minus notæ adhibitis notioribus declarantur. Vt igitur ſuprà ea quæ animi ſunt, & latent, collatione formæ corporis, quæ in oculos incurrit, illuſtrauit: ita nunc decoro poetico, quod uel plebi Romanæ, propter frequentes Comœdiarum & tragœdiarum actiones, notiſſimum erat, philoſophicum decorum euidentius facere ſtudet.*

Poeticum decorum.

Quod quaque perſona dignum eſt.) *Scilicet, ratione autoritatis uel poetarum ueterum, uel hiſtoricorum. Deinde non tantum natura cuiuſq; peculiaris: ſed etiam ætas, conditio, patria, & id genus alia conſiderantur.*

Quaque perſona.) *id eſt, cum id quod natura, ætate, moribus, ingenio, fortunaq; cuiuſq; dignum eſt, & fit, & dicitur. ut apud Horatium:*

Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto,

Gaudet

Gaudet equis, canibusq́; , & aprici gramine campi,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris.

Hoc adoleſcentiæ decorum obſeruant Comici, & cæteri etiam poetæ: non quòd adoleſcentes tales eſſe debeant, luxuriaq́; diffluere (nihil enim minus eos decet) ſed quòd plerìq; ad eum modum ſe gerunt, & , ut Comicus adoleſcens ait, uulgò ſic faciunt. De conditione autem & uitæ genere, elegans extat Ouidij diſtichon:

Dum fallax ſeruus, durus pater, improba lena
Vixerit, & meretrix blanda: Menandros erit.

Omnino autem hæc perſonarum & naturarum uarietas, quæ de hîc agitur, ſi adoleſcentes propter imperitiam rerum minus è uita quotidiana intelligunt: ſaltem è Comœdijs & Tragœdijs iudicabũt, aliorumq́; poetarum ſcriptis. Quid enim diſſimilius Pamphilo & Carino? quid Demea & Mitione? quid Turno & Aenea?

Oderint dum metuãt.) *Tyrannica uox, hominũ populi exiſtimationẽ de ſeſe contemnentium.*

Natis pulchro.) *Fabula ſiue hiſtoria de Thyeſte, qui ſtuprata Aerope uxore fratris Atrei, has pœnas dedit, ut Tantalum & Clyſthenem filios ex eo adulterio conceptos deuoraret inſcius, ſatis nota eſt: & extat eius argumenti Tragœdia Senecæ.*

Atreo dicente.) *Hunc Plato quaſi ἀτηρὸν, aut ἄτρεστον, ab immanitate naturæ dictum putat: quod nullam noxam, nullum facinus reformidaret.*

CICERO.

Sed poetæ, quid quenque deceat, ex perſona iudicabunt. Nobis autem perſonam impoſuit ipſa Natura, magna cum excellentia præſtantiaq́ animantium reliquarum. Quocirca poetæ in magna uarietate perſonarum, etiam uitioſis quid conueniat, & quid deceat, uidebunt.

Sed poetæ quid.) *Contentione contrariorum, poeticum decorum declarauit: nunc κατ' ἀποδίωξιν, ad philoſophicum decorum redit.*

Ipſa natura.) *Id eſt, Deus: qui diſcrimen eſſe uoluit inter humanam & belluinam uitam. Si natura perſonam hanc impoſuit, non ab opinionibus pendet doctrina de moribus. Naturæ autem uis atq; imperium, tum ex forma figuraq́; corporis, tum uerò ex animi dexteritate & facultate ſermonis perſpicitur. Quæ ſuperuacaneæ quidem eſſent, ſi nos uentri obedientes Natura finxiſſet, & ad paſtum ut cæteras animantes abieciſſet.*

Cum excellentia animantium.) *Id eſt, ut magnopere excellamus animantes reliquas. Loquitur enim non de præſtantia quæ in pecudibus ſit: ſed de præſtantia hominum, poſita (quod & ſæpè dictum eſt, & inculcari ſatis non poteſt) cùm in erecto ſtatu figuraq́; corporis, armata manibus, tum in rationis & orationis uſu legitimo.*

Quocirca poetæ in magna.) *Hoc ipſum ſequuntur poetæ, quod poſt dicit, Admodum tuenda eſſe ſua cuiq;, & propria: omiſſa tamen appendice Ciceronis,* NON VITIOSA.

CICERO.

Nobis autem cum à natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, uerecundiæ partes datæ ſint: cum'qꝫ eadem Natura doceat, non negligere, quemadmodum nos aduerſus homines geramus: efficitur, ut & illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet, decorum, quàm latè fuſum ſit, appareat, & hoc quod ſpectatur in unoquoque genere uirtutis.

Nobis autem cum à natura.) *Diſcrimen poetici & philoſophici ſiue humani decori. Poetæ hominem ab homine, Natura hominem à pecude & fera diſtinguit.*

Conſtantia, Leuitas.

Conſtantiæ.) *Hanc aliàs Fortitudini tribuit, quæ Græcis ἀταραξία eſt. Hîc opponitur Leuitati, & ſubitis ac non neceſſarÿs mutationibus. Pendet autem, ut ſæpè dictum eſt, à firmo rectæ rationis iudicio conſtantia, ut Leuitas ab affectuum importunitate.*

Perſonarum uarietas.

Verecundiæ partes.) *Alludit ad actionem Tragœdiarum & Comœdiarum, in quibus eæ perſonæ deligendæ ſunt, quæ natura ſimilitudinem quãdam habent cum ÿs quæ à poeta deſcribuntur. Malè aget perſonam Demeæ homo lenis, urbanus, facetus: malè item Mitionis, homo ruſticus, aſper, moroſus.*

Naturæ poſtulatio.

Sententia eſt, naturam ipſam poſtulare, ut homines ſint conſtantes, hoc eſt rationi pareant: moderati, quia immoderata & dedecent & nocent: temperantes, ut abſtineant turpibus & noxÿs uoluptatibus: uerecundi, ut ea etiam quæ naturæ neceſſitas exigit, ita fiant, ut aliorum caueatur offenſio.

Non negligère, quemadmodum.) *Sententia eſt, primùm, aliter uiuendum eſſe in cœtu hominum, quàm uiueremus ſoli. In ſolitudine enim multa, natura non repugnante, licent, quæ apud alios indecora ſunt. Cautionis huius diligentia fructũ illum etiã gignit, ut homines de nobis bene & exiſtimẽt & loquantur. Deinde facilè intelligi quid ſit decorũ, aut deceat, cum ea cognitio non tam ab arte pendeat, quàm à natura. Pertinet hæc ſententia ad tollendam omnem excuſationem, ſi quis indecorè ſe geſſerit. Vt enim (inquit) alio magiſtro non ſis uſus, at ipſam naturam magiſtram habuiſti.*

CICERO.

Vt enim pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipſo quòd inter ſe omnes partes cum lepôre quodam conſentiunt: ſic hoc decorum quod elucet in uita, mouet approbationem co-

nem eorum, quibus cum uiuitur, ordine & conſtantia & moderatione dictorum omnium atq; factorum.

Vt enim pulchritudo.) *Rem obſcuram & latentem iterum declarat, aperta & euidenti.*

Approbationem.) *Et quæ hanc ſequitur, prædicationem & gloriam.*

CICERO.

Adhibenda eſt igitur quædam reuerentia aduerſus homines, & optimi cuiuſq;, & reliquorum.

Adhibenda eſt igitur.) *Paulò antè dixit, non negligendum eſſe, quemadmodum nos aduerſus homines geramus. Nunc idem repetit: ac ſubindicat, Modeſtiam & uerecundiam, ut & iuſticiam, potiſſimùm pertinere ad conſociationem ciuilem. Nam in ſolitudine, utraque hac uirtute non adeò eſt opus.*

Aduerſus homines & optimi cuiuſq;.) *Pro, & optimum quenque, & reliquos. Sed Cicero maluit iudicium aurium, quàm regulas conſtructionis ſequi.* Reliquorum, *ſonantius eſt quàm Reliquos. Licet etiam, omiſſa præpoſitione* Aduerſus, *uerba ſic ordinare: Adhibenda eſt reuerentia & optimi cuiuſq; & reliquorum. id eſt, optimus quiſq; uereundus nobis eſt.*

CICERO.

Nam negligere quid † de ſe quiſq; ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti.

† *V. L. de te, fortaſſe.*

Nam negligere quid.) *Præceptum antitheſi illuſtrat.*

De ſe quiſq;.) *Pro, de ipſo: reciprocum loco, alterius pronominis. Sententia plana eſt: negligere quid alij de nobis ſentiant, eſſe arrogantiæ.*

Quiſq; ſentiat.) *Animo bene cõſcio falſa & peruerſa uulgi iudicia cõtemnenda ſunt: qui alioqui nunquàm tranquillus erit, propter multorum ſtulticiam & maledicendi libidinem. Huc pertinet Iſocraticum illud:* μικροψυχίαν εἶναι, τὸ τῶν βλασφημούντων καὶ φλυαρούντων, καὶ τῶν πειθομένων τούτοις φροντίζειν, ἄλλως τε ὅταν καὶ μηδὲν σαυτῷ συνίδῃς ἐξαμαρτάνων. *hoc eſt: Puſilli eſſe animi, maledicos & nugatores, & eos qui illis aures præbent, curare, præſertim ſi tibi ſis nullius delicti conſcius. Sed hoc uult Cicero, iuſtam infamiam, quæ turpitudinem uitæ ſequitur, uitandam eſſe: & in rebus etiam per ſe nec bonis nec malis, quæ* ἀδιάφορα ἢ οὐδέτερα *Græci dicunt,* νόμῳ καὶ χώρᾳ καὶ καιρῷ *ſeruiendum. In quam ſententiam Iſocrates eadem oratione Philippica ſcribit:* χρὴ μὴ καταφρονεῖν τοῦ πλήθους, μηδὲ περὶ μικρὸν ἡγεῖσθαι τὸ παρὰ πᾶσιν εὐδοκιμεῖν: *Non (inquit) contemnendus eſt populus, nec parui æſtimandum, laudari ab omnibus.* Cum bona conſcientia bonam etiã famam pro uirili eſſe cõ inquirendam.

Omnino

Arrogantiæ fomenta.

Omnino diſſoluti.) *Arrogantē eum appellat, qui ſuo unius iudicio fretus, cæteros omnes ſtipites, non homines indicat. Rara eſt talis excellentia, ideoq́; uitanda hæc arrogantia: in quam ij pleriq; incidunt, qui aut inter aſſentatores educati, aut tantum cum uulgo hominum uerſati ſunt, aut in Muſæis inter libros delituerunt.*

Diſſoluti.

Diſſoluti autem dicuntur ij, qui in diem uiuunt, nec ſua nec aliena curantes, ſed uelut ueterno quodam torpeſcentes. Metaphora ſumpta eſt à diſcinctis: Græci ἐκνενευρισμένους καὶ ἐκλελυμένους uocant, quaſi eneruatos, & uel morbo uel fatigatione omnibus membris captos atq; debiles. His contrarij ſunt ij, qui animum tanquam arcum ad omnes rei benè gerendæ occaſiones intentum habent.

CICERO.

Eſt autem quod differat † in hominum ratione habenda inter iuſticiam & uerecundiam. Iuſticiæ partes ſunt, non uiolare homines: uerecundiæ, non offendere: in quo maximè perſpicitur uis decori.

V. L. in omni ratione.

Eſt autem quod differat.) *Differentia iuſticiæ & modeſtiæ. hæc enim nec ad ipſius hominis animum, nec ad contractus, ſed ad conſuetudinem & conuictum aliorum refertur.*

In omni ratione habenda.) *Id eſt, quotieſcunq; officia iuſticiæ & uerecundiæ conſiderantur, diſcrimen hoc tenendum eſt. Petri Balduini editio habet,* In hominum ratione habenda: *id eſt, ſi conſiderentur hæ uirtutes, non quatenus habitus animorum ſunt, ſed quatenus ad conſuetudinem aliorum referuntur.*

Non uiolare.) *Id eſt, uim & iniuriam facere, pulſare corpus, contaminare pudicitiam, eripere pecuniam & opes, obtrectare famæ, inſidiari honori, obſtare commodis. Græcè, βιάζεσθαι καὶ ἀδικεῖν.*

Non offendere) *Id eſt, mouere nauſeam aut faſtidium, facere & dicere quod alijs aut diſpliceat, etſi neq; corpori neq; fortunis incommodet: aut quod exemplo noceat, cuiuſmodi ſunt obſcœni geſtus & ſermones. Quæ cauſa fuit, ut & pictorum & poetarum licentia Platoni etiam cohercenda legibus uideretur.*

Poeſis. Pictura.

In quo maximè.) *ſcilicet, in hominibus non offendendis. Vt quiſq; minimè offendit alios, ita maximè decorum tuetur: quod, ut antè dixit, in Modeſtia & uerecundia potiſſimum cernitur.*

CICERO.

His igitur expoſitis, quale ſit id quod decere dicimus, intellectum puto. Officium autem quod ab eo ducitur, hanc primùm habet uiam, quæ deducit ad conuenientiã conſer-

conſeruationemq́ꝫ naturæ : quam ſi ſequemur ducem, nunquam aberrabimus, ſequemurq́ꝫ & id quod acutum & perſpicax natura eſt, & id quod ad hominum ſocietatem accommodatum, & id quod uehemens atque forte.

Officium autem quod ab eo.) *Id eſt, decorum poſitum eſt in obſeruatione iudicij à natura inſiti.*

Quam ſi ſequemur ducem.) *Hyperbolicum hoc eſt, ſi Theologicam potius autoritatẽ, quàm Stoicam magniloquentiam ſpectemus: & nimis auget corruptæ naturæ dignitatem, cui tamen & D. Paulus plurimum tribuit, cum ait,* οἱ ἄνθρωποι τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχουσιν*: Item,* ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις*: Itẽ,* τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. *Hæ ſententiæ multũ humanæ naturæ tribuunt, non tantũ in iudicio rerum honeſtarum & turpium, ſed etiam craſſam quandam & inuolutam Dei cognitionem non omnino adimunt. Quo maior ſtupor noſter eſt, ſi accedente diuina illuſtratione ad ipſius naturæ uim, tamen in luce (quod aiunt) caligamus, Deumq́ue nec agnoſcimus, nec ueneramur: ſed alias nugas agimus, diuino cultu, in quo æterna poſita ſalus eſt, & tam huius quàm futuræ uitæ felicitas, neglecto. Non ignoro, de natura & Deo diſſerere longè aliter quoſdam, ſi non re ipſa, nomine certè quidem philoſophos: quorum opinionem in libello de Senectute expoſuimus.*

Naturæ nimium tribuere philoſophos.

Neglectus ueræ pietatis.

Sequemurq́ꝫ & id.) *Significat, naturam humanam poſitam eſſe in quatuor illis, de quibus hic agitur, uirtutibus: hoc eſt, eum demum eſſe hominem, qui ſit prudens, iuſtus, magnanimus, temperans. Vnde etiam Menander:*

Eſſe hominẽ, magna res eſt.

Ὡς χαρίεν ἐστ' ἄνθρωπος, ἂν ἄνθρωπος ᾖ.

Antitheſis non obſcura eſt, eum qui talis non ſit, non eſſe hominem, ſed κάθαρμα καὶ περίψημα*: hoc eſt, ſordes & quiſquilias: ut Cynicus ille appellabat uulgus hominum, cum accenſa in meridie lucerna, quæreret hominem.*

CICERO.

Sed maxima uis decori in hac ineſt parte, de qua diſputamus. Neq́ꝫ enim ſolum corporis, qui ad naturam apti ſunt: ſed multò etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati ſunt.

Neq́ꝫ enim ſolum.) *Iterum ab animo reuocat ad corpus, uel potius à corpore ad animum. Quoties igitur formam corporis elegantem, & motus geſtusq́ꝫ decoros miramur: quanto maior ſit animi pulchritudo cogitandum eſt, qui non ſemper cum externis illis ſignis conſentit. Color autem animi*

Animorũ & corporũ pulchritudo.

eſt rationis acumen: motus interiores & geſtus decori ſunt, omnium animi partium inter ſeſe conſenſio. Quæ harmonia foris etiam in corporibus elucens, ſuauiſsimum concentum efficit: ut non oculi tantum aſpectu, ſed aures etiam ſermonibus hominum delectentur.

CICERO.

Duplex eſt enim animorum uis, atq; naturæ: una pars in APPETITV poſita eſt, quæ eſt ὁρμὴ græcè, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione, quæ docet & explanat quid faciendum fugiendumq́; ſit.

λόγος. ὁρμὴ.

Duplex eſt enim uis.) *Natura ducem ſequi iuſsit, eamq́; in quatuor uirtutibus poſitam eſſe dixit. Sed nunc paulo apertius declarat, partitione uirium animi adhibita: eaq́;, more Stoico, bimembri, cum apud Platonẽ & alios trimembris ſit. Sed ὁρμὴ ſubdiuiditur in θυμοειδὲς & ἐπιθυμητικὸν: quæ, ut & τὸ φυτικὸν, homini cum brutis communia ſunt, cum eius proprium ſit ὁ λόγος, ἤτοι τὸ ἡγεμονικὸν.*

Philoſophia mouet quidẽ ſed parũ promouet.

Huc & illuc rapit.) *Ergo, quod ſæpè iam dixi, affectuum nulla eſt conſtantia, nulla tranquillitas: ſed ſumma leuitas, perpetuæq́; tempeſtates: quas philoſophiæ præcepta ſiſtere & ſedare, aut ſaltem minuere conãtur. Qui ſi rerum ſuarum ſatagunt, ſi mouent quidem, ſed parum promouent, quis mirtur? cum ne Theologiæ quidem meſsis, apud uulgus hominũ, ſementi reſpondeat.*

CICERO.

Ita ſit, ut Ratio præſit, Appetitus obtemperet.

Ratio præſit: appetitus obtemperet.

Ita fit ut ratio.) *Vtinam uerò ita fieret: ſic certè quidem ipſius Naturæ ordine ac diuinæ maieſtatis imperio fieri debet, ut meliori deterior, & minus intelligentes prudentioribus obtemperent. Certè ſi rectè facies, (ait Caino Dominus) litabis: ſi nõ rectè facies,* NOXA *pro foribus cubat, eaq́; à te pendebit, & tu ei imperabis.*

Animi functiones certis corporis partibus attributæ.

RATIO PRAESIT.) *Vnde τὸ ἡγεμονικὸν, quod dux & imperatrix ſit, appellatur, & in capite ſedem habere putatur: cum iraſcendi uis cordi, appetendi uerò iecori tribuatur. Etſi hæc quoq;, ut alia, magnis philoſophorũ diſſenſionibus in dubiũ uocantur: & Sacræ literæ cordi plerunq; cupiditates adſcribunt, eidemq́; ueteres Sapientiam attribuerunt. Quid alijs uſuueniat, ignoro: ego certè non hepar, ſed cor in affectibus moueri ſentio. ut ſuſpicer, appetitum iecoris eſſe φυτικὸν tantũ, non etiam ψυχικόν: hoc eſt, non ad animorum referri motus, ſed ad alendi creſcendiq́; uim pertinere, quæ cõmunis eſt nõ tantum pecudibus, ſed etiã ſtirpibus & plantis. Vtcunq; ſit, hæc uerba literis aureis, ſi fieri poſsit, omniũ frontibus inſcribenda, & perpetuò intuenda eſſent:*

Præcepta rationis, præſertim diuini tus illuſtratę præclara.

animis certè infigẽda, & ſemper in prõptu habenda ſunt: RATIO PRAESIT, APPETITVS OBTEMPERET. *Quid autem præcipiet ratio? Omnia quæ & Deo grata, & hominibus ſalutaria, & tibi glorioſa erũt: eaq́; ſumma.*

ſumma ui perſequetur appetitus, contraq́; uitabit & refugiet turpes uoluptates, iniuſtam iram, degenerem metum, uanam ſpem, inutilem ſolicitudinem, triſticiam pernicioſam. Neq; uerò neceſſarias moleſtias, labores, dolores propter honeſtatem tuendam reformidabit: rebusq́; iucundis atq; utilibus moderatè, & ad Naturæ præſcriptum, ſaluis & diuinis & humanis legibus, fruetur. Quæ omnia, & longè plura, paucis his uerbis dextrè intellectis, comprehenduntur. Neq; uelim hic admiſceri diſputationes Theologicas. Nos de ciuili uita hic loquimur potiſſimũ, nõ de agnitione ſui & uero Dei cultu. Quod ſi corrupta Ratio, ut in exemplis ueterum cernimus, hæc utcunq; præſtare poteſt: quid eſt à ratione regenerata & ſpiritu ſancto prædita expectandũ? Nonne multi & plura & maiora & meliora, quàm plerìq; præſtamus?

CICERO.

Omnis autem actio uacare debet temeritate ac negligentia: nec uerò agere quicquã, cuius non poſsit cauſam probabilem reddere. Hæc eſt enim ferè deſcriptio officij.

Omnis autem actio.) *Hoc uerò fieri non poterit, ſi affectus præſit, ratio autem obtemperet. Temeritas aliàs ἀβουλία eſt, cum in conſiliũ ratio non adhibetur: aliàs προπέτεια, quãdo affectus impetu quodam erumpunt. Quanquam cognata ſunt hæc, & id efficiunt, ut neq; quid, neq; quomodo, neq; cur aliquid facturi ſimus, conſideremus. Negligentia uerò, etiamſi in ipſa quoque temeritate ineſt: tamen in ijs quæ deliberata fuerint, non alacriter perſequendis potiſſimùm cernitur. Vtrunq; uitium adoleſcentiæ familiare, nec conſiliũ & præmeditationem in aggrediendo, nec in exequendo officij munere curam & diligentiam adhibenti.* Temeritas, ἀβουλία, προπέτεια. Negligentia, ὀλιγωρία, ἀμέλεια.

Nec uerò agere quicquam.) *Dura ταυτολογία fuerit, & Atticiſmus inſolens. Actio nõ debet agere quicquam. Accipiatur ergo, ſi placet, ἐλλειπτικῶς, Homo non debet agere quicquam: aut κατ' ἐναλλαγὴν, Non debet agi quicquam, cuius non poſſit cauſa probabilis reddi.*

CICERO.

Efficiendum autem eſt, ut appetitus rationi obediant, eamq́ neq; præcurrant propter temeritatẽ, nec propter pigriciam aut ignauiam deſerant: ſintq́ tranquilli, atque omni animi perturbatione careant. Ex quo elucebit omnis conſtantia, omniſq́ moderatio.

Efficiendum autem eſt.) *Repetit quod ſuprà dixit, rationem præeſſe, appetitum obtemperare debere. Quomodo autem hoc efficiendũ eſt? Primùm liberali doctrina excolendum eſt ingenium, excitandaq́; animaduerſio & diligentia, quæ plurimum in uitijs emendandis ualet: deinde ſeuera diſciplina, & bona exempla, (quorum, prò dolor, magna penuria eſt: peſſimorum uerò* Diligentia. Diſciplina. Exempla.

infinitus aceruus) plurimum ad hanc rem faciunt. De pŷs precibus ſacraſque lectione hic nihil dico, Solonem imitatus: qui parricidio nullam pœnam conſtituerat, quòd neminem tam immane facinus perpetraturum putarat. Perſuaſum enim habeo, neminem Chriſtianum non modò uirum, ſed nec adoleſcentem, nec puerum eſſe, qui hæc non ſæpius & domi & pro concione & in ſcholis audierit, perpetuoq; faciat.

Mora. Neq; præcurrant propter temeritatem.) *Vitandā eſſe monet* ὑποβολὴν, *& frænandum animi impetum, ac interponendam moram, adhibendamq; deliberationem: ut & Iſocrates iubet,* βουλεύεσθαι βραδέως.

Maturatio. Neq; deſerant propter ignauiam.) *Etiam* ἔλλειψιν *cauendam eſſe monet: ut & Iſocrates præcipit,* ἐπιτελεῖν ταχέως τὰ δόξαντα. *Vnde Saluſtius: Antequam incipias, conſulto: ubi conſulueris, maturè facto eſt opus. Vitium hoc ignauæ ceſſationis, imbecillæ ſenectutis eſt aut alioqui frigidæ naturæ καὶ κακοχύμου.*

ἀπάθεια καὶ μετριοπάθεια. Sint tranquilli.) *Sic ordinanda uerba cenſeo: Animi ſint tranquilli, atq; omni perturbatione careant. Qui enim ſenſus erit, ſi ſic uerba iungas: Appetitus ſint tranquilli, & ŷdem careant omni perturbatione animi? Niſi appetitus careant animi perturbatione, pro, non perturbent animum, accipias. Sed & hæc dura locutio fuerit, atq; inſolens. Præcipitur autem hic aut* ἀπάθεια *Stoica, (quam quidem uerba, Careant animi perturbatione omni, deſignant) & fruſtrà quidem, cum naturæ humanæ repugnet, quæ, quicquid agas, pro uarietate rerum non uariè moueri non poteſt: aut* μετριοπάθεια *Peripatetica (quam uerba de appetitu, rationem neq; præcurrente neq; deſerente, innuunt) naturæ conſentanea. Nam perturbatio animi, id eſt, turbulenta concitatio, & commotio uehemens, prouidentia & aſſuefactione diuturna caueri, aut ſaltem leniri poteſt.*

Appetitionū obedientia pulcherrima. Ex quo elucebit.) *Commendatio huius præcepti ab effectu. Rationis (inquit) dominatus, & appetitionum obedientia parit conſtantiam, homine maximè dignam, ut ne mutetur in horas, ne chamæleontem agat: parit dictorum factorumq; omnium pulcherrimam ſuauiſſimamq; moderationem.*

CICERO.

Nam qui appetitus longius euagantur, & tanquam exultantes ſiue cupiendo ſiue fugiendo non ſatis à ratione retinentur: hi ſine dubio finem & modum tranſeunt. Relinquunt enim & abŷciunt obedientiam, nec rationi parent, cui ſunt ſubiecti lege Naturæ. A' quibus non modò animi perturbantur, ſed etiam corpora. Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum qui aut libidine aliqua, aut metu cōmoti ſunt, aut uoluptate nimia geſtiunt. Quorū

omnium

omnium uultus, uoces, motus, ſtatuſq; mutantur.

Nam qui appetitus.) *Antitheſi præceptum illuſtrat, & quaſi impietatis aut ſeditionis accuſat eos qui rationis iudicio non obtemperent. Sic medicus quidam, eos ſibi ipſis conſciſcere necem, & homicidij reos eſſe, non minus grauiter quàm uerè dicit, qui aut inguinis & gulæ intemperantia, aut immodicis uigilijs ac laboribus (nam & in hanc partem, etſi rarius, nec ferè ab iiſdem peccatur) ualetudine læſa, immaturum ſibi obitum accerſant.*

Rationi qui non obedit, ſeditionis reus.

Non ſatis à ratione.) *Alludit, opinor, ad Platonicum figmentum, ubi Ratio aurigæ & gubernatori, appetitus uerò equis & remigibus comparantur. Talis eſt & Virgilij allegoria, cum ſcribit:*

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Et Iſocrates noſter: ὅταν, *inquit*, ὁ νοῦς ὑπ' οἴνου διαφθαρῇ, ταὐτὰ πάσχει τοῖς ἅρμασι, τοῖς τοὺς ἡνιόχους ἐκβάλλουσιν.

Ratio auriga. Appetitus equi. Homo currus.

A' quibus non modò.) *Effectus contumaciæ deſcribitur, adhibita* ὑποτυπώσει, *quo magis ab iſta peruerſitate & fœditate deterreat.*

Licet ora ipſa.) *Talis deſcribitur ab Homero:*

ἥρως ἀτρείδης, εὐρυκρείων ἀγαμέμνων,
ἀχνύμενος, μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
πίμπλαντ', ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐίκτην.

Heros Atrides latè imperitans Agamemnon,
Concitus incenſo circum præcordia felle:
Sanguinea ora tument, radiantia lumina flammant.

CICERO.

Ex quibus illud intelligitur, (ut ad officij formam reuertamur) appetitus omnes contrahendos, ſedandoſq; eſſe: excitandamq; animaduerſionem & diligentiam, ut ne quid temerè ac fortuitò, inconſideratè negligenterq; agamus.

Ex quibus illud intelligitur.) *Vtiliſsima* παραίνεσις *Epilogi uice, de imperio rationis, & affectuum obedientia: quæ quomodo paranda ſit, paulò antè diximus.*

Excitandaq; animaduerſio & diligentia.) *Hæc cùm in omni ætate, tum in adoleſcentia ualet plurimum: & ut officio fungitur, ſic omnem reprehenſionem cauet. Quòd ſi, ut fit, ipſi noſtra uitia non animaduertimus: aut acribus inimicis, aut candidis amicis eſt opus, qui nos depingant noſtris coloribus: id quod & ſcurræ ſæpe faciũt, ſed nõ ſine cõtumelia noſtra, atq; infamia.*

CICERO.

Neq; enim ita generati à Natura ſumus, ut ad ludum & iocũ facti eſſe uideamur: ſed ad ſeueritatem potius, & ad quædam ſtudia grauiora atq; maiora.

Neq; enim ita generati.) *Aetiologia, ſumpta à natura, hoc eſt cauſa efficiente, quæ nihil fruſtra ac temerè facit, ſed certum ſibi rebus in omnibus finem proponit. Vnde autem intelligitur, hominem ad quædam ſtudia grauiora eſſe conditum? Ex inſtrumentis, quibus & animus & corpus eius adornata ſunt. Qua de re præclarè philoſophatur Ouidius primo Metamorphoſeon, cum ueluti Moſis diſcipulus, cuius autoritatem tamen poeticis fabulis quaſi diluit, ſic ſcribit:*

Finis hominis unde cognoſcendus.

Sanctius his animal, mentiſq; capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.
Natus homo eſt: ſiue hunc diuino ſemine fecit
Ille opifex rerum, Mundi melioris origo:
Siue recens tellus, ſed ucta[q]; nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat ſemina cœli:
Quam ſatus Iapeto, miſtam fluuialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terras:
Os homini ſublime dedit, cœlumq; uidere
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere uultus.

Hos uerſus perpetua memoria dignos, in medium afferre non piguit. Deinde uni homini Deus manus dedit, haud dubiè propter uaria ſubtilia artificia, quibus beſtiæ carent. Vnde mihi moroſi nimium, ne dicam inepti uidentur, qui elegantiores artes ut ſuperuacaneas, aut certè minus neceſſarias accuſantes, nos ad ueterem illam primorum hominum horridam & inopem uitam reuocant. Neq; uerò ego luxum & auariciam probo: ſed hoc dico, quid agerent homines urbani, quorum haud ferè minor eſt quàm agricolarum numerus, occupationibus iſtis ſublatis? Nam perpaucis, inter eos etiam qui ruri degunt, agri ſunt quos colant. Et ſic etiam tanta eſt (in Germania certè quidem noſtra) hominum multitudo, ut miſerrima inopiæ remedia, bella, peſtilentiæ, diluuia, cædes, & diuerſa exitiorum genera propè neceſſaria eſſe pleriſq; uideantur. Deniq; ſi tantum in comparando uictu & amictu (quem Deus, ſi uellet, longè pluribus ſuppeditare facile poſſet) uerſari uoluiſſet hominem: mente & ratione quorſum fuiſſet opus? Nam cæteræ quoq; animantes, ſenſuum duntaxat miniſterio, nulla, aut certè pertenui ratione ſe & à fame & à frigore defendunt, minus fortaſſe commodè quàm homo: ſed defendunt tamen. Apparet igitur ex his facultatibus, & conſtitutione corporis atque animi, hominem conditum eſſe ad Deum agnoſcendum & colendum, & ad conſociationem ciuilem, ad eaſq; & artes & uirtutes exercendas, ſine quibus ea conſociatio conſtare nequit. Nam Moſes cum ſcribit, homini in ſudore uultus ueſcendum pane ſuo: & cum puluis ſit, in puluerem reuerſurum eſſe: non de fine proprio hominis loquitur, (qui eſt, eſſe cõditum ad imaginem Dei) ſed de pœna peccati. Quæ quidem in eo grauiſsima eſt, quod Naturæ noſtræ finem aut non intelligimus, aut ocioſè negligimus: quod IESVM CHRISTVM

Subtiliora artificia ſuũ habere in Reip. locum.

Rationis uſus corpori quàm neceſſarius.

Panis in ſudore uultus.

Pœna grauiſsima ignoratio ueri finis.

STVM *inſtauratorem & aſſertorem humani generis nec agnoſcimus, nec grati animi obedientia ueneramur.*

Vt ad ludum) *In qua opinione ſunt Epicurei. Plerosq; aũt Epicureos facit opũ abundantia, ignauũ & luxurioſum ociũ, ambitio & auaricia inexplebilis, aſſentatio pſeudophiloſophorũ, perpetui ſucceſſus. Hinc illud celebratur:*

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Vnde cõcluditur. ſi nos Dei ludibria ſumus, cur uerò ſtrenuè nõ ludamus? Hinc celebre illud Sardanapali epitaphiũ: Ede, bibe, lude, poſt morẽ nulla uoluptas. quod in uiuentium pectoribus plurimorum utinam inciſum non eſſet.

Ad quædã ſtudia grauiora.) *Hæc cuiuſmodi ſint, modò in genere expoſitum eſt. Rectè autẽ dictũ illud celebratur: Deũ et naturã nihil fruſtra facere.*

CICERO.

Ludo autem & ioco, uti illis quidem licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris, tum cum grauibus ſeriisq́ rebus ſatisfecerimus. Ipſumq́ genus iocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet. Vt enim pueris nõ omnem ludendi licentiam damus, ſed eam quæ † ab honeſtatis actionibus nõ ſit aliena: ſic in ipſo ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat.

V. L. ab honeſtis actionibus.

Ludo autem & ioco.) *Cum Modeſtiæ ſiue Temperãtiæ præcipuũ munus in appetitu uoluptatum moderando uerſetur, principiò de ludo & ioco præcipit. Ariſtoteles τὴν σωφροσύνην καὶ ἐγκράτειαν potiſſimum occupatam eſſe dicit περὶ γεῦσιν καὶ ἁφὴν, quòd reliqui ſenſus, oculorum, aurium & narium, minus obnoxii ſint turpitudini. Eſt tamen in illis etiam ſeruandus modus. Nam qui perpetuò delibutus unguẽtis incedit, aut in arborum umbris & florum odoribus atq; Adonidis hortis deſidet: qui ſpectandis elegantibus formis impenſe delectatur: qui rebus iucundis illis quidem, ſed tamen ſuperuacaneis audiendis, neglecto præſertim officio, uacat: in uitio eſt, & iure uituperatur: eoq; magis, quod huiuſmodi ſtudia, maxima ſunt peccandi illecebra. Mirum autem eſt, Ciceronem, cum Stoicos ſequatur, homines doctrina tetricos, an uita etiam neſcio: tamen aliquid uoluptati conceſſiſſe, quàm aliàs omnino repudiare & conculcare ſolet: ut & ipſum, & magiſtros eius Stoicos, interdum Naturæ bonitate, uoluptatem neq; malam per ſe, neq; ſuperuacaneam iudicantes, uinci appareat.* Non modò palato & inguine, ſed & naribus & oculis & auribus peccari.

Cum grauibus ſeriisq́ rebus.) *Primùm concedit ludum & iocum, deinde tempus præfinit, tertio loco præſcribit modum: Tũ demum (inquit ludendum & iocandũ eſt, cum ſatis factum officio fuerit. Deinde modus eſt in ea reſeruandus. Quod præceptum nota ſimilitudine illuſtratur, in qua obſeruari debet, appetitum puero, rationem ſeni aut pædagogo comparari.* Appetitus puer, Ratio pædagogus.

Non

Non profuſum, nec immodeſtum.) *Paulò pòſt dicit, ut ne nimis omnia profundamus. Profuſio igitur hæc intelligenda eſt, non de iactura pecuniæ, & alea, quauis (ut Eraſmus ait) Malea periculoſiore, quæ & ipſa uitanda eſt. ſed de immoderato impetu animi.*

Sed ingenuum & facetum.) *Hac de re conſulatur Cicero, libro de Oratore ſecundo.*

Puericię non nimis indulgendum.

Non omnem licentiam ludendi) *Id eſt, nec quouis tempore, nec ludum quemuis eis concedimus. Admonentur hic parentes & præceptores ſui muneris, ne indulgentia corrumpi ſuos patiantur. Nam puericiæ diſciplinam tota ferè uita reliqua imitatur, &*

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu. —

Index animi oratio.

Sic in ipſo ioco.) *Cum oratio ſit index mentis, & (ut Chriſtus ait) ex abundantia cordis os loquatur: qualis fuerit animus, talis etiam erit oratio.*

Imitatio βαναύσων fugienda.

Ouidius: Pagina laſciua eſt, uita pudica mihi.

Eluceat.) *Hoc uerò non fiet, ſi ruſticorum, militum, opificum, ſcurrarum importunitatem & obſcœnitatem imiteris. Quorum hominum conſuetudo, contagionis uitandæ cauſa, quantum fieri poteſt, cauenda eſt, aut certè minimè imitanda. Sunt qui, quamuis inhoneſta ſit eorum oratio, tamen de honeſtate animi, uitæq́; integritate glorientur. Sed paucos inueniunt aſſenſores: & ut uerè hoc dicerent, tamen in eo reprehendendi eſſent, quòd & animum ſuum fœditate orationis deformant, ſuſpectumq́; reddunt, & aliorum animos atque aures offendunt. Probus animus ad omnem obſcœnitatem erubeſcit, nemini inuidet, nemini obtrectat: nihil dicit aut facit, quo quiſquam, niſi iniquus, aut lædatur aut offendatur.*

CICERO.

Duplex omnino eſt iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum. Quo genere non modò Plautus noſter, & Atticorum antiqua comœdia, ſed etiã philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt: multaq́ multorum facetè dicta, ut ea quæ à ſene Catone collecta ſunt, quæ uocant ἀποφθέγματα. Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui & illiberalis ioci. alter eſt, † ſi tempore fit, ac remiſſo animo, libero dignus: alter, ne homine quidem, ſi rerum turpitudini adhibetur uerborum obſcœnitas.

V. L. ſi tempore fiat: ut, ſi remiſſo animo homine libero dignus. alter ne libero quidem, ſi rerum turpitudini adhibeatur uerborum obſcœnitas.

Duplex

Duplex omnino eſt iocandi.) *Traduntur hîc præcepta de ea uirtute orationis, quam Ariſtoteles εὐτραπελίαν: Latini urbanitatem, ſales, lepôres appellare ſolent. Huius ὑπερβολὴ eſt βωμολοχία, id eſt ſcurrilis iocandi leuitas: ἔλλειψις nomen non habet, niſi dicatur triſtis & intempeſtiua ſeueritas, cum homo nunquam exhilaratur: qualis à Xenophonte τῶν στρυφνοτέρων ὢς, γέλωτα πολλῷ τοῦ ἀρκέσμενον ἔχων, deſcribitur: qualem poſtea Cicero Xenocratem fuiſſe dicit, de quo facetè Plato, cum ſemel aliquid paulò hilarius dixiſſet, arridentibus cæteris, Quid uerò miri (inquit) eſt, roſam inter ſpinas tandem eſſe natam? Sycophantia autem uidetur potius mendacio coniuncta eſſe, quàm huic uitio triſticiæ & importunæ ſeueritati. Talis deſcribitur in Alexandri Magni hiſtoria Medius quidam, qui ſectatores ſuos quemuis audacter mordere, id eſt deferre apud Alexandrum iubebat: quòd tametſi uulnus conſanaſſet, tamen uulneris ueſtigium cicatrix remanſura eſſet.* Medius ſycophanta.

Quo in genere.) *Præceptorũ loco exempl[a] proponit. Nam artẽ iocandi homini triſti ac ruſtico uelle tradere, quid eſt aliud, quàm aſinum fidibus canere docere? Faceti autem & feſtiui homines moneri potius poſſunt, quibus iocis abſtinendũ ſit, quàm quibus utendum. De ſuo autem iocandi genere Cicero perfacetè cum Volumnio expoſtulat, quòd parum diligenter poſſeſſio ſalinarum ſuarum ab illo procuratore defendatur. & addit: Pugna, ſi me amas, niſi acuta ἀμφιβολία, niſi elegans ὑπερβολὴ, niſi παράγραμμα, niſi bellum, niſi ridiculũ, niſi παρὰ προσδοκίαν, niſi cætera quæ ſunt à me in 2. libro de Oratore per Antonij perſonam diſputata, de ridiculis εὔτεχνα & arguta apparebunt, ut ſacramento contendas, mea non eſſe.* Ars iocandi tradita difficilis. Salinæ Ciceronianæ.

Plautus noſter.) *Miror, Terentium non prælatum eſſe Plauto, in hoc genere: cum ea ſit Terentij urbanitas, ut Plautus præ eo ſcurra potius quàm urbanus iudicari poſſit. Qua de re etiam Horatius ſcribit:*

At noſtri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere ſales: nimium patienter utrunq;.

Relinquitur omninò et Plauto ſua laus, cuius ore Muſas locutas eſſe, ueteres putarunt: ſic tamen, ut Terentius longè illi præferatur, etiam Eraſmi Roterodami iudicio: qui ut ipſe facetiſſimus fuit, ſic egregiam utriuſq; ἀντεξέτασιν inſtituit, quam Franciſcus Aſulanus in præfatione Terentiana mutuatus aut imitatus eſſe uidetur. At ſuum cuique pulchrum, ego utrunq; amo: ſed cùm in iocando, tum alijs pleriſq; rebus Terentium quàm Plautum imitari malim. πάντα γὰρ τὰ τοῦ λίβυος, ἔμοιγε δοκεῖν, εὐφυέστερά τε καὶ σεμνότερα, καὶ μεγαλοπρεπέστερα.

Atticorum antiqua comœdia.) *Qualis Eupolis atque Cratinus fuerint, ex reliquis Ariſtophanis Comœdijs facilè iudicari poteſt: quæ ut feſtiuæ ac facetæ ſint, (quis enim neget?) ita (ſi, quod ſentio, liceat dicere) plus habent obſcœnitatis & calumniarum, quàm urbanitatis. Miror & hic, nouã Atticorũ comœdiã (cuius ſcriptores celebrãtur, Diphilus, Menãder, Apollodorus, Philemõ, et alij) nõ prælatã eſſe ueteri. Sed ſuũ cuiq; iudiciũ relinquitur.* Comœdia Antiqua, Noua.

Dialogi Platonis.

Philoſophorum Socraticorum.) *Hoc ex Dialogis Platonis ſatis apparet, qui quidem ironijs & ſcommatibus ita plani ſunt, ut ſæpe ignoretur, laudet ne, an rem ſeriam agat: nec facilè quid ſentiat, conſtitui poſſit.*

Eraſmi Apophthegmata, Parabolæ, Chiliades.

ἀποφθέγματα.) *Catonis libri iacturam reſarſit Eraſmus, præclaro Apophthegmatum opere edito, quod ſtudioſis diligenter legendum eſt: ut & eiuſdem Parabolæ, & Chiliades adagiorum, & eius opera pleraq; omnia. Is enim fuit ille Batauus (utcunq; non ab omni parte beatus, ſicut nec cæteri ſcriptores tam ueteres quàm noui) quem μωμήσεταί τις ῥᾶον ἢ μιμήσεται. Cuius ego ſcripta adoleſcens tanta cum delectatione & approbatione legebam, ut in fine librorum aſcriberem:*

ἄλλοισιν ἄλλος θεῶν τε κ' ἀνθρώπων μέλει,
ἐμοὶ δ' Ἔρασμος, ὢν ἐρασμιώτατος.

Extant & aliorum Facetiæ & ioci, ſed non ubiq; adhibita diſtinctione ingenui & illiberalis ioci.

Si tempore fit.) *κατὰ καιρὸν, uel ἐγκαίρως: niſi fortè malis ἀπὸ καιροῦ, id eſt, ex tempore. Ii enim ioci maximè probantur, qui ſubitò ad rem, qua de agitur, accommodati, in medium afferuntur. Nam meditatio & tarditas in hoc genere improbatur. & uerbum ἀποφθέγγεσθαι, undè fit ἀπόφθεγμα, idem ualere uolunt, quod τὸ ἐκ τοῦ παραχρῆμα εἰπεῖν.*

Remiſſo animo.) *Id eſt, cum ſe quis iucunditati dedit, cũ res graues & ſeriæ non tractantur, ἐν ἀνέσει τῆς ψυχῆς, uel ἐν ταῖς ῥαθυμίαις καὶ ῥαστώναις. Nam ἐν γελοίῳ πράγματι σπουδάζειν, καὶ ἐν σπουδαίῳ παίζειν, ut ait Iſocrates, ἄκαιρον καὶ πανταχοῦ λυπηρόν ἐστι.*

Si rerum turpitudini.) *At quoties hoc facit Ariſtophanes, τὰ σῦκα σῦκα, καὶ σκάφην σκάφην λέγων; Non rarò etiam Plautus: ut Terentius & Virgilius illis collati, παρθενίαι dici poſſint.*

CICERO.

Ludendi etiam eſt quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus, elatiq; uoluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem & campus noſter, & ſtudia uenandi, honeſta exempla ludendi.

Ne nimis omnia profundamus.) *nimia lætitia geſtiamus, hilaritate modum excedamus, in quocunq; ludi genere, ſiue is exercitatione corporis conſtet, nullo depoſito pignore, ſiue ſponſione pecuniaria.*

Elatiq; uoluptate.) *ὑπερβολὴν uetat: ut & noſtrate prouerbio monemur, tum eſſe deſinendum, cum ludus ſit optimus.*

In aliquam turpitudinem delabamur.) *Per ſe turpe eſt in hoc genere, ſi quid nimis. Quantæ autem turpitudines conſequi ſoleant, quæ iurgia, rixæ, inimicitiæ, uulnera, cædes etiam interdum, nimis eſt notum. Sed facilimè peccatur, cum adoleſcentibus iunctæ puellæ luſitant, remotis arbitris,*

quos ue-

quos uereantur. Nam ſodales quidem mutuò conniuere ſolent.

Et campus noſter.) *Campum Martium intelligo, qui non tantum comitijs creandorum magiſtratuum, ſed etiam delectationibus ciuium ſeruiebat. Ludi autem campi Martij, erant ferè belli præludia, decurſiones equorum, quadrigarum certamina, lucta, curſus, natatio trans Tyberim, &c. Venationis etiam paſſim, apud Xenophontem præſertim, multæ commendationes extant, ut qua & corpora roborentur, & animi ad bella præparentur. Huiuſmodi exercitationibus olim Germanos quoque noſtros fuiſſe delectatos, è maioribus natu accepimus. Nunc luſtris & ganeis gaudemus, & alea, & pictis chartulis, quibus tenet inſanabile multos:*

Ludendi cacoethes, & ægro in corde ſeneſcit.

Eſt autem non minima uirtus adoleſcentis, τὸ μὴ φιλοπαίγμονα εἶν, καὶ μὴ φιλοπότην, καὶ μὴ φιλογυνῆ: *hoc eſſe, neq; luſorem eſſe, neq; potorem, neq; mulieroſum: quæ tria uitia ferè cõiunguntur, cõiunctione peſtilentiore quàm Saturni Martis & Mercurij congreſſus ſit in Cancro aut Scorpione: quem maximè exhorreſcunt Aſtrologi.*

CICERO.

Sed pertinet ad omnem officij quæſtionem, ſemper in promptu habere, quantum Natura hominis pecudibus reliquisq́ beſtijs antecedat.

Sed pertinent ad omnem officij.) κατ' ἐπιείκειαν περιπατητικὴν μᾶλλον, ἢ στωϊκὴν ἀκροτομίαν, *etiã ludũ & iocũ conceſſit: quòd natura humana perpetui laboris non ſit patiens. Rectè Poeta:*

Quod caret alterna requie, durabile non eſt:
Hæc reparat uires, feſſaq́; membra leuat.

Seueritas ioco potior.

Sed quia pleriq; (ut ait Terentius) à labore procliues ſunt ad libidinem: & in uoluptate, ludo & ioco facilè modus exceditur: in medio præceptionum, quæ ſeueritatem exigunt, conceſſionem hanc collocauit. Sunt autem hæc uerba infigenda animis, tanquã oracula, cum idem ſacræ etiã literæ præcipiant.

CICERO.

Illæ enim nihil ſentiunt niſi uoluptatem, ad eamq́ feruntur omni impetu: hominis autem MENS diſcendo alitur, & cogitando: ſemper aliquid aut inquirit, aut agit, uidendiq́ & audiendi delectatione ducitur.

Niſi uoluptatem.) *Rectè igitur & facetè Horatius:*

Me nitidum & pinguem, & benè curata cute uiſes,
Cum ridere uoles Epicuri de grege porcum.

Videre igitur, quanta ſit porcorum & reliquarum beſtiarum multitudo. Quotus enim quiſq; non ad uoluptatem fertur toto impetu, niſi cui deeſt explendæ libidinis facultas?

MENS diſcendo alitur.) *Hæc igitur ne eſuriat, ne ſame contabeſcat, cauendum.*

O` fortunatos nimium, ſua ſi bona norint, ſtudioſos adoleſcentes,

Adoleſcẽtis ſtudioſi felicitas.

qui huiuſmodi epulis quotidie reficiuntur & explentur, ut adoleſcant in uiros bonos & ſapientes, contraq; uenenata Circes pocula & pernicioſos Sirenum cantus uitent: hoc eſt, hac imbecilli & lubrica ætate curent, ne quid admittant, cuius per omnem deinceps ætatem & pudeat, & pœniteat, ὅταν οὐδ' ἐγὼ ἴσαι πλέον ἀνιωμένοις. *Quid quæſo aliud ſunt bonarum artium ſtudia, niſi paradiſus, omni deliciarum genere refertus? Hic Helicon, hic Parnaſſus, hic aurata cithara crinitus Apollo, hic Muſæ, hic Charites. Hanc ſuauitatem intelligens ille Theocriti paſtor, lætitia uelut ebrius exclamat:*

τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
ἴρηκες δ' ἴρηξιν, ἐμὶν δ' ἁ μῶσα καὶ ᾠδά.
τᾶς μοὶ πᾶς εἴη πλεῖος δόμος. οὔτε γὰρ ὕπνος,
οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις
ἄνθεα ὅσσον ἐμὶν μῶσαι φίλαι οὓς γὰρ ὁρῶσαι
γαθεῦσαι, τὼς δ' οὔτι ποτῷ δηλήσατο Κίρκα.

ξένων μετ' ὑμνωδίας.

Huius ego uoti diuina liberalitate ſum reus factus. Nam etſi domum ipſe non habeo: ea tamen domuncula quæ me habet, plena Muſarum eſt, ita ut proprè ſpacium deſit nouis libris reponendis. utinam uerò Muſæ benignis oculis me reſpicerent, meoq; conſpectu lætarentur, & à Circeis poculis me defenderent. Nam illas ego quidem ab ineunte ætate ſic amaui, & amo adhuc, ut neq; cicada cicadæ, neq; formica formicæ, neque accipiter accipitri æquè ſit charus & iucundus: ut neq; apibus flores ſint dulciores, neq; ſubitū uer, neq; ſomnus quenq; magis demulceat. Idem experiemini uos quoq;, adoleſcentes, ſuperatis paululum utriuſq; linguæ rudimentis.

Superatis rudimentis ex ſtera iucundiſsima.

Durate, & uoſmet rebus ſeruate ſecundis.

CICERO.

Quin etiam ſi quis eſt paulò ad uoluptates propenſior, modò ne ſit ex pecudum genere (ſunt enim quidam homines non re, ſed nomine) ſed ſi quis eſt paulò erectior, quamuis uoluptate capiatur, occultat & diſsimulat appetitum uoluptatis, propter uerecundiam. Ex quo intelligitur, corporis uoluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamq; cōtemni & reijci oportere: ſin ſit quiſpiam qui aliquid tribuat uoluptati, diligenter ei tenendum eſſe eius fruendæ modum.

Quin etiam ſi quis eſt paulò.) *Præceptum de uoluptate, ſi uitari non poſsit, diſsimulanda.*

Sunt

Sunt enim quidam homines.) *Interpretatur græcam uocem τῆς θηριωδίας, quam belluinam immanitatem appellare ſolent. Caueant adoleſcentes, ne & ipſi ſint ex pecudũ genere, quæ prona (ut ait Saluſtius) & uentri obedientia natura finxit. Homo, ut alio quoq; loco diximus, quatenus creſcit, edit, bibit, dormit, ambulat, cæteriſq; ſenſuũ muneribus fungitur, parum differt à beluis, atq; adeò ſtirpibus & plantis. Sed ratione uti, id demum facit hominem. Ex hoc colligi poteſt, philoſophos, hoc eſt rerum cognitioni intentos, ueros eſſe homines.*

Homo planta, beſtia, genius.

Occultat & diſsimulat uoluptatis appetitum.) *At noſtri centauri nulla re alia gloriantur. Commemorant exhauſtos cados, proſtratos Cypellomachos, expugnatam puellarum & matronarum pudicitiam, expletas omnes libidines & corporis & animi. Ea uerò facta palmaria ſibi ducunt, hunc nobilitatis & opulentiæ fructum iudicant. Hæc uiri fortis & prudentis officia eſſe cenſent. Ea demum uera & ſolida laus eſt, per ætatem feciſſe ſedulò, quicquid literæ continent: ſic enim loquuntur. A quo autem dictatæ ſunt? Ab eo ipſo, quem comprimendum eſſe & refrenandum cohercendúq; toties autor monet, turpi & belluino appetitu, aut certè à praua noſtri ſeculi conſuetudine. Quid autem literæ illæ continent? Nihil niſi ea quæ ij faciunt, qui ſunt ex pecudum genere, homines non re, ſed nomine. Quorum uos imitationem cauebitis, niſi malitis eſſe pecudes quàm homines.*

Gloriatio de turpitudine.

Occultat & diſsimulat.) *Homines cælari & decipi facilè poſſunt: ſed τὸν καρδιογνώστην θεὸν nemo quicquam aut cælat, aut decipit, ut & profanus Poeta ſentit hoc uerſu:*

πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας.

Et Iſocrates, ſuam cuique conſcientiam in turpi facinore reformidandã eſſe monet: ἂν γὰρ, inquit, τοὺς ἄλλους λάθῃς, σαυτῷ γε συνειδήσεις. Et rectè dicitur, conſcientia mille teſtes: neque ulla maior carnificina eſt animo ſibi malè conſcio.

Deus non fallitur.

Ex quo intelligitur.) *Rerum honeſtarum non pudet: uoluptatum autem cum pudeat (alioqui enim non occultarentur ac diſsimularentur) eas eſſe turpes apparet, ideoq; fugiendas.*

Voluptatis pudet.

Tenendum eſſe modum.) *De uoluptatum diſtinctione alibi dictum eſt. Hoc loco autem ſatis ſit hæc tenere, omnes turpes uoluptates uitandas eſſe. Deinde, conceſſas etiam occultandas: deniq;, modum in ijs tenendum, ad ualetudinem accommodatum.*

CICERO.

Itaque uictus cultuſq; corporis ad ualetudinem referatur, & ad uires, non ad uoluptatem.

Ad ualetudinem, & ad uires.) *Valetudinis habenda ratio eſt omnibus: uirium autem, athletis & militibus, atq; ijs qui opus faciunt. Videtur*

Valetudo, uires.

Cicero reſpexiſſe ad conſuetudinem pugilum, quibus non modò certæ exercitationes & unctiones, ſed etiam certa ciborum genera ad augendam habitudinem corporis, à laniſtis ſeu aliptis præſcribebantur. Iſocrates autem, cum eas corporis exercitationes, non quæ ad uires, ſed quæ ad ualetudinem faciant, commendat: nihil niſi athletica gymnaſia uetat. Nam cum proſpera ualetudine, uires etiam & forma augentur & conſeruantur.

γαστριμαργία κακοχυμίας μήτηρ.

Non ad uoluptatem.) *Quæ cum plus appetat atque ingurgitet, quàm natura commodè ferre poteſt: κακοχυμία corpus occupat, & membra principalia (ut ſtomachus, hepar, pulmones, cerebrum) debilitantur: unde magnum morborum pelagus tandem exiſtit, & immatura mors.*

CICERO.

Atque etiam, ſi conſiderare uolemus quæ ſit in natura excellentia & dignitas: intelligemus, quàm ſit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter uiuere: quàmq; honeſtum, parcè, continenter, ſeuerè, ſobriè.

Atq; etiam ſi conſiderare.) *Præſtantiã hominis iterum inculcat, quò magis à uoluptate, blandiſſima domina, reuocet.*

Parcè, continenter.) *Non dubium eſt, quin intemperantia cibi, potus, libidinis, non corpora tantum, ſed animi etiam corrumpantur: unde tandem ἀδόκιμος νοῦς exiſtit, ut D. Paulus appellat, cum homo ab omni pietate & honeſtate abhorrens, Epicuri de grege porcũ agit. Cuiuſmodi porcorum illa uox eſt: Cum fuero mortuus, ero mortuus: Parum ſuauitatis eſt in uita, quod ſuo quiſq; malo negligit: Naſcimur, alimur, ab elementis afficimur, corporibus conſtamus, ſeneſcimus, morimur ut beluæ, quas uno morborum numero & uarietate calamitatum ſuperamus. Quæ igitur iſta in natura eſt excellentia & dignitas? Quæ ſit rogas? An non hæc ipſa eſt, quòd porcus neq; intelligere, neque eloqui poteſt, ſe eodem modo & naſci & interire ut hominem? Quòd ſi tu homo quàm porcus eſſe malles, & relicto luti uolutabro, & ſtercoribus, ſemel cœlum ſuſpiceres iſtiuſmodi uerborum te puderet & pœniteret. Nunc te ita ſentire & loqui, adeò non eſt mirandum, ut in tantis intemperijs, aliter ſi faceres, portenti inſtar habendum eſſet. Profectò ita eſt, Fortuna quos nimium fouet, ſtultos facit: non quin illi ad explendas libidines ſuas & quos uiſum fuerit malè tractandos, ingenijs abundent: ſed quòd & Dei & ſui ipſorum cognitionem abijcere ſolent; ſe deos, Deum nihil eſſe putant: opibus inferiores pro quiſquilijs habent, & (ſi libitum eſt) conculcant. Hos ſub Dionyſij tyranni perſona egregiè deſcribit Iſocrates, & caſtigat. Breue quidem id eſt epiſtolium, ſed oraculum potius quàm epiſtolium, è quo pauca etſi ſuprà etiam deprõpta, repetere libet. οὐκ (inquit) ἤμειψας μετὰ τῆς τύχης τὴν φύσιν, Non unà cum Fortuna etiam naturam mutaſti: ἔτι τὸν θύλακον ἔχεις*

Corporis humani excellẽtia non magna.

Animi humani excellẽtia magna.

Fortunæ blãditiæ, fomenta uecordiæ.

κὀμ ἔχεις δερμάτινον, Adhuc ſaccum iſtum pelliceum habes: θνητὴν ἔχει ἐκ πρωιμίᾳ τὴν σύστασιν, Natiuitatis tuæ primordium eſt mortale: τί δῆτα τὸ κενὸν τοῦτο δοξάριον ὧδε τοσοῦτον τὸν πήλινον ἀσκὸν διεφύσησε; Quid ergo inanis iſta gloriola fictilem utrem tantopere inflauit? μεγάλης ἀνοίας γὰρ φορέθης ὦ δύστηνε, Ingenti amentia repletus es, ó infelix: τῆς φύσεως τὴν γνῶσιν ἀφῄρησαι, Naturæ tuæ cognitio tibi erepta eſt. Tribuit iíſdem μετέωρα τῆς τύχης κινήματα, ambiguas fortunæ uices: ψευδῆ εὐδαιμονίαν, falſam felicitatem: δραπέτιν τύχην καὶ ἀγνώμονα, Fortunam fugitiuam & perfidam. Cogitent hæc ſobrij, & ſanabiles: quæ non inſectandi cuiuſquam, ſed admonendi omnium cauſa denuò ſcripſimus: non motura omnes, ſed paucos, eosq; potiſſimùm οἷς τὰ παθήματα μαθήματα γέγονεν. etſi rectè is dicitur

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

CICERO.

Intelligendum etiam eſt, duabus quaſi nos à Natura indutos eſſe perſonis: quarum una communis eſt, ex eo quòd omnes participes ſumus rationis, præſtantiæq́ eius qua antecellimus beſtijs: à qua omne honeſtum decorumq́ naſcitur, & ex qua ratio inueniendi officij exquiritur. Altera autem, quæ propriè ſingulis eſt tributa. ut enim in corporibus magnæ diſsimilitudines ſunt (alios enim uidemus uelocitate ad curſum, alios uiribus ad luctandum ualere: item'que in formis, alijs dignitatem ineſſe, alijs uenuſtatem) ſic in animis exiſtunt maiores etiam uarietates.

Intelligendum eſt etiam, duabus.) *Suprà locutus eſt de poetico decoro, illuſtrandæ rei propoſitæ gratia, ad quod nunc denuò alludit. Notum enim eſt, hiſtriones ſeu ludiones perſonatos ſcenam ingreſſos eſſe, ne agnoſcerentur: ſed ut ij eſſe uiderentur, quos poeta dicentes introducebat. Qui igitur hiſtrio perſonam Regis ſuſtinebat, eum regaliter & loqui & facere omnia, non ſuo ueteri more oportebat. Eadem igitur ratio in uita quoq; ciuili tenenda eſt, autore Cicerone: ut nō ex libidine, ſed è dignitate humanæ perſonæ quiſq; uiuat. Perſona Græcis aliàs προσωπεῖον καὶ μορμολύκιον; id eſt larua dicitur. aliàs ſignificat πρόσωπον, id eſt hominem certo alicui uitæ generi deſtinatum: ut eſt perſona conſulis, prætoris, imperatoris, ſenis, adoleſcentis, uiri, mulieris, docti, idiotæ, diuitis, mendici. Nam circumſtantiæ, quæ attributiones rerum & perſonarum Latinis dicuntur, magnam gignunt perſonarum uarietatem. Vernaculo autem noſtro ſermone perſona pro ſtatura*

Perſona uocabulum.

aut forma

Perſonæ quatuor. *aut forma ſæpe uſurpatur. Theologicæ diſputationes de perſonis Trinitatis, huc admiſcendæ non ſunt. Conſtituit autem Cicero quatuor perſonarum*

1. Humana. *genera: quarum prima eſt, perſona humana, quæ honeſtatis & rectæ rationis ſtudium habet, ſenſibus autem & uoluptatibus non nimis indulget, ſed appetitum rationi obedientem præbet. Hæc qui nõ curat, perſona humana amiſſa, degenerat in pecudem.*

2. Propria cuiuſq;. *Altera perſona eſt, quam ſingularis cuiuſq; natura efficit, incolumi tamen rationis & orationis facultate. Nam priuata perſona communem non excludit, ſed omnino flagitat. Poſita autem eſt hæc perſona potiſſimùm ἐν τῇ φυσικῇ δυνάμει, hoc eſt, pendet à naturali propenſione cuiuſq; uel ad affectus, uel ad artes, uel ad ſtudia quædam. Etiam corporum*

Naturarũ diſcrimina & in uita quotidiana, & in poetis & in hiſtoricis obſeruãda. *affectiones huc referendæ ſunt. Huiuſmodi diſcrimina naturarum qui in uita quotidiana, atq; adeò in una domo, eademq; menſa non perſpicit, cæcus ſit oportet. Sed utilis & iucunda conſideratio eſt tantæ diuerſitatis in lectione & hiſtoricorum & poetarum. Turnus, Latinus, Drances, Aeneas, Mezentius, quod ad communionem rationis & orationis attinebat, nihil differebant: & ſuam tamen quiſq; naturam habuit. Aeneas fuit pius, fortis, magnanimus: Mezentius contra, crudelis, impius, blaſphemus: Turnus arrogãs, & audax: Drances facundus, imbellis: Latinus grauis, circumſpectus, paulò timidior, nec ſatis neruorum habens. Hæc igitur conſideratio facilè declarat, quid inter priuatam cuiuſq;, & communem omnium perſonã interſit. Ariſtoteles uocabulo φιλοτοιοῦτος, propenſiones naturales ſignificat. Ptolemæus ἰδιοτροπίας καὶ ἰδιοσυγκρασίας appellare ſolet.*

3. Perſona Caſus & Fortunæ. *Tertia perſona pendet à caſu & fortuna, ut ſi quis è Rhetore conſul fiat, aut contrà è conſule Rhetor, & rurſus è gregario milite imperator. Hîc aliquo modo obliuiſcendum eſt ueteris conſuetudinis, & omnis ratio uiuendi ad illud uitæ genus accommodanda: & imitandus Aegypti rex Amaſis, qui peluim (ut ſcribit Herodotus) fœdo uſui ſeruientẽ, regno potitus conflauit, & deum fecit, talem ſcilicet, qualis eſt ille apud Horatium, qui*

Olim truncus erat ficulnus, inutile lignum.

4. Voluntaria perſona. *Quarta perſona eſt uoluntatis & arbitrij noſtri: ut ſi quis animum applicat uel ad Theologiam, uel ad militiam, uel ad gerendam Rempub. &c.*

In his quæ noſtri indicij ſunt delectu maximo eſt opus. *Hîc ἡ φυσικὴ δύναμις, ἡ ἰδιοτροπία, ἡ ἰδιοσυγκρασία, καὶ τὸ φιλοτοιοῦτον diligenter conſideranda ſunt, & expendendæ uires tum animi, tum corporis, tum fortunarum: conditio item locorum atq; temporum, in quibus uiuendum eſt. Deinde παιδομαθῆ εἶναι, non ὀψιμαθῆ decet. Hîc uigilantia parentum requiritur, qui ſolerter ingenia liberorum explorent: & ad id quenq; uitæ genus deducant, ad quod à natura ipſa adiumenta habere uideatur. In quo etiam periti*

Aſtrologia. *& prudentis Aſtrologi coniecturæ non planè contemnendæ ſunt: nec tamen habendæ pro oraculis, quòd aliquando diligens educatio naturam in diuerſum flectere poteſt. Has autem quatuor perſonas in unum hominem cadere, non eſt obſcurum. Aeneas, quatenus homo, rationis eſt & orationis particeps: peculiari ſua natura, pius, magnanimus, fortis. Fortunà, modò miles,*

modò imperator, nunc uictus, nunc uictor, amator, ſponſus, maritus, hoſpes, hoſtis, naufragus: cōſilio & uoluntate Rex Latij, quò eū fata ducebāt ſcilicet.

Vt enim in corporibus.) *Peculiaris cuiuſq; perſona pendet à diſcriminibus animi, corporis, & rerum externarum.*

CICERO.

Erat in L. Craſſo & L. Philippo multus lepos: maior etiam, magiſq; de induſtria, in C. Cęſare Lucij F. At ijſdem temporibus in M. Scauro, & M. Druſo adoleſcente ſingularis ſeueritas: in C. Lęlio multa hilaritas: in eius familiari Scipione ambitio maior, uita triſtior. De Græcis autem dulcem & facetum, feſtiuiq; ſermonis, atq; † in omni oratione ſimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominauerunt, Socratem accepimus. Contrà Pythagoram & Periclem ſummam autoritatem cōſecutos ſine ulla hilaritate: callidum Hannibalem ex gente Pœnorum, ex noſtris ducibus Q. Maximum accepimus: facilè cælare, tacere, diſsimulare, inſidiari, † præripere hoſtiū conſilia. In quo genere Græci Themiſtoclem & Pheræum Iaſonem cæteris anteponunt. In primiſq; uerſutum & callidum factum Solonis, qui quò & tutior uita eius eſſet, & plus aliquanto Reipublicæ prodeſſet, furere ſe ſimulauit.

V. L. in omni ratione. præcipere hoſtium: πολυκαταλαβεῖν ἢ προκαταλαβεῖν.

Erat in L. Craſſo.) *Exemplis & Græcis & Latinis declarat peculiares perſonas. Vtile autem eſt, quemq; talia diſcrimina etiam in familiaribus ſuis obſeruare: neq; propterea odiſſe eos, qui uel nō ijſdem moribus ſunt, quibus nos ſumus: uel nō ijſdem deditiſtudijs: modò frugi homines ſint, & boni uiri. Mores amici noueris, nō oderis. Eorū tamen (optio ſi detur) uti familiaritate præſtat, à quorū uita mores tui, maximè ſi ſint probati, quàm minimè diſcrepent.* Similis ſimili gaudeat.

Magiſq; de induſtria.) *Græcè, μᾶλλον ἐπιτηδευμένως, uel potius μᾶλλον ἐξεπίτηδες: id eſt, non tantùm natura erat lepidus, ſed adiungebat etiam ſtudium leporis.*

Ambitio maior.) *Non tam hic puto referendam ambitionem ad cupiditatem magiſtratuum, honorum, imperiorum: quàm ad τὴν σεμνότητα, quæ poſita eſt in externo geſtu & cultu, cum ubiq; grauitas præſefertur, & quas nunc uulgò cerimonias dicunt, obſeruantur.*

Omni ratione.) *Poteſt & hæc lectio ferri, ut non tantùm oratio, ſed & geſtus & facta omnia intelligantur.*

Diſsimulatio, Veritas, Arrogantia.

εἴρωνα.) *εἰρωνεύεσθαι eſt, diſſimulare ea quæ ſunt: interdum etiam honorificũ uerbis aliquem deludere, κατ' ἀντίφρασιν. προσποιεῖσθαι generale eſt: ſignificat ſimulare & fingere, ut & ὑποκρίνεσθαι. ἀλαζονεύεσθαι eſt, plus tibi arrogare, quàm præſtare poſsis. Duo igitur uitia ſunt, & extrema, εἰρωνεία ἔλλειψις: & ἀλαζονεία, ὑπερβολή. Virtus ſeu μεσότης eſt ἀλήθεια, cum tantũ profitemur, quantum res ipſa poſtulat, nec addentes nec diminuentes quicquam. εἰρωνεία tamen minus habetur uitioſa: ſæpe etiam laudi tribuitur, niſi ſit immodica, & manifeſtè falſa. Tum enim in ἀλαζονείαν uertitur: ſtatimq́; in promptu eſt, talem quærere laudatores.*

Præripere hoſtium conſilia.) *προαρπάζειν, ſiue φθάσαι, Græcè. Fit autem hoc, cum & hoſtium conſilia exploramus: & ijs exploratis, damus operam, non modò ut ipſi ab ijs tuti ſimus, ſed ut etiam lædere eos poſsimus, & ſuo quaſi gladio iugulemus.*

CICERO.

Sunt his alij multum diſpares, ſimplices & aperti: qui nihil ex occulto, nihil ex inſidijs agendum putant, ueritatis cultores, fraudis inimici. Itemq́ alij, qui quiduis perpetiantur, cuiuis deſeruiant, dum quod uelint cõſequantur: ut Syllam & M. Craſſum uidebamus. Quo in genere uerſutiſsimum & patientiſsimum, Lacedæmoniũ Lyſandrũ accepimus: contraq́ Callicratidam, qui præfectus claſsis, proximus poſt Lyſandrũ fuit.

Boni uiri nihil inſidioſè ſimulant, aut diſſimulant.

Simplices & aperti.) *Tales omnes boni uiri ſunt: Chriſtianos uerò in primis tales eſſe decet, quorũ ſermo eſſe iubetur, Eſt Eſt, Non Non, quorumq́; lingua & uita cum animo conſentire debet. Qui ſi nonnunquam ſimulant aut diſſimulant aliquid, (huiuſmodi enim exempla in Sacris etiam literis laudatorum uirorum occurrunt) fit hoc non inſidioſè, nocendi'ue cauſa: ſed ut uel alij, qui apertam ueritatem ferre non poſſunt, plus iuuentur, uel ipſi ab inſidijs & iniurijs aliorũ ſint tutiores. Eorum enim uita talis eſt, qualis eleganti illo Diſticho deſcribitur:*

Hic ſcopus unus erit, cunctis prodeſſe, nocere
Nemini: amare bonos, & tolerare malos.

CICERO.

Itemq́ in ſermonibus alium, quamuis præpotens ſit, efficere, ut unus de multis eſſe uideatur: quod † in Catulo & in patre & in filio, idemq́ & in † Q. Mutio Mancino uidimus. Audiui ex maioribus natu, hoc idẽ fuiſſe in P. Scipione Naſica: contraq́ patrẽ eius, illum qui Tiberij Gracchi conatus perditos uindicauit, nullã comitatẽ habuiſſe ſermo-

ſermonis: ne Xenocratem quidem, ſeueriſsimum philoſophorum: ob eamq́ rem ipſam magnum & clarum fuiſſe. Innumerabiles aliæ diſsimilitudines ſunt naturæ, morumq́, minimè tamen uituperandorum.

V. L. Q. Mutio Numantino. In Catulo & patre & filio.

Innumerabilesq́ aliæ diſsimilitudines.) *His exemplis, quid per peculiarem ſeu propriam cuiuſq; naturam intelligi uelit Cicero, ſatis declaratur. Exempla aũt partim ex hiſtoricis petenda ſunt, partim Ciceroni referenti fides eſt habenda, quòd hiſtoriæ nonnullorum non extant. idq́; ubiq; faciendũ cenſeo: ut cum aliorum ſcriptorũ teſtimonia nos deſtituunt, autoritate noſtri cõtenti ſimus. Quod in Cicerone plurimis locis eſt neceſſarium: quòd acta priuata, in publica hiſtoriarum monumenta referri non ferè ſolent: eaq́; ignorare, nihilo turpius nobis eſt, quàm ſi neſciamus in Germania, quanti uinum in Thracia ueneat. Nam priuata omnia conſectari, non eruditionis & diligentiæ, ſed ſtultæ curioſitatis eſt.*

Hiſtoriarum fides, priuatarum præſertim, penes autorem eſto.

CICERO.

Ad modum autem tenenda ſunt ſua cuiq́, non uitioſa, ſed tamen propria: quò facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur. Sic enim eſt faciendum, ut contra naturam uniuerſam nihil contendamus: ea tamen conſeruata, propriam ſequamur: ut, etiamſi ſint alia grauiora atq́ meliora, tamen nos ſtudia noſtræ naturæ regula metiamur. Neq́ enim attinet repugnare naturæ: nec quicquam ſequi, quod aſſequi non queas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorũ illud: ideo, quia nihil decet inuita Minerua, ut aiunt, id eſt, aduerſante & repugnante natura.

Admodum autem tuenda ſunt.) *Expoſita naturarũ uarietate, præceptum ſubiungit, quod ad uitandam κακοζηλίαν facit: hoc eſt, uel ineptam uel infelicem imitationem. ineptam, ut cum diſcipuli, Platonis gibbum, balbutiẽ Ariſtotelis, Melanthonis neglectum ueſtitus & pingendarũ literarum exprimebant: infelicẽ, ut cum homunculi tenuibus ingenijs, exigua doctrina, humili fortuna, Ciceronianã grandiloquentiã, cum de nugis agũt, affectãt. Hæc igitur κακοζηλία non minus in uita, ac magis etiã, uitioſa eſt, quàm in oratione.*

Κακοζηλία, id eſt, inepta & infelix imitatio uitanda.

Non uitioſa.) *De adiaphoris loqui Ciceronem, antè diximus, ut de hilaritate, ſeueritate, urbanitate, geſtibus, ſermonibus, & ſimilibus rebus: quæ ſiue fiant, ſiue nõ fiant, nec prudentiæ, nec iuſtitiæ, nec fortitudinis, nec temperãtiæ laus omnino amittitur: ſed in ciuilitate morum & in familiari conſuetudine dexteritas ingenij, & actionis decus, aut lepos orationis deſideratur. Hæc inquã boni & prudentes uiri æqui boniq́; faciũt, ut qui animũ potius ſpectẽt quã*

ἀδιάφορα.

Aulicorum moroſitas.

externam ſpeciem. Sed mulierculæ, & his ſimiles uiri, atq; in primis aulici, larua illa, in qua proram & puppim uirtutis ac ſapientiæ collocant, decepti, capitalem fraudem & inexpiabile ſcelus eſſe cenſent, unius ſolennis uerbi aut geſticulationis hiſtrionicæ aberrationem, etiamſi multis & raris uirtutibus compenſetur.

Quo facilius.) *Rectè enim Horatius:*

Naturam expellas furca licet, uſq; recurret. Item:
Tu nihil inuita dices facies'ue Minerua.

Ne hîc quoq; Gigantomachia quædam inſtituatur.

Contra naturam uniuerſam.) *τὴν ἀνθρωπότητα, ſiue τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν: quæ quatuor illis uirtutibus, id eſt facultate atque uſu rationis & orationis abſoluitur.*

Quid quiſq; aſſequi poſſit, non ſubitò conſtitui poteſt

Nec quicquam ſequi, quod aſſequi.) *Hoc in adoleſcentia ſtatuere, difficile eſt. Sunt enim ingenia quædam initio tardiora, quæ ætate acuuntur. Sunt contrà, quæ prima ætate ſpem optimam de ſe præbeant, ſed citò quaſi deflorescant ac decidant: id quod Hermogeni Rhetori accidiſſe fertur. Expectanda igitur eſt ætas matura, quam (quod ad ſtudia quidem literarum attinet) anno ætatis undecimo aut ad ſummum decimoquarto, (ſi quis fortaſſe tardius aut tardior ad diſcendas literas acceſſerit) definiri poſſe cenſeo. Sin de conſtituendo uitæ genere agatur, longiore ſpacio eſt opus, nec eodem omnibus. Sed tamen ſub annum uigeſimum, aut non multo antè, nec pòſt, facilè apparebit quæ ſint uires ingeniorum, quæ animorum affectiones, quæ facultates corporum.*

Inuita Minerua.) *Hæc eſt ἀδυναμία φυσικὴ, in certo aliquo doctrinarum aut actionum genere, & genius abhorrens ab aliqua re: quod Græci dicunt ἀπεφυκέναι, uel κακῶς πεφυκέναι πρός τι.*

CICERO.

Omnino ſi quicquam eſt decorum, nihil eſt profectò magis, quàm æquabilitas uniuerſæ uitæ, tum ſingularum actionum. Quam conſeruare non poſsis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam.

Conſtantia duplex.

Omnino ſi quicquam eſt.) *In hoc libello multæ laudes conſtantiæ continentur, quæ aliàs, ut dixi, ad fortitudinem refertur: & Græcè εὐστάθεια καὶ ἀταραξία dicitur: aliàs ad prudentiam, & rectæ rationis iudicium, quæ fortaſſe Stoica, licet dialectica uoce, ἀμεταπτωσία dici queat, quum & quid rectiſſimum ſit intelligimus, nec affectuum uarietate ab eo depellimur: ſicut fortitudinis eſt, neq; terrore periculi, neq; moleſtia laboris, ab honeſto propoſito depelli. Neq; uerò conſtantia hæc ſic accipienda eſt, quaſi homo ad unũ aliquod deliberationum & actionum genus, uelut in carcere concludatur (hoc enim negociorum & caſuum humanorum uarietas minimè patitur) ſed ut, quamuis conſilia & actiones ſint diuerſæ, ad unum tamẽ uirtutis ſcopum referan-*

Conſtantia ſcopum ſemper eundem ſpectat, non ſemper idem dicit & facit.

referantur. Nihil utiq; conſtantiæ deceſſerit, ſi ſis in funere ſeuerior, in conuiuijs hilarior: cum affluũt diuitiæ, largior & ſplendidior: iactura facta, parcior, & ad largiendum reſtrictior. Si confirmata ualetudine lucubres, eademq; afflicta & debilitata quieſcas. Neq; enim dij ſumus, quorum ut uita perpetuò beata, ſic etiam conſilia ſunt ἀμετάπτωτα. Quæ cur mutarent, eodem rerum ſtatu? Eſt aſſentiendum temporibus, ut alibi præcipit noſter autor: nec ſemper idem dicere aut agere, ſed ſemper idem ſpectare debemus. Debet enim prudentia, ut cæterarum uirtutum omnium, ſic etiam conſtantiæ huius eſſe moderatrix. Sententia eſt, κακοζηλίαν, quòd æquabilitatem uitæ in primis decoram & laudabilem impediat, uitandam eſſe.

CICERO.

Vt enim eo ſermone debemus uti, qui notus eſt nobis, ne, ut quidam, Græca uerba inculcantes, iure optimo † rideamur: ſic in actiones omnemq; uitam, nullam diſcrepantiam conferre debemus,

† *V. L. irrideamur.*

Vt enim ſermone eo.) *Conſtantia uerò ſeruatur facilimè, primùm ſi rationi pareatur, deinq; ſi magnitudo animi adſit: denique, ſi ἡ φυσικὴ ἰδιοτροπία obſeruetur.* Similitudine rei notioris, obſcuriorem illuſtrat.

Qui notus eſt nobis.) *Intelligendi ſunt, nõ dicentes tantùm, ſed etiam audientes, quorum cauſa data eſt à natura oratio.*

Græca uerba inculcantes.) *Scilicet oſtentandæ τῆς πολυγλωττίας ergò. Hac in re primum uitium, eſt ξενοδοξία: alterum, ἡ κακοζηλία, καὶ οἱ βαρβαρισμοί. Nam, ut uerba & ſententias rectè intelligas: tamen peregrinas linguas pauciſſimi rectè pronunciant, eaq; de cauſa pleriq; ridentur. Cauenda eſt igitur peregrinitas apud imperitos peregrinæ linguæ. Sed in colloquijs doctorum, & libris ſcribendis nihil uetat, quò minus uel ornatus & uarietatis gratia, uel ob proprietatem & emphaſin, Græca etiam & Hebræa admiſceantur. In quo illud uidetur obſeruandum, ut Hebræa Græcis, Græca Latinis, Latina barbaris, non contrà, uetuſtatis linguarum & autoritatis habita ratione, interſerantur. Ego autem hiſce meis Annotationibus Græca eo libentius admiſceo, ut ſtudioſos adoleſcentes ad par utriuſq; linguæ ſtudium incitem. Græcarum autem literarum rudes, ſi qui fortè hoc legerint, nullam facient iacturam. Nam aut ea uel antè uel pòſt latinè etiam dicuntur: aut τεχνικὰ ſunt, ideſt ad ſcholaſticam explicationem, & non propriè ad rem ipſam pertinent.* Græcorum uerborũ inculcatio.

CICERO.

Atq; hæc differentia naturarum tantam habet uim, ut nonnunquam mortem ſibi ipſi conſciſcere alius debeat: alius in eâdem cauſa non debeat. Num enim in alia cau-

ſa M. Cato fuit, alia cæteri qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt? Atqui cæteris forſitan uitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent: propterea quòd lenior eorum uita, & mores fuerant faciliores. Catoni autem, cum incredibilem tribuiſſet natura grauitatem, eamq́ ipſe perpetua conſtantia roborauiſſet, ſemperq́ in propoſito ſuſceptoq́ conſilio permanſiſſet: moriendum potius, quàm tyranni uultus aſpiciendus fuit.

Conſciſcere ſibi necem.

Atq́ hæc differentia.) *Videtur τῷ πθικεπάλψιν Cicero hic ſuam agere cauſam, quòd oppreſſa tyrannide Republica, tantus defenſor libertatis ſibi necem non conſciuiſſet: ut Cato, & poſtea Brutus. Id autem magni animi tum habebatur, mortem turpitudini & ſeruituti anteponere. Sed Platonici etiam, non tantùm Chriſtiani, nefas eſſe duxerunt, iniuſſu Imperatoris, id eſt Dei, de ſtatione uitæ decedere, & afferre ſibi manus. Et quidem paucos nunc reperias, qui hãc ſiue cõſtantiam ſiue æquabilitatem uitæ tanti emptam uelint.*

Alia in cauſa.) *Qui Pompeium ſequebantur, nobiliſſimi homines, maximaq́; pars Senatus, ſtudium defendendæ libertatis contra Cæſaris tyrannidem præſeferebant.*

Roborauiſſet.) *non agendo tantum, ſed etiam dogmate Stoico.*

In propoſito.) *Nihil autem iniqui proponebat, nullum ſtultum conſiliũ ſuſcipiebat. Nam abſq́; eo ſi fuiſſet, nõ tam conſtantiæ nomine laudari, quàm & ſtulticiæ & pertinaciæ accuſari meritò potuiſſet.*

De ſemetipſo modeſtè & ſentiendũ & loquendum.

Permanſiſſet.) *Magnis ingenij neruis, ingenti animi robore, magnis etiam & multis fortunæ præſidijs ad eam rem eſt opus. Quibus rebus qui carent, caueant ſint, ne id conſilij capiant quod explicare non poſſint. Præſtat ſummiſſius & humilius de ſeipſo & ſentire & loqui, quàm deficí uiribus, magna profeſſum.*

CICERO.

Quàm multa paſſus eſt Vlyſſes in illo errore diuturno, cùm & mulieribus (ſi Circe & Calypſo mulieres appellandæ ſunt) inſeruiret, & in omni ſermone omnibus affabilẽ & iucundum ſe eſſe uellet? Domi uerò, etiam cõtumelias ſeruorum, ancillarumq́ pertulit: ut ad id aliquãdo quod cupiebat, perueniret. At Aiax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quàm illa perpeti maluiſſet.

Vt ad id aliquando.) *Hæc ex Odyſſea Homeri cognoſcenda ſunt. Scopus autem eius fuit, occiſis procis, Penelopes pudicitiã ſolicitantibus, & rem familiarem abligurientibus, paternam domum ac principatum recuperare.*

At Aiax

At Aiax quo animo.) *Et huius ingenium ex Homero & Sophocle eſt cognoſcēdum. Sed omnium optimè ab Ouidio in Metamorphoſi deſcribitur, ἐν τοῖς ἀντιπάλοις λόγοις, ubi uiri fortis fert arma diſertus.*

CICERO.

Quæ contemplantes, expēdere oportebit quid quiſq; habeat ſui, eaq; moderari: nec uelle experiri quàm ſe aliena deceant. Id enim maximè quenq; decet, quod eſt cuiuſque ſuum maximè. Suum igitur quiſq; noſcat ingenium, acremq; ſe & bonorum & uiciorum ſuorum iudicē præbeat, ne ſcenici plus quàm nos uideantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſsimas fabulas eligunt.

Quæ contemplantes.) *Hinc Vlyſsis, Catonis & Aiacis exempla quò referātur, perſpicis: eò ſcilicet, ne Cicero Catonē, Aiax Vlyſſem, Vlyſſes Aiacem temerè imitetur. Neq; enim procedet imitatio, conſtantia'ue ſeruabitur.*

Acrem.) *ſeuerum, ἀδέκαστον, cui τὸ γνῶναι ἑαυτὸν meditatum ſit. Φιλαυτία uitia noſtra plerumq; extenuat atq; excuſat, uirtutes exaggerat atq; amplificat. Sunt tamen quidam natura ita ſiue modeſti, ſiue moroſi, ut ipſi ſeſe calumnientur, nec unquam ſibi ſatisfaciant. Vitium hoc (ſi tamen uitium) utile eſt homini ad uitandam arrogantiam, & ad augendum proficiendi ſtudium. Sed tamen aliquando etiam obeſt, cum deſperatione fracti, ea tentare non audemus, quæ alij minus commodè præſtare poſſunt. Audacibus utile eſt habere inuidos, obtrectatores, inimicos, qui & uirtutes extenuent, & uitia amplificent: contraq; modeſti, candidis & ſinceris egent amicis, qui neq; gratiæ tribuant quicquam in laudando, neq; odio in uituperando. Sed rara hæc auis eſt, & rectè de ſeſe iudicare difficilimum. Vnde & Medici ſibi adhibere medicamenta, & Genethliaci de ſuo natalicio themate pronunciare uetantur.*

Timidiores animandi.

Audaciores reprimendi.

Ne ſcenici plus.) *A minori, & abſurdo. Etſi enim uita quoq; fabula dicitur: tamen longè diſtat ab ijs fabulis quæ in ſcenis aguntur, actusq; multiplices habet, & longos. Si igitur laudatur hiſtrio, qui decorū, propter paucas horas, in re per ſe ludicra, tam diligenter meditatur: an non uituperandus erit is, qui nullam totius uitæ ſuæ rationem habet, nec in id ſtudet ut eam non modò commodè & iucundè, ſed etiam cum laude & gloria tranſigat?*

Vita fabula.

CICERO.

Qui enim uoce freti ſunt, Epigonos, Medeamq;: qui geſtu, Menalippam, Clytemneſtram. Semper Rutilius, quē ego memini, Antiopā: non ſæpè Æſopus Aiacē. Ergo hiſtrio hoc uidebit in ſcena, quod nō uidebit ſapiens uir in uita?

MENS diſcendo alitur.) *Hæc igitur ne eſuriat, ne fame contabeſcat, cauendum.*

Adoleſcẽtis ſtudioſi felicitas.

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint, ſtudioſos adoleſcentes, qui huiuſmodi epulis quotidie reficiuntur & explentur, ut adoleſcant in uiros bonos & ſapientes, contraq; uenenata Circes pocula & pernicioſos Sirenum cantus uitent: hoc eſt, hac imbecilli & lubrica ætate curent, ne quid admittant, cuius per omnem deinceps ætatem & pudeat, & pœniteat, ὅταν οὐδ᾽ ἐγὼ ἔσαι πλέον ἀνιωμένοις. Quid quæſo aliud ſunt bonarum artium ſtudia, niſi paradiſus, omni deliciarum genere refertus? Hic Helicon, hic Parnaſſus, hic aurata cithara crinitus Apollo, hic Muſæ, hic Charites. Hanc ſuauitatem intelligens ille Theocriti paſtor, lætitia uelut ebrius exclamat:

τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
ἴρηκες δ᾽ ἴρηξιν, ἐμὶν δ᾽ ἁ μῶσα καὶ ᾠδά.
τᾶς μοὶ πᾶς εἴη πλέος δόμος. οὔτε γὰρ ὕπνος,
οὔτ᾽ ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον. οὔτε μελίσσαις
ἄνθεα ὅσσον ἐμὶν μῶσαι φίλαι· οὓς γὰρ ὁρῶσαι
γαθεῦσιν, τώσδ᾽ οὔτι ποτῷ δηλήσατο κίρκα.

ξένων μετ᾽ εὐμοιρίας.

Huius ego uoti diuina liberalitate ſum reus factus. Nam etſi domum ipſe non habeo: ea tamen domuncula quæ me habet, plena Muſarum eſt, ita ut propè ſpacium deſit nouis libris reponendis. utinam uerò Muſæ benignis oculis me reſpicerent, meoq; conſpectu lætarentur, & à Circeis poculis me defenderent. Nam illas ego quidem ab ineunte ætate ſic amaui, & amo adhuc, ut neq; cicada cicadæ, neq; formica formicæ, neque accipiter accipitri æquè ſit charus & iucundus: ut neq; apibus flores ſint dulciores, neq; ſubitũ uer, neq; ſomnus quenq; magis demulceat. Idem experiemini uos quoq;, adoleſcentes, ſuperatis paulułum utriuſq; linguæ rudimentis.

Superatis rudimentis cætera iucundiſsima.

Durate, & uoſmet rebus ſeruate ſecundis.

CICERO.

Quin etiam ſi quis eſt paulò ad uoluptates propenſior, modò ne ſit ex pecudum genere (ſunt enim quidam homines non re, ſed nomine) ſed ſi quis eſt paulò erectior, quamuis uoluptate capiatur, occultat & diſsimulat appetitum uoluptatis, propter uerecundiam. Ex quo intelligitur, corporis uoluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamq; cõtemni & reijci oportere: ſin ſit quiſpiam qui aliquid tribuat uoluptati, diligenter ei tenendum eſſe eius fruendæ modum.

Quin etiam ſi quis eſt paulò.) *Præceptum de uoluptate, ſi uitari non poſsit, diſsimulanda.*

Sunt

Sunt enim quidam homines.) *Interpretatur græcam uocem τῆς θηριωδίας, quam belluinam immanitatem appellare ſolent. Caueant adoleſcentes, ne & ipſi ſint ex pecudũ genere, quæ prona (ut ait Saluſtius) & uentri obedientia natura finxit. Homo, ut alio quoq; loco diximus, quatenus creſcit, edit, bibit, dormit, ambulat, cæteriſq́; ſenſuũ muneribus fungitur, parum differt à beluis, atq; adeò ſtirpibus & plantis. Sed ratione uti, id demum facit hominem. Ex hoc colligi poteſt, philoſophos, hoc eſt rerum cognitioni intentos, ueros eſſe homines.*

Homo planta, beſtia, genius.

Occultat & diſsimulat uoluptatis appetitum.) *At noſtri centauri nulla re alia gloriantur. Commemorant exhauſtos cados, proſtratos Cypellomachos, expugnatam puellarum & matronarum pudicitiam, expletas omnes libidines & corporis & animi. Ea uerò facta palmaria ſibi ducunt, hunc nobilitatis & opulentiæ fructum iudicant. Hæc uiri fortis & prudentis officia eſſe cenſent. Ea demum uera & ſolida laus eſt, per ætatem feciſſe ſedulò, quicquid literæ continent: ſic enim loquuntur. A quo autem dictatæ ſunt? Ab eo ipſo, quem comprimendum eſſe & refrenandum cohercendúq; toties autor monet, turpi & belluino appetitu, aut certè à praua noſtri ſeculi conſuetudine. Quid autem literæ illæ continent? Nihil niſi ea quæ ij faciunt, qui ſunt ex pecudum genere, homines non re, ſed nomine. Quorum uos imitationem cauebitis, niſi malitis eſſe pecudes quàm homines.*

Gloriatio de turpitudine.

Occultat & diſsimulat.) *Homines cælari & decipi facilè poſſunt: ſed τὸν καρδιογνώστην θεὸν nemo quicquam aut cælat, aut decipit, ut & profanus Poeta ſentit hoc uerſu:*

πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας.

Et Iſocrates, ſuam cuique conſcientiam in turpi facinore reformidandã eſſe monet: ἂν γὰρ, inquit, τοὺς ἄλλους λάθῃς, σαυτῷ γε συνειδήσεις. Et rectè dicitur, conſcientia mille teſtes: neque ulla maior carnificina eſt animo ſibi malè conſcio.

Deus non fallitur.

Ex quo intelligitur.) *Rerum honeſtarum non pudet: uoluptatum autem cum pudeat (alioqui enim non occultarentur ac diſsimularentur) eas eſſe turpes apparet, ideoq; fugiendas.*

Voluptatis pudet.

Tenendum eſſe modum.) *De uoluptatum diſtinctione alibi dictum eſt. Hoc loco autem ſatis ſit hæc tenere, omnes turpes uoluptates uitandas eſſe. Deinde, conceſſas etiam occultandas: deniq;, modum in ijs tenendum, ad ualetudinem accommodatum.*

CICERO.

Itaque uictus cultusq; corporis ad ualetudinem referatur, & ad uires, non ad uoluptatem.

Ad ualetudinem, & ad uires.) *Valetudinis habenda ratio eſt omnibus: uirium autem, athletis & militibus, atq; ijs qui opus faciunt. Videtur*

Valetudo, uires.

Cicero reſpexiſſe ad conſuetudinem pugilum, quibus non modò certæ exercitationes & unctiones, ſed etiam certa ciborum genera ad augendam habitudinem corporis, à lauiſtis ſeu aliptis præſcribebantur. Iſocrates autem, cum eas corporis exercitationes, non quæ ad uires, ſed quæ ad ualetudinem faciant, commendat: nihil niſi athletica gymnaſia uetat. Nam cum proſpera ualetudine, uires etiam & forma augentur & conſeruantur.

γαστριμαργία κακοχυμίας μήτηρ.

Non ad uoluptatem.) *Quæ cum plus appetat atque ingurgitet, quàm natura commodè ferre poteſt: κακοχυμία corpus occupat, & membra principalia (ut ſtomachus, hepar, pulmones, cerebrum) debilitantur: unde magnum morborum pelagus tandem exiſtit, & immatura mors.*

CICERO.

Atque etiam, ſi conſiderare uolemus quæ ſit in natura excellentia & dignitas: intelligemus, quàm ſit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter uiuere: quàmq; honeſtum, parcè, continenter, ſeuerè, ſobriè.

Atq; etiam ſi conſiderare.) *Præſtantiã hominis iterum inculcat, quò magis à uoluptate, blandiſſima domina, reuocet.*

Parcè, continenter.) *Non dubium eſt, quin intemperantia cibi, potus; libidinis, non corpora tantum, ſed animi etiam corrumpantur: undè tandem ἀδόκιμος νοῦς exiſtit, ut D. Paulus appellat, cum homo ab omni pietate & honeſtate abhorrens, Epicuri de grege porcũ agit. Cuiuſmodi porcorum illa uox eſt: Cum fuero mortuus, ero mortuus: Parum ſuauitatis eſt in uita, quod ſuo quiſq; malo negligit: Naſcimur, alimur, ab elementis afficimur, corporibus conſtamus, ſeneſcimus, morimur ut beluæ, quas uno morborum numero & uarietate calamitatum ſuperamus. Quæ igitur iſta in natura eſt excellentia & dignitas? Quæ ſit rogas? An non hæc ipſa eſt, quòd porcus neq; intelligere, neque eloqui poteſt, ſe eodem modo & naſci & interire ut hominem? Quòd ſi tu homo quàm porcus eſſe malles, & relicto luti uolutabro, & ſtercoribus, ſemel cœlum ſuſpiceres iſtiuſmodi uerborum te puderet & pœniteret. Nunc te ita ſentire & loqui, adeò non eſt mirandum, ut in tantis intemperijs, aliter ſi faceres, portenti inſtar habendum eſſet. Profectò ita eſt, Fortuna quos nimium fouet, ſtultos facit: non quin illi ad explendas libidines ſuas & quos uiſum fuerit malè tractandos, ingenijs abundent: ſed quòd & Dei & ſui ipſorum cognitionem abijcere ſolent; ſe deos, Deum nihil eſſe putant: opibus inferiores pro quiſquilijs habent, & (ſi libitum eſt) conculcant. Hos ſub Dionyſij tyranni perſona egregiè deſcribit Iſocrates, & caſtigat. Breue quidem id eſt epiſtolium, ſed oraculum potius quàm epiſtolium, è quo pauca etſi ſuprà etiam deprõpta, repetere libet. οὐκ (inquit) ἤμειψας μετὰ τῆς τύχης τὴν φύσιν, Non unà cum Fortuna etiam naturam mutaſti: ἔτι τὸν θύλακον ἔχεις*

Corporis humani excellẽtia non magna.

Animi humani excellẽtia magna.

Fortunæ blãditiæ, fomenta uecordiæ.

κὸν ἔχεις δερμάτινον, *Adhuc ſaccum iſtum pelliceum habes*: θνητὴν ἔχεις ἐκ προοιμίου τὴν σύστασιν, *Natiuitatis tuæ primordium eſt mortale*. τί δῆτα τὸ κενὸν τοῦτο δοξάριον ὧδε τοσοῦτον τὸν πήλινον ἀσκὸν διεφύσησας; *Quid ergo inanis iſta gloriola fictilem utrem tantopere inſlauit?* μεγάλης ἀνοίας γὲφορήθης ὦ δύστηνε, *Ingenti amentia repletus es, ô infelix*: τῆς φύσεως τὴν γνῶσιν ἀφῄρησαι, *Naturæ tuæ cognitio tibi erepta eſt. Tribuit ijſdem* μετέωρα τῆς τύχης κινήματα, *ambiguas fortunæ uices*: ψευδῆ εὐδαιμονίαν, *falſam felicitatem*: δραπέτιν τύχην καὶ ἀγνώμονα, *Fortunam fugitiuam & perfidam. Cogitent hæc ſobrij, & ſanabiles: quæ non inſectandi cuiuſquam, ſed admonendi omnium cauſa denuò ſcripſimus: non motura omnes, ſed paucos, eosq́; potiſſimùm οἷς τὰ παθήματα μαθήματα γέγονεν. etſi rectè is dicitur*

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

CICERO.

Intelligendum etiam eſt, duabus quaſi nos à Natura indutos eſſe perſonis: quarum una communis eſt, ex eo quòd omnes participes ſumus rationis, præſtantiæq́ eius qua antecellimus beſtijs: à qua omne honeſtum decorumq́ naſcitur, & ex qua ratio inueniendi officij exquiritur. Altera autem, quæ propriè ſingulis eſt tributa. ut enim in corporibus magnæ diſsimilitudines ſunt (alios enim uidemus uelocitate ad curſum, alios uiribus ad luctandum ualere: item'que in formis, alijs dignitatem ineſſe, alijs uenuſtatem) ſic in animis exiſtunt maiores etiam uarietates.

Intelligendum eſt etiam, duabus.) *Suprà locutus eſt de poetico decoro, illuſtrandæ rei propoſitæ gratia, ad quod nunc denuò alludit. Notum enim eſt, hiſtriones ſeu ludiones perſonatos ſcenam ingreſſos eſſe, ne agnoſcerentur: ſed ut ij eſſe uiderentur, quos poeta dicentes introducebat. Qui igitur hiſtrio perſonam Regis ſuſtinebat, eum regaliter & loqui & facere omnia, non ſuo ueteri more oportebat. Eadem igitur ratio in uita quoq; ciuili tenenda eſt, autore Cicerone: ut nõ ex libidine, ſed è dignitate humanæ perſonæ quiſq; uiuat. Perſona Græcis aliàs* προσωπεῖον καὶ μορμολύκιον, *id eſt larua dicitur. aliàs ſignificat* πρόσωπον, *id eſt hominem certo alicui uitæ generi deſtinatum: ut eſt perſona conſulis, prætoris, imperatoris, ſenis, adoleſcentis, uiri, mulieris, docti, idiotæ, diuitis, mendici. Nam circumſtantiæ, quæ attributiones rerum & perſonarum Latinis dicuntur, magnam gignunt perſonarum uarietatem. Vernaculo autem noſtro ſermone perſona pro ſtatura aut forma.* Perſona uocabulum.

modò imperator, nunc uictus, nunc uictor, amator, ſponſus, maritus, hoſpes, hoſtis, naufragus: cõſilio & uoluntate Rex Latij, quò eũ fata ducebãt ſcilicet.

Vt enim in corporibus.) *Peculiaris cuiuſq; perſona pendet à diſcriminibus animi, corporis, & rerum externarum.*

CICERO.

Erat in L. Craſſo & L. Philippo multus lepos: maior etiam, magiſq́; de induſtria, in C. Cæſare Lucij F. At ijſdem temporibus in M. Scauro, & M. Druſo adoleſcente ſingularis ſeueritas: in C. Lælio multa hilaritas: in eius familiari Scipione ambitio maior, uita triſtior. De Græcis autem dulcem & facetum, feſtiuiq́; ſermonis, atq; † in omni oratione ſimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominauerunt, Socratem accepimus. Contrà Pythagoram & Periclem ſummam autoritatem cõſecutos ſine ulla hilaritate: callidum Hannibalem ex gente Pœnorum, ex noſtris ducibus Q. Maximum accepimus: facilè cælare, tacere, diſsimulare, inſidiari, † præripere hoſtiũ conſilia. In quo genere Græci Themiſtoclem & Pheræum Iaſonem cæteris anteponunt. In primiſq́; uerſutum & callidum factum Solonis, qui quò & tutior uita eius eſſet, & plus aliquanto Reipublicæ prodeſſet, furere ſe ſimulauit.

V. L. in omni ratione. præcipere hoſtium: προκαταλαβεῖν ἢ προαισθέσθαι.

Erat in L. Craſſo.) *Exemplis & Græcis & Latinis declarat peculiares perſonas. Vtile autem eſt, quemq; talia diſcrimina etiam in familiaribus ſuis obſeruare: neq; propterea odiſſe eos, qui uel nõ ijſdem moribus ſunt, quibus nos ſumus: uel nõ ijſdem deditiſtudijs: modò frugi homines ſint, & boni uiri. Mores amici noueris, nõ oderis. Eorũ tamen (optio ſi detur) uti familiaritate præſtat, à quorũ uita mores tui, maximè ſi ſint probati, quàm minimè diſcrepent.* Similis ſimili gaudeat.

Magiſq́; de induſtria.) *Græcè,* μᾶλλον ἐπιτετηδευμένως, *uel potius* μᾶλλον ἐξεπίτηδες: *id eſt, non tantùm natura erat lepidus, ſed adiungebat etiam ſtudium lepôris.*

Ambitio maior.) *Non tam hic puto referendam ambitionem ad cupiditatem magiſtratuum, honorum, imperiorum: quàm ad* τὴν σεμνότητα, *quæ poſita eſt in externo geſtu & cultu, cum ubiq; grauitas præſe fertur, & quas nunc uulgò cerimonias dicunt, obſeruantur.*

Omni ratione.) *Poteſt & hæc lectio ferri, ut non tantùm oratio, ſed & geſtus & facta omnia intelligantur.*

L εἴρωνα.)

Diſsimulatio, Veritas, Arrogantia.

εἴρωνα.) εἰρωνεύεσθαι eſt, diſsimulare ea quæ ſunt: interdum etiam honorificis uerbis aliquem deludere, κατ' ἀντίφρασιν. προσποιεῖσθαι generale eſt: ſignificat ſimulare & fingere, ut & ὑποκρίνεσθαι. ἀλαζονεύεσθαι eſt, plus tibi arrogare, quàm præſtare poſsis. Duo igitur uitia ſunt, & extrema, εἰρωνείας ἔλλειψις: & ἀλαζονεία, ὑπερβολή. Virtus ſeu μεσότης eſt ἀλήθεια, cum tantũ profitemur, quantum res ipſa poſtulat, nec addentes nec diminuentes quicquam. εἰρωνεία tamen minus habetur uitioſa: ſæpe etiam laudi tribuitur, niſi ſit immodica, & manifeſtè falſa. Tum enim in ἀλαζονείαν uertitur: ſtatimq́; in promptu eſt, talem quærere laudatores.

Præripere hoſtium conſilia.) προαρπάζειν, ſiue φθάσαι, Græcè. Fit autem hoc, cum & hoſtium conſilia exploramus: & ijs exploratis, damus operam, non modò ut ipſi ab ijs tuti ſimus, ſed ut etiam lædere eos poſsimus, & ſuo quaſi gladio iugulemus.

CICERO.

Sunt his alij multum diſpares, ſimplices & aperti: qui nihil ex occulto, nihil ex inſidijs agendum putant, ueritatis cultores, fraudis inimici. Itemq́ alij, qui quiduis perpetiantur, cuiuis deſeruiant, dum quod uelint cõſequantur: ut Syllam & M. Craſſum uidebamus. Quo in genere uerſutiſsimum & patientiſsimum, Lacedæmoniũ Lyſandrũ accepimus: contraq́ Callicratidam, qui præfectus claſsis, proximus poſt Lyſandrũ fuit.

Boni uiri nihil inſidioſè ſimulant, aut diſsimulant.

Simplices & aperti.) Tales omnes boni uiri ſunt: Chriſtianos uerò in primis tales eſſe decet, quorũ ſermo eſſe iubetur, Eſt Eſt, Non Non, quorumq́; lingua & uita cum animo conſentire debet. Qui ſi nonnunquam ſimulant aut diſsimulant aliquid, (huiuſmodi enim exempla in Sacris etiam literis laudatorum uirorum occurrunt) fit hoc non inſidioſè, nocendi'ue cauſa: ſed ut uel alij, qui apertam ueritatem ferre non poſſunt, plus iuuẽtur, uel ipſi ab inſidijs & iniurijs aliorũ ſint tutiores. Eorum enim uita talis eſt, qualis eleganti illo Diſticho deſcribitur:

Hic ſcopus unus erit, cunctis prodeſſe, nocere
Nemini: amare bonos, & tolerare malos.

CICERO.

Itemq́ in ſermonibus alium, quamuis præpotens ſit, efficere, ut unus de multis eſſe uideatur: quod † in Catulo & in patre & in filio, idemq́ & in † Q. Mutio Mancino uidimus. Audiui ex maioribus natu, hoc idẽ fuiſſe in P. Scipione Naſica: contraq́ patrẽ eius, illum qui Tiberij Gracchi conatus perditos uindicauit, nullã comitatẽ habuiſſe ſermo-

ſermonis: ne Xenocratem quidem, ſeueriſsimum philoſophorum: ob eamq́ rem ipſam magnum & clarum fuiſſe. Innumerabiles aliæ diſsimilitudines ſunt naturæ, morumq́, minimè tamen uituperandorum.

V. L. Q. Mutio Numantino. In Catulo & patre & filio.

Innumerabilesq́ aliæ diſsimilitudines.) *His exemplis, quid per peculiarem ſeu propriam cuiuſq; naturam intelligi uelit Cicero, ſatis declaratur. Exempla aũt partim ex hiſtoricis petenda ſunt, partim Ciceroni referenti fides eſt habenda, quòd hiſtoriæ nonnullorum non extant. idq́; ubiq; faciendũ cenſeo: ut cum aliorum ſcriptorũ teſtimonia nos deſtituunt, autoritate noſtri cõtenti ſimus. Quod in Cicerone plurimis locis eſt neceſſarium: quòd acta priuata, in publica hiſtoriarum monumenta referri non ferè ſolent: eaq́; ignorare, nihilo turpius nobis eſt, quàm ſi neſciamus in Germania, quanti uinum in Thracia ueneat. Nam priuata omnia conſectari, non eruditionis & diligentiæ, ſed ſtultæ curioſitatis eſt.*

Hiſtoriarum fides, priuatarum præſertim, penes autorem eſto.

CICERO.

Admodum autem tenenda ſunt ſua cuiq́, non uitioſa, ſed tamen propria: quò facilius decorum illud, quod quærimus, retineatur. Sic enim eſt faciendum, ut contra naturam uniuerſam nihil contendamus: ea tamen conſeruata, propriam ſequamur: ut, etiamſi ſint alia grauiora atq́ meliora, tamen nos ſtudia noſtræ naturæ regula metiamur. Neq́ enim attinet repugnare naturæ: nec quicquam ſequi, quod aſſequi non queas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorũ illud: ideo, quia nihil decet inuita Minerua, ut aiunt, id eſt, aduerſante & repugnante natura.

Admodum autem tuenda ſunt.) *Expoſita naturarũ uarietate, præceptum ſubiungit, quod ad uitandam κακοζηλίαν facit: hoc eſt, uel ineptam uel infelicem imitationem. ineptam, ut cum diſcipuli, Platonis gibbum, balbutiẽ Ariſtotelis, Melanthonis neglectum ueſtitus & pingendarũ literarum exprimebant: infelicẽ, ut cum homunculi tenuibus ingenijs, exigua doctrina, humili fortuna, Ciceronianã grandiloquentiã, cum de nugis agũt, affectãt. Hæc igitur κακοζηλία non minus in uita, ac magis etiã, uitioſa eſt, quàm in oratione.*

κακοζηλία, id eſt, inepta & infelix imitatio, uitanda.

Non uitioſa.) *De adiaphoris loqui Ciceronem, antè diximus, ut de hilaritate, ſeueritate, urbanitate, geſtibus, ſermonibus, & ſimilibus rebus: quæ ſiue fiant, ſiue nõ fiant, nec prudentiæ, nec iuſtitiæ, nec fortitudinis, nec temperãtiæ laus omnino amittitur: ſed in ciuilitate morum & in familiari conſuetudine dexteritas ingenij, & actionis decus, aut lepos orationis deſideratur. Hæc itaq́; boni & prudentes uiri æqui boniq́; faciũt, ut qui animũ potius ſpectẽt q̃*

ἀδιάφορα.

Aulicorum moroſitas.

externam ſpeciem. Sed mulierculæ, & his ſimiles uiri, atq; in primis aulici, larua illa, in qua proram & puppim uirtutis ac ſapientiæ collocant, decepti, capitalem fraudem & inexpiabile ſcelus eſſe cenſent, unius ſolennis uerbi aut geſticulationis hiſtrionicæ aberrationem, etiamſi multis & raris uirtutibus compenſetur.

Quo facilius.) *Rectè enim Horatius:*

Naturam expellas furca licet, uſq; recurret. Item:
Tu nihil inuita dices facies'ue Minerua.

Ne hîc quoq; Gigantomachia quædam inſtituatur.

Contra naturam uniuerſam.) τὴν ἀνθρωπότητα, *ſiue* τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν: *quæ quatuor illis uirtutibus, id eſt facultate atque uſu rationis & orationis abſoluitur.*

Quid quiſq; aſſequi poſſit, non ſubitò conſtitui poteſt.

Nec quicquam ſequi, quod aſſequi.) *Hoc in adoleſcentia ſtatuere, difficile eſt. Sunt enim ingenia quædam initio tardiora, quæ ætate acuuntur. Sunt contrà, quæ prima ætate ſpem optimam de ſe præbeant, ſed citò quaſi defloreſcant ac decidant: id quod Hermogeni Rhetori accidiſſe fertur. Expectanda igitur eſt ætas matura, quam (quod ad ſtudia quidem literarum attinet) anno ætatis undecimo aut ad ſummum decimoquarto, (ſi quis fortaſſe tardius aut tardior ad diſcendas literas acceſſerit) definiri poſſe cenſeo. Sin de conſtituendo uitæ genere agatur, longiore ſpacio eſt opus, nec eodem omnibus. Sed tamen ſub annum uigeſimum, aut non multo antè, nec pòſt, facilè apparebit quæ ſint uires ingeniorum, quæ animorum affectiones, quæ facultates corporum.*

Inuita Minerua.) *Hæc eſt* ἀδυναμία φυσικὴ, *in certo aliquo doctrinarum aut actionum genere, & genius abhorrens ab aliqua re: quod Græci dicunt* ἀπειροφυγίας, *uel* κακῶς πεφυκγίας πρός τι.

CICERO.

Omnino ſi quicquam eſt decorum, nihil eſt profectò magis, quàm æquabilitas uniuerſæ uitæ, tum ſingularum actionum. Quam conſeruare non poſsis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam.

Conſtantia duplex.

Omnino ſi quicquam eſt.) *In hoc libello multæ laudes conſtantiæ continentur, quæ aliàs, ut dixi, ad fortitudinem refertur: & Græcè* εὐστάθεια καὶ ἀταραξία *dicitur: aliàs ad prudentiam, & rectæ rationis iudicium, quæ fortaſſe Stoica, licet dialectica uoce,* ἀμεταπτωσία *dici queat, quum & quid rectiſſimum ſit intelligimus, nec affectuum uarietate ab eo depellimur: ſicut fortitudinis eſt, neq; terrore periculi, neq; moleſtia laboris, ab honeſto propoſito depelli. Neq; uerò conſtantia hæc ſic accipienda eſt, quaſi homo ad unũ aliquod deliberationum & actionum genus, uelut in carcere concludatur (hoc enim negociorum & caſuum humanorum uarietas minimè patitur) ſed ut, quamuis conſilia & actiones ſint diuerſæ, ad unum tamẽ uirtutis ſcopum referan-*

Conſtantia ſcopum ſemper eundem ſpectat, non ſemper idem dicit & facit.

referantur. Nihil utiq; conſtantiæ deceſſerit, ſi ſis in funere ſeuerior, in conuiuijs hilarior: cum affluũt diuitiæ, largior & ſplendidior: iactura facta, parcior, & ad largiendum reſtrictior. Si confirmata ualetudine lucubres, eademq; afflicta & debilitata quieſcas. Neq; enim dij ſumus, quorum ut uita perpetuò beata, ſic etiam conſilia ſunt ἀμετάπτωτα. Quæ cur mutarent, eodem rerum ſtatu? Eſt aſſentiendum temporibus, ut alibi præcipit noſter autor: nec ſemper idem dicere aut agere, ſed ſemper idem ſpectare debemus. Debet enim prudentia, ut cæterarum uirtutum omnium, ſic etiam conſtantiæ huius eſſe moderatrix. Sententia eſt, κακοζηλίαν, quòd æquabilitatem uitæ in primis decoram & laudabilem impediat, uitandam eſſe.

CICERO.

Vt enim eo ſermone debemus uti, qui notus eſt nobis, ne, ut quidam, Græca uerba inculcantes, iure optimo † rideamur: ſic in actiones omnemq; uitam, nullam diſcrepantiam conferre debemus,

† *V. L. irrideamur.*

Vt enim ſermone eo.) *Conſtantia uerò ſeruatur facilimè, primùm ſi rationi pareatur, deinq; ſi magnitudo animi adſit: denique, ſi ἡ φυσικὴ ἰδιοτροπία obſeruetur.* Similitudine rei notioris, obſcuriorem illuſtrat.

Qui notus eſt nobis.) *Intelligendi ſunt, nõ dicentes tantùm, ſed etiam audientes, quorum cauſa data eſt à natura oratio.*

Græca uerba inculcantes.) *Scilicet oſtentandæ τῆς πολυγλωττίας ergò. Hac in re primum uitium, eſt ξενοδοξία: alterum, ἡ κακοζηλία, καὶ οἱ βαρβαρισμοί. Nam, ut uerba & ſententias rectè intelligas: tamen peregrinas linguas pauciſſimi rectè pronunciant, eaq; de cauſa pleriq; ridentur. Cauenda eſt igitur peregrinitas apud imperitos peregrinæ linguæ. Sed in colloquijs doctorum, & libris ſcribendis nihil uetat, quò minus uel ornatus & uarietatis gratia, uel ob proprietatem & emphaſin, Græca etiam & Hebræa admiſceantur. In quo illud uidetur obſeruandum, ut Hebræa Græcis, Græca Latinis, Latina barbaris, non contrà, uetuſtatis linguarum & autoritatis habita ratione, interſerantur. Ego autem hiſce meis Annotationibus Græca eo libentius admiſceo, ut ſtudioſos adoleſcentes ad par utriuſq; linguæ ſtudium incitem. Græcarum autem literarum rudes, ſi qui fortè hoc legerint, nullam facient iacturam. Nam aut ea uel antè uel pòſt latinè etiam dicuntur: aut τεχνικὰ ſunt, id eſt ad ſcholaſticam explicationem, & non propriè ad rem ipſam pertinent.* Græcorum uerborũ inculcatio.

CICERO.

Atq; hæc differentia naturarum tantam habet uim, ut nonnunquam mortem ſibi ipſi conſciſcere alius debeat: alius in eâdem cauſa non debeat. Num enim in alia cau-

ſa M. Cato fuit, alia cæteri qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt? Atqui cæteris forſitan uitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent: propterea quòd lenior eorum uita, & mores fuerant faciliores. Catoni autem, cum incredibilem tribuiſſet natura grauitatem, eamq́ ipſe perpetua conſtantia roborauiſſet, ſemperq́ in propoſito ſuſceptoq́ conſilio permanſiſſet: moriendum potius, quàm tyranni uultus aſpiciendus fuit.

Conſciſcere ſibi necem.

Atq hæc differentia.) *Videtur τὴν προκατάληψιν Cicero hic ſuam agere cauſam, quòd oppreſſa tyrannide Republica, tantus defenſor libertatis ſibi necem non conſciuiſſet: ut Cato, & poſtea Brutus. Id autem magni animi tum habebatur, mortem turpitudini & ſeruituti anteponere. Sed Platonici etiam, non tantùm Chriſtiani, nefas eſſe duxerunt, iniuſſu Imperatoris, id eſt Dei, de ſtatione uitæ decedere, & afferre ſibi manus. Et quidem paucos nunc reperias, qui hãc ſiue cõſtantiam ſiue æquabilitatem uitæ tanti emptam uelint.*

Alia in cauſa.) *Qui Pompeium ſequebantur, nobiliſſimi homines, maximaq́ pars Senatus, ſtudium defendendæ libertatis contra Cæſaris tyrannidem præſeferebant.*

Roborauiſſet.) *non agendo tantum, ſed etiam dogmate Stoico.*

In propoſito.) *Nihil autem iniqui proponebat, nullum ſtultum conſiliũ ſuſcipiebat. Nam abſq; eo ſi fuiſſet, nõ tam conſtantiæ nomine laudari, quàm & ſtulticiæ & pertinaciæ accuſari meritò potuiſſet.*

De ſemetipſo modeſtè & ſentiendũ & loquendum.

Permanſiſſet.) *Magnis ingenij neruis, ingenti animi robore, magnis etiam & multis fortunæ præſidijs ad eam rem eſt opus. Quibus rebus qui carent, cauti ſint, ne id conſilij capiant quod explicare non poſſint. Præſtat ſummiſſius & humilius de ſeipſo & ſentire & loqui, quàm defici uiribus, magna profeſſum.*

CICERO.

Quàm multa paſſus eſt Vlyſſes in illo errore diuturno, cùm & mulieribus (ſi Circe & Calypſo mulieres appellandæ ſunt) inſeruiret, & in omni ſermone omnibus affabilẽ & iucundum ſe eſſe uellet? Domi uerò, etiam cõtumelias ſeruorum, ancillarumq́ pertulit: ut ad id aliquãdo quod cupiebat, perueniret. At Aiax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quàm illa perpeti maluiſſet.

Vt ad id aliquando.) *Hæc ex Odyſſea Homeri cognoſcenda ſunt. Scopus autem eius fuit, occiſis procis, Penelopes pudicitiã ſolicitantibus, & rem familiarem abligurientibus, paternam domum ac principatum recuperare.*

At Aiax

At Aiax quo animo.) *Et huius ingenium ex Homero & Sophocle eſt cognoſcēdum. Sed omnium optimè ab Ouidio in Metamorphoſi deſcribitur, ἐν τοῖς ἀντιπάλοις λόγοις, ubi uiri fortis fert arma diſertus.*

CICERO.

Quæ contemplantes, expēdere oportebit quid quiſq; habeat ſui, eaq; moderari: nec uelle experiri quàm ſe aliena deceant. Id enim maximè quenq; decet, quod eſt cuiuſque ſuum maximè. Suum igitur quiſq; noſcat ingenium, acremq; ſe & bonorum & uiciorum ſuorum iudicē præbeat, ne ſcenici plus quàm nos uideantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſsimas fabulas eligunt.

Quæ contemplantes.) *Hinc Vlyſsis, Catonis & Aiacis exempla quò referātur, perſpicis: eò ſcilicet, ne Cicero Catonē, Aiax Vlyſsem, Vlyſſes Aiacem temerè imitetur. Neq; enim procedet imitatio, conſtantia ue ſeruabitur.*

Acrem.) *ſeuerum, ἀδέκαστον, cui τὸ γνῶναι ἑαυτὸν meditatum ſit. Φιλαυτία uitia noſtra plerumq; extenuat atq; excuſat, uirtutes exaggerat atq; amplificat. Sunt tamen quidam natura ita ſiue modeſti, ſiue moroſi, ut ipſi ſeſe calumnientur, nec unquam ſibi ſatisfaciant. Vitium hoc (ſi tamen uitium) utile eſt homini ad uitandam arrogantiam, & ad augendum proficiendi ſtudium. Sed tamen aliquando etiam obeſt, cum deſperatione fracti, ea tentare non audemus, quæ alij minus commodè præſtare poſſunt. Audacibus utile eſt habere inuidos, obtrectatores, inimicos, qui & uirtutes extenuent, & uitia amplificent: contraq; modeſti, candidi & ſinceris egent amicis, qui neq; gratiæ tribuant quicquam in laudando, neq; odio in uituperando. Sed rara hæc auis eſt, & rectè de ſeſe iudicare difficilimum. Vnde & Medici ſibi adhibere medicamenta, & Genethliaci de ſuo natalicio themate pronunciare uetantur.* Timidiores animandi. Audaciores reprimendi.

Ne ſcenici plus.) *A minori, & abſurdo. Etſi enim uita quoq; fabula dicitur: tamen longè diſtat ab ijs fabulis quæ in ſcenis aguntur, actusq; multiplices habet, & longos. Si igitur laudatur hiſtrio, qui decorū propter paucas horas, in re per ſe ludicra, tam diligenter meditatur: an non uituperandus erit is, qui nullam totius uitæ ſuæ rationem habet, nec in id ſtudet ut eam non modò commodè & iucundè, ſed etiam cum laude & gloria tranſigat?* Vita fabula.

CICERO.

Qui enim uoce freti ſunt, Epigonos, Medeamq;: qui geſtu, Menalippam, Clytemneſtram. Semper Rutilius, quē ego memini, Antiopā: non ſæpè Æſopus Aiacē. Ergo hiſtrio hoc uidebit in ſcena, quod nō uidebit ſapiens uir in uita?

in uita? Ad quas igitur res aptiſsimi erimus, in his potiſſimùm elaborabimus.

† *V. L. Rupilius.*

Qui enim uoce freti ſunt.) *Vt Comœdiæ aliæ ſtatariæ, aliæ motoriæ, aliæ miſtæ dicũtur: ita Tragœdiarum etiam, quamuis omnes turbulentæ ſint, & uehementi animorum motu conſtent: tamen in his ipſis turbis diſcrimina quædam reperiuntur.*

Qui uoce.) *Harum tragœdiarum Medea tantum (quod ego ſciam) & Aiax extant, reliquæ interciderũt. Contentio aũt uocis declarat iracundiam & indignationẽ: Geſtus uerò παθοποιίαν, & cõmiſerationem. Cæterum exẽpla hiſtrionũ & tragœdiarũ, illa ætate uulgo etiam nota, ad rem declarandã adhibentur. Quæ ab ijs qui ſcenicas actiones uiderunt, utcunq; intelliguntur.*

CICERO.

Sin aliquando neceſsitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenij non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea ſi non decorè, at quàm minimè indecorè facere poſsimus: nec tam enitendum eſt, ut bona quæ nobis data non ſunt, ſequamur, quàm ut uitia fugiamus.

Sin aliquando neceſsitas.) *Cuiuſmodi fuerit, ſi homo indiſertus cogatur in cœtu aliquo habere orationem: & philoſophicæ ſimplicitati aſſuetus, pompæ aulicæ aut celebritati nuptiarum ac funerum cogatur intereſſe. Rarò hîc effugitur deriſus: ad quem æquo animo ferendum, quiſque præparare ſeſe debet. Cicero quoq; Parthos timens, ſe bellicis officijs minus aptum Homericis uerſibus, una uoce mutata, citandis fatetur:*

τέκνον ἐμὸν, ὔτοι δέδοται πολεμήια ἔργα,
ἀλλὰ σὺ ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

Parentes hic ſui officij meminiſſe debent, ne liberos inuitos adigant aut abſtrahant, ſed acri iudicio naturas eorum & ingenia explorent, nec inuita Minerua quicquam tentent: ut etiam prius eſt admonitum.

CICERO.

Ac duabus ijs perſonis, quas ſuprà dixi, tertia adiungitur: quam caſus aliquis, uel tempus imponit. Quarta etiam, quam nobſmetipſis iudicio noſtro accommodamus. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, eaq́; quæ ſunt his contraria, in caſu ſita, temporibus gubernantur. Ipſi autem quam perſonam gerere uelimus, à noſtra uoluntate proficiſcitur.

Ac duabus.) *Mementote diuiſionis ſuprà expoſitæ. Vt enim decorum aliud eſt poeticum, aliud omnium uirtutum, aliud ſingularum, aliud modeſtiæ peculiare: ſic perſona alia eſt generalis, alia peculiaris, quæ Naturæ ſunt: alia fortuita, alia uoluntaria.*

Nam regna, imperia.) *In his ſuum Fortuna ludum, alijs ridentibus, alijs ringentibus, ludit.*

In caſu ſita.) *Nam aut regem aut fatuum naſci, aut imperatorem aut bubulcum, non eſt humani arbitrij. Hinc alij regna amittunt à maioribus accepta: alij ex humili fortuna uocantur ad regnum. Vnde illud de Ventidio Baſſo:*

Concurrite omnes augures, aruſpices,
Portentum inuſitatum conflatum eſt recens:
Nam mulos qui fricabat, Conſul factus eſt.

Temporibus gubernantur.) *Cur non prudentia potius? An uerò ſeruire tempori, hoc ipſum eſt prudentiæ proprium?*

CICERO.

Itaq; ſe alij ad philoſophiam, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiam applicant: ipſarumq; uirtutum in alia alius mauult excellere.

Itaq; ſe alij.) *De tertia perſona minus laborat Cicero, διότι ἡ τύχη ἀνυπεύθυνος: id eſt, quod Fortunæ rationē reddere nemo neq; debet, neq; poteſt: monere contentus, eas res eſſe inceretas, & ex tempore conſilium capiendum. Alia enim pacatis, alia bellicis temporibus conueniunt: alia ratio eſt rerum proſperarum, alia afflictarum. Quibus de rebus cùm autor noſter ſparſim, tum alij ex profeſſo præceperunt: ut de Regno, de gerenda Republica, de diuitijs, de exilio, de paupertate, & ſimilibus locis, non ſanè inutiliter, ſed magno potius cum eorum fructu & honore, qui parêre non recuſarint. Sed tamen quoniam ea quæ arbitrij noſtri ſunt, propius nos attingunt, in ijs præcipiendis eſt diligentior.*

Cōſilium ex tempore capiendum.

Loci ſeorſim tractati.

Ad philoſophiam.) *Hoc noſtro ſeculo res eò deuenerunt, ut tantùm externus ſplendor opulentiæ atq; ambitionis ſpectetur. Hinc in ſtudioſorum cœtu (cur enim non de noſtro ordine potiſſimùm dicamus?) tantus exiſtit numerus Iuriſconſultorum & Medicorum, ut uerendum ſit, ne incondita multitudo artes ipſas tandem opprimat, aut certè uiliores reddat. Philoſophiæ linguis eruditis, & mathematicis diſciplinis perpauci ſeriò ſtudent. Ad docendum populum, & ad erudiendam adoleſcentiam, non ferè accedunt, (nec id ſanè mirum, in tantis laboribus, in tam malignis præmijs, in ſolenni contemptu) niſi qui deſperatione coacti, nullum alium in literato genere uitæ receptum habent. Perturbationis huius cauſa eſt, quod homines locupletes, opibus & uoluptatibus ſuis inflati, ſuperuacaneam iudicant eruditionē. Pauperrimi igitur & ſordidiſſimi quiq; ſectantur literas, non tā honeſtate adducti, aut uoluntate ſuapte impulſi, quàm ſpe è ſordibus & miſerijs emergendi.*

Quæſtuoſæ artes in precio.

Philoſophia, Linguæ, Mathemata iacent.

Doctrina receptus paupertatis.

Quæ ſpes etſi improbanda non eſt., ſed laudanda potius, & alenda: tamen alius ſtudiorum eſſe debebat, ſpectariq́ue honeſtas potius quàm quæſtus, cuius immoderata cupiditas fœdauit omnia, nec ferè ullum inter artes liberales & mèchanicas (quas ueteres Βαναύσους, id eſt ſordidas dicebant)

Docti opificibus ſordidiores.

reliquit diſcrimen. Qui igitur eo fine tantum ſtudet, ut uictum paret: à cerdone uiliſsimo nihil differt. Qui autem in eo in primis laborat, ut formet iudiciũ

Veri fines ſtudiorum.

de rebus, ut expoliat linguã, ut omnẽ uitam ſuam Deo & conſcientiæ probet, unaq́; Reipublicæ inſeruiat: is tametſi doctrina ſua uictum quærat, tamen ſordido opifici multis nominibus eſt præferendus. Cõtrà, uiliſsimus opifex, modò

Opifices docto præferendi.

uir bonus, plurimũ antecellit erudito, per fas & nefas ad opes & dignitates cõtendenti, neglecta pietate, & honeſtate etiam ciuili. Neq; enim ullum ſceleratius, & omniũ & mortalium & immortaliũ odijs dignius hominũ genus eſſe poteſt, homine impio & improbo, quantumuis eruditus habeatur. Hæc uobis dico auditores, qui id ætatis eſtis, & eos in literis progreſſus habetis, ut intelligere poſsitis, & parentes ueſtros, ſi qui fortè hæc aut nõ conſiderant, aut non intelligunt, de ijs modeſtè admoneatis, quoniam id publicè fieri deſitũ eſt.

Alij ad philoſophiam.) *Enumerat honeſta quædam ſtudiorum genera,*

Philoſophia.

quibus & res & gloria parari poſsit. Philoſophia autem intelligenda eſt, non ea tantum quæ in Scholis docetur: ſed omnis humani ingenij uis, & animaduerſione ſolerti uſuq́; rerum parta cognitio. Itaq; ad Philoſophiam pertinet τὸ θεωρητικὸν μέρος, non modò opificiorũ, quæ ſuis theorematis inuenta & conſtituta ſunt: ſed etiã Agricultura, qua nihil habetur à Philoſophia alie-

Agriculturæ philoſophia.

nius. Eſt enim in eo certè philoſophia quædam, ſiue ingenij acumine deprehenſa, ſiue uſu et experimẽtis obſeruata, intelligere, quæ terra quibus frugibus & ſtirpibus ferendis apta ſit, quo tempore omnia ruſtica opera facienda ſint, quo item fruges percipiendæ & cõdendæ. Hæc, cũ conſuetudine fiunt, ut uulgo plerunq́;, ἀφιλόσοφα ſunt. Cum aũt certa ratione, cauſisq́; cognitis: philoſophica

Opificiorum philoſophia.

ſunt habenda. Eadem, ac potior etiam, ratio opificiorum eſt: quæ ut conſuetudine & exemplis exercentur, ita in inueniendo maximam philoſophiam poſtularunt. Quid enim ſubtilius inuentione bombardarum, molendinorum, horologiorum? ne alia commemoremus. Hæc igitur omnia & inuenta & obſeruata ſunt à philoſophis, non fortaſſe palliatis illis & barbatis, ſed ijs

Omnis homo ingenioſus, inchoatus philoſophus, doctrinis perficiendus.

certè qui aciem ingenij ad naturæ arcana perſpicienda intenderunt. Omnis enim homo qui ſana mente eſt, quamuis planè illiteratus, philoſophus eſt: hoc eſt, ſemina quædam in natura ſua habet, ad cauſas rerum inueſtigandas. Ad quæ cum diligens doctrinæ cultura acceſſerit, inchoata illa philoſophia & rudis atq; inops augetur, expolitur, atque perficitur. Quod ſi philoſophorum & philoſophiæ nomen ad hunc modum, uti omnino debet, acciperetur: faceſſerent ea uulgi dicteria, quibus honeſtiſsima profeſsio contaminatur. Qui

Theologia. Iuriſprudẽtia. Medicina.

enim philoſophũ deridet, ſe ipſum ex parte deridet, quodcũq; uitæ genus ſequatur. Theologia quidẽ ſua principia non ex humana ratione, ſed ex diuina patefactione repetit. Medicina autem et Iuriſprudentia, aut ipſæ philoſophia quædam.

dam ſunt, aut è philoſophiæ fontib. deriuantur. Neq; uerò rationis uſus in re-
bus Theologicis magis excludendus uidetur, (nam ideo boues atq; aſini Theo
logiæ capaces non ſunt, quia ratione carent) quàm ſenſus auriū atq; oculorū, Rationis in Theologia uſus.
quibus Sacræ literæ & leguntur & audiuntur. Rationis autem in rebus diui-
nis uſus hic eſt, ut ea ſe miniſtrā & pediſſequā, non magiſtrā & dominā eſſe 1
norit. Theologia dicit, Mundū paucis abhinc annorū millibus eſſe cōditū, bre Theologiæ & philoſophiæ pugna.
uiq́; periturū: Ratio magis æternitatē probat. Theologia hominē immortalē à
Deo factū, ſuapte culpa periiſſe affirmat: Ratio peccata, morbos, calamitates, 2
mortē, materiæ fluxæ ſordibus, & mundi loco abiectiſſimo aſſcribit. Theo- 3
logia non niſi per Chriſti Dei & hominis ſuppliciū iram Dei placari poſſe, nec
eum niſi ex præſcripto ſuo coli uelle pronunciat. Ratio primùm iraſci Deū ne
gat: deinde uelle hominē eſſe ſanctū, eidemq́; peccandi non ademiſſe licentiam
atq; facultatē, per abſurdū putat: ſummā aūt illam & infinitā Maieſtatē uer-
mi contemptiſſimo iraſci, & illi conformē fieri, & alterius peccatū alterius
pœna lui, concoquere nullo modo poteſt. Iam uerò nō probari Deo, quod bono
ſtudio fiat, & maximā ac præſtantiſſimā hominum partem ob exigui delicta
leuicula temporis, æternis addici, & non dicendis cruciatibus: id uerò à Dei
bonitate & æquitate tam cenſet alienū, ut ita ſomniare, nedum docere, mani-
feſti eſſe furoris arbitretur. Prætereo alia infinita, quæ ex diametro cum phi
loſophia pugnāt. Vnde fit, ut maxima etiā pars Chriſtiani nominis, à Chriſti Pleriq; nomine Chriſtiani, re philoſophi, & quidē Epicurei.
doctrina & religione ſit aliena, & animis atq; moribus abhorreat, quamuis
tempori & loco ſeruiat. Fides enim Dei donū eſt, quod pauci petūt. Itaq; id ple
riſq; uſu uenit, quod D. Paulus ait: σοφοὶ φάσκοντες εἶναι ἐμωράνθησαν, καὶ γίνε-
ται ἡ φιλοσοφία κενὴ ἀπάτη, δι' ἧς συλαγωγοῦνται οἱ ἀσεβεῖς. *Hinc multi* Criminatores philoſophiæ.
philoſophiā ut non modò incertā atq; inutilē, ſed etiam ut impiam & perni-
cioſam deteſtantur. Ac multi quidem in ea calumnianda uires ingenij ſunt
experti, adducti (ut opinor) quorundam, qui philoſophorū ſibi nomen arroga μωρόσοφοι, οὐχὶ δὲ φιλόσοφοι.
runt, & diſſenſionibus & monſtroſis opinionibus: quas ut uel ſtulticia pepe-
rit, uel ambitio, ſic uel pertinacia uel auaricia propagauit ac defendit. Sed ſi
uera philoſophia eſt rationis de ciuilibus ac naturalibus rebus ſubactū & ex
politum iudiciū, longo uſu & experientia diuturna partum & confirmatū:
ſtudium hoc, poſt doctrinam religionis, & ampliſſimum & iucundiſſimum
eſt, & homine maximè dignum. Aptiſſimum aūt fuerit hominibus locupleti Philoſophiæ ſtudium diuitibus aptiſſimum.
bus, & non nimiū occupatis, qui literatū illud ociū tolerare poſſunt. Etſi exē-
pla non deſunt eorum, qui uel in ſumma paupertate, ut Cleanthes & Epicte-
tus: uel in ſummis opibus & occupationibus, ut Cicero et M. Antoninus Im-
perator, γνησίως *philoſophati ſunt. Sed noſtra ætas, ut cæteris in rebus, ita*
& in hac parte multum abeſt ab induſtria & tolerantia ueterum: & om-
nium diſciplinarum ſtudia, ut antè quoq; diximus, à pleriſq; uel ad quæſtum,
uel ad ambitionem referuntur.

Ipſarumq́ uirtutum in alia.) *Vt Nicocles apud Iſocratem, qui Mode-*
ſtiam & Iuſticiam Fortitudini & Prudentiæ ſe prætuliſſe dicit: fortaſſe

quòd neruis ingenij atq; animi robore, ſine quibus Prudentia & Fortitudo conſtare nequit, deſtitueretur.

Mauult excellere.) *Eo quòd adiumenta naturæ ad illas uirtutes parandas habere ſibi uidetur, cum cæteras non æquè aſſequi poſſit.*

CICERO.

Quorum uerò patres aut maiores gloria aliqua præſtiterunt, ij ſtudent plerunque eodem in genere laudis excellere: ut Q. Mutius P.F. in iure ciuili, Pauli F. Africanus in re militari.

Suam cuiq; Naturam & Fortunã eſſe conſiderandam.

Quorum uerò patres.) *Quicquid apud præſtantes autores legitur, ad noſtram utilitatem, quantum res ſinit, accommodandum eſt. Conſideret igitur quilibet adoleſcens, quibus parentibus ſit ortus: quas rei familiaris copias habeat: quo ingenio, quo animi uigore ſit: in quæ loca & tẽpora inciderit: atq; ex his omnibus paulatim perſpicere incipiat, quò ſe peruenire poſſe probabile ſit, in eoq; elaboret. Illud tamen teneat, utriuſq; linguæ cognitionem, dicendi artes, & philoſophiæ, eius præſertim quæ de moribus eſt, ac mathematum principia, in omni uitæ genere maximo ſibi & uſui & ornamento fore. Quibus perdiſcendis dum occupatur, confirmata ætate & iudicio, rectius de conſtituendo uitæ genere deliberabit. De Chriſtianæ pietatis elementis, & lectione Bibliorum perpetua nihil dico: quòd non modò inter eruditos, ſed uix inter homines ſibi relinquit locum, qui methodum religionis noſtræ non tenet, ſcriptaq; Prophetarum & Apoſtolorum ignorat, quorum fundamentis Eccleſia catholica in ædificata eſt, atq; innititur.*

Quæ omnibus tenenda ſint.

CICERO.

Quidam autem ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, addunt aliquam ſuam: ut hic idem Africanus, eloquentia cumulauit bellicam gloriam. Quod idem fecit Timotheus Cononis filius: qui cum belli laude non inferior fuiſſet quàm pater, ad eam laudem doctrinæ & ingenij gloriam adiecit.

Quidam autem.) *Hi uerò magnam & ueram laudem aſſequuntur, qui paternam uirtutem non modò imitantur, ſed etiam ſuperant. Aliàs ἡρώων υἱοὶ βλάβαι prouerbio dicuntur. Noſtra ætate neſcio qui fiat, ut celebrium Theologorum filij pleriq;, quamuis ingenioſi & ſtudioſi, quoduis potius ſtudium quàm Theologicum ſequantur: idq; non tam ſua ſponte, quàm conſilio & autoritate parentum. Quod equidem mirarer, niſi multa mirari iam olim deſyſſem. Illud tamen hic addendum, paucis contingere illuſtres patres: paucioribus id dari, ut eos ſuperent: multos patribus ſimiles naſci: plures illis, Homero autore, deteriores.*

Sacerdotium in tribu Leuitica non permanens.

οἱ πλέο-

οἱ πλέονες, inquit, κακίους, παῦροι δέ γε πατρὸς ἀρείους. Et Horatius:

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem uitioſiorem.

Quæ cum ita ſint, non peſſimè ſuis conſulere plerique uidentur, qui ad ſuas artes inſtituunt liberos, in quibus nulla eximia indoles apparet, ſed uulgare quiddam & patrium, aut eo etiam deterius. Præſtat igitur cerdonem bene conſuere calceos, quàm aut artificium ſubtilius aut ſtudia literarum infeliciter conſectari. Sed ſi quando acciderit, ut natus ferrei aut argentei generis (ut eſt apud Platonem) tranſeat in genus aureum: tum alta ſpectanda erunt, & ad ea honeſtis ſtudijs contendendum.

CICERO.

Fit autem interdum, ut nõnulli omiſſa imitatione maiorum, ſuum quoddam inſtitutum ſequantur: maximeq́ in eo plerunq; elaborant ij, qui magna ſibi proponunt, obſcuris orti maioribus. Hæc igitur omnia, cum quærimus quid deceat, complecti animo & cogitatione debemus.

Fit autem interdum.) *Hoc ſtudioſis literarum plerunq; faciendum eſt, quorum maxima pars obſcuris & pauperibus parentibus orta eſt. Nam ut Græco prouerbio dicitur, ἀγρυπνία τὴν σοφίαν εἴλαχε. Cum autem, ut Latinus poeta ſcribit,* Magna induſtria pauperibus opus, res meliores quærẽtibus.

Haud facilè emergant, quorum uirtutibus obſtat
Res anguſta domi: —

ſingulari eis induſtria, labore, tolerantia, conatu multiplici eſt opus, ſi uotorum fieri compotes uoluerint. Videntur autem ſua pte induſtria potius quàm fortunæ beneficio (etſi abſq; hac parum ſanè ualet ipſa induſtria) emergendi quatuor potiſſimùm eſſe occaſiones: Fauor magnorum Principum, aut fidelißimis officijs, aut callidißimis obſequijs emerendus: Mercaturæ ſolertia: Rei militaris peritia: Literarum excellentia, ſub quibus etiam ſacerdotia comprehendi uolo, ut ſub mercatura Plutonica illa regna, rem metallicam dico. Sed hæc & maximum ingenij uigorem, & longum tempus, & ingentes labores poſtulant. Vnde Lucianus (nam hæc ad literas maximè pertinent) παιδεία καὶ πόνου πολλοῦ, καὶ χρόνου μακροῦ, καὶ δαπάνης οὐ σμικρᾶς, καὶ τύχης δεῖται λαμπρᾶς. Subitò autem & facilimè beat, Res non parta labore, ſed relicta. Etiam locupletes nuptiæ multis profuerũt. Sed duram habent plerunque ſeruitutem, aliquando quoq; turpem coniunctam: quia

Occaſiones emergendi. Proceres. Mercatura. Militia. Literæ. Sacerdotiũ. Metalla. Hæreditas. Coniugium.

Intolerabilius nihil eſt quàm fœmina diues.

Quare Martialis non infacetè reſpondet amicis:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.

CICERO.

In primis autem conſtituendum eſt, quos nos & quales eſſe uelimus, & in quo genere uitæ. Quæ deliberatio eſt omnium difficilima.

Omnes malę artes repudiandæ.

Quos nos, & quales.) *Illud dubium non eſt, omnes uelle ſe & diuites & honoratos eſſe, & beatos: atq; in eo conſentiunt omnes. Sed alijs alij rationibus, uarijsq́; uitæ generibus huc contendunt. Qua de re libro ſecundo copioſius & diſtinctius agetur. Cum autem hic uir bonus formetur: omnes impoſturæ, omnia callida aucupia, omnia flagitia & ſcelera excluduntur.*

Vitæ genus.

Quos nos.) *Etſi συνωνυμίαν eſſe puto, pro, quam uitæ rationem amplecti uelimus: tamen ſi diſtinguere placet, τὸ Quos referatur ad uitæ genus, milites an pacatos, priuatos an politicos, mercatores an philoſophos, maritos an cœlibes, negocioſos an ocioſos?*

Ratio morũ recta inſtitutione gubernanda.

Et quales.) *Hoc ad mores pertinere uidetur: de quorũ uarietate paulo antè locutus, in alijs multũ leporẽ eſſe dixit, in alijs ſingularem ſeueritatẽ, in alijs multam hilaritatem. Alios eſſe ambitioſos & triſtes, alios εἴρωνας, alios callidos alios ſimplices et apertos. Maxima deniq; naturarũ eſſe diſcrimina, quæ ratione gubernari & flecti, atq; etiã propè mutari poſſunt. Alioqui enim fruſtra ſuſcepta eſſet hæc inſtitutio.*

Maturè de uitæ genere cogitãdum.

Quę deliberatio.) *Meminerint igitur adoleſcentes, non in diem ſibi uiuendum eſſe, ſed de certo uitæ genere maturè cogitandum, & ad id omnia cõſilia eſſe referenda. Nihil enim nocentius eſt (Platone autore, teſte experientia) quàm ſerò id diſcere, quod per omnem ætatem erit agendum: contraq́; nihil utilius, quàm & ſeriò & ioco illud ipſum perpetuò tractare. Neque uerò hinc ſequitur, ſi iuriſconſultus eſſe uelis: linguas, hiſtorias, bonas artes, Sacras literas tibi eſſe negligendas. Imò quò rectius iuriſconſultum agas, & iuſticiæ ſacerdotem, hæc in primis diſcenda tenendaq́; ſunt.*

CICERO.

Ineunte enim adoleſcentia, † cùm eſt maxima imbecillitas conſilij, tum id ſibi quiſq; genus ætatis degendæ conſtituit, quod maximè adamauit. Itaq; antè implicatur aliquo certo genere curſuq; uiuendi, quàm potuit, quid optimum eſſet, iudicare.

† *V. L. cui ineſt.*

Adoleſcẽtiæ felicitas.

Ineunte enim adoleſcentia.) *Adoleſcentia feliciſſima eſt, propter ingenij, animi & corporis uigorem. Deinde nullis ferè ſolicitudinibus: nullis,*

aut

aut exiguis certè, negocijs diſtrahitur. Denique cum ipſius naturæ curſu longum adhuc uitæ ſpacium habeat reliquum, non ſine cauſa multa & magna ſperare ſolet: nec ferè fruſtratur uotis, niſi ipſa ſibi defuerit. Poteſt enim adoleſcens & eruditionis & uirtutis compos fieri, & honores ac dignitates etiam adipiſci. Contrà, eadem miſerrima eſt, ob ignorantiam, quia bona ſua non intelligit. Deinde ob ingratum animum, quòd Deo & ijs per quos rectè inſtituitur & fouetur, gratiam non habet: quod uitium teterrimum eſt, & ſuis pœnis non caret. Huc accedit, nugandi & ignaui ocij maius quàm honeſti laboris ſtudium: ne quid dicam de Lerna quadam uitiorum, atque in primis libidinis ſtimulis, quibus acti plerique magnas ſibi, eaſque perpetuas calamitates accerſunt: deprauatoq; iudicio ea ſtudia ſequuntur, quæ nec honeſtiſſima ſunt, & à natura eorum ſæpè abhorrent.

Eiuſdem miſeria.

Nimis igitur uerè Cicero, deliberationem hanc omnium eſſe difficilimam ait: rectéque monet, diuini potius eſſe beneficij, quàm humani ingenij, optimam ingredi uitæ uiam. Quod quemadmodum conſequendum ſit, etſi ipſi conſecuti non ſumus (conſilium enim & Fortuna defuit) & ardua res eſt: pro tenuitate tamen ingenij noſtri, & modico rerum uſu, pauca dicamus. Quanquam enim & anteà nonnulla quæ huc pertinerent monuimus, & ipſe autor quædam eius generis ſubiungit: tamen non inutile erit, rem tantæ utilitatis ſæpius etiam inculcari.

Difficultas deliberationis de uitæ genere.

Cum igitur ſucceſſus grauiſſimæ huius deliberationis (ut paulò antè dictum eſt) diuini potius beneficij quàm humani ingenij ſit: primùm omnium ſupplicibus uotis diuinum auxilium expetendum eſt: orandumq;, ut pectora noſtra cœleſti perfuſa lumine, atq; ab erroris & inſcitiæ tenebris uindicata, perſpicere poſſint, quid & Deo gratum, & publicè omnibus priuatimq; nobis utile honeſtumque ſit futurum. Docent enim Sacræ literæ, Sapientiam, ut & cætera omnia, petendam eſſe à Deo: & ipſius Sapientiæ initium, timorem eſſe Domini. Is timor ſi non ſeruilis & ſuperſtitioſus, ſed liberalis & religioſus fuerit: primùm omnium ad θεογνωσίαν καὶ θεοσέβειαν contendet. θεογνωσία, & naturæ Dei, & uoluntatis erga nos cognitionem complectitur. θεοσέβεια monſtrat eos cultus, qui Deo grati acceptique ſunt. Vtrunque autem è Sacrarum literarum oraculis eſt petendum. Mens enim humana, niſi diuinitùs illuſtretur, in Deo & cognoſcendo & colendo hallucinatur, ac pernicioſis erroribus Deoq; inimiciſſimis implicatur. Rectè igitur Propheta: Lucerna (inquit) pedibus meis uerbum tuum. Eſt igitur tenenda Chriſtianæ religionis ſumma, è ſacris deprompta literis: quæ & ipſæ nocturna diurnaque manu uerſari debent. Audiendæ ſunt piæ conciones: colloquendum eſt amicè, diſcendique ſtudio, cum doctoribus & pietate præſtantibus. Hunc Domini timorem comitabitur ea cura, ne quid admittas, quod Deo diſpliceat: ne quid omittas, quod illi gratum eſſe noris. Non modò non offendes aut lædes quenquam: ſed pro uirili operam dabis, ut omnes

1. Inuocatio numinis.

θεοφοβία. θεογνωσία. θεοσέβεια.

Exercitationes pietatis.

Piæ uitæ ſtudium.

adiuues

adiuues atq; ornes, ut monet aureum illud ſiue Melanthonis ſiue Glareani paulò antè recitatum Diſtichon, perpetua memoria dignum:

Hic ſcopus unus erit: Cunctis prodeſſe, nocere
Nemini: amare bonos, & tolerare malos.

De inuocatione autem diuinæ opis, hi uerſus Ioachimi Camerarij teneantur:

In tenebris noſtræ & denſa caligine uitæ,
Cum nihil eſt toto pectore conſilij:
Turbati erigimus, Deus, ad te lumina cordis,
Noſtra tuamq; fides unius orat opem.
Tu rege conſilijs actus pater optime noſtros,
Seruiat ut laudi noſtrum opus omne tuæ.

2. Scopus actionum. ¶ *Altera ratio huius deliberationis, poſita uidetur in uero ſcopo actionũ, ſtudiorum, ac totius uitæ noſtræ. A' quo plerią; turpiter aberrant, ut & Satyricus teſtatur his uerſibus:*

Omnibus in terris, quæ ſunt à Gadibus uſq;
Auroram & Gangen, pauci dignoſcere poſſunt
Quæ ſint uera bona, aq; illis diuerſa, remota
Erroris nebula. ——

Debet autem finis & ſcopus uitæ noſtræ eſſe, neq; honoris, neq; pecuniæ, neq; uoluptatis ſtudium: ſed in eo laborandum eſt, ut Deo placeamus, ut Reipublicæ ſimus utiles, quocunq; loco, quibusq; officijs poſſimus. Ad cœleſtem patriam per huius exilij ærumnas cõtendendum. *Ad nos ipſos autem quod attinet, in eo omne ſtudium, omnis opera ponenda eſt, ut locum in cœleſti Republica, peracto huius uitæ curriculo inueniamus: ac meminerimus, ὅτι ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ἐστι. Siue Socrates, ſiue quis alius, ſe κοσμοπολίτην εἶναι profeſſus eſt: nos οὐρανοπολίτας eſſe debemus.* Victus & amictus. *De reliquis, cum diuo Paulo ἔχοντες σκεπάσματα καὶ διατροφάς, τούτοις ἀρκεσθησόμεθα, οὐ τὴν παροῦσαν πόλιν στέργοντες, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦντες.* 3. Conſilia prudentum. *Tertio loco requiritur, ut antè dictum eſt, locorum, temporum, ſtudiorum, & ſuipſius denique cognitio: quæ cum difficilis ſit, uel candidiſſimis & liberrimis amicis, uel acerrimis inimicis eſt opus. Nemo igitur ſuo unius iudicio niti debet: ſed uiros pios, prudentes, doctos, ætate & uſu rerum inſtructos, & benè cupientes, in conſilium adhibere.* 4. Exempla. *Prodeſt etiam exemplorum obſeruatio, ut uideas quid cuique, in quouis probato uitæ genere ſucceſſerit, quid minus?* 5. Præparatio ingenij. *Poſtremò, præparatio illa & cultura ingenij, utriuſque linguæ, bonarumque artium ſtudijs, multum adiumenti cuique afferet, & ad ſeipſum cognoſcendum, & ad uitæ genera rectius dijudicanda. Hæc uera & utilia eſſe perſuaſum habeo: ſed ſi ab aliquibus Epicuri de grege porcis (quæ maxima turba eſt) ridebuntur, ut βεκκεσέληνα, & anilium deliramentorum ſimilia, non erit mirandum. Neque etiam propterea quòd à ſtultis & improbis contemnantur, minus utilia ijs qui ea obſeruarint, cognoſcentur.*

CICE-

CICERO.

Nam quòd Herculem Prodicus dicit (ut eſt apud Xenophontem) cum primùm pubeſceret (quod tempus à natura ad eligendum, quam quiſq; uiuendi uiam ſit ingreſſurus, datum eſt) exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem, diu ſecum multumq; dubitaſſe, cum duas cerneret uias, unam VOLVPTATIS, alteram VIRTVTIS, utram ingredi melius eſſet: Hoc Herculi, IOVIS SATV EDITO, potuit fortaſſe contingere: nobis non item, qui imitamur quos cuiq; uiſum eſt, atq; ad eorum ſtudia inſtitutaq; impellimur.

Nam quòd.) *προκαταληπτικῶς monet, Non eſſe in tanta re ceſſandum, aut in ignauis uotis acquieſcendum.* σὺν δὲ τᾷ χειρὶ ποτιφέροντα, ὤδη καλεῖσθαι τὼς θεώς: *ut Doricum prouerbium docet.* Flectūt ignauæ numina nulla preces.

Quod tempus à Natura.) *Pubertatis tempus anno ætatis decimoquarto in maribus, in fœminis duodecimo definitur. Modeſtinus autem plenam pubertatem annis octodecim terminat. Vtcunq; ſit, alij citius, tardius alij pubeſcunt, pro ratione craſeos calidioris aut frigidioris, nec corporum tantū, ſed etiam regionum. Ioni quidem ſuo Callimachus & celerem lanuginem, & in puerili ætate perfectam ſapientiā tribuit:* ταχινοὶ δέ τοι, *inquit,* ἦλθον ἴουλοι, ἀλλ' ἔτι παιδνὸς ἐὼν ἐφράσσαο πάντα τέλεια. Adoleſcētia procliuis ad libidinem.

Eſt autem illa ætas, quæ à decimoquarto uſq; ad uigeſimum primum gubernationi Veneris ab Aſtrologis tribuitur, procliuis ad libidinum illecebras, et in maximo pudicitiæ amittendæ periculo conſtituta. Quare ſeuera animaduerſione parentum & præceptorum eſt opus, ni quis ſponte à flagitijs abhorreat, prudenterq; peccandi occaſiones declinet, matureq; iacturam theſauri irrecuperabilis, & æternā pœnitentiā caueat, ὅτι οὐδέν ἐστι πλέον ἀνιωμένῳ. *Imitetur prudens adoleſcens Demoſthenem, à quo cum Lais iniquum precium poſtulaſſet.* οὐκ ὠνοῦμαι τοσούτου, *inquit,* μεταμέλειαν. *Ille uerò pœnitentiā non modò non magni emat, ſed etiam ultrò oblatas occaſiones ab impudicis mulierculis ſeueriſsimè aſpernetur, Ioſephi patriarchæ exemplo. Imò nullis muneribus, nullis pollicitis, nullis minis adducatur, ut offendat Deum, ut corrumpat ingenium & ualetudinem, ut famæ ſuæ labem aſpergat, ut iacturam caſtitatis faciat irrecuperabilem. Exiguum (inquit Eccleſiaſticus) eſt precium meretricis, nempe unius panis. at illa precioſas animas capit. Cogitet potius (ut ad rem redeam) de uita ad Naturæ, ac potius ad Dei Optimi Maximi præſcriptum inſtituenda. Quę cogitatio nihil ocij concedet ad libidines in tanta & magnitudine & multitudine earum rerum, quas & diſcendas & perficiendas ſibi proſpiciet: ſi cum laude & gloria uelit uiuere, ac uitam ſuam mortemq; & Deo & hominibus probare, plurimisq; carere malis, quæ libidinoſam atq; intem-* Cauenda pœnitentia. Rerum cura ſuſcipienda.

N perան

Turpis Lyſimachi deditio.

perantem adoleſcentiam uſq; ad ſepulchrum perſequuntur. Caueant exemplum Lyſimachi, qui cum in Thracia ſiti coactus deditionem feciſſet, hauſta aqua: Ob quantillam (inquit) uoluptatem quantum decus amiſimus? quantam cladem accepimus?

Vnam uoluptatis, alterã uirtutis) *Contentionẽ hãc elegãtiſſimo carmine elegiaco deſcripſit Ioachim' Camerarius, in libello cui titulus eſt, Præcepta uitæ puerilis: quod nos Enchiridio Epicteti et Tabulæ Cebetis ſubiecimus.*

Vtram ingredi melius eſſet.) *Hoc eſt, præſtaret'ne uirtuti ſtudere per laborem, an ignauum ocium agere, luxuriaq; diffluere? Deliberatio hæc cadit in homines locupletes: in pauperes uerò non temerè cadit, niſi turpiter egere uelint. Nam honeſto labore parandum eſt, unde uiuant: & lectuli tabulæ grandioribus literis aſſcribendum, πεινήσεις, ἀλλ' ἐπανίστω: Eſuries, ſi non ſurrexeris. & alterum: οὐκ ἀεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς:*

Aeſtas non ſemper fuerit, componite nidos:
Approperat tacito curua ſenecta pede.

Hoc Herculi.) *Si non mutila, at elliptica & durior uidetur oratio. utcunq; tamen ferẽda. ſi ſic coniungas: Nam quòd Herculẽ Prodicus dicit, &c. Hoc Herculi Iouis ſatu edito, &c. Vt ſit emphaſis in repetita uoce Herculis: & ipſa deliberatio diuinæ indoli, fortuita uerò cæterorum imitatio temeritati uulgari tribuatur. Intelligendum autem id eſt, quod diſertè Xenophon expoſuit: Herculem uiam Virtutis prætuliſſe Voluptati, Virtuteq; duce ac magiſtra uſum eſſe. Ad hoc argumentum pertinet Litera Pythagoræ apud Virgilium, item duæ uiæ & portæ Euangelij. Eiuſdem argumenti eſt etiam Tabula Cebetis, ſcriptum ingenioſiſſimum & utiliſſimum. aliaq; complura idem declarãt, ut* DEVS *& ſathan, Cœlum & terra, Beatorum ſedes & inferi, Anima & corpus, Ratio & appetitus: deniq; infinita id genus.*

Iouis ſatu edito.) *Videtur è Tragico aliquo poeta ſumptum. neque enim Oratoriam phraſin redolet hæc metaphora.*

Herculanam felicitatẽ nobis non eſſe negatam.

Nobis non itẽ.) DEA VIRTVS ET VOLVPTAS *nõ magis apparuerũt Herculi, quàm nobis. Sed uiri ſapientis oratio. ſpectra huiuſmodi generoſi adoleſcẽtis animo ingerẽs, effecit, ut breui et turpi uoluptati æternũ uirtutis decus anteponeret. Quid uerò obſtat, quo minus etiã nunc bonæ indolis adoleſcens, recteq; inſtitutus, & deliberet de conſtituendo uitæ genere, & in ea deliberatione non aberret, ijs rationibus obſeruatis, & ſi quæ ſunt fortaſſe meliores, quas modò præſcripſimus? Illud quidẽ uerum eſt, paucos ea eſſe ſiue prudentia, ſiue felicitate: nec, ſi pauci ſunt, eò cæteri non peccant: nec errantium multitudo uel errori patrocinatur, uel temeritas pœna ſua caret.*

CICERO.

Plerunq; autem parẽtum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem, moremq; deducimur.

Hæreditariæ artes.

Plerunq; autem.) *Sic Hippocratis familia medicinæ poſſeſſionem diu retinuit.*

retinuit. Apud Iudæos et Aegyptios hæreditaria fuère ſacerdotia. Deducuntur autē à patribus filij ad ſua ſtudia, ſi proſpero in ijs fortunæ flatu ſunt uſi: neq; liberorū diuerſa plerunq; ingenia, geniosq́; diſſimiles cōſiderāt. Sic pater meus GEORGIVS VVOLFIVS *uir prudentia & bonitate ſingulari, cū Præturā comitatus Oetingēſis multos annos geſſiſſet, aq́; natura & ad dicendū & agendū adiumenta haberet, et ingenij & corporis uigore præſtās: ad idē uitæ inſtitutum me quoque pertrahere cupiebat, nec ſatis firmo corpore præditū, & ad philoſophicam tranquillitatem natura propenſiorē. Cū autem eſſet mei amantiſſimus, & indulgētiſſimus pater, tandem precibus meis ceſſit, quāuis inuitus: metuēs ſcilicet, ne puerili incogitantia rebus meis malè conſulerē. Sed me facti nūc quidem nō pœnitet, etſi (uerū ut fateur) priuſquā Auguſtanæ Reipublicæ eximia liberalitate meis cōmodis conſultū fuit, ſæpè pœnituit, nō alia de cauſa magis quàm quòd meis ſtudijs ociū negabatur. Nam fortunæ quidē tenuitatem, & paruas operæ precia nunquā me tantopere ſolicitum habuerunt. Parendū quidem eſt parētibus, ſi aliud ab eis impetrari nō poteſt. Sed nec parentes autoritate ſua debēt abuti, cogendo liberos ſuos ad res nō inhoneſtas illas quidē, ſed tamē illorum naturæ et genio repugnantes. Atq; adeò Reipublicæ intereſt, curare ut eas quiſq; diſcat artes, ad quas ab ipſa natura impellitur. Sed hoc quidē fiet ad Calēdas Græcas. Quare nugari deſinamus, præſertim cum hic locus & copioſus ſit: & ita paucis tractari nō poſſit, ut partis utriuſq; & liberûm & parentum incommoda caueantur.*

CICERO.

Alij multitudinis iudicio feruntur: quæq; maiori parti pulcherrima uidentur, ea maximè exoptant.

Quæq; maiori parti pulcherrima.) *Vt belli temporibus fortitudo militaris in admiratione eſt, in Academijs eruditio, in mercatorijs urbibus pecunia, in Aulis oſtentatio & uanitas. Principū quoq; ſtudia multum in hoc genere ualent. Vnde, Regis ad exemplum totus orbis componi dicitur.*

Maiori parti.) *Quæ plerunq; (ut ait Liuius) uincit meliorem. Sed hoc improbauit Apollo, cum à Cicerone interrogatus, qua ratione clariſſimus poſſet euadere? reſpondit, Si naturam ſuam ducem, non opinionem popularem ſequeretur.*

CICERO.

Nonnulli tamen, ſiue felicitate quadam, ſiue bonitate Naturæ, ſiue parentum diſciplina, rectam uitæ ſecuti ſunt uiam.

Siue felicitate.) *Quod ad euentum attinet, parum refert, ſiue forte fortuna, ſiue alio monſtrante, uiam regiam teneas, ſiue ſagacitate ingenij deprehendas ipſe: modò eò, quod deſtinaſti, compendiò peruenias.*

Siue bonitate naturæ.) *Videtur hic Cicero περιαυτολογεῖν, & alludere ad illud Delphicum oraculum.*

CICERO.

Illud autem maximè rarum genus eſt, eorum qui aut excellente ingenij magnitudine, aut præclara eruditione atq; doctrina, aut utraq; re ornati, ſpacium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſsimum uitæ curſum ſequi uellent.

Illud autem.) *In hoc, ut & in alijs, meliore conditione ſunt diuites, quos inopia properare non cogit. Notetur hîc, eas actiones commendari maximè, quæ certo conſilio, certaq; ratione ſuſceptæ fuerint. ἡ γὰρ προαίρεσις τῆς τε φύσεως καὶ τῆς τύχης κρείττων δεῖ.*

Præclara eruditione.) *Hi uerò noſtra ætate in portu nauigant, nec ferè neceſſe habent de uitæ genere deliberare. Veteres autem, qua ætate nos in utraq; lingua adhuc diſcenda hæremus, ea ætate ſtudiorum plerique curſum abſoluerunt.*

CICERO.

In qua deliberatione ad ſuam cuiuſq; naturam, conſilium eſt omne reuocandum. Nam cùm in omnibus quæ aguntur, ex eo modo quo quiſq; natus eſt, (ut ſuprà dictum eſt) quid deceat exquirimus: tùm in tota uita conſtituenda, multo eſt maior rei cura adhibenda, ut conſtare in uitæ perpetuitate poſsimus nobiſmetipſis, nec in ullo officio claudicare.

Nam cum.) *Si, inquit, in ſingulis actionibus ad decorum conſeruandum Natura duce eſt opus: quanto magis in hac tanta deliberatione?*

CICERO.

Ad hanc autem rationem, quoniam maximam uim Natura habet, Fortuna proximam: utriuſq; omnino ratio habenda eſt in deligendo genere uitæ, ſed Naturę magis. Multo enim & firmior eſt, & conſtantior: ut Fortuna nonnunquam, tanquam ipſa mortalis, cum immortali Natura pugnare uideatur.

Ad hanc autem rationem.) *In deligendo uitæ genere duo ſpectanda*
Natura. *eſſe monet, Naturã et Fortunã. Naturæ nomine intelligatur omnes facultates*
Fortuna. *ingenij, animi & corporis. Fortunæ autem reliqua ſunt attributa omnia, quæ ſuprà autor ipſe attigit his uerbis: Nam regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, eaq; quæ ſunt his contraria, in caſu ſita, tẽporibus gubernantur.*

Sed na-

Sed naturæ magis.) *Hoc ſic accipiendum eſt, ſi naturæ uis excitata & firma ſit, non manca & mutila. Quod ut rectius intelligatur, ratio ſtudiorum conſideretur. Ad excellentem eruditionem parandam, ut ad alias quoque res omnes obtinendas, requiritur uoluntas & facultas. Voluntatem hic intelligo τὴν φιλομάθειαν: facultatem (de fortuna nondum quicquam dico) magnam ingenij uim, ac patientiam laboris & ærumnarum, qualis in Cleanthe fuiſſe perhibetur. Si quis igitur utraq; hac re inſtructus fuerit, per uarias Fortunæ difficultates tandem emerget. Sin cupiditas eruditionis languidior fuerit, & minor induſtriā, & aduerſarum rerum impatiētia acceſſerit, doctrinæ haud facilè compos fiet: ſed uictus difficultatibus, Fortunæ ſuccumbet, atq; ad alia faciliora declinabit: fiet proletarius ludimagiſter, aut ſacrificulus, aut ſcriba plebeius: magnum autem & ſplendidum nihil aſſequetur. Neq; hoc ego dico, peccare illum, ſi ad ea ſe conferat, quibus par eſſe poſſit. Illud dico, ineptè facere, ſi tali natura præditus, aureos (quod aiunt) montes ſomniet: quales ego non paucos noui.*

Ipſa mortalis cùm immortali.) *Naturā Deo, Fortunam homini comparat: inter quos quid interſit, non eſt obſcurum. Innuit enim, Naturam longè potentiorem eſſe Fortuna: id quod exempla Ciceronis, & Caij Marij, municipis eius, aliorumq́; qui ex infimo loco ad ſummum dignitatis gradum aſcenderunt, declarant. Perniciosſus tamen hic error cauendus eſt, ne quis ſuæ induſtriæ potius quàm Diuinæ liberalitati ſucceſſus illos acceptos referat. Quod niſi fiat, illud plerunq; contingit quod Claudianus ſcribit:*

Nō induſtria ſua cuiq; ſed liberalitate diuina gloriandum.

—— Tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant. ——

Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: neque ingrati animi ſcelus inultum ſinit. Quid enim habemus, quod à Deo nō acceperimus? Natura enim ipſa, hoc eſt facultates animorum atque corporum, non minus profectò Dei dona ſunt, quàm commoda rerum externarum, & actionum conatuumq́; ſucceſſus. Sed arrogantia & animi cæcitas, maximos quoſq; uiros in exitium præcipitarunt: ut ipſo euentu edocti, tandem intelligerent, conſiliorum & actionum ſuperioris temporis ſucceſſus non ſuæ Sapientiæ & uirtuti, ſed Diuinæ benignitati fuiſſe aſcribendos. In quam ſententiam ſi uerſiculi, quibus à Diogene Alexandro Magno reſponſum eſſe ferunt, accipiantur, nihil abſurdi continebunt. Is enim cum in dolio ſuo deliteſceret, Rex exclamaſſe dicitur: ὦ πίθον μεστὸν φρενῶν. tū Diogenes: Βασιλεῦ μέγιστε, inquit,

Arrogantia periculoſa.

Diogenes Fortunæ guttam dolio ſapientiæ pleno prætulit.

θέλω τύχης σταλαγμὸν, ἢ πίθον φρενῶν·
ἧς μὴ παρούσης, δυστυχοῦσιν αἱ φρένες.

Eôdem etiam illud pertinet:

τύχη τὰ θνητῶν πράγματ᾽, οὐκ εὐβουλία.

Neq; enim temeritas et ſtulticia laudātur, aut diligens cōſideratio rerū & accurata deliberatio tollitur: ſed illud ſignificatur, conatus hominū nō adiuuāte Deo irritos et infelices eſſe. Qua de re copioſe apud Xenophōtē diſputatur.

CICERO.

Qui igitur ad Naturæ ſuæ nõ uitioſæ genus, conſilium omne uiuendi contulerit: is conſtantiã teneat. id enim maximè decet. Niſi fortè ſe erraſſe intellexerit, in deligendo genere uitæ. Quod ſi acciderit (poteſt autem accidere) facienda morum inſtitutorumq́; mutatio eſt.

Naturæ indifferentes.

Naturæ uitioſæ.

Ad naturæ ſuæ non uitioſæ.) *Intelligendæ ſunt, ut ſuprà etiam dictum eſt, αἱ φυσικαὶ ἰδιοτροπίαι, unde homines φιλοτοιοῦτοι dicuntur, ſine iactura uirtutis: ut alius pacem amat, nec ea de cauſa reprehendi poteſt: alius Philoſophiam, alius rem militarem, alius ſeueritatem, comitatem & urbanitatem alius. Talia per ſe nec laudem nec uituperationem merentur: Vitioſæ autem naturæ ſunt, propenſæ ad luxum, libidinem, ignauum ocium, inuidentiam, obtrectationem, mendacia, impoſturas, aleam, furta, rapinas, & id genus alia. Neq; ferè quiſquam ab omnibus his & huiuſmodi uitijs immunis eſt, quæ educatione & inſtitutione diligenti minuenda tollendaq; ſunt: uirtutumq́; ſemina fouenda & excolenda, ut adoleſcant, & ad maturitatem perueniant.*

Is conſtantiam teneat.) *Non temerè aliud uitæ inſtitutum amplectatur, nõ fiat è bono Medico ineptus Orator, aut ex Iuriſcõſulto peruerſus Theologus: cũ ſeueritas eũ deceat, caueat ne affectãda urbanitate ridiculus fiat, etc.*

Error uel tuus uel aliorum per occaſionẽ corrigendus.

Se erraſſe.) *Multo magis hoc faciendum eſt, cum alieno errore atq; imperio in fraudem incidimus. In quo multa ſunt, ut modò dixi, errata parentũ: qui quales ipſi cupiunt, tales efficere filios ſtudent, etiam repugnante illorum natura. Sic me à quodam rogatũ eſſe memini, uti filio eius & hebeti, & ignauo, adiumento eſſem ad parãdã eruditionem, ne tantis ærumnis uictum quæritare neceſſe haberet. Conſultum ille ſcilicet ocio & culinæ filij, proſpectũq́; uoluit: ſed nec animaduertit ipſe, nec affirmãti mihi credidit, Non è quouis ligno fieri Mercuriũ: & filiũ aratorẽ poſſe fieri, oratorẽ non poſſe. Ouidij quoq; pater, cũ Oratores & autoritate & opib. florere cerneret, filiũ ad cauſas agendas impellere uoluit: ſed fruſtrà, cũ Ouidij ingeniũ ſic ad poeſin ferretur, ut quicquid dicere conabatur, uerſus eſſet. Rectius igitur fecit Ouidius, qui naturæ ſuæ potius quàm auariciæ et ambitioni paternæ obſecutus, mediocritatẽ Equeſtris fortunæ boni conſuluit, & ſuis ſe ſtudijs oblectauit. Niſi quis illud fortè reprehendat, quòd Ingenio perijt Naſo poeta ſuo: aut poeſeos occupationem ſuperuacaneam eſſe dicat. Quod ego non magis conceſſerim, quàm ſubtiliores & ſumptuoſiores artes eſſe exterminãdas. Neq; neceſſe eſt, eũ qui ex profeſſo poeta ſit, nihil niſi poetari. Poteſt is quoq; patriæ, parentibus, amicis, re, opera, conſilio adeſſe.*

Poteſt autem accidere.) *Scilicet ob eas cauſas, quæ ſuprà cõmemoratæ ſunt: ut propter imbecillitatem conſilij, parentum autoritatem, exempla multitudinis, &c.*

CICERO.

Eam mutationem, ſi tempora adiuuabũt, facilius commodiusq́; faciemus. Sin minus, ſenſim erit pedetentimq́; facienda: ut amicitias quæ minus delectent, minusq́; probentur, magis decere cenſent ſapientes ſenſim diſſuere, quàm repentè præcidere.

Eam mutationem.) *Vitæ genus intelligo, non tantum profeſſionem ipſam, & ſtudium, ut Iuriſconſulti, Oratoris, Senatoris, Mercatoris, Militis: ſed morem etiam & conſuetudinem, eam præſertim quæ à uitæ genere uix ſeparari poteſt, ut quo quiſq; occupatior eſt, eo neceſſe eſt ſit uigilantior, minusq; ſomno & uoluptatibus deditus: quòd Reipublicæ & ueritatis amãtior, eò minus cedat opibus eorum qui ambitione ſua turbant ſtatum Reipublicæ. Etſi autem autor noſter de ijs loquitur, qui in deligendo uitæ genere errarunt, ut ſi quis militiæ aptus Iuriſconſultũ agat, quem, ut ad militiã ſe conferat, relicto iure, bellica tempora adiuuabunt: tamen nihil obſtat opinor, quo minus eam quoq; mutationem intelligamus, quam non error in delectu, ſed conditio temporum attulerit: cui non parêre, nec tempeſtati obſequi, error ſcilicet non minor fuit, quàm ſi natura iuriſconſultus militiã ſequaris, aut poetico præditus ingenio eloquentiam forenſem.*

Si tempora adiuuabunt.) *Sic Cicero & tyrannide Pompeij, Craſſi & Cæſaris, & temporibus admonitus, nonnihil de ſeueritate ſua in dicendis in Senatu ſententijs remiſit: oppreſſa à Cæſare Repub. lucubrationes detraxit, meridiationes addidit: Senatum non frequentauit: cauſas in foro paucas egit: eloquentiæ & Philoſophiæ ſtudijs ac ſcriptionibus tum ipſe ſe oblectauit, tum alijs profuit. Hanc ſtudiorum inſtitutorumq́; mutationem adiuuerunt tempora Reipublicæ, quibus efficiebatur, ut ne ſi uellet quidem, prioris ſuæ uitæ curſum tenere poſſet. Itaq; leuitatis nomine reprehendi non potuit. Sed hac de re conſulatur cùm penultima epiſtola ad Lentulum, tum Præfationes Oratoriarum ac Philoſophicarum ſcriptionum, in quibus hanc uitæ ſuæ mutationem quanta cura, ſtudio, ſolicitudine ab inconſtantiæ crimine defendat & uindicet, nemini eſt obſcurum.*

Sin minus, ſenſim erit.) *Non ſubitò, οὐκ ἀθρόως: ſicut Demea, qui è ſeuero & parco, ſubitò fit diſſolutus & profuſus: nec tamen ruſticitatẽ ſuam diu diſſimulare poteſt. in utranque partem nimium uehemens, non minus quàm Menedemus & obiurgando & indulgendo.*

Senſim pedetentimq́;.) *Imitandũ & hic eſt præceptũ medicorũ. in mutãda praua uictus ratione. Si quis intẽperantior quaternas libras deuorauerit, totidemq; ſextarios uini exhauſerit, nõ ſubitò debet ad unũ ſextariũ & unam librã deuenire: nã ea ratione & natura debilitabitur, et mutatio diuturna nõ erit: ſed unciatim aliqd intẽperantiæ detrahendũ eſt. Sic nec ualetudo lædetur,*

& con-

& conſtantia facilius ſeruabitur. Eadem ratio eſt mutandæ ſomnolentiæ & ignauiæ, aliorumq; uitiorum.

Minus delectent, & minus probentur.) *Amicitiæ contrahuntur uel ob uoluptatem, cuiuſmodi ſunt adoleſcentulorum & amantium, ad quam uerbum Delectandi pertinet: uel ob uirtutem, ut fit à bonis uiris: & utilitatem, quam uulgus ſpectat, ad quas uerbum Probandi refertur.*

Quàm repentè præcidere.) *Id eſt, renunciare amicitiam, aut etiam indicere inimicitias. Senſim autem diſſuuntur amicitiæ, cum remittitur conſuetudo, cæteraq; officia: ut ſi rarius adeas, rarius inuites, & congreſſum uites, &c. unde alter intelligat, ſe minus eſſe charum.*

CICERO.

Commutato autem genere uitæ, omni ratione curandum eſt, ut id bono conſilio feciſſe uideamur.

Id bono conſilio feciſſe.) *Non animi aliqua leuitate, non ocij & uoluptatis ſtudio, non ex auaricia, ambitione, odio, inuidia, alio'ue prauo affectu. Videmus noſtra ætate, quanto in odio ſint, qui in religionis controuerſijs ab alijs ad alios deficiunt: ut nec errorem agnitum depouere, ac mutare ſententiã tutum eſſe uideatur. Vſq; adeò dominantur affectus, καὶ ἡ δοξοσοφία μᾶλλον ἢ θεοσοφία. Equidem de controuerſijs ipſis nihil pronuncio, neq; condemno neque abſoluo quenquam (id enim meum non eſt, nec ullius fortaſſe priuati hominis, cui ſatis negocij eſt ut ſuo ſe iudici probet) ſed inter ſeſe diſſentientes meminiſſe uelim, id quod antè dixi, cum omnes rectè ſentire ſtudeant, non autem omnes in tam pugnantibus ſententijs rectè ſentire poſſint: moderationi animorum, ueniæ, admonitioni, precibus eſſe locũ oportere: ne rectè in nos illud Iſocratis torqueri poſſit, τίς ἄλλοθεν ἐπελθὼν, καὶ μή πω συνδιεφθαρμένος ἡμῖν ἀλλ' ἐξαίφνης ἐπιστὰς τοῖς γιγνομένοις, οὐκ ἂν μαίνεσθαι καὶ παραφρονεῖν ἡμᾶς νομίσειεν; οἳ φιλοτιμούμεθα μὲν ἐπὶ τοῖς τῶν προγόνων ἔργοις, καὶ τὴν ἐκκλησίαν ἐκ τῶν πάλαι πραχθέντων ἐγκωμιάζειν ἔχομεν, οὐδὲν δὲ τῶν αὐτῶν ἐκείνοις πράττομεν, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον.*

CICERO.

Sed quoniam pauló antè dictum eſt, incitãdos eſſe maiores: primùm illud exceptum ſit, ne uitia ſint imitanda.

Primum illud exceptum ſit.) *ὑπεξαίρεσις præcepti ſuperioris, uariandæ ortionis cauſa in hunc reſeruata locum. Sic Cicero filius, patris abſtinentiam, Reipublicæ & doctrinæ ſtudium, ſobrietatem, frugalitatem, reliquasq; uirtutes imitari debuit: iactantiam in rebus ſecundis, & molliciem in aduerſis, non debuit. Neq; uerò ferè quiſquam ita uirtutibus excellit, ut non adiuncta habeat quædam uitia: quæ imitari, uirtutibus præſertim omiſſis, amentiæ fuerit. Inepta fuit Platonis diſcipulorum κακοζηλία, qui gibbum præceptoris imitabantur: itemq; Ariſtotelis, qui balbutiem eiuſdem æmulabantur. Nec noſtra ætate homines inepti defuerunt, qui cuiuſdam præſtantiſſimi doctiſſimiq;*

κακοζηλία inepta.

miq; uiri nihil præter κακοζηλίαν, & negligentiam ueſtitus imitarentur. Sed hi tolerabiles ſunt: illi autem non ferendi, qui popularis cuiuſdam oratoris (cuius nomen maior'ne gloria ſit, an inuidia, dubium eſt) acerbitatem orationis potiſſimùm, non ſine publicorum tumultuum metu, in ſuis declamatiunculis exprimunt: haud reputantes, quantum inter illius perſonã munusq́;, & ipſorum interſit, ὄνοι παρὰ κυμαίοις τὴν λεοντῆν ἐνδυσάμενοι. κακοζηλία periculoſa.

CICERO.

Deinde, ſi Natura non feret, ut quædam imitari poſſint: ut ſuperioris Africani filius, qui hunc Paulo natum adoptauit, propter infirmitatem ualetudinis, nõ tam potuit patri ſimilis eſſe, quàm ille fuerat ſui. Si igitur non poterit ſiue cauſas defenſitare, ſiue populũ concionibus tenere, ſiue bella gerere: illa tamẽ præſtare debebit, quæ erunt in ipſius poteſtate, iuſticiã, fidem, liberalitatẽ, modeſtiam, temperãtiam, quo minus ab eo id quod deſit requiratur.

Deinde ſi natura non feret.) *De uarietate ingeniorum ſuprà dictum eſt. Pertinet huc, quicquid ἡ φυσικὴ δύναμις complectitur, & quæ illi contraria eſt ἀδυναμία. Cuiuſmodi fuit Iſocratis ἀτολμία, καὶ φωνῆς μικρότης, quò minus cauſas oraret, & Rempublicam adminiſtraret. Diligenter, ut ſuprà etiam monui, cuiq; ſuæ δυνάμεις καὶ ἀδυναμίαι expendendæ ſunt, ne temerè id ſuſcipiat, quod paulo pòſt propter imbecillitatem cum ignomina ſit deponendum. Quod ijs accidit, qui ad rem gerendam accedentes, id modò conſiderant, quàm illa res honeſta ſit: non, habeant'ne etiam efficiendi facultatem, ut ſuprà eleganter dixit.*

Vt ſuperioris Africani, &c. ſi igitur non poterit.) *Hyperbaton eſt, propter inſertũ præceptioni exemplum: eaq́; de cauſa repetitione uſus eſt, mutatis nonnihil uerbis.*

Superioris Africani filius.) *P. Cornelius Scipio, deuicto Hannibale, & Carthagini tributo impoſito, primus Africani cognomentum tulit: eaque de cauſa Africanus maior, ſiue ſuperior appellatur. P. Cornelius Scipio Aemilianus, Carthagine euerſa, & ipſe Africanus appellatus eſt: ſed ad diſcrimen aui adoptiui, Minor ſeu Inferior. De ſuperioris Africani filio conſulatur libellus de Senectute: de poſteriore Africano, Somnium Scipionis & Lælius.*

Siue cauſas defenſitare.) *Eloquentia forenſis & popularis (nam umbratilis illa, & papyracea, ut ita dicam, orationis facultas haud ſcio an eloquentia dici poſſit) nõ tantùm præſtans ingenium, & eruditionem, ſed etiam τόλμαν τὲ φωνῆς μέγεθος & fortia latera poſtulat.*

Defenſitare.) *Iudiciale genus deſignat, quod habet κατηγορίαν καὶ ἀπολογίαν. Defendere autem & humanius, & ad parandam gloriam aptius habetur, quàm accuſare: ut Libro 2. docetur.*

O Concio-

Concionibus tenere.) *τὸ δημηγορικὸν εἶδος, ſiue ἐκκλησιαστικὸν, quod uſitatius συμβουλευτικὸν dicitur, intelligit. Diſtinguuntur autem genera cauſarum ratione locorũ, ſiue auditorũ, trifariam: ut ſint aliæ forenſes, quæ in foro apud iudices aguntur: aliæ conciones, quæ pro roſtris habentur: aliæ ſenatoriæ, quæ in curia & apud ſenatum tractantur. De poſtremo hoc genere nihil dicit, quòd nemo ferè adeò imbecilli uoce eſt, quin in Senatu, ubi remiſſius & ſedatius pleraq; agũtur, ſententiã dicere poſſit: etſi ibi quoq; cõtentionib. & altercationibus fuiſſe locũ ex multis Ciceronis locis intelligimus. Dixi aũt ratione locorũ diſtingui illa trifariam, non ignarus ſcilicet, in Curia & Senatu laudari Pompeiũ, accuſari Catilinam, dari conſilium excindendæ Carthaginis. Tria enim illa cauſarũ genera et miſceri inter ſe, nec in publicis cõuentibus modò, ſed in congreſſibus etiam priuatorum ſæpe habere locũ, quis neſcit?*

Concionibus tenere.) *Videtur exprimere Græcũ uerbũ ψυχαγωγεῖν. Pertinet autem uerbum Tenere ad delectationẽ, quam populus requirebat, nõ contentus ſe doceri & moueri.*

Eloquentia. Militia. Siue bella gerere.) *Oratoria facultas, & rei militaris ſcientia, in Romana Republica, ut & in Athenienſi, olim ad claritatẽ & gloriam parandam aptiſſimæ fuerunt: ut in oratione pro Muræna copioſe diſſeritur. Itaque hæc duo uitæ genera potiſſimum attingit.*

Natura potentior arte. Quæ erunt in ipſius poteſtate.) *Eloquentiã & bellicam fortitudinẽ naturæ potius eſſe munera, quàm humani arbitrij, innuit: etſi utriuſq; rei præcepta etiam tradũtur. Sed tamẽ ut Poetæ, ita etiam Oratores & imperatores, naſci potius uidentur quàm fieri. Deniq; in omni uitæ doctrinæq; genere uerum eſt illud Pindaricũ, σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ, μαθόντες δὲ λάβροι, παγγλωσσίᾳ κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον. & Plautus: Ingenio, inquit, non ætate Caddas inſtitutionem quoq; licet) adipiſcitur ſapientia. Neq; uerò is ego ſum, qui uel doctrinam uel exercitationem & imitationem contemnam. (quid enim tum inter doctum & rudem intereſſet, cum intereſſe plurimum conſtet) ſed illud tantũ dico, naturæ et ingenij uim eſſe longè omniũ maximã.*

Virtutes leniores negatæ nemini. In ipſius poteſtate.) *Diligẽter notetur hic locus, quo ſignificat Cicero, nihil excuſationis cuiquã eſſe reliquũ, qui his uirtutibus careat: quòd nõ opus ſit magna ingenij et animi ui, ſed tantũ recta uolũtate, et ſtudio ad eas parãdas.*

Iuſticiam.) *Quæ ſuum cuiq; tribuens, cùm naturæ neceſſitudinem, tum uitæ ciuilis conſociationem omnibus officijs tuetur.*

Fidem.) *Quæ eſt dictorum conuentorumq; cõſtantia et ueritas. Refertur autem etiam ad taciturnitatem in cælandis arcanis, λόγον ὅρκου πιστότερον (ut ait Iſocrates) παρεχομένων.*

Liberalitatem.) *quæ re, opera, conſilio alios iuuat.*

Modeſtiam.) *quæ modũ cùm in alijs rebus, tũ in opinione de ſeſe ſeruat.*

Temperantiam.) *quæ prauis affectibus dominatur, & uoluptatũ naturalium appetitum moderatur, turpium omninò tollit.*

Quò minus ab eo id.) *Nam pluribus uirtutibus incommoda quædam & im-*

& imbecillitates condonantur. Qui uerò omni uirtute, omni induſtria carẽt: meritò, ut ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, et in contẽptu et in odio ſunt. cuiuſmodi Homerus Margitẽ quẽdã deſcripſiſſe fertur, qui neq; foſſor, neq; arator, neq; paſtor, neq; opifex, nec ulli deniq; honeſtæ rei eſſet idoneus: atq; adeò, ut ait Satyricus, Inguinis et capitis quæ ſint diſcrimina neſciret. Tales Margitæ ſunt in Scholis & Academijs multi, qui falſo nomine ſtudioſorum & ſcholaſticorũ appellãtur. Nã de procerũ Satyriſcis, quales in Cyclope ſuo depingit Euripides, & collegiorũ uentribus ignauis, dicere quorſum attinet?

Margitæ, inutilia telluri pondera.

Id quod deſit.) *Eò ſcilicet, quod id aſſequi propter naturæ imbecillitatẽ non potuit.*

οὐ μὲν γὰρ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσι, *ut Homerus ait:*
&, οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα,
ὅσσ' αὐτοὶ κεν δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.

D. Paulus etiã uaria eſſe dona Dei docet. Neq; enim homo ſibi ſumere quicquã poteſt, niſi ſit ei datũ de cœlo. Suũ igitur quiſq; talentũ ſi benè collocarit, id eſt, ad gloriã Dei & hominũ ſalutẽ ſingulari ſtudio atq; induſtria contulerit: & Dei & hominũ approbationẽ merebitur, etiam in obſcuro & humili uitæ genere, & dictis atq; factis non illuſtribus. Sed ſunt quidã, quos ἐθελοκακεῖν Græci dicunt, quibus pigricia et mollicies animi potius, quàm ingenij obſtat imbecillitas Hi & dijs & hominibus meritò ſunt inuiſi.

CICERO.

Optima autẽ hęreditas à patribus traditur liberis, omniq; patrimonio præſtantior, gloria uirtutis, rerumq; geſtarum: cui dedecori eſſe, nefas & uitium iudicandum eſt.

Optima autẽ hæreditas.) *Opus hoc in filij Ciceronis uſum, cui dedicatũ eſt, ſcriptum cum ſit: aliàs apertè, aliàs ſubobſcurè, ut hoc loco, ad imitationem paternæ uirtutis & laudis adoleſcens excitatur. Sententia eſt: illuſtre tibi patrimonium uirtutis & gloriæ meæ relinquo, omnibus Craſſorum & Lucullorum opibus præferendum, &c. Cauebis igitur, ne degeneres. Idem Iſocrates quoq; patribus præcipit his uerbis:* περὶ πλείονος ποιοῦ δόξαν καλὴν, ἢ πλοῦτον μέγαν, τοῖς παισὶ καταλιπεῖν. *Beati ſunt, quibus hoc patrimonium contigit: magis uerò laudandi, qui aut ſuapte induſtria tale ſibi patrimonium quæſiuerunt, aut acceptum à parentibus auxerunt.*

Paterna gloria uirtute tuenda.

Cui dedecori eſſe.) *Id eſt, non tantum non imitari, ſed etiam ignauiæ & luxui ſeſe dedere. Conferatur huc epilogus* παραινέσεως *Iſocraticæ, quo* οἱ προδόται τῆς τύχης γινόμενοι *ſumma grauitate arguũtur. Idem & in prooœmio eiuſdem orationis paternam imitationem uehementer urget, his uerbis:* πρὸς τὸ τοῦ πατρὸς δεῖγμα δεῖ ζῆν σε, ὥσπερ πρὸς παράδειγμα, νόμον μὲν τὸν ἐκείνου τρόπον ἡγησάμενον, μιμητὴν δὲ καὶ ζηλωτὴν τῆς πατρῴας ἀρετῆς γινόμενον, *&c.*

CICERO.

Et quoniam officia nõ eadem diſparibus ætatibus tri-

 buuntur,

buuntur, aliaq́ꝫ ſunt iuuenum, alia ſeniorum aliquid etiã de hac diſtinctione dicendum eſt.

Officium & per ſe ſpectatur, & ratione temporũ.

Et quoniam officia.) *A' præceptis generalibus ad ſpecialia trãſit, quæ pendent à circumſtantijs ætatum, temporum, locorum, fortunarum, & quæ ſunt alia eiuſdem generis. Pertinet & hic locus, ut & ſuperior ille de nõ ſeruandis promiſsis, & non reddendo depoſito, πρὸς τὸ τῶν περίστασιν καθῆκον. Nam τὸ μὲν καθόλου καὶ ἁπλῶς καθῆκον hominem inſtruit, quatenus eſt rationis & orationis compos, καὶ φύσει κοινωνικὸν ζῶον, ut Plato ait. τὸ δὲ τῶν περίστασιν non quidem ab illa perſona recedit: ſed peculiare aliquid illi adiungit, ut adoleſcenti cognitionem imbecillitatis ſuæ, uerecundiam, obſeruãtiam ſeniorum, ſeni curam atque amorem adoleſcentiæ & Reipublicæ.*

CICERO.

Eſt igitur adoleſcẽtis, maiores natu uereri, ex hiſq́ꝫ deligere optimos & probatiſsimos, quorum conſilio atque autoritate nitatur. Ineuntis enim ætatis inſcitia, ſenũ conſtituenda & regenda prudentia eſt.

Adoleſcentiæ diſciplina.

Eſt igitur adoleſcentis.) *Conferatur huc præceptum Iſocratis: μάλιστά σοι πρέπειν ἡγοῦ κόσμον, αἰσχύνην, σωφροσύνην, δικαιοσύνην. Sed Cicero explicatius & diſertius hæc tradit.*

Maiores natu uereri.) *αἰσχύνη præcipitur. Nec uerò ſenes tantùm, ſed omnem ſexum atque ætatem, atq; adeò noſmetipſos, & (ut Theologi iubent) angelos & Deum, inſpectorem rerum omnium, turpe quid acturi, uereri debemus..*

Vereri.) *Non modò ne quid turpe, ſed etiam ne quid licentius agas, illis præſentibus. Sed quid uulgò fit? Non ea eſt adoleſcentiæ petulantia, & impudentia, ut Demea quiſpiam ὥσπερ ἐκ θυσιῶν exclamare queat: O' tempora, O' mores? Imò, O' cœlum, ò terra, ò maria Neptuni? Et tamen his moribus, hac diſciplina, Catholici ſumus, Euangelici ſumus: Chriſtianos certè nos eſſe qui negarit, in crucem agetur.*

Eligere optimos & probatiſsimos.) *Romani ſenes comitatum nobilium adoleſcentum, quos monerent & inſtituerent, laudi & ornamento ſibi ducebant. Noſtræ autem nationis atq; ætatis non eſt eadem ſiue prudentia, ſiue felicitas. Itaq; ſenes fugiuntur plerunque ab adoleſcentibus, niſi æquè inepti ſint, & aſſententur omnia. Nihil profectò ad uirtutem & prudẽtiam parandam æquè conducit, ac conſuetudo bonorum & prudentium ſenũ. Quæ cui contigerit, iure beatus habebitur. Sed quibus hæc felicitas negata eſt: hi philoſophiam, id eſt optimi cuiuſq; autoris lectionem, in illorum locum ſubſtituant. Etſi autem maior uis eſt uiuæ uocis, & magis animos exempla quàm præcepta mouent: tamen maior etiam doctrinæ copia è libris quàm è congreſsibus paratur. Omnium igitur feliciſsimi ſunt, qui ita habent diſtributa tempo-*

Et lectio & auſcultatio ſenũ prudẽtiã augent.

tẽpora, ut & uarietati lectionis, & prudentũ diſputationibus uacare poſſint.

Optimos & probatiſsimos.) *Quia de aliena uirtute & ſapientia adoleſcens imperitus rerum non facilè iudicare poteſt, aliorũ niti iudicijs iubetur.*

Conſilio atq; autoritate.) *Non omnium rationes reddi aut poſſunt, aut neceſſe eſt. Quare τὸ αὐτὸς ἔφα interdum adoleſcenti ſatis eſſe debet. Nam conſilium ſententia definitur, cuius ratio reddatur. Autoritas uerò, à perſuaſione de alicuius uirtute & ſapientia potiſſimùm pendet, eſtq; argumentum αὐτόπιστον καὶ ἀναπόδεικτον: cuiuſmodi ſunt, quæ Sacræ literæ, Chriſtianæ religionis fundamentum, tradunt, pleraq; omnia: quæ quia Deo autore prodita, & à Spiritu ſancto Prophetis & Apoſtolis dictata, & plurimis argumẽtis, & huius ipſius ſancti Spiritus afflatu creduntur, omnibus Philoſophorũ uel argutiſſimis rationibus præferuntur. In ciuilibus tamen rebus magis laudandus eſſe uidetur Cato Vticenſis, quem Plutarchus ſcribit executum quidẽ eſſe quæ Sarpedon iuſſiſſet omnia: ſed tamen inprimis uerecundè modeſteq; rogaſſe cauſas, cur quidq; facere aut uitare iuberetur?*

Nõ omnium præceptorũ reddẽda ratio.

Religionis autoritas.

Modeſta rationis inquiſitio.

Ineuntis enim ætatis.) *Notetur epitheton adoleſcentiæ, quod eſt inſcitia & leuitas: etſi propter uehementem calorem, qui audaces facit, ſibi omniũ ſapientiſſima & præſtantiſſima uidetur, & (ut ait Ariſtoteles) ne ſumma quidem & difficilima quæq; deſperanda ſibi cenſet.*

Adoleſcẽtiæ inſcitia, leuitas.

Conſtituenda.) *Ne καθάπερ πλοῖον ἀνερμάτιστον, tanquam turbinis cuiuſdam impetu, ſic temeritate & leuitate affectuum, in errores aut uitia incidat. Græcè ἰδρυνθῆναι fortaſſis, ἢ ὑπερείδεσθαι.*

Et regenda.) *Ne uel ut nauis in ſcopulos, uel ut currus rectore deſtitutus in præcipitia feratur. Metaphoræ ſumptæ uidẽtur ab ædificijs, & re nautica atq; equeſtri.*

Prudentia.) *Quæ rectè gubernatori aut aurigæ comparatur, atq; etiam architecto: iuueniles autem affectus nautis, equis & fabris. Senes autem intelligantur ἐν πλάτει, quicunq; non ætate modò, ſed & rerum uſu & iudicio alios anteeunt.*

CICERO.

Maximè autem hæc ætas à libidinibus arcenda eſt, exercendaq; in labore patientiaq; & animi & corporis: ut eorũ & in bellicis & in ciuilibus officijs uigeat induſtria.

Maximè autem hæc ætas à libidinibus.) *Plurali numero utitur, propter multiplicem turpitudinem illis temporibus, atque utinam ne his etiam, uſitatam. Neq; uerò τὰ ἀφροδίσια & laſciuia tantùm uerbo libidinum: etſi hæc præcipuè, ſed in genere omnes prauæ ac noxiæ cupiditates intelligantur. Quid enim? probetur'ne tibi adoleſcens, ſi non tentet alienam pudicitiam, parcat ſuæ, cum ſit uinoſus, aleator, graſſator, alieni appetens, ſui profuſus? Equidem orbus eſſe malo, quàm talem habere filium, uel Hippolyto & Ioſepho caſtiorem. ἐστιν ἡ ἐπιθυμία θηρίον πολυκέφαλον, καὶ τῆς λερναίας ὕδρας*

Ab omnibus prauis cupiditatibus arcendi adoleſcentes.

πολυπλοκώτερον. Sũt igitur huius tam fœcũdæ beſtiæ, cupiditatis inquã, capta omnia reſecanda, & igni exurendæ uenæ omnes, ut ne quando renaſcãtur.

Qui ſe ipſe, imò quem Deus non cuſtodierit, fruſtra cuſtodietur ab alijs.

Arcenda eſt.) *Hoc opus, hic labor eſt, in iſto feruore ætatis, in tot peſſimis exemplis, in tot inſidijs atq; illecebris. Accedunt laſciuientium & delirantium muliercularum & ſenum, imò uirorum etiam, eorumq́; (ſi Dijs placet) qui ſunt Alpha penulatorum, Epicurei, flagitioſi & impij ſermones: Nõ eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum ſcortari, neq; potare: non eſt: neque fores effringere. Pauci (ut ait Virgilius) quos æquus amauit*

Iuppiter, atq; ardens euexit ad æthera uirtus,
Dijs geniti, potuere nocens uitare barathrum.

Pædagogi ueterum.

Adhibebantur olim adoleſcentibus pædagogi & præceptores, inſpectores, teſtes atq; arbitri omnium eorum quæ uel dicerent, uel facerent, quique nunquam ab eorum latere diſcederent. Hæc cura tam diligens, tum non omnino potuit cauere turpitudinem, ſi quis eſſet natura petulantior & laſciuior: & ſæpe ab ipſis cuſtodibus periculum imminebat. Quid nunc fiat, in tanta licentia & negligentia: cum omnium hominum ingenium, ut idem ait Comicus, à labore procliue ſit ad libidinem? Monitores ridentur, contemnuntur, in odio ſunt, ut inuidi & iniqui: qui adoleſcentes poſtulent illicò naſci ſenes, ipſiq; naturæ uim & iniuriam faciant, toto impetu huc rapienti. Quid igitur agendum? Eſt'ne prauitati naturæ & nefariæ conſuetudini indulgendũ, & conniuendũ ad omnia? Nequaquã: ſed ij quorum eſt poteſtas, & uerbis & uerberibus & modis omnibus ſuos in officio cõtinere debent, & arcere, ut Cicero præcipit, à libidinibus. Fatendũ tamen eſt, fruſtrà cuſtodiri eũ, qui non ipſe ſeſe, imò quem DEVS *non cuſtodierit. Vt autem quiſq; in eam curam ſit ipſe intentiſſimus, his rationibus uel admoneri uel excitari poteſt.*

Monitores inuiſi.

Adhibenda ſeueritas.

Poſſe uitari libidines.

I *Poſſe uitari libidines, nec ullam turpitudinis neceſſitatẽ cuiquam imponi: multa & ueteris memoriæ, & noſtræ etiam ætatis exempla non pauca teſtantur. Faceſſat praua illa ſuſpicio, in collegijs monaſteriorum & ſacerdotum neminem unquam fuiſſe pudicum: eo præſertim tempore, cum maior fuit Dei metus, & ardentius uirtutis ſtudium, & moderatio in uictu cultuque omni diligentior. Etiam medici paulò erectiores, nec materiæ ſordibus nimium affixi, ſed philoſophicis etiam rationibus perpoliti, non diffitentur, poſſe caſtè uiui, ſi quis modò uelit, ad maturam uſque ætatem, & legitimi coniugij tempus: quod anno ætatis uigeſimoquarto aut quinto rectè definiri uidetur, ſi cætera ferant: etſi Heſiodus & Ariſtoteles, alter trigeſimum, alter trigeſimumquintum matrimonio deſignauit. Nam niſi quis ignauiſſimus & ſtolidiſſimus fuerit, tot annis artem diſcere potuit, qua & ſe & ſuos honeſtè alat. Cenſet autem Heſiodus, uxorem ducturo*

Aetas coniugij.

Domus. Bos arator. Vxor.

πρῶτα δόμον, μετέπειτα γυναῖκα, καὶ βοῦν ἀροτῆρα

ſuppetere oportere. Intelligit autem δόμον, certam ſedem, ubi commodè uiuere poſſis: βοῦν ἀροτῆρα, honeſtam artem, qua rei familiari conſulatur. His quaſi fundamentis iactis, Deo fortunante uxorẽ ducas licebit. Extra cõiugiũ autem flagitioſa eſt omnis laſciuia, & inuiſa Deo: cuius autoritatẽ, ſcortorũ & ganeo-

ganeonũ præponderari nugis, non modò impiũ & conſceleratũ, ſed etiã extremi ſuroris eſt. At non eſt tanta Dei ſeueritas, quantã Theologi fingunt: nec tã ater diabolus, quàm pingitur? Verba ſunt Euangelij apertiſſima: Scortatores & adulteros DEVS IVDICABIT. *Exẽpla uetera omittamus: quæ præmia libidinum ſoleant eſſe, quotidie uidemus. Sed de his paulò pòſt.*

Libidinibus pœnæ diuinitùs cõſtitutę.

II. *Caſtitatis & pudicitiæ is theſaurus eſt, qui ſemel amiſſus, nunquã ulla ratione recuperatur: ſed præter pœnitentiã & conſcientiam turpitudinis, nihil reliqui facit.*

Caſtitas ſemel amiſſa iterer cuperabilis.

III. *Libidinoſa atq; intemperãs adoleſcentia (ut alibi noſter autor ait) corpus effœtũ tradit ſenectuti. Debilitãtur enim, immatura præſertim ætate, omnes nerui, omnia membra, omnes ſenſus: ſed grauiſsimè affligitur ingenium, in primisq; memoria eruditionis theſaurus, cùm medicorũ tum experientiæ certiſsimæ teſtis conſenſu. Libido enim, ut mala mulier,* εὕει ἄτερ δαλοῦ, καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκε: *Id eſt,*

Ante diem ſenium celerat, torretq; ſine igni,

ut eleganter ait Heſiodus. Falſum autem eſt quod uulgò iactatur, τὴν τοῦ σπέρματος οὐσίαν *aſſeruari & coaceruari non poſſe ut frumentũ, uel quòd dormientibus aut alioqui inuitis ſemen elabatur, uel quod areſcat in corpore, uel etiam in noxios humores conuertatur. Nam quòd ad* ὀνειρωγμοὺς *attinet, ſi rariſsimè ſunt in iјs qui ſobriè uiuunt, & à Iuſtino, eodẽ & philoſopho & martyre, in peccatis nõ habẽtur, ſi inuitis accidãt:* κακοχυμία *uerò & ſobrietate uictus, et exercitatione corporis, & breuitate ſomni, & ſi neceſſe ſit (medicamenta enim pro uirili uitanda cuiq; ſunt) purgationibus expelli poteſt, ac reprimi. Et quo quiſq; caſtius uixerit, eo minores & rariores ſtimulos libidinis ſentiet. Conſuetudo enim in iſta re multum in utranq; partem ualet, humoribus eò decurrentibus, quò uia ipſis patefacta eſt. Opponatur autem lenonũ dicterio, Pythagoræ, philoſophorum, & Hippocratis medicorũ principis autoritas: quorũ hic ad firmitatem ualetudinis & diuturnitatẽ uitæ plurimum facere affirmat* ἀκορεΐαν τροφῆς, καὶ ἀοκνίην πόνων, καὶ σπέρματος οὐσίης συντήρησιν: *id eſt, ſi edas & bibas citra ſatietatẽ: ſi & libẽter labores, & citra defatigationẽ: ſi uim ſeminis conſerues. Ille interrogatus, quando rebus uenereis utendum eſſet: Cum, inquit, imbecillior quàm es, fieri ſtudes. Quàm autem ueræ ſint hæ ſententiæ, docebit obſeruatio diligentior hominũ libidinoſorum, & continenter uiuentium.*

Debilitatio corporis atque ingenij.

IIII. *Præter innumeros, eoſq; fœdos morbos, qui nec honeſtè nominari poſſunt, ſæpè etiam periculũ capitis aditur, ſi quis in æmulos, aut alioqui nebulonum gregem, qui his in locis uerſari ſolet, inciderit. Sæpe etiã amatores à lupa deglubuntur. Multos certè non minus amore, quàm luxu aut alea, rei familiaris naufragiũ feciſſe, plus ſatis notũ eſt. Sed quid de pecunia dico, cum philtris multi in rabiẽ & exitiũ agãtur? Sed ut hæc nõ fiãt (nõnulli enim Venerẽ magis propitiã habẽt) tamẽ illa uitia in amore inſunt omnia, quæ in Eunucho Terẽtius nõ minus uerè q̃ elegãter deſcribit. Eſtq; hic nõ minimus fructus lectionis comœdiarũ, ut adoleſcẽtiæ uitia, animo nondũ cupiditatibus deprauato & cognoſcãtur, & fugiantur. Tradũtur enim ibi, ut & in hiſtorijs ferè,*

Morbi. Pericula ferri & ueneni. Iactura pecuniæ.

Comœdiarũ uſus & abuſus.

ὥτε

ὁ τὰ ὄντα, ἀλλὰ τὰ γινόμενα. *Etſi dolendum eſt, nonnullos alio fine in Comicis uerſari, non ut uæcordiam & flagitia illa auerſentur, ſed ut ediſcãt & imitentur.*

Infamia. V. *Adijci poſſet etiam infamia: niſi ea corruptela horum temporum eſſet, ut nihil ferè quod libeat, turpe ducatur: & ſumma (ut Poeta ait) barbaries ſit, nihil habere. Sed ut ut apud hominum uulgus infamia libidinum nulla ſit, aut certè minor quàm decebat: tamen & bonis laudatisq́; uiris, qui nonnulli ſuper ſunt uelut roſæ inter ſpinas, improbari, & diſplicere Deo, omni eſt infamia grauius. Plura fortaſſis poſſent colligi in hanc ſententiam, ac debent etiam. Sed hic labor adoleſcentum ſtudijs relinquatur, qui nullas ſtyli exercitationes aut honeſtiores aut utiliores ſibi proponere poſſunt, quàm omnium uitiorum inſectationem, & uirtutum commendationem, tota eloquentiæ ui exprompta.*

Scurræ libidinis remedium à meretricula petunt. ¶ *Nunc remedia quædam addenda ſunt, non illa quidem contemnenda, ſed à ſcurris contemni ſolita, qui his & alijs omnibus turpiſſimã medicinã, explẽdæ ſcilicet libidinis, opponũt: cæteraq́; omnia deridẽt. deridendi & ipſi à Deo & ſanctis angelis, cum τῇ δικαιοκρισίᾳ omnes cogitationes, omnia dicta & facta hominum examinabuntur. Rident illi omnino riſum Sardonium, qui in æternum luctum conuertetur, niſi maturè reſipuerint. Nos igitur omiſſis, & uiciſſim contemptis illis, noſtrum inſtitutum paucis abſoluamus. Nihil igitur ad cauendam omnem turpitudinem accommodatius eſt Pietate, quæ legendis ſacris literis maximè alitur. Nam hæ ſubinde uitia deteſtantur, pœnas improbis comminantur, uirtutes commendant, & præmia maxima pollicentur. Harum lectioni coniungendæ ſunt aſſiduæ preces. Deinde uitanda eſt hominum mollium, obſcœnorũ, libidinoſorum conſuetudo, tanquam peſtis certiſſima. Multi enim caſtè uixiſſent, omniq́; & probro caruiſſent, & officio functi eſſent, niſi in perditorum hominum gregem, malo quopiam fato iratoq́; Deo incidiſſent. Præclarè Menander, cuius teſtimonio & D. Paulum uti non puduit,* φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί. *Tertio loco, Sobrietas, tenuis uictus, breuis ſomnus, uehemens occupatio ſtudiorum, exercitationes corporis laborioſæ, multum faciunt ad caſtitatem. Nam, ut Comicus ait, Sine Cerere & Libero friget Venus. Nam cum libido ex abundantia humorum, in feruentibus præſertim adoleſcentiæ corporibus, naſcatur: quo frugalius quiſq́; uixerit, quo magis animum ſimul ac corpus defatigarit, eo tutior eſt ab iſto flagitio futurus. Rectè Ouidius:*

1. Pietas, ſacra lectio, & precatio, optima cautio & medicina uitiorum omnium.

2. Vitanda conſuetudo libidinoſorum.

3. Sobrietas & labor.

Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæq́; iacent & ſine honore faces.

Paupertatis cõmoditas. *Eſt igitur* PAVPERTAS *uel hoc nomine amanda, quòd & laborandi neceſſitatem imponit, & luxuriandi facultatem negat: cum diuitiæ (ſi credimus Iſocrati noſtro) ſæpius ſint uitiorum miniſtræ quàm uirtutis. Quanto autem præſtat pauperem honeſtè uiuere, quàm propter diuitias amittere pudicitiam: quæ ſemel amiſſa οἴχεται, τῆς μετανοίας ἐπερχομένης, καὶ ἀεὶ συνωσμένης;*

Poſtre-

Poſtremò, ne ſingulis conquirendis prolixiores ſimus, occaſiones omnes uitandæ ſunt, declinandus quantum fieri poteſt puellarum & laſciuarum mulierum congreſſus, confabulationes, ſaltationes, & id genus alia. Nam peccata uitare, ut quidam dixit, eſt peccatorũ occaſiones uitare. Qui aũt periculũ amat, dignus eſt qui in eo pereat. Non abs re à Græcis dicitur ἐκ τοῦ εἰσορᾶν γίγνεται ἀνθρώποις τὸ ἐρᾶν*: id eſt, Amor ex aſpectu naſcitur mortalibus. Neq; hic quenquam iubeo eſſe* μισογύνην *(id enim inhumanitatis fuerit) ſed periculum cauendum eſſe moneo, quòd nimia familiaritas cum mulierculis haud unquàm ferè periculi expers eſt. Vrit enim uidendo fœmina. Quanto magis confabulando, & contrectando? Noſtrates non minus uerè quàm facetè dicunt: ſtipulam flammæ proximam ſubitò concipere ignem. Parit enim nimia iſta puellarum & muliercularum familiaritas* τὸν ἐρωτικὸν κλίμακα τῆς ἀφροδισίου εὐδαιμονίας*. græco Diſticho ita eleganter expreſſum, ut dolendum ſit, tantam uerborum ſuauitatem in bona re non eſſe conſumptam. Eſt autẽ id Diſtichon huiuſmodi, tum demum approbatione dignum, cum ad honeſtum coniugium transfertur. Suam enim cuiq; reginam formoſam eſſe decet, qualiſcunq; illa ſit.*

Amoris lineæ.

εὐδαίμων, ὁ βλέπων σε· τρισόλβιος, ὅστις ἀκούει·
ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν· ἀθάνατος δ' ὁ γαμῶν.

Contraxit poeta lineas amoris, τῷ φιλεῖν *etiam* τὸ ἅψασθαι *complexus. Circumferuntur uulgo uerſiculi* ὁμοιοτέλευτοι*, quorum ſententiã aſſcribere uiſum eſt. Contemnito, inquit autor, mulieris formam, à cuius conſpectu ad riſum & colloquia uenitur, inde ad familiaritatem & contrectationem, deniq; ad oſcula & complexum, cuius eſt comes pœnitentia. Eſt & hic locus copioſe grauiterq; tractandus, non tam exercendi ſtyli, quàm cauendæ turpitudinis ſtudio. Nam ut amor doctrinæ doctos, uirtutis probos: ſic odium uitiorum caſtos & integros facit. Eo autem magis & uirtutes amabimus, & uicia deteſtabimur, quo accuratius utriuſq; rei naturam atq; effectus cognouerimus. Adhibenda igitur in primis erit methodus Dialectica, deinde ornamentis oratorijs illuſtranda & amplificanda.*

Exercitatio ſtyli pręclara eſt, explicatio & laudatio uirtutum, uitiorũque inſectatio.

Exercendaq; in labore.) *Monuit, adoleſcentiam arcendam eſſe à libidinibus. Nunc, qua ratione id commodiſſimè fieri poſſit, oſtendit.*

Exercendaq; in labore.) *Rectè Comicus: Nulla adeò iſtuc (inquit) ex re ſit, atque ex nimio ocio. Significat igitur & hic Cicero, libidines occupationibus extingui. Occupationes autem ſunt, aliæ corporum, aliæ animorum: quæ utræq; coniunctæ, cùm alios prauos affectus, tum amorem excludunt, qui (medicorum etiam teſtimonio) animi quidam morbus eſt. Diſciplina noſtra, quod ſæpè dico, imperfecta eſt, & certa ratione modoq; caret. Aut enim ſola corpora, aut animi tantum exercentur: idque aut immodicè, aut alieno tempore. Hinc ſtudioſiſſimi & doctiſſimi quique (ut de noſtro potiſſimùm ordine loquamur) aut ualetudinarij ſunt, aut* ὀλιγοχρόνιοι*, aut utrunq;. Pauciſſimi iuſtam ætatem, ſiue fato quodam ſuo, ſiue culpa etiam*

Exercitationes & animi & corporis coniungendę.

Docti aut ualetudinarij aut breuis æui.

aliqua ſua (non enim omnium ratio eſt eadem) attingunt: aut ita uiuunt, ut ſit eis uita morte acerbior. Quo æquior ſum Theophraſto, quamuis nec piè nec prudenter Naturam accuſanti. Quis enim non doleat, uiros excellenti præditos ingenio, ſingulari doctrina & uirtute multis lucubrationibus & perpetuis ærumnis parta, qua plurimis prodeſſe potuiſſent, in ipſo ætatis flore extingui: & tum uiuere deſijſſe, cum uerè uiuere potuiſſent? Quales nuper admodum, præter alios complures, amiſimus Cordum, Secundum, Lotichium, Stigelium, Moibanum, anniſque ſuperioribus Longolios duos, Gemuſæū, Grynæum, Opſopœum. Quibus annumeremus licet Garbitium & Sabinum. nam & hi non admodum grandes deceſſerunt. Etſi omnes tales uiri morte immatura tolli uideri queant, etiamſi annum ætatis octogeſimum exceſſerint, ut quos ἀθανάτους καὶ ἀγήρως eſſe oportebat. Itaque ſæpe mihi in mentem uenit rhythmorum noſtræ linguæ, quos (etſi ineptum uideri queat, tamen quia Germanis meis ſcribo, non exoticæ inuidentiæ & arrogantiæ, ſubijcere uiſum.

Aller welt ſinn vnd mût/
Stelt nach luſt/kunſt/eer vnd gût:
Vnd wann ſie das erwerben/
Legen ſie ſich nider vnd ſterben.

Quorum hæc eſt ferè ſententia, ut etiam exteris (ſi qui fortè hæc legent) gratificer:

Artes, diuitias, honoris arcem,
Quiuis expetit, atq; amœnitates.
Sed quid fit? ſimul aſſecutus illa eſt,
Extinctus cadit, irritus laborum.

Si res maximè expetendæ, in morte euaneſcunt: quid ex hac uita eſt auferendum?

Sed temperandum eſt calamo, ne uel in Plinianam μεμψιμοιρίαν, uel Euripideam ἀλαζονείαν incidamus, qui alicubi uel innocatus in Iouis concilio ſententiam dicere non dubitat. Vnum tamen eſt addendum. Cum uanæ ſint artes, inanes honores, irritæ diuitiæ, caducæ uoluptates: qua tandem in re benè collocabitur opera noſtra, ſi in harum rerum, quæ cum primis expetendæ uidentur, nulla bene collocatur? Ita'ne in morte corporis omnia pereunt, neque ſecum auferre quicquam conceditur? Sic quidem Epicuro uidetur, eiusque gregalibus, qui numero potius & impudentia quàm pondere & ſapientia pollent. Sed aliter Sophocles: quem uel unum cum Epicuro comparaſſe ſatis, ac potius abundè fuerit. Is igitur quid pronunciat? ἡ δ' εὐσέβεια, inquit, μόνη συνθνήσκει βροτοῖς, κἂν ζῶσι κἂν θάνωσιν οὐκ ἀπόλλυται. Pietati ergo ſtudeamus, quæ & huius & futuræ uitæ promiſsiones habet: quæ neque uiuenbtius neque morientibus perit. Cum pietatem dico, θεογνωσίαν,

Sola pietas ex hac uita in meliorem comitatur.

...τίαν, εὐσέβειαν, φιλανθρωπίαν, σωφροσύνην, omnes denique uirtutes complector. Vna enim pietas eſt omnium uirtutum perfectio, imò ſine pietate nulla uirtus eſt. Iſocrates autem noſter τοῦτ᾽ ἂν θῦμα κάλλιστον καὶ θεραπείαν μεγίστην ἡγεῖται, ἐάν τις ὡς βέλτιστον καὶ δικαιότατον ἑαυτὸν παρέχῃ. Nam ἡ ἀείμνηστος ἀρετὴ, καὶ ἀθάνατος περὶ ἑαυτοῦ μνήμη, quid defunctos iuuare poſſit, uel (Epicuro autore) nihil ſentientes, uel (Chriſtianorum & Platonicorum etiam ſententia) grauioribus aut bonis aut malis occupatos, equidem non uideo. Viuentes quidem eos celebritas nominis, eorumque poſteros nõnihil et delectare et iuuare poteſt. Quanquã ſi uera fateri uolumus, quis ſcriptorum noſtræ ætatis nõ plures ex eruditis inuidos habuit, & obtrectatores, quàm candidos iudices et laudatores? Quãto plures ſunt, qui ſcriptorũ errata uenentur, ut carpendi & oſtentandi acuminis & doctrinæ ſuæ habeant occaſionem, quàm qui bene atque utiliter dicta probent? Iam in quanta uulgi ignoratione uerſantur eruditi? & ut noſcantur, in quanto ſunt uel odio uulgi, uel diuitium contemptu? Quis illis diues fœnerator non antefertur? Quòd ſi quid eis honoris defertur, non fit ex animo: ſed uel ueteri conſuetudine, uel quòd eorum opera fortaſſis opus eſt. Quæ cum ita ſint, longè & prudentiores & beatiores eos ego iudico, qui in ocio & umbra philoſophantur, aliquid uacui temporis nacti, quàm qui libris ſcribendis fatigantur: de quorum infinita & ſuperuacanea multitudine, iam olim pleroſque conqueſtos eſſe uideas. Mihi certè quidem, ut cum Typographis res eſſet, à quibus ne nunc quidem auellere me poſſum, non tam mea uoluntas cauſam attulit, quàm neceſſitas: qua alibi expoſita, me ueniam ab æquis cenſoribus impetraſſe confido. Sed ut ad rem redeamus: Olim homines ſtudioſi habebant ſua gymnaſia, ſuas deambulationes, quibus etiam corpora reficiebantur: itaque non una pars, præcipua illa quidem, animum dico, ſed corpus etiam, hoc eſt, integer homo curabatur. Sic Cicero infirmitatem ualetudinis certo paſſuum numero, de ſententia medicorum, correxit, & confirmauit.

Nominis immortalitatẽ nil iuuare mortuos.

Docti reprehenſores.

Indocti contemptores.

Philoſophari beatius eſt, quàm libros ſcribere.

Gymnaſia ueterum.

In labore animi.) *Philoſophiam & artes liberales intelligit, quarum occupatio multa uitia excludit. Qua de re præclara diſputatio eſt in oratione pro M. Cælio.*

Patientiaq́.) *Vt non tantum uoluptati ſeruiant exercitationes iſtæ, ſed defatigent etiam & animos & corpora. Quod cum fit, magis expetitur ſomnus, quàm Venus.*

Labore & patientia corporis.) *Suprà commemorauit Campum Martium, & ſtudia uenandi. Apud Perſas, adoleſcentes excubare ante Prætorium, & præſtò eſſe Magiſtratibus, in omnibus ijs quæ mandarentur exequendis, cogebantur. Exercebantur etiam ſagittando & iaculando: pane, naſturcio, & aquæ potu contenti. Quæ ratio uictus adeò erat tenuis, ut & anhelare, & expuere, & emungi publicè, turpiſſimum haberetur.*

Patientia animi.) *Cum aſſueſiunt fruſtrationes & repulſus ferre, nega-*

Seuera educatio uiros præſtates gignit.

ri ſibi ea quæ iure petierunt, non indignantes: cum dicta, facta, mores aliorum moleſtos tolerare coguntur: cum reprimunt affectus & cupiditates ſuas, etiam non inhoneſtas. Seuera hæc, & in ſpeciem inhumana educatio, uiros gignit præſtantes: & eos facit, qui olim & ipſi digni ſint Imperio. Indulgentia uerò nihil eſt publicè priuatimque perniciosius.

Aerumnæ ſtudioſorum.

Ad ſtudia literarum etiam colenda, magna animi patientia eſt opus: niſi natura ſis diſcendi cupidiſsimus, præſertim ſi paupertas acceſſerit. Sunt multa audienda, legenda, ſcribenda, ediſcenda, meditanda: eſt diſputandum, declamandum, deliberandum, ratio ſtudiorum reddenda, &c. Neque uerò militibus ſolis fames, ſitis, æſtus, frigus, nuditas, niues, pluuiæ, nauigationes, ambulationes, ſtationes, uigiliæ, & id genus aliæ ærumnæ perferendæ ſunt: ſed ſtudioſis etiam aliquando, pauperibus maximè. Verùm hæc omnia plus illis ferè commodant, quàm nocent. Nam occupationes hæ, & ærumnæ, luxuriari eos minimè patiuntur. Vnde à pleriſque uitijs, quæ ocium & abundantia rerum omnium parit, ſunt immunes: & à Deo adiuuantur, ut ad altiora paulatim emergentes, ijs etiam præferantur, quibus abundè omnia ſuppeditata fuerunt.

Etiam diuites labori & frugalitati eſſe aſſueſaciendos.

Quòd ſi hi quoque rationibus ſuis conſultum uolunt: non lautiſsimæ illis menſæ conſectandæ erunt in Academijs, non etiam fugiendus corporis labor. Rectè enim Heſiodus: ἔργον (inquit) οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη μὲν ὄνειδος. Itaque ne eos pudeat, cum res fert, portare ligna, calefacere & purgare Muſæum ſuum, ſternere lectum, miniſtrare menſæ, huc illuc circumcurſare cum eſt opus, coagmentare libellos, & id genus alia: à cœna & prandio præſertim facere, quibus & ocium uitetur, & corpus exerceatur: & res quibus carere non poſſunt, ipſorum potius induſtria, quàm alieno miniſterio eis ſuppeditentur.

Auditorum interpreti habenda ratio.

Puerilia quidem ſunt hæc, & fortaſsis ridicula nonnullis uidebuntur. ſed cum præclarè dicatur, μέτρον εἶναι τοῦ λόγου, οὐ τὸν λέγοντα, ἀλλὰ τὸν ἀκούοντα: officium mihi facere uideor, qui meam docendi rationem non ad inanem oſtentationem referam (quod fortaſsis & ipſum poſſem, ſi uellem) ſed ad captum & utilitatem maximæ partis auditorum.

Nemo ignauus atque ἀνωφελὴς in uita eſſe debet.

Vigeat induſtria.) *Etiam ditiſsimis aliquid operæ & ſtudij ad publicam utilitatem afferendum eſt. Nemo enim ſibi ſoli naſcitur, aut uiuit: ſed quædam officia Deo, quædam alijs hominibus debet, ut ſuprà ex Platone recitatum eſt. Non igitur ſunt homines, qui ignauum ocium ſequentes, luxuria diffluunt: ſed noxia telluris pondera, & Deo & hominibus inuiſi. Quare hæc ſententia perpetuò ob oculos eſſe debet, atque animos ad honeſtas artes diſcendas excitare, cuius cognitionis fructus non ad priuatum emolumentum tantum, ſed & ad Remp. tam pacis quàm belli temporibus referendum eſt.*

Prudentia & uirtute ad rē gerēdam eſt opus.

Et in bellicis & ciuilibus.) *Non opus eſt prolixum texere Catalogum huiuſmodi officiorum, quæ ex quotidiana uita à mediocriter attento facilè animaduerti poſſunt. Illud quidem cogitandum eſt, nullius induſtriam in*

ijs offi-

ijs officijs uigere poſſe ſine ſingulari prudentia, reliquisque uirtutibus, in quibus ab ineunte ætate pro captu quiſque ſuo elaborare debet. Etſi enim adoleſcentem doctrinæ de Moribus idoneum eſſe auditorem negat Ariſtoteles, quòd & rerum imperitus ſit, & libidinem potius quàm rationem ſequatur ducem: tamen ſimulacra uirtutum omnium etiam puer adumbrare poteſt. Prudentia enim puerilis in audiendis natu maioribus, & doctioribus, diſcendisque bonis artibus poſita eſt, coniunctaque cum iuſticia. Niſi enim ita fecerint, ſenioribus & prudentioribus ſuum non tribuent, & de ſemetipſis malè merebuntur. Fortitudo eſt, tolerare æquo animo ſtudiorum labores, & ſi qua ſunt alia cum his cõiuncta incommoda. Iam modeſtia, uerecundia, temperantia, uel inprimis eam ætatem decet: quæ ut rationem ducem, non autem animi libidinem ſequatur, hac doctrina uel inprimis eget atque adiuuatur. Etſi autem uſum rerum magnum habere non poteſt, aliquem tamen poteſt (quid enim ſchola eſt aliud, niſi parua quædam & inchoata Reſpublica.) & quæ uirili ætate agenda ſunt, ea à pueris diſci & cognoſci non modo ſalutare, ſed etiam neceſſarium eſt. Sera enim diſciplina fuerit, quæ tum demum traderetur, cum in medijs negociorum fluctibus, rerum omnium ignarus uerſarere. Nam Ciceroni quidem libenter credimus, L. Lucullum propter incredibilem ingenij magnitudinem, partim percontando à peritis, partim rebus geſtis legendis ſubitò factum imperatorem. Habet igitur ἡ θεωρία ſuum tempus, hoc eſt, ineuntem ætatem: habet & πρᾶξις ſuum, maturam atq; adultam. Sed illa antecedere, hæc paulatim ſequi debet.

Simulacra uirtutum etiam in adoleſcentibus & pueris eſſe poſſe.

Prudentia.

Iuſticia.

Fortitudo.

Modeſtia.

Schola, parua quædam Reſpublica.

Diſcere eſt ineuntis ætatis: rem gerere, adultæ.

CICERO.

Atq; etiam cum relaxare animos, & dare ſe iucunditati uolent: caueant intemperantiam, meminerint uerecũdiæ. Quod erit facilius, ſi eiuſmodi quoq; rebus maiores natu uelint intereſſe.

Dare ſe iucunditati.) *contentione ſcilicet honeſtorum ſtudiorum & laborum fatigatos.*

Dare ſe iucunditati.) *quæſituri delectationem corporis & animi. Corporum luſus antè ſunt expoſiti, & quidẽ minus illi fortaſsis ordini ſcholaſtico apti & conuenientes. Quorum loco nobis erit συμφωνία, Muſica organica, deambulatio, palæſtra, uectatio curru uel equo (ſi qui fortè tantas opes, aut eas occaſiones habeñt) colloquia ſodalium: diſputationes, declamationes, lectio poetarum & hiſtoricorum, & ſi qua ſunt huius generis alia, quæ & ualetudini conducant, & animos oblectent, & moribus ac peculio non obſint. Compotationes & choreas (niſi recuſari honeſtè nequeant) uitandas eſſe cenſeo, nec inepta etiam & uulgaria ſpectacula frequentanda.*

Scholaſtici ludi.

Caueant intemperantiam.) *Sit (ut antè dixit) ludendi modus: ne elati uoluptate, in aliquam turpitudinem delabantur.*

Cauend: ſodales ad alios corrumpendos parati.

Meminerint uerecundiæ.) *Quæ aut nulla, aut pertenuis eſt inter æquales, qui quiduis & dicunt & faciunt, alij alijs ignoſcentes aut: etiam in eandem turpitudinem pertrahentes, ne modeſtiores habeant, quod obijciant petulantioribus. Quod quidem deteſtabile eſt artificium, & diabolicum planè nefariorū hominū, quoſcunq; poſſunt ſua ſcabie inficientium: ſicut impudicæ mulieres quàm plurimas infamiæ ſuæ ſocias quærunt, lænas ultrò agẽtes aliarum, cum ipſæ propter ætatẽ aut deformitatem negliguntur ab amatoribus.*

Solitudo, præſertim ignauia, fugienda.

Quod erit facilius.) *Vt quos in officio ratio continere nequit, uerecundia & reuerentia ſeniorum coherceat. Notetur hoc loco, ſolitudinem uitandam eſſe adoleſcentiæ, quæ multa mala uel docet, uel inuitat: grauium autem uirorum conſpectum eſſe expetendum. Qui ſi negetur, eorum loco nobis ſint eruditi libri, cū quibus perpetuò de optimis grauiſſimisq; rebus colloqui licet.*

CICERO.

Senibus autem †labores corporis ſunt minuendi, exercitationes animi etiam augendæ uidentur.

V. L. *Labores corporis minuendi.*

Labores corporis ſunt minuendi.) *De cōditione atq; officijs ſenum, conſulatur libellus de Senectute, in quo hæc ex profeſſo tractantur. Minuendi autem ſunt labores corporis, propter uirium imbecillitatem: neq; cuiquam plus oneris imponendum ſcilicet, quàm commodè ſuſtinere poſſit.*

An ſenibus exercitationes animi augendæ eſſe uideantur.

Exercitationes animi etiam augendæ.) *Verecundè & modeſtè partem hanc proponit, quòd aliquis controuerſiam ei facere poſſit, ut morbos, ita etiam labores animi, grauiores eſſe quàm corporis: eaque de cauſa non minus, ac multo etiam magis, ſenibus illos eſſe minuendos. Fuit enim quorundam ſententia, ὅτι αἱ φρένες καὶ συναύξονται τοῖς σώμασιν αὐξανομένοις, καὶ συμμαραίνονται μαραινομένοις: id eſt, ingenij uim unà cum ætate & creſcere & decreſcere. Quod quidem in libidinoſis atq; intemperantibus, qui corpus ſenectuti effœtum tradunt, uerum eſſe poteſt. In ijs autem qui perpetuò ſobriè uixerūt, nec libidinẽ, ſed rationẽ ducẽ ſecuti ſunt, non itẽ: niſi fortè naturalis imbecillitas in ipſa adoleſcentia ſenectutis incommoda ſe cum attulerit. Nō igitur erudito & exercitato ſeni labores animi graues potius, quàm iucundi erunt: eóque faciliores, quo minus mens & ratio à prauo appetitu impeditur. Huc illud etiam accedit, quòd in negocio, quàm in ocio, & facilius, & ſalubrius, & iucundius, & diutius pleriq; uiuunt, in rebus gerendis præſertim per omnem ætatem uerſati.*

CICERO.

Danda uerò opera, ut & amicos, & iuuentutem, & maximè Rēp. conſilio & prudentia quàm plurimū adiuuēt.

Danda uerò opera.) *Quos animi labores intelligat, declarat: qui quidem in eo genere per omnem ætatem uerſatis (ut modo dicebam) non modò facillimi, ſed etiam iucundiſſimi ſunt. Mihi certè quidem hoc accidit, ut ſuperioribus*

rioribus annis permoleſtè ferrem, tot annorum uigilijs partam Græcæ linguæ quantulamcunq; cognitionem, inter ἀμύθους occupationes, apud me, ſine aliorum fructu quaſi obſoleſcere: cùm id mihi ab ineunte ætate propoſitum fuiſſet, docendo in Academia aliqua, & uictum quæritando, reliquum tempus ſiue philoſophiæ ſiue philologiæ impẽdere, eumq́ue fructum uberrimum laborum meorum indicare. Sed eius uoti ἐπὶ γήρας οὐδῷ, ut Homeri uerbis utar, demum compos factus ſum. In cauſa opinor fuit ſuperiori tempore, luna horoſcopum tenens quadrato Saturni ſauciata, & ipſa τὴν διάμετρον Mercurio aduerſata. Qui uix tandem occidui cardinis ope, uires ſuas exerere potuit, & eas quidem pertenues, omni Iouis & Martis præſidio deſtitutus: nec multis ſe ſolatijs oblectans, ob frigidam opinor Saturni ſtellam, ex medij cœli culmine omnes ſucceſſus pro uirili impedientem. Is igitur dignitati & honori obſtat, & magiſterij celebritati: Mars in anaphora horoſcopi, rei familiaris incrementis: Luna afflicta, ualetudinem debilitat, & affligit: Venus in epicataphora Saturni dominatu oppreſſam, coniugij commoda negat: Iupiter ἐν τῇ κακῇ τύχῃ κατεχόμενος, parum iuuare poteſt. ut Geneſim meam contemplans, totius penè uitæ meæ quandam quaſi hiſtoriam ibi depictam, contemplari mihi uidear. Quid autem Sol & Fortuna, auxiliares cum Mercurio copias iungentes, allaturi ſint, ſi diutius uiuere contigerit (eius enim temporis ancipitem uideo quaſi fatorum uiam) certiſſimus uates docebit Euentus. Interim Horatium ſecutus,

Omnem credo diem mihi diluxiſſe ſupremum.
Grata ſuperuenerit, quæ non ſperabitur hora,

Sic tamen, ut ſi eam non ſimus repudiaturi. Sed hactenus nugari libuit: etſi fortaſſis hæ nugæ, ſecus ac imperiti cenſent, ſeria ducunt.

CICERO.

Nihil autem magis cauendùm eſt ſenectuti, quàm ne languori deſidiæq; ſe dedat.

Nihil autem magis cauendum.) *Tria ſenibus uitanda monet: ignauum ocium, luxum, laſciuiam.*

Languori deſidiæq;.) *Homines molliores, ſomno & ocio uacare ſibi licere propter anteactos labores exiſtimant: ſed ea ipſa re plerunq; malè ſibi cõſulunt, & ualetudinẽ lædunt, atq; adeò uitæ ſuæ aliquid detrahunt. Multis enim exemplis compertũ eſt, negocioſos, & perpetuis occupationibus aſſuetos homines, poſtquam in ocium ſe contulerunt, nõ diu uixiſſe: ſiue id fiat porpter ſubitã mutationẽ, naturæ inimicam: ſiue quòd præfinitum à natura tẽpus fuerit elapſum: ſiue alia occultiore de cauſa. Iidẽq; moleſtius in ocio uiuũt quàm in negocio. Nam, autore Chilone, τὸ χαλεπώτατόν ἐστι, σχολὴν εὖ διαθέσθαι.*

CICERO.

Luxuria uerò cùm omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſsima eſt.

Luxuria

Luxuria. Libido.

Luxuria uerò.) *Luxuriam Feſtus interpretatur, morum ſolutionem. Cicero priuatam luxuriam publicæ magnificentiæ opponit: nec ferè luxus aliter uſurpari uidetur à ueteribus, ut ſit Græcè ſiue ἀσωτία, ſiue ἀπειροκαλία, omnemq; ſuperuacaneum atq; immodicum apparatum & ornatū ſignificet.*

Cùm omni ætati, tum ſenectuti.) *Confertur ſpecies cum genere, amplificandi cauſa.*

Turpis, fœdiſsima.) *Cicero eiuſdem uocabuli repetitionem, ſi quod ſynonymon ſuppetit, uitat.*

CICERO.

Sin autem etiam libidinum intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt: quòd & ipſa ſenectus dedecus concipit, & facit adoleſcentium impudentiorē intemperantiā.

Libidinum intemperantia.) *Cum Cicero luxuriam à libidinibus his diſtinguat: eam in magnifico & ſuperuacaneo potius apparatu, quàm in laſciuia poni apparet. ut & in ſecundo de Finibus: Luxurioſi, inquit, reprehendendi ſunt ob eam ipſam cauſam, quòd ita uiuant, ut perſequantur cuiuſq; modi uoluptates. Ibidem: Vnum neſcio, quomodo poßit, ſi luxurioſus ſit, finitas cupiditates habere. Neque tamen inficias iuerim, ſi luxuria cupiditates infinitas contineat, & libido ſit multiplex, omnis ſcilicet turpis & effrenata cupiditas & impetus animi uitioſus: utroque uocabulo, & luxuriæ, inquam, & libidinum, laſciuiam, græcè ἀκολασίαν καὶ ἀσέλγειαν, poſſe intelligi. Sententia certè huius loci eſt (utcunq; uocabula ſeſe habeant) cùm aliarum uoluptatū turpium, tū in primis uenerearum ſtudū longiſſimè à ſenſibus abeſſe oportere. Cato quidē maior ob ſenilem laſciuiam malè audiuit, & L. Lucullus poſt bellū Mithridaticum parum honorifico Xerxis cogati elogio fuit ornatus. & Cicero negat ſe, oppreſſa Republica, deditum fuiſſe indignis homine docto uoluptatibus.*

Adoleſcentiam impudentiorem.) *Natura ita comparatum eſt, ut adoleſcentia ſeniorum exemplis in utranq; partem moueatur: magis tamē ad uitia, quàm ad uirtutes imitandas. Quò maior eſſe debebat ſenum uerecundia, & cautio diligētior. Sed ut adoleſcens in turpes ſenes incidat, nullam tamen habet turpitudinis ſuæ excuſationem. Neq; enim rectè fit, quòd malo exemplo fit. Quod ſi turpitudinem alienam imitatus fueris, æquè turpis eris, ac ſi ſine exemplo talis fuiſſes. Nam multitudo peccantium, ut rectè dicitur, peccanti non patrocinatur. Notetur hic obiter, τὸ σκάνδαλον ſummo ſtudio uitandum eſſe, cauendumq; ne tenera ætas noſtris ſermonibus aut moribus corrumpatur.*

CICERO.

Ac ne illud quidem alienum eſt, † de magiſtratuum, de ciuium, de peregrinorum officijs dicere.

V. L. *de magiſtratuum, de priuatorum, de ciuiū. Al. de priuatorū ciuiū.*

Ac ne illud quidem.) *Tranſit ad alias τοῦ πρέποντος διαιρέσεις.*

Alienum eſt.) *Scilicet à præceptione decori, quod nunc tractamus.*

De peregrinorum.) *Prolixum catalogum texere potuiſſet, ſi omnia uitæ genera, omnes fortunarum diſsimilitudines & conditionem perſequi uoluiſſet. Sed philoſophus τῶν καθόλου, & paucis formis exempli cauſa ſubijciendis contentus, ſingula (quæ infinita multitudo eſt) non perſequitur. Sunt autem illa uel ex communi prudentia, uel è ciuitatum inſtitutis, ac more maiorum, uel ex eorum ſcriptis qui τὰ καθ' ἕκαστον tractarunt, petenda. Sic alius officium oratoris, alius Grammatici, alius Medici, alius Imperatoris, alius ciuis, alius militis, alius ſerui munus atque officium deſcribit. Longè autem facilior eſt officiorum huiuſmodi deſcriptio, quàm executio. Fine enim conſiderato, in promptu eſt, quid fieri oporteat. Sed ad id faciendum plurima requiruntur. Sumamus exemplum notum omnibus: eoque ſumamus, quòd incauta adoleſcentia, uelut cæca & ſurda, eo ſe uitæ genere ſæpè & imprudenter & calamitoſe implicat. Mariti finis eſt, procreatio & educatio ſobolis. Quam ad rem, & corporis & animi nerui, & opes aliquæ requiruntur. Non igitur quæuis ætas, non quælibet corporis conſtitutio, non fortuna quælibet, tantæ rei eſt idonea. Requiritur uxor amans, morigera, induſtria. Talem reperire, & reperta ne mutet ingenium curare, magni laboris, magnæ artis eſt. ſic enim ait Clytemneſtra Euripidis, poſt longum uirtutum ſuarum catalogum: Σπάνιον δὲ θήρευμ' ἀνδρὶ τοιαύτην λαβεῖν γυναῖκα, φαύλην δ' οὐ σπάνις γυναῖκ' ἔχειν. Opus eſt ancillis, aut etiam ſeruis. Opus eſt ædibus, iíſque uaria ſupellectile inſtructis. Opus eſt ueſte, cibo, potu, ſæpè etiam medicina. Multa conferenda in alios ſunt, extra familiam, propter morem conſuetudinemq́; ciuilem, & uiciſsitudinem officiorum. Iſta uerò in tanta annonæ & rerum omnium caritate, creſcente indies, ſine ulla ſpe laxationis, quantorum ſumptuum ſunt? quanti etiam laboris? Quòd ſi ſpeciatim iſta enumeres, quantus catalogus texetur? Quæ ſi adoleſcens cogitarit omnia, non ſibi properandum exiſtimabit, ſed honeſtas occaſiones expectabit. At urget libido? Impatiens amor eſt moræ? Vide ne te paulo pòſt urgeat infortunium: & pœnitentia, libidine & amore tum importunior, tum diuturnior. Et facilius iſtis medebere, modò uelis, quàm quod temerè admiſeris, correxeris. Vita congreſſum amicæ, parcè ac ſobriè uiuito, ieiuna, ora, uigila, labora, animum ſtudio quopiam uehementer occupa, munere tuo fungere diligenter: uita ocium, & omnes delicias atque illecebras cùm uerborum, tum rerum multo magis: utique frigeſcet amor, libido profligabitur. At dura iſta ſunt, & inhumana? Eſto. Sed uide ne grauiores etiam temeritatis pœnas ſis daturus. At ferre iſta non poſſum: imperare mihi nequeo: affectus hic eſt inexpugnabilis. Tuo periculo, tuo malo ſuccumbes: atq; etiam, quod grauius eſt, tua culpa. Ego functus officio ſum. Tu quod feceris, Deus approbet uelim. Si igitur cuiuſque rei finis, ut dixi, conſideretur, non difficulter officium reperietur. Huc pertinet illud Ariſtotelis: σκοπὸν ἔχοντες μᾶλλον*

Singula uitæ genera quid deceat, unde petendum.

Mariti & patrisfamilias officium.

Remedia intempeſtiui amoris.

Finis officij doctor.

ἂν τυγχάνοιμεν τοῦ δέοντος. & Iſocratis: ἐὰν τὸ κεφάλαιον, καὶ τὴν δύναμιν ὅλου τοῦ πράγματος καλῶς παραλάβωμεν· ἐν ταῦθα ἀκριβῆ λιπόντων, ἄμεινον καὶ περὶ τῶν ἄλλων μερῶν ἐροῦμεν. Hunc & Epictetum illud, τὰ καθήκοντα ὡς ἐπίπαν ταῖς σχέσεσι παραμετρεῖται.

CICERO.

Eſt igitur proprium munus magiſtratus, intelligere, ſe gerere perſonam ciuitatis: debereq́ eius dignitatem & decus ſuſtinere, ſeruare leges, iura deſcribere, & ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe.

Magiſtratus priuata perſona poſita, publici muneris meminiſſe debet.

Perſonam ciuitatis.) *Id eſt, ſe eſſe publicam, non priuatam perſonam: omnia & dicta & facta ſua non ad priuatæ uitæ humilitatem, ſed ad publicum ſplendorem (quatenus quidem Reip. negocia tractat) eſſe accommodanda. Sunt igitur hîc priuati affectus omnes ſeponendi, & tota mentis atque animi acies in publicum bonum, non in priuatum commodum intendenda. Sic Samuel Saulem regem inauguratum, alium fore uirum prædicit, diuinitùs aucto eius animo, atque induſtria. Sic Demoſthenes ſe in dandis conſilijs non priuatæ ſuæ fortunæ humilitatem, ſed Athenienſis Reip. amplitudinem ſecutum, rectè feciſſe contendit, contra calumniatorem Aeſchinem.*

Magiſtratus ſit legum ſeruus.

Seruare leges.) *Nam alioqui tyrannus erit, qui libidinem ſuam, non legum æquitatem in conſilio habuerit. νόμιμον γὰρ εἶναι δεῖ τὴν ἀρχὴν, καὶ οὐκ αὐτεξούσιον.*

Non temerè mutandæ leges.

Iura deſcribere.) *Feliciſſimæ ciuitates ſunt, in quibus recta maiorum inſtituta, diutiſſimè conſeruata, quàm minimum mutantur. ut uerſus ille docet:*

Moribus antiquis ſtat res Romana, uiriſq́;.

Xenophon uerò: πᾶσαι, inquit, μεταβολαὶ τῶν πολιτειῶν θανατοφόροι. Nullæ rerum publicarum mutationes fiunt ſine cædibus. Incidunt tamen interdum neceſſariæ mutationes, propter humanarum rerum inconſtantiam, & temporum uarietatem. Tum igitur τὸν ἄρχοντα οὐ μόνον νομοφύλακα, ἀλλὰ καὶ νομοθέτην εἶναι δεῖ: nec tam ueteres tueri leges, quàm condere nouas.

Magiſtratui uigilandum, & multorum odia atq; inimicitiæ ſuſcipiendæ.

Commiſſa meminiſſe.) *Ne uel à tyrannis euertantur, uel à uulgi licentia negligantur. Hinc colligi poteſt, quantæ difficultatis ſit, bona fide gerere magiſtratum: hoc eſt, non ambitionem aut reditus ſuos ſpectare, ſed Reip. incolumitatem, & decus. Id quod ſine magna ſeueritate (atque ob eam, nec ſine multorum & ſummi & infimi ordinis inuidia atque odio) fieri uix poteſt. Rectè igitur dictum à Pittaco, ὅτι ἀρχὰ ἄνδρα δείκνυσι. Oſtendit enim magiſtratus & prudentiam, & æquitatem, & magnanimitatem, & modeſtiam uiri, eo magis, quo maiora efficienda illi ſunt quàm homini priuato: quoque plura licent, quoque plura ſunt in eius negocijs quæ Fortuna feriat.*

Principum, quàm optimatiũ conditio melior.

Ac in his quidem præceptis præſtandis omnia ſunt expeditiora Principi qui

cipi qui ſolus rerum potitur, quàm ijs qui ſocios regendæ Reipublicæ habent, eosque inter ſeſe diſſentientes: accedente etiam licentia populari, & oratoribus non ſatis cautis: ut hoc infeliciſſimo tempore, propter irreligioſas Religionis controuerſias, ac potius (ſi hominum improbiſſimorum praui affectus ſpectentur) calumnias. Nam cum magiſtratus in primis officium ſit, cuſtodem eſſe ueræ pietatis, honeſtæ diſciplinæ, publicæ tranquillitatis & ſecuritatis: quid agat uir optimus & prudentiſſimus, hæc ut aſſequatur? Maxima ciuitatis pars imbuta eſt, ac potius demerſa rixandi libidine, corrupta luxu, ambitione, auaricia. Verum monitorem & uitiorum caſtigatorem ferre quis poteſt? Quis melioribus conſilijs & ſententijs ſuffragatur? imò quis non repugnat, & aduerſatur? Onus igitur Aetna grauius ſuſtinent boni magiſtratus. Quo magis uotis ac precibus apud Deum adiuuandi ſunt: & eorum adminiſtratio tam perturbato rerum ſtatu, quem uulgus non ſatis intelligit, in meliorem partem interpretanda, & gratis animis accipienda.

Difficultates noſtrorum temporum.

Votis & precibus adiuuandi magiſtratus.

CICERO.

Priuatum autem oportet æquo & pari cum ciuibus iure uiuere: neque ſummiſſum & abiectum, neque ſe efferentem: tum in Rep. ea uelle, quæ tranquilla & honeſta ſint. Talem enim & ſentire bonum ciuem, & dicere ſolemus.

Aequo & pari.) *Leges enim προσωποληψίαν repudiant: ſolamque æquitatem, non habita ratione opum & potentiæ, ſpectant. Sed hanc æqualitatem οἱ σκύμνοι τῶν λεόντων & iniquis animis ferunt, & ut iniquam criminantur. Nam cum plus ſumptuum, quàm inopes (quorum magnam partem, uel eorum operis utendo, uel inopiam largitionibus ſubleuando alunt) ad conſeruandam Rempublicam conferant: plus etiam licere ſibi oportere opinantur. Quæ an ſatis iuſta querelarum cauſa ſit, ipſi uiderint. Ego enim me non uidere fateor. Nam in iure ſpectatur, opinor, proportio arithmetica, ut in contractibus. Dignitatis alia ratio eſt, qua utique diuites antecellunt. Quòd autem plura in Remp. conferunt, id fit κατὰ συμβεβηκός, & propter priuatum ſplendorem: & quo maiores eorum opes ſunt, eo plura etiam quæ eorum ſunt, à Rep. defenduntur, ut ne in hoc ipſo quidem ſint deteriore conditione. Vulgi tamen inuidiam & odia, & obtrectationes, & inſidias, & minas periculoſis temporibus nullo modo probo. Quæ mihi cauſæ fuiſſe uidentur, cur nobiles pleriq; relictis urbibus, rus habitatum conceſſerint, ubi ipſi rerũ potirẽtur: nec alijs dicto audiẽtes eſſent, ſed alios dicto audiẽtes haberẽt. Quã ratione ſi multi locupletes ciues ſecuti fuerint, tã è uulgo eorũ reditus optabitur, quàm nũc habitus deſideratur. Præclarè autẽ Sophocles potẽtiorũ et tenuiorũ cõiũctionẽ his uerſib. cõmẽdat: πρὸς τὸν ἔχοντ᾽ (inqt) ὁ φθόνος ἕρπει, καί τοι σμικροὶ μεγάλων χωρὶς σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται. μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ᾽ ἂν καὶ μέγας ὀρθοῖθ᾽ ὑπὸ σμικροτέρων. Hoc eſt: Inuidia diui-*

Diuites & nobiles iniquis animis ferre æqualitatem.

Vulgi iniquitas & imprudentia in exagitandis diuitibus.

Vtiliſſima diuitum & pauperum conſenſio.

Q 2 *tes inſe-*

tes inſectatur, quamuis paruis ſiue magnis mœnia malè defendat. Tenuis enim à magnis, & magnus à paruis optimè ſuſtentatur.

Neq; ſummiſſum.) *Hoc ad pauperes pertinet, atque ignobiles. Neq; tamen hæc ſiue ἰσηγορία, ſiue ἰσοτιμία, debitam aliorum excellentiæ reuerentiam tollit.*

Neq; efferentem.) *Hoc ad diuites & potentes refertur, ſicut à quodam ueterum dictum eſt: Nolo me timeat minor, deſpiciat maior. Etſi non deſunt qui in re tenuiſſima ſpiritus maiores gerant, quàm locupletiſſimi quiq;. Sed rectè noſtrati prouerbio ſuperbia pauperum durabilis eſſe negatur, ſicut à Poeta uana ſine uiribus ira dicitur.*

Ciuis ſit ſtudioſus tranquillitatis, & diſciplinę obſeruãs, & magiſtratuum.

Ea uelle quæ tranquilla.) *Requirit à ciue ſtudium pacis & tranquillitatis, honeſtæq; diſciplinæ obſeruationem: ne uel pacem bellis & ſeditionibus turbet, uel diſciplinam ciuitatis licentia uitæ, morumq; improbitate uiolet.. Illud etiam intelligendum eſt hoc loco, & repetendum quod ſuprà dixit: Reip. adminiſtrandæ poteſtatem, laudemq; alÿs concedendam eſſe: non obtrectandum magiſtratibus: non ad conſilium accedendum, antequam uocetur: libertate linguæ in libera ciuitate non abutendum. Quo deteſtando uitio magna pars imperitæ plebeculæ laborat, ea reprehendens & exagitans, quæ optimo conſilio, ſummaq; prudentia, ſæpè etiam neceſſariò geruntur. Multa nimirum uulgus reprehendit, quæ non intelligit. Quod ſi eodem loco eſſet, quò ſummum conſilium: aut quò ſe uerteret neſciret, aut temeritate & ſtulticia ſua Remp. euerteret.*

Vulgi petulãtia linguæ.

Bonus uir. Ciuis.

Bonum ciuem.) *Bonus uir etiam in ſolitudine eſſe poteſt: bonus autem ciuis ad conſociationem certorum hominum refertur, ὐκ ἀπόλυτ⊗ ὑπάρχων, ἀλλὰ τῶν πρός τι.*

CICERO.

Peregrini autem, & incolæ officium eſt, nihil præter ſuum negocium agere, nihil de alieno inquirere, minimeq; eſſe in aliena Rep. curioſum.

Hoſpites. Inquilini.

Peregrini & incolæ.) *Videtur τὺς ξένυς dicere peregrinos, id eſt hoſpites, qui non perpetuò, ſed ad tempus in aliena urbe commorantur: incolas autem τὺς μετοίκυς, qui & inquilini dicuntur, appellare, qui ius adipiſcendorum magiſtratuum non habebant, etſi perpetuò ibi habitarent. Nam ſecus, atq; apud nos fit, apud Romanos & Athenienſes, inquilini omnibus ferè in rebus deteriore conditione erant, quàm ciues. Summum enim honorem ius Athenienſis & Romanæ ciuitatis iudicabant, adeò ut eum etiam tyrannis & regibus offerrent: id quod etiam hodiè fit apud Venetos.*

Ius ciuitatis magnũ apud ueteres habebatur.

Philoſophica de aliena Republica diſputatio an improbãda?

Suum agere negocium.) *Vetatur hic curioſitas, obtrectatio, & importunæ reprehenſiones alienæ Reipublicæ. Neq; enim ea inhumanitas Ciceroni tribuenda uidetur, ut hoſpitem planè mutum eſſe uoluerit, & cæcum: poteſtatemq; moderatè & philoſophicè de aliena Rep. diſputandi, & quædam pro-*

damprobandi, quædam reprehendendi, adimere. Illud quidem peregrino cauendum, ne loquacitate & curioſitate ſua in ſuſpicionem uel ſeditionis, uel proditionis, uel aliorum ſcelerum ueniat, pœnasq; det uel inſons. Curioſitas autem non tantùm peregrinis, ſed in genere omnibus ſummoperè cauenda eſt: tenendumq́; præceptum, Hoſpiti cauenda. Vitanda curioſitas.

ἐρεύνα σαυτοῦ μᾶλλον, ἢ τὰ τῶν πέλας. *Id eſt:*

Res tuas curato, potius quàm aliorum.

Nam quo quiſq; curioſior eſt alienarum rerum, eo plerunq; ſuarum eſt negligentior. Itaq; nec ſibi nec ſuis conſulit, & aliorum famæ & cõmodis obtrectat, atq; obſtat. Ii tamen excipiendi ſunt, quorum intereſt ſcire, quid alij rerum gerant: ut ſunt magiſtratus, patresfamiliâs, præceptores, mercatores, ij deniq; omnes, quorum opes atq; exiſtimatio aliunde pendent. Hi uerò non tam aliena quàm ſua curant: nec alijs incommodare, ſed cauere ſibi ſtudent. Quibuſdam aliena curanda eſſe neceſſariò.

CICERO.

Ita ferè officia reperientur, cum quæretur quid deceat: & quid aptum ſit perſonis, temporibus, ætatibus.

Ita ferè officia.) *ὑποφώνημα quoddam addit, quo ſignificat, officia pendere à decoro: ipſum uerò decorum ab ijs, quas circumſtantias dicunt.*

CICERO.

Nihil eſt autem quod tam deceat, quàm in omni re gerenda, conſilioq́; capiendo, ſeruare conſtantiam.

Seruare conſtantiam.) *Cum uirtus, ad quam omnia præcepta hæc referuntur, firmum ac ſtabile quiddam ſit: ſummum eſt leuitatis & inconſtantiæ cum ea diſsidium. Neq; uerò (ut ſuprà etiam monui) conſtantia hæc ſtipitem aliquem, aut truncum facit: ſed ſic accipienda eſt, ut alibi noſter autor monet, ut bonus & ſapiens uir ſemper idem ſpectet, etſi pro uarietate negociorum & temporum aliàs aliud & dicat & faciat. Sicut enim alijs ueſtibus in brumæ rigoribus, alijs in æſtatis ardoribus, ſine reprehenſione utimur: ſic, pro ut res ſeſe dederint, alij atq; alij eſſe poſſumus, ſeruato tamen ſcopo uirtutis, & publicæ utilitatis. Cæterùm ſi ulla in re ſeruare conſtantiam utile & commodum eſt, in ſtudijs literarum ita eſt neceſſarium, ut ſine aſsiduitate diligentiæ nec ſumma ingenia quicquam magna laude dignum præſtent: & hac adhibita, tardiores etiam, & minus acuti ad ſummum eruditionis faſtigium aſcendant. Quantum autem meis ſtudijs incommodarint crebræ uitæ mutationes, quas non mea mihi uoluntas attulit, ſed acerba domina Neceſsitas imperauit (ὡς δυνάμεθα γάρ, ἐπεὶ ὡς θέλομεν οὐ δυνάμεθα) adoleſcentes credere, quàm infeliciter experiri malim.* Conſtantia coniuncta cũ prudẽtia probatur. Cõſtantia & idem ſtudiorum tenor utiliſsimus.

CICERO.

Sed quoniam decorum illud in omnibus factis, dictis, in corporis deniq; motu & ſtatu cernitur: idq́; poſitum

eſt in tribus rebus, formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto: difficilius eſt ad eloquendum, ſed ſatis erit intelligi. In his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur ijs, quibus cum, & apud quos uiuamus. His quoq; de rebus pauca dicantur.

Formoſitas actionum.

Sed quoniam decorum illud.) *Tria requirit ad omnem actionẽ, quæ probanda ſit: formoſitatem, quæ hic non corporis intelligenda eſt (alioqui enim deformibus, qui maximus eſt numerus, fruſtrà hæc præciperentur) ſed elegantia atq; concinnitas, quæ ab animo benè inſtituto profecta, foris etiam lucet. Ordinem intelligit, cum ſuo quidq; & loco, & tempore, tum fit, tum dicitur. Ornatum hic accipi pro habitu, cultu, & geſtu, mihi non diſplicet. Alius enim ornatus nuptias, alius funus decet: alius Conſulem in curia, alius Imperatorem in caſtris. Si quis tamen ornatum κοσμιότητα intelligit, facilè patior. Sed tamen Cicero hic de rebus quæ in oculos incurrunt, loquitur: non de occultis motibus animorum.*

Ordo. εὐταξία. Ornatus, κόσμος ἢ κοσμιότης.

Ad actionem apto.) *Id eſt, ad eam rem quæ agitur, qualis illa cunq; ſit. Actionem hic γενικῶς, non autem εἰδικῶς, ὑπόκρισιν ῥητορικὴν intelligo.*

Inopia Latini ſermonis.

Difficilius ad eloquendum.) *Ob inopiam utiq; Latini ſermonis, quæ Græcorũ copiam uix poteſt exprimere: niſi idem uocabulum, ut in Modeſtia contingit, aliàs aliud declaret: ex quo ὁμωνυμία naſcitur, & anceps ſententia.*

Sed ſatis erit intelligi.) *Clauſula hæc non tam ad excuſandam uerborũ inopiam, quàm ad monendum Lectorem, ut uita potius iſta exprimat, quàm controuerſia nominum torqueatur, uidetur pertinere. quaſi diceret: Non hic argutiæ uerborum quærendæ ſunt, ſed in honeſtas actiones incumbendũ. Noſter autem uernaculus ſermo in rebus philoſophicis, & copia Ciceroniana, adeò ieiunus, adeò ſterilis atq; inops eſt, ut ſæpè aut obmuteſcendum ſit nobis, aut ἀκυρολογίαι atq; ineptiæ uitari uix, ac ne uix quidem poſsint. Quare ſatis hoc nobis ſit, quod Cicero hic monet: Satis eſſe, qua de re agatur, intelligi.*

Res uernaculo ſermone non agitatę, propriè & aptè nõ poſſunt exprimi.

Hominũ approbatio decorum conſequitur.

Cura etiam illa ut probemur.) *Conſequens omnino eſt formoſitatis, ordinis, atq; ornatus, ut ab omnibus hæc tria genera probentur. Eſt igitur approbatio, uel conſequens, uel effectus: formoſitas, ordo, ornatus, uel antecedens, uel cauſa efficiens approbationis.*

CICERO.

Principiò corporis noſtri magnam Natura ipſa uidetur habuiſſe rationem: quæ formam noſtram, reliquamq; figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promptu. Quæ autem partes corporis ad naturæ neceſsitatem datæ, aſpectum eſſent deformem habituræ, atq; turpem: eas contexit, atq; abdidit.

Principiò corporis noſtri.) *Sicut initiò decorum internum, ipſa natura quaſi*

ra quaſi præeunte indagauit: ita hic externum etiam, eâdem duce inueſtigat: ſimulq; indicat, præcepta uerecundiæ non eſſe ſuperuacaneæ cuiuſdam elegantiæ, curioſitate quadam moroſorum atq; arrogantium hominum (ut nonnulli ſuſpicantur) introducta, ſed ipſius naturæ decreta atq; edicta eſſe. Sumit autem argumentũ à forma corporis: cuius conſideratione Ouidius quoq; adductus, homini cœlum intuendum, & res æternas ac diuinas conſiderandas eſſe, diuinitùs prodidit. Sumatur hinc exemplum diligenter conſiderandi cùm alias res, tum corporis ipſius humani fabricam, & Dei (ut Lactantius appellat) opificium. Quam ad rem Anatome, & libri Galeni de Vſu partium, permultum faciunt. Turpiſſimum eſt homini docto, ſui corporis conſtitutionẽ, quam docet Anatome, & animi uires, quæ doctrina de Animo explicãtur, ignorare. Hoc enim eſt ſeipſum ignorare, ac potius omnia. Quis enim aliena ſciat, qui ipſe ſeſe neſcit?

Hominis decorum & internum & externum à Natura corporis atq; animi petitur.

Corporis humani fabrica cõſideranda.

Seipſum ignorare turpe.

CICERO.

Hanc Naturæ tam diligentem fabricam imitata eſt hominum uerecundia. Quæ enim Natura occultauit, eadẽ omnes qui ſana mente ſunt, remouent ab oculis: ipſiq; neceſsitati, dant operam ut quàm occultiſsimè pareant: quarumq; partium corporis uſus ſunt neceſſarij, eas neq; partes, neq; earum uſus ſuis nominibus appellãt: quodq; facere turpe non eſt, modò occultè, id dicere obſcœnum eſt. Itaq; nec actio rerum illarum aperta, petulantia uacat, † nec oratio obſcœnitate.

V. L. nec orationis obſcœnitas.

Hanc naturæ tam diligentem.) *Primùm docet, ipſam Naturam autorem eſſe uerecundiæ. tum in habitu & cultu, tum in geſtu & ſermone.*

Natura uerecundiæ autor.

Omnes qui ſana mente ſunt.) *Ergo homines impudentes & obſcœni inſaniunt, ſi credimus Ciceroni. Quod ut ὑπερβολικὸν ſit, illud certè ueriſſimũ eſt, quod ſcribit Xenophon, ὅτι ἡ ἀναισχυντία μεγίστη ἡγεμὼν ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ εἶναι δοκεῖ. Nihil (inquit) æquè ad omnem turpitudinem uidetur impellere, atq; impudentia. Quæ fortaſſe cauſa eſt, cur Epictetus noſter* VERECVNDIAM *toties & tantoperè commendet.*

Impudentia dux omnis turpitudinis.

CICERO.

Nec uerò audiendi ſunt Cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici penè Cynici, qui reprehendunt & irridẽt, quòd ea quæ turpia re non ſunt, uerbis flagitioſa dicamus: illa autem quę turpia ſunt, nominibus appellemus ſuis. Latrocinari, fraudare, adulterare, turpe eſt: ſed dicitur non obſcœnè. Liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcœnum.

num. Pluraq́ in eam ſententiam ab eiſdem contra uerecundiam diſputantur.

Nec uerò audiendi ſunt Cynici.) *Verecundiam confirmat primùm iudicio naturæ, deinde conſenſu ſanorum hominum. His duobus argumentis opponitur ratio Cynicorum, qui & naturæ indicium negant, & hominũ autoritatem abſurditate collecta eleuant. Eſt igitur hæc* προκατάληψις.

Quæ natura concedit, ea ciuilis conſociatio interdum uetat.

Turpia re non ſunt.) *Cynici ratiocinantur à maiori ad minus, hoc modo: Si res ipſæ turpes non ſunt, quanto minus uerba notæ rerum ſunt turpia? Difficile eſt diluere hoc argumentum, ſi uita ſolitaria, non autem conſociatio ciuilis ſpectetur: ob quam multa & facienda, & non facienda ſunt, ut ſuprà quoq; dictum eſt, quæ in ſolitudine atq; diſcrimine uel fieri, uel non fieri poſſent.*

Verecundiæ cauſæ.

Verecundiæ autem, tum in tegendo corpore, tum in circuitione uerborũ, hæc cauſa eſt, quòd aſpectu atq; auditu aliàs animi ad libidinem incitantur, itaq; uitium concipiunt: aliàs oculi, nares, atq; aures offenduntur. Hæc igitur & animorum & ſenſuum offenſio naturali illi ſimplicitati, quam Cynici laudant, aut certè defendunt, eſt opponenda. Cicero etiam autoritate maiorũ nouitiam Cynicorum impudentiam labefactat.

Etiã quæ appetitum aut nauſeam non mouent, non temerè uſurpanda.

Latrocinari, fraudare.) *Turpiora utiq; hæc ſunt, ſed appetitũ non tam facilè excitant. quare in obſcœnis non habentur. Etſi harum etiam rerum non niſi neceſſariò, atq; addita inſectatione turpitudinis, facienda eſt mentio. Non enim abs re præcipit Iſocrates, de præclaris rebus uerba eſſe facienda: ut tandem cum oratione honeſta, non animi tantum, ſed uitæ etiam & mores noſtri congruant.*

CICERO.

Nos autem naturam ſequamur: & ab omni quod abhorret ab oculorum auriumq́ approbatione, fugiamus. ſtatus, inceſſus, ſeſsio, accubatio, uultus, oculi, manuum motus, teneat illud decorum.

Quod abhorret ab oculorum.) *Inuenias, & quidem nec paucos, neq; obſcuros, qui ſpectaculis & ſermonibus obſcœniſſimis atq; fœdiſſimis gaudeant. Hi probabunt utiq; ea quibus delectantur, & horum optima cum uenia turpiſſimis eſſe licebit. Sed Cicero de ijs tantùm loquitur, qui ſana mente ſunt. Nam iſti rectè quidem, ſi non inſaniunt, ſic tamen & uiuunt & loquuntur, ut ſanis hominibus non ualde probentur.*

Teneant illud decorum.) *De quo ſcilicet tam multa iam dicta ſunt. Neq; tamen præceptis omnia comprehendi poſſunt. Quare huc etiam Ariſtotelicum illud transferatur, cùm monet, eam eſſe* τὴν μεσότητα, ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. *Suprà & noſter autor monuit, uſum atq; exercitationem eſſe capiendam, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus. Multũ etiam in hoc doctrinæ genere, & plus omnibus præceptis, iuuant exempla grauiũ & prudentium uirorum.*

CICE-

CICERO.

Quibus in rebus duo maximè ſunt fugienda: ne quid effœminatũ aut molle, & ne quid durum aut ruſticum ſit. Nec uerò hiſtrionibus oratoribusq́ concedendũ eſt, ut his hæc apta ſint, nobis diſſoluta. Scenicorũ quidem mos tantam habet uetere diſciplina uerecundiam, ut in ſcenã ſine ſubligaculo prodeat nemo. Verentur enim, ne, ſi quo caſu euenerit ut corporis partes quædam aperiantur, aſpiciantur non decorè. Noſtro quidem more cum parentibus puberes filij, cum ſoceris generi non lauantur. Retinenda eſt igitur huius generis uerecundia, præſertim Natura ipſa magiſtra & duce..

Quibus in rebus duo ſunt.) *Generale præceptum decori, quod eſt in externa ſpecie poſitum, ut mediocritas inter muliebrem molliciem & ruſticam aſperitatem obſeruetur. ut & Iſocrates: ἀστεῖος, inquit, εἶναι πειρῶ, καὶ σεμνὸς, & reliqua. Ea quæ ſequuntur, cum nihil habeant præter hiſtoricam ueteris moris commemorationem, eamq́; facilem & apertam, cum breui epilogo, noſtrã declarationem non requirut. Inſectationẽ quidem & caſtigationem impudentiæ noſtri ſeculi requirunt, quo non eſſe impudentem pudet: cæterarum rerum perpaucos pudet. Meiere in publico, natare in profluente ſine ſubligaculo: laciniam tegendis pudendis deſtinatam ita conficere, ut & aures arrigat, & è tunica promineat: aliaq́; cõplura, quæ (ut & hæc ipſa ſine pudore dici nequeunt, & tamen attingenda dehortandi cauſa fuerunt, facere, quem pudet uel puerum aut adoleſcentem? quam ætatem ornat in primis uerecundia. Iam quæ ſit petulantia morum, quæ obſcœnitas & fœditas in ueſtitu, in dictis & factis, quæ impietas atq; immanitas in diris execrationibus euomendis, utinam non in ſingulis propè uicis, feſtis præſertim diebus (qui cognoſcendæ ſalutari doctrinæ religionis deſtinati ſunt) magno cum bonorũ uirorum dolore conſpiceretur. Ita quidem uulgò uiuitur, ut adoleſcentia non è ſcholis, non è templis, non ex honeſtis familijs, ſed è popinis, è luſtris & ganeis prodijſſe uideatur. Sed omittamus hæc odioſa, atq; irrita. Exteræ nationes omnem flagitiorum ſuorum ſentinam in Germaniam inuexerunt, tot & tantis ſordibus refertam, ut Augiæ ſtabulum facilius putem repurgatum ab Hercule. Tamen & Catholici & Euangelici ſumus. Chriſtiani uerò quid ni eſſemus? Repetenda enim hæc uerba, quamuis odioſa, ſunt ſæpius, ſi qui fortè in ſe deſcendant: & qui ſint, abſterſo glaucomate proſpiciant, & reſipiſcant, ne quando teterrimus uapor tantæ impuritatis ſurſum elatus, & in nubibus, diuinæ ultionis ardore inflammatus, piceum & ſulfureũ imbrem in nos refundat. Quod clementer auertat Deus, nobisq́; aperiat oculos falſis opinionibus & corruptis moribus faſcinatos. Miſeramur cæcitatem Iudæorũ, Turcorũ,*

idololatrarũ:nos autem ipſos non miſeramur. Quaſi uerò Deum cognoſcat, qui ſeipſum ignorat: & diuinam,id eſt Chriſtianã agat uitam,qui in beſtiam degenerauit.

CICERO.

Cum autem pulchritudinis duo genera ſint, quorum in altero uenuſtas ſit,in altero dignitas:uenuſtatem muliebrem ducere debemus,dignitatem uirilem.

Cũ autẽ pulchritudinis.) *Ita fit,ut ſententia ſententiã, præceptio præceptionẽ pariat.Tranſitur igitur hic à uerecũdia non offendẽte,ad pulchritudinem delectantem,poſitam non in natura (ſi enim ſuo arbitratu quiſq; formã ſibi poſſet fingere,deformis nemo eſſet.Quid enim diligitur niſi pulchrũ? Quis uerò ſe diligi nolit?) ſed ea forma quæ curatione ualetudinis,mundicijs,geſtibus,dictis & factis paratur,hic intelligenda eſt.Nam quæ natura contingunt in utrãq; partem, ea per ſe neq; laudẽ neq; uituperationẽ merẽtur: et nõ minus quàm res externæ,ad fortunã referũtur: quarũ ut legitimus uſus probari & commendari ſolet,ſic abuſus rectè uitio datur.Hinc ſic Iſocrates:* τὸ μὲν (inquit) γεγενῆσθαι περιέχοντα τῶν ἄλλων περὶ τοὺς λόγους ἢ περὶ τὰς πράξεις, ἐκ ὅτως ἄν τις τὴν τύχην αἰτιάσαιτο: τὸ δὲ καλῶς καὶ μετρίως κεχρῆσθαι τῇ φύσει, δικαίως ἄν πάντες τὸν τρόπον τὸν ἐμὸν ἐπαινέσαιεν.

Venuſtas.) *Hæc allicit ad amandum:dignitas reuerentiam parit, & obſeruantiam.Vtraq; autem naturæ munus eſt. Vnde fit, ut multorum ingenia malè habitent, & formoſus hoſpes in deformi hoſpitio deliteſcat. Id quod Galbæ,Aeſopo,Philopœmeni,Epicteto philoſopho, multisq; alijs contigit. Sæpe etiam fit, ut formoſiſſimi quique homines, uita & moribus ſint turpiſſimi,in ſexu fœmineo præſertim,ubi Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.*

CICERO.

Ergo & à forma remoueatur omnis uiro non dignus ornatus,& huic ſimile uitium in geſtu motuq́; caueatur. Nam & palæſtrici motus ſæpè ſunt odioſiores, & histrionum nonnulli geſtus ineptijs non uacant:& in utroq; genere,quæ ſunt recta & ſimplicia,laudantur.

Ergo & à forma remoueatur.) *In hoc conſentiunt omnes. Sed qui ornatus uiro dignus aut indignus ſit,in eo non æquè omnes conſentiunt. Obſeruetur igitur hic* ὁ ἐπιχώριος τρόπος. *Eſt enim in pleriſq; rebus, quæ ad morũ ciuilitatem & externum decus (quam Græci uel* εὐσχημοσύνην *uel* σεμνότητα *nominant)* νόμον καὶ χώραν *ſeruiendũ. Quod cum ſit, maior plerunq; pars, ut ait Liuius,uincit meliorem:hac præſertim ætate, cuius ſumma leuitas non tantum mirabili uarietate,ſed monſtroſis etiam deformitatibus delectatur.*

Monſtra ueſtium.

Illud tamen adſeruandum in ueſtitu & cultu corporis modũ, ſanos & rectæ rationi obedientes homines facilè deducet, ſi cogitarint,ueſtem initiò propter neceſſitatem inuentam eſſe:acceſſiſſe deinde commoditatis etiam & ornatus curã.Quicquid igitur uel nõ iuuat,uel nõ ornat,ſuperuacaneũ & ſtultũ iudicandum

candum eſt. Quanto magis igitur ea quæ impediũt, & deformant, & nocent?

Viro non dignus ornatus.) *Hortenſius & Demoſthenes ob exquiſitam ueſtium elegantiam malè audierunt. Satyrici etiam in muliebrem uirorum ornatum paſsim inuehũtur. Sed nunc omnia licent omnibus, & cenſoria ſeueritate & Satyrica libertate oppreſſa, uulgi licentia, & faſtu procerum.*

Nam & palæſtrici motus.) *propter affectationem, opinor: quæ cùm alijs in rebus, tum uerò in oratione κακόζηλον & ridicula & moleſta eſt. Argumentum à comparatis. Si, inquit, in palæſtræ & ſcenæ ludicris actionibus affectatio improbatur, quanto magis in ſerijs uitæ negocijs.*

Quæ ſunt recta & ſimplicia.) *naturæ conſentanea, & non affectata. Hæc autem pendent à iudicio prudentis. Nec mirũ eſt alijs aliud uideri, cũ pauci ſint prudentes, & de prudentibus non niſi prudentes iudicare poſsint.*

CICERO.

Formæ autem dignitas, coloris bonitate tuenda eſt: color, exercitationibus corporis.

Formæ autem dignitas.) *κλίμαξ quidam eſt.*

Color exercitationibus.) *Pendet is etiã à bonitate cibi & potus, totaq́; uictus ratione. Sed ut Iſocrates in cõparatione doctrinæ, amori diſcendi: ſic Cicero hoc loco uni exercitationi uim omnẽ tribuit, quòd ualetudo ea non parum iuuetur. Quod quidem & ex luxurioſis diuitibus & laborioſis agricolis ferè poteſt perſpici.*

Exercitatio, Color, Forma.

CICERO.

Eadem ratio eſt habenda ueſtitus: in quo, ſicut in pleriſq; rebus, mediocritas optima eſt.

Mediocritas optima eſt.) *Mediocritatis multæ laudes cùm apud alios, tum apud Ariſtotelem extant. Sed quod ad ueſtitum attinet, & luxum caueri iubet, & ſordes: quas in Lacedæmonijs reprehendit Ariſtoteles.*

Ratio ueſtiendi.

CICERO.

Adhibenda preterea mundicia eſt, non odioſa, neq; exquiſita nimis: tantùm quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam.

Mundicia non odioſa.) *Hæc, ſeu corpus (animi ueſtem) ſeu ueſtes corporis ſpectes, nõ requirit magnos ſumptus: eiusq́; neglectio ſtupidũ & ſocors arguit ingenium, neq; ferè ſpem bonam præbet: niſi fortè quis ita ſit intentus ſtudijs, ut iſtius curæ obliuiſcatur.*

CICERO.

Cauẽdũ aũt eſt, ne aut tarditatib. utamur ingreſſu mollioribus, ut ſimiles pomparũ ferculis eſſe uideamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates. Quę cum fiunt, anhelitus mouẽtur, uultus mutãtur, ora torquẽtur: ex quibus magna ſignificatio fit, nõ adeſſe conſtantiã.

Inceſſus moderatio.

Tarditatibus utamur.) *Ariſtoteli ſunt in Phyſiognomonicis alij μακροβάμονες, alij βραχυβάμονες, alij ταχυβάμονες, alij βραδυβάμονες. Hæc diſcrimina ingreſſus naturalia, niſi immodica ſint, atq; enormia, ſequi cuiq; licet. Adoleſcentem autem magis decet ταχυβάμονα εἶναι, quo & minorem faſtum præſeferat, & negocia ſua expeditius conficiat. D. Ambroſius, Iuliani apoſtatæ leuitatem & intemperias ſe ex inceſſu & geſtibus deprehendiſſe affirmat.*

Quæ cum fiunt.) *Ab effectu ſeu conſequenti feſtinationis, utique non neceſſariæ. Nam cum neceſſitas poſtulat, decorum illud externum impunè negligitur. Inſaniæ quippe fuerit, ardentibus ædibus tuis, aut filio periclitante, non properare: niſi fortè iſta, tua nihil intereſſe cenſeas.*

CICERO.

Sed multo etiam magis elaborandum eſt, ne animi motus à natura recedant. Quod aſſequemur, ſi cauebimus, ne in perturbationes atq; exanimationes incidamus: &, ſi attentos animos ad decori cõſeruationem tenebimus.

Sed multo etiam magis.) *À decoro motu corporis, qui externã ſpeciem habet, tranſit ad motum animi decorum, multo magis neceſſarium. Obſeruetur Ciceronis methodus. ἡ ὑποκειμένη ὕλη eſt natura humana, cum omnibus ſuis ſubſidijs & adiumentis. Diuiditur autem homo in animum et corpus. Animo inſeruit inſtitutio, corpori res externæ. Quod ab ipſo animo cum regatur, eius cura in primis ſuſcipitur: & utraq; pars eius, ὅ, τε λόγος καὶ ἡ ὁρμὴ informatur, quæ informatio poſita eſt in præcipuis illis quatuor uirtutibus: quarum extrema, Temperantia ſiue Modeſtia, quia plurimum habet cum corpore negocij, eius quoq; cura diligens ſuſcipitur: præſcribuntur uitæ genera, exercitationes, delectationes, geſtus, motus, ueſtis, domicilium, quæſtus. His additur & forma orationis, quæ profecta ab animo, linguæ et uocis miniſterio, ad aliorũ aures perfertur: ne quid omnino prætermittatur, quod ad ornatũ pulcherrimæ ueluti ſtatuæ requiri poſſit: & ut homo, ab ipſo ortu, rudi ligno haud abſimilis, ad amuſſim formetur, & abſoluatur: in eoq; ſtatu benè beateq; uiuat, quoad & naturæ humanæ infirmitas & inconſtantia fortunæ patiatur. Traduntur autem hæc non quidem ſine ordine, ſed ordine liberiore, quàm fortaſsis exquiſita ratio poſtulet.*

Generalis methodus horum librorum.

A rudi ligno fit ſtatua.

Ordo.

À natura recedant.) *Quam ſubinde optimam uiuendi ducem appellat. À qua recedunt motus animi, cum ſunt immoderati, & relinquunt atque abijciunt obedientiam, quæ* RATIONIS *imperio debetur.*

ἀπάθεια. μετριοπάθεια.

Quod aſſequemur.) *Præcepta hæc non tam affectatam explicationem, quàm diligentem obſeruationem deſiderant.*

In perturbationes.) *τὰ πάθη intelligit. Sententia eſt, motus animi decori pendent ab ἀπαθείᾳ. Sed nobis ſatis ſit ἡ μετριοπάθεια.*

Exanimationes) *Vehemẽtes terrores intelligo, ex metu et dolore ortos.*

Incida-

Incidamus.) *Primos animorum motus eſſe in noſtra poteſtate negant. Sed ea uis eſt aſſuefactionis & attentionis animi, ut his etiam poßimus imperare, ſi omnia quæ in utranq; partem homini accidere poſſunt, probè meditata nobis fuerint. Et quidem hic quoq; principijs obſtare præſtat, quàm ſerò parare medicinam: ſicut longè potius eſt cauere ebrietatem, quàm uinum ubi deliqueris excuſare.*

Attentionis & aſſuefactionis magna uis.

Et ſi attentos.) *Si ſpectemus non quid libeat, ſed quid deceat. Requirit Cicero animaduerſionem diligentem in ſtudioſo uirtutis & decori. Transferatur ergò huc etiam illud Euripidis:*

μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.

Incuria & ſocordia à uirtute & morum ciuilitate exulant.

CICERO.

Motus autem animorum duplices ſunt: alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in uero exquirendo maximè uerſatur, appetitus impellit ad agendum. Curãdum eſt igitur, ut cogitatione ad res optimas utamur, appetitum rationi obedientem præbeamus.

Motus autem animorum.) *Diuiſio uirium animi generalis & bipertita, more Stoicorum, qui τὸ ἡγεμονικὸν Platonis, λόγον: τὸ θυμοειδὲς καὶ ἐπιθυμητικὸν, maluerunt ὁρμὴν appellare. Suprà dixit, Duplicem eſſe uim animorum atq; naturæ: unam partem in appetitu eſſe poſitam, quæ ſit ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc & illuc rapiat: alteram in ratione, quæ doceat & explanet quid faciendum fugiendumq; ſit. Ita fieri, ut* RATIO *præſit,* APPETITVS *uerò obtemperet. Continetur autem hac diuiſione ſumma totius doctrinæ de moribus. Quicquid enim in libris de priuata cuiuſq; uita, de tuenda re familiari, de adminiſtranda Republica continetur: id uniuerſum hoc ſummo capite continetur, ut appetitus rationi obediens præbeatur. Quod quò facilius fiat à minus attentis & exercitatis, aut alioquin hebetioribus: tot deſcriptiones & partitiones uirtutum & uitiorum extiterunt. Ingenioſum autem hominem & attentum, unius huius diuiſionis conſideratio diligens, ad conſeruationẽ omnis ferè officij, uia minimè fallaci deducit. Quicquid igitur ſiue dicturus ſiue facturus es, βουλεύου βραδέως: ac diligẽter expende, quid deſideret appetitus tuus, quid recta ratio præſcribat: cuius non inuentrix eſt autor, ſed explicatrix eſt Philoſophia.*

Animi diuiſio.

Summa doctrinę de moribus.

Maximè uerſatur.) *Nam proprium munus mentis eſt, cogitare, & uerum indagare. Sed uitæ neceßitatibus, ad humiliores etiam curas procurandi uictus, & cultus corporis tuendi cauſa, auocatur. Et tamen ne illæ quidem curæ ea cogitatione prorſus uacant.*

Appetitus impellit.) *Vel aſciſcendis rebus honeſtis, utilibus, iucundis, quas recta ratio monſtrauerit, uel contrarijs repudiandis. Mirari ſubit, qua ratione Stoici ἀπάθειαν probarint, & nihilo minus appetitum reliquerint,*

Appetitum relinquere, affectus tollere.

impellentem (ut aiunt) ad agendum. Nā ſublatis affectibus, tolletur etiam appetitus: ſublato appetitu, actio quoq; tolletur: ſublata actione, nihil inter uitam & mortem, nihil inter ſtipitem & hominem intererit, exiſtetq́; ἀδιαφορία illa ab omnibus philoſophis cæteris, non Stoicis tantùm, improbata. οὕτως οἱ ψευδεῖς λόγοι αὐτοὶ ἑαυτοὺς, τῷ τὸν σοφὸν δεῖν ἐπιτείνειν, καταπαλαίουσι. Ceterùm id conſilij habuiſſe Stoicos in iſta magnificentia uerborum, ſuprà quoque monuimus, ut iniquum petendo, eoq́; quod naturæ fragilitas non ferret exigendo, ſocordiam & prauitatem humanam uel ad mediocritatem perducerent. Cum autem omnia dicta & facta conſilijs & fine potiſſimum ponderanda ſint, Stoici uerò mores hominum corrigere ſtuduerint, non tam inſectatione digni ſunt, quàm gratiarum actione. Poſſint ijdem illud etiā reſpondere: ſe non hoc dicere, nullos eſſe in homine affectus (non enim ita ſe inſanire, ut ſoli non uideant, quod nemo nō uideat) ſed illud potius, eos affectus aut eſſe uitioſos, aut facilimè in uitium degenerare, eoq́; ex natura extirpandos, ut totus homo ratione, non appetitu bruto gubernetur.

Stoicorum ſcopus.

Ad res quàm optimas.) *Beatitudine nihil melius eſſe conſtat: illud etiam conſtat, in hac caduca & mortali uita nihil eſſe ex omni parte beatum. Nam & ſcientia & uirtus humana multis erroribus & uitijs contaminatæ ſunt: corpora & uita infinitis periculis, incōmmodis & morbis obnoxia. Fortunæ ludibria quid ſint, ipſo nomine declarant: quando & conſtantiæ nihil habent, & falſa ſpecie boni deludunt animos hominum: & ſæpius, ut ait Iſocrates, τῆς κακίας ἢ τῆς καλοκαγαθίας ὑπηρέται εἰσί. Hæc cum ita in promptu ſint, ut uel à ſtupidiſſimo intelligi poſſint (incurrunt enim in ſenſus atque oculos, atq; adeò nemo eſt quin ita eſſe in ſeipſo in dies experiatur) res optimæ non in terris, ſed in cœlis quærendæ ſunt: & omnis cogitatio ad Deum, omnium bonorū autorem & largitorem, transferenda, in cuius unius clementia animi acquieſcere poſſunt. Cætera etſi in infinitū multiplicentur, tamen uaſtū & inexplebilē humani animi appetitū non ſatiabunt. Nam, ut Satyricus ait,*

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Beatitudo quærenda in Deo.

Sit igitur ἔργον omnium eorum qui beatitatis compotes eſſe uolunt, ἡ θεογνωσία καὶ θεοσέβεια, quæ Deum hominibus placatum reddunt. Cætera omnia πάρεργα ſint, ſi cum his conferantur. In iſtis uerò παρέργοις res optimæ habentur, ſtudium philoſophiæ (id eſt omnium bonarum artium & doctrinarum) & cura tuendæ Reipublicæ, iuuandæq́; ſocietatis humanæ. Iam non incommoda eſſet cogitationis ad res peſſimas applicatrix conſideratio. Ea uerò priuata ſtudioſi adoleſcentis induſtria, cum eadem ſit doctrina contrariorum, facilè tractaretur. Sed quia paucorum eſt ea diligentia, ut indicatam à præceptoribus uiam ultrò ingrediantur: ſed pleriq; uelut infantes (quod quidē turpiſſimū eſt, & ſtudijs pernicioſum) cibum à nutrice præmanſum, dum in os inferatur, expectēt: pauca, eaq; maximè neceſſaria, utilia certè quidē, ſi uitia illa uitentur, adijciamus. Cogitatione igitur ad res peſſimas utitur, qui & autoritate ſacrarum literarum, & maiorum decretis, & philoſophorum, hoc

Terrena beatitudo.

Negligentia diſcipulorū.

eſt

eſt prudentium & doctorum hominum rationibus uel contemnendis, uel repudiandis, uel deridendis, Deum aut non eſſe, aut non eſſe uindicem ſcelerum, & benefactorum remuneratorem, opinantur: aut alium fingunt, quàm reuera eſt, ſuis decepti ratiunculis atq; argutijs. Qui immortalitate animorum, uel opinionis errore, uel conſcientia ſcelerum & ſuppliciorum metu adducti, ſublata, nihil inter hominem & pecudem intereſſe arbitrantur: & hoc iacto fundamento, minimè certè quidem firmo, ſed planè ruinoſo, & ad inferos uſq; prolapſuro, nihil non & breuibus Gyaris & carcere dignum audent, cælandi aut impunitatis ſpe propoſita: ἀθλίως utique, ut ait Ariſtoteles, ἰσχυρῶς, cum & diuinis & humanis decretis, & multorum ſeculorum ac nationum conſenſu labefactentur & proſternãtur, & hic etiam ſcelerum ſuorum ſæpè graues pœnas dent, quamuis ſerò. Qui quo iure, quaq; iniuria ad honores, dignitates, potentiam, oppreſſis imbecillioribus, minus uerò callidis deceptis, contendunt. Qui per fas & nefas opibus cumulandis atq; exaggerandis inuigilant. Qui nulla honeſtatis & famæ, nulla ualetudinis habita ratione, libidinum ſerui, cupiditates ſuas explere ſtudent. Qui turbando Eccleſiæ & Reipublicæ ſtatu, publicaq; tranquillitate, ſiue ingenij laudem quærunt, ſiue cum bonis artibus præſtare cæteris non poſſint, ad peſſimas haſce cõuerſi, falſam potentum gratiam, quæq; hanc ſequuntur emolumenta, ueritati & ſtudio pacis atq; concordiæ prætulerũt. Qui ut iubatus draco (liceat enim nobis mutuari uerba Ciceronis, quæ et ipſe à Demoſthene utẽda accepit) quotidiè per forũ mediũ ſerpit, dentibus aduũcis, aſpectu rabido, ſpiritu uenenato, circũſpectans huc et illuc, ſi quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, quẽ ore attingere, dẽtibus inſecare, lingua aſpergere poſſit. Qui uerò nec ingeniũ doctrina, nec uirtutibus animũ, nec linguã ſermone diſerto excolunt, inſtruũt, adornant: qui neq; ſuis neq; ſuorũ rationibus cõſulunt: qui in diem uiuentes, tantũ quantum ſenſu mouentur (ut noſter autor ait) ad id ſolum quod adeſt, quodq; præſens eſt, ſe accommodant, paulum admodũ ſentientes præteritum aut futurum: hi cũ nulla cogitatione utantur, uel perexigua certè, quid differunt à beluis, imò quid à truncis & ſaxis differunt?

Cogitationes rerum peſſimarũ.

Impiæ.

Cogitationes conſceleratæ.

Ambitioſæ, Auaræ, Libidinoſæ.

Animi, nulla utentes cogitatione.

CICERO.

Et quoniã magna uis orationis eſt, eaq́ duplex, altera cõtentionis, altera ſermonis: contentio diſceptationibus tribuatur iudiciorũ, concionũ, ſenatus: ſermo in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium uerſetur, perſequatur etiam conuiuia.

Et quoniam magna uis orationis.) *Tota, ut diximus, Philoſophia de moribus, tribus his uerbis,* Appetitus pareat rationi, *cõtinetur: ſicut Lex & Euangeliũ illis duobus membris,* Diliges Dominum Deũ tuũ ſuper omnia, & alterum ſicut teipſum. *Qui autem rationi paret, in rebus ciuilibus non facile errat aut peccat. Ratio enim nil niſi prudens, iuſtum, forte, temperans,*

Rationi, Appetitui, parere.

temperans, præſcribit: unde omnia officia, laus, decus, honos, gloria, promanant. Appetitus contrà, temeritatis, libidinis, iracundiæ, iniuriæ, ignauiæ, uel autor uel miniſter eſt. Cui ne pareamus, deſcriptiones atq; officia uirtutū meditata & in prōptu habere debemus, ad eaq; omnes cupiditates exigere: quæq; cum illis pugnant, eas repudiare: reliquas, à uirtute & officio non abhorrētes, ſequi debemus, ac poſſumus. hoc enim eſt appetitum rationi obedientem præbere. Qui uerò, ut quæq; libido animum inuaſerit, ſtatim uelut cæci ad explendam cupiditatem in turpitudinis barathrum ruunt: hi non appetitum rationi, ſed rationem appetitui obedientem præbent, & ius atque ordinem naturæ uiolant: oblitiq; excellentiæ ſuæ, degenerant in beſtias, imò eaſdem fœditate & immanitate longè ſuperant: id quod non minus uerè quàm eleganter Plutarchus, in eo libello qui Gryllus ſiue περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι, demonſtrat.

Rationem appetitui obedientem plęriq; præbemus.

Magna uis orationis.) *De eloquentiæ laudibus conſulendus eſt Cicero in libris Oratorijs, & Iſocrates in Nicocle & Panegyrico. Euripides certè τὴν πειθὼ τύραννον τῶν φρενῶν appellando, paucis uniuerſam eloquentiæ uim complexus eſt. Cui tamen ne immenſa tribuantur, aut quiſquam manifeſtam ueritatē ſe hominibus extorquere poſſe ſperet, illud monere poteſt, quòd Cicero in malis cauſis ſæpè uictus eſſe à minus diſertis traditur: et Demoſthenes Phocionem, uirum meliorem quàm eloquentiorem, formidauit, cum diceret, ἡ τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς ἀνίσταται. Pendet igitur orationis uis à ueritate potiſſimùm, niſi ſtultos aut imperitos habeas auditores: eiq; tanquam fundamento firmiſſimo innititur. Deinde à beneuolentia & attentione auditorum, quæ parari non poſſunt, nec imperrari à quamuis eloquente. Sic Demoſthenes crimen acceptorum ab Harpalo munerum purgaturus, audientiam eloquentiæ ſuæ imperare non potuit, alienatis populi animis. Idemq;, ſiue quis alius, in epitaphio uerè ſcribit: ἡ τῶν λόγων πειθὼ γὰρ τῆς τῶν ἀκουόντων εὐνοίας προσδεῖται, καὶ μετὰ μὲν ταύτης κἂν μετρίως ῥηθῇ, δόξαν ἤνεγκε καὶ χάριν προσποιεῖ. ἄνευ δὲ ταύτης, κἂν ὑπερβάλλῃ τῷ λέγειν καλῶς, προσίσταται τοῖς ἀκούουσι. Qui igitur dicendo perſuadere cupis, primùm det operam ut ſit uir bonus, & ob uirtutem gratioſus, & fide dignus. Deinde, ut nullam malā cauſam defendendam ſuſcipiat. Nam eloquentia ſuo muneri ſatis fecerit, ſi patefecerit ueritatem, & auditoribus probarit, ad eamq; tuendam & perſequendam cum delectatione quadā animos impulerit. Hoc imperio contenta ſit eloquentia, & huic Reginæ ſeruiant præcepta Rhetorum. Mendacijs uerò & impoſturis contra ueritatem niti, non eſt eloquentis, non boni uiri: ſed hominis ſcelerati, & improbi ſophiſtæ ac ſycophantæ. Tyrannis illa eſt, & quidem fœdiſſima, quæ iuſtum & uerum oppreſſum it: nec tamen id quod uult, niſi apud inſipientes, imperitos, parum attentos, conſequitur. Prudentes enim, docti, periti, attenti, haud temerè fucum ſibi fieri patiuntur.*

Eloquentiæ uis.

Eloquentiæ fundamentū ueritas.

Eademq; duplex.) *Generalis diuiſio orationis. nam plura alia diſcrimina orationū ab Iſocrate, in oratione περὶ ἀντιδόσεως referuntur: & quidem*

Rhetorum diuiſione.

tot eſſe

tot eſſe poſſunt, quanta rerum & argumentorum uarietas eſt. Notetur hîc, diuiſiones ſeu partitiones oratorum non rem uniuerſam complecti, ſed ea tantùm quæ ad inſtitutum pertinent. ut enim Cicero hîc orationem in ſermonem & contentionem diuidit, ſic Dionyſius Halicarnaſſeus τοὺς λόγους partitur in φυσικοὺς, ἠθικοὺς, πολιτικούς: & alij aliter, quiſque ad inſtitutum ſuum accommodatè.

Diſceptationibus tribuatur.) *Id eſt, rebus cõtrouerſis, in foro, cõcione, curia, explicandis & adiudicãdis. Excludit hîc Cicero à cõtentione diſputationes Philoſophorũ, quòd eæ conſtare debeãt æquabili & temperato genere orationis. quales etiam debent eſſe animi philoſophorũ, in unã ueritatis inuentionem & explicationem intenti. Quæ ſiue ab ipſis, ſiue ab alijs, profligatis erroribus, oſtenſa & illuſtrata fuerit: ſtatim ſit exoſculanda & adoranda, omiſſa omni contentione & contradicendi ſtudio. Dum enim ratio cum ratione confertur, mens occupata eſſe, appetitus quieſcere debet. Iurgia uerò iſta, & rixæ, & capitalia doctorum inter ſe diſſidentium odia, uereor ne non tam à ſtudio ueritatis & zelo, ut uocant Theologi, quàm ab æmulatione, inuidia, ambitione, pertinacia, priuatiq́; commodi reſpectu, aut ignominiæ ſaltem metu proficiſcantur. φιλοσοφοῦμεν γὰρ καὶ θεολογοῦμεν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, κατ' ἐπίκλητον, μέχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ τοῦ πράττειν, διὰ κενοδοξίαν καὶ φιλοχρηματίαν μᾶλλον, ἢ φιλαλήθειαν καὶ καλοκαγαθίαν. Hinc ea in uulgi animis opinio excitatur, ut pleriq; Licinij imperatoris exemplo, doctos homines Rerumpublicarũ peſtes & carcinomata eſſe arbitrentur: Quæ opinio utinam non deprauatiſſimis multorum, qui ſe doctos perhiberi uolunt, moribus indies confirmaretur. Sed hæc nihil fortaſſis ad declarandum Ciceronem pertinent: ad monendos autem adoleſcentes ita pertinent, ut niſi τὴν φιλαλήθειαν καὶ καλοκαγαθίαν (quæ in cognitione cultuq́; Dei, & ciuili conſociatione iuuanda cernitur) ſtudiorum omnium finem eſſe ſtatuerint, omne eorum ſtudium non modò irritum & ſuperuacaneum (nam opes quidem & honores & uoluptates uel ſine ullis literis conſequi poterunt) ſed nefarium etiam & impium ſit habendum. Non igitur nebulonum exempla illis ſpectanda ſunt, ſed res ipſa, & ueritas conſideranda.*

Diſputationes Philoſophicas & Theologicas eſſe debere moderatas.

Studiorum finis conſiderandus.

Circulis.) *ταῖς συνόδοις, cum amici uel publicè uel priuatim congreſſi, corona facta, uel tædij fallendi cauſa, confabulantur: quales apud Græcos αἱ λέσχαι fuerunt: quales & hodie ferè ſunt in foris aut locis publicis, ubi etiam de priuatis negocijs ſermones habentur. Nam deambulationes iſtæ & confabulationes in templis, cum ſacræ conciones habentur, & ſacra peraguntur, contemptum religionis, & Epicuream impietatem præ ſe ferre mihi quidem uidentur. Præſtaret utique uel aliud, uel hoc agere.*

Deambulationes & nugæ in templis.

Diſputationibus.) *Harum finis eſt apud adoleſcentes, exercitatio præceptionũ Dialecticarum: apud adultos, explicatio controuerſiarum. In hos fines intenti qui ſunt, æquis animis & uincere & uinci poſſunt. Ambitio*

Exercitatio ueri inquiſitio.

autem & oſtentatio ſecum trahunt inuidiam, odium, pertinaciam, iurgia, inimicitias.

Vinci quàm rixari præſtat.

Congreſsionibus familiarium.) *Importuni ergo atq; inepti ſunt, qui inter colloquendum, cum lis eſt, ut ait Martialis, de tribus capellis, quaſi de ui & cæde & ueneno ageretur, uociferantur: atq; in nugis, quod aiunt, agũt tragœdias. Tacere & uinci longè præſtat, quàm huiuſmodi hominibus aduerſari, ne in idem uicium, importunitate illorum irritatis animis, & ipſi incidamus.*

Rixæ de religione inter pocula.

Perſequatur etiam conuiuia.) *Mala conſuetudo noſtram nationem inuaſit, religionis cõtrouerſias grauiſsimas, cum neq; mens neq; pes (ut ait Comicus) officium facit, inter pocula diſceptandi: & ea quidem contentione, ut ſæpè à uerbis ad manus & uerbera fiat progreſsio. Quo quid abſurdius, ne dicam magis impium, cogitari poteſt? Quid enim tam cum Euangelio pugnat, quàm ebrietas & odia: quibus tum maximè certatur, cum Euangelium (ſi dijs placet) maximè defenditur? Sed huius peruerſitatis & ſimilium abſurditatum illa potiſsima cauſa eſſe uidetur, quòd uulgus hominum, Chriſtianiſmum in audiendis concionibus & ceremonijs quibuſdam, & inſectione aduerſariorum, non autem in pœnitentia & obedientia, fide, ſpe, & charitate poſitum eſſe, falſò exiſtimat: & Euangelium, quod ore profitetur, animis & factis negat: cum ſacræ literæ pœnitentiam in primis requirant, eamq́ue fidem probent, quæ per obſeruationem præceptorum Chriſti & charitatem ſit efficax. Hæc ut ἀπροσδιόνυσα uideri queant, his temporibus neceſſaria ſcitu ſunt adoleſcentibus, ne prauis multitudinis exemplis & ipſi corrumpantur. Quare iniuriam mihi fecerit, qui me in alienam meſſem falcem mittere dixerit: & Grammaticæ oblitum, conſcendiſſe ſuggeſtum. Eſto, ſacras literas explicare non ſit meum (etſi me nullum genus literarum tractaſſe & diutius & ſtudioſius, uerè affirmare poſſum) at admonere adoleſcentes meæ fidei commiſſos, meum eſſe arbitror.*

Audire conciones aut miſſas, & inſectari aduerſarios, Chriſtianiſmũ uulgus eſſe putat.

CICERO.

Contentionis præcepta rhetorum ſunt, nulla ſermonis: quanquam haud ſcio, an poſsint hæc quoque eſſe. Sed diſcentium ſtudijs inueniuntur magiſtri: huic autem qui ſtudent, ſunt nulli: rhetorum turba referta omnia. Quanquam quæ uerborũ ſententiarumq́ue præcepta ſunt eadem ad ſermonem pertinebunt.

Cõtentionis præcepta.) πάθος καὶ μεμψιμοιρία τῶν παρόντων: *ſimulq́; occupatio quædam, ne præcepta ſermonis hoc loco requirantur. Queritur enim, ſtudia ciuium ſuorum ad ambitionem & auariciam incitata, huma-*

ta,humanitatem & ciuilitatem morum non curare: ſicut alibi etiam Trebatium, litium potius quàm amicitiæ iura perdidiciſſe, iocans dicit. Monet autem, præcepta Rhetorum etiam circulis, diſputationibus, congreſsionibus familiarium, cõuiuijs accõmodari poſſe, ſi τὸ παθητικὸν εἰς τὸ ἠθικὸν mutetur: eæq́; tantum figuræ retineantur, quæ ad beneuolentiam & delectationem pertineant: ijs repudiatis quæ iram, odium, inuidiam, indignationem inflammant. Sed de ſermone, ut & alijs doctrinæ morum partibus, quæ à ueteribus minus pertractatæ fuerunt, extant eruditi & diſerti libri Ioan. Ioniani Pontani, digni qui ab omnibus & cognitionis rerum & eloquentiæ ſtudioſis cognoſcantur. Multũ etiã huc faciunt libelli Apophthegmatũ, Ioci, Gnomologiæ, Adagia, Facetiæ, Sermones conuiuiorum, Saturnalia Macrobij, Problemata Ariſtotelis, & aliorum. Valerius item Maximus, A. Gellius, Sympoſiacæ quæſtiones Plutarchi, Athenæ Dipnoſophiſtæ, Colloquia, Dialogi, ſi cũ iudicio legantur: & quæ perſonis, locis, temporibus apta fuerint, in medium afferantur. Deniq; uaria eruditio, & multarum rerum uſus. Sed tamen ut alijs iucundi & grati ſimus, in quotidiana conſuetudine & collocutionibus, id à natura potiſsimum, ut & cætera bona omnia, pendet. Vt enim ſunt οἱ τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενοι: ſic reperias complures, qui res utiles & iucundas infacetè, nulloq́; cum geſtu narrando corrumpant. Actio enim & pronunciatio, quam ὑπόκρισιν Græci dicunt, tam in ſermone, quàm in contentione dominatur.

Sed diſcentium ſtudijs.) *Excuſatio Rhetorum, & tranſlatio culpæ in hominum uanitatem.*

Diſcentium ſtudijs.) *Honos alit artes. Quæ igitur res uulgò magnifiũt, eæ & magiſtros & diſcipulos multos habent: quale fuit memoria patrum, Sacerdotium: nunc, Iuriſprudentia & Medicina. Linguarum uerò, Mathematum, ſynceræ Philoſophiæ, & non fucatæ Theologiæ ſtudia, frigent.*

Rhetorum turba.) *Vt nunc rabularum forenſium, & nonnullis in locis eorum qui pro ſuggeſto declamitant: utriq;, ſi neq; pietatem, neq; ſolidam eruditionem, neque πολιτικὴν σύνεσιν ſecum attulerint, ſed audacia tantum & linguæ uolubilitate inſtructi acceſſerint, & Rebuſpublicis, & eccleſijs pernicioſi.*

Quanquam quæ uerborum.) *Correctio quædam querelæ. Sententia eſt, cum eadem ſit contrariorum doctrina: ſermo autem & contentio aliquo modo inter ſeſe opponantur (multum differunt certè quidem) non eſſe difficile, præcepta contentionis ad ſermonem accommodare, reiecta (ut diximus) uehementia, moderatione autem & ſuauitate retenta.*

Leniores affectus & ſententiæ ſuauiores, neruoſaq; minus grãdia poſſe in ſermonem transferri.

Materia ſermonum unde conquirenda.

Honos alit artes.

CICERO.

Sed cũ orationis indicẽ uocẽ habeamus: in uoce autem duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuauis: utrũq; omnino à na-

tura petendum eſt. Verùm alterum exercitatio augebit, alterum imitatio preſſè loquentium, & leniter.

Eloquentia noſtri temporis matura.

Indicem uocem.) *Veteres habuerunt φωνασκοὺς, ab excolenda uoce & exercenda ac moderanda ſic appellatos. Nos uerò nulli parti eloquentiæ cum iuſtam operam & tempus tribuamus, mirum non eſt, non modò non eſſe eloquentes: ſed ne intelligere quidem, quæ aut qualis res ſit eloquentia. Quis enim eſt, qui uel eloquentiſſimum noſtræ ætatis hominem ſenas, aut plures etiam horas dicentem, audire ſuſtineat? Apud Italos tamen non deeſſe eccleſiaſtas aiunt, qui cùm doceant, tum uerò moueant & delectent.*

Vt clara ſit.) *Vt & exaudiatur, & ſatis intelligatur oratio.*

Vt ſuauis.) *Quæ leuet audiendi faſtidium. Qui uoce neq; clara, neq; ſuaui ſunt, ad eloquentiam non ſunt apti: &, ſi uerba eis in publico facienda fuerint, prudenter fecerint, ſi breuitate orationis tædium auditorum leuarint.*

Natura ſurda.

A natura.) *Quæ, ut & fortuna, in omni re dominatur. Repetantur hîc etiam ea quæ ſupra dicta ſunt, de ſui cognitione. Quomodo autem petendum? Fuit apud Cretenſes Διὸς ἄωτου ſimulacrum. Aequè autem Natura caret auribus, ac Cretenſis ille Iupiter. Quicquid enim ea non ultrò dederit, nullis precibus extorſeris. Neq; Therſites in Achillem, neq; Margites in Vlyſſem, uel mille Hecatombis immolatis, mutabitur. Sed hoc, ut eſt ioco dictum, ita etiam ioco intelligatur. Quis enim non animaduertit, peti aliquid à Natura, idem ualere, quod, naturæ munus eſſe, nec arte poſſe comparari? ſic quidem, ut in illo genere excellas. Nam ſtudio & nõ optima fieri meliora, & quæ mala ſunt nonnihil corrigi, quis eſt qui ignoret, qui uel unius Demoſthenis uitam legerit?*

Studij uis.

Alterum exercitatio.) *Noſtra etiam ætate ἰσχνόφωνοί τινὲς δι' ἀσκήσεως μεγαλόφωνοι γεγόνασι. Sed opus eſt contentione & ſtudio, & tolerantia cùm moleſtiarum, tum incommodorum ualetudinis.*

Preſſè loquentium.) *Videtur hoc quodammodo cum uocis claritate pugnare. Verùm artificioſa oratio non eodem tenore producitur, ſed habent αἱ ῥητορεῖαι ſuas (ut ait Iſocrates) μεταβολάς: & pro uarietate rerum atq; affectuum, & ipſa mutatur oratio. Vnde figuræ elocutionis σχήματα appellantur, quaſi affectus ſeu geſtus quidam: & Donatus in Terentianis commentarijs ſubinde monet, σὺν ἤθει, σὺν ὑποκρίσει legendum. Sed hac de re conſulantur, præter alia multa, tertius liber Rhetoricorum ad Herennium, & Quintiliani oratoriæ inſtitutiones paſſim.*

CICERO.

† Nihil aliud fuit in Catulis, ut eos exquiſito iudicio putares uti literarum, quanquam erant literati: ſed & alij. Hi autem optimè uti Latina lingua putabantur: ſonus erat dulcis, literæ neq; expreſſæ, neq; oppreſſæ, ne aut obſcurum

ſcurum eſſet, aut putidum. Sine contentione uox, nec languens, nec canora. Vberior oratio L. Craſsi, nec minus faceta: ſed benè loquendi de Catulis, opinio non minor. Sale uerò & facetijs Cæſar, Catuli patris frater, uicit omnes: ut in ipſo illo forenſi genere dicendi contentiones aliorum, ſermone uinceret. In omnibus igitur his elaborandum eſt, ſi in omni re, quid deceat, exquirimus.

V. L. Quid enim aliud.

Nihil aliud.) *Exempla hæc αὐτοψίαν, ac potius αὐτηκοΐαν poſtulāt. Vox enim neq; cerni, neq; pingi poteſt. Fingi fortaſſe poteſt, niſi obſtet oris & ſoni barbaries: quæ quidem in pleriſque nationibus tanta eſt, ut Eraſmus Vrſum ſuum & Leonem facilius ad rectam Græci Latiniq; ſermonis pronunciationem aſſuefacturus eſſe uideatur. Quare nos laterem lauare, & Aethiopem dealbare uelle ne inſtituamus: omnem in pleriſq; luſuri operam, craſsiſſima queq; oris uitia emendare contenti.*

Catuli patris frater.) *Alij Catuli fratris pater, legunt: alij πατράδελφον, id eſt patruum intelligunt. Sed Catulus pater, ad differentiam filij dicitur opinor: ſicut nos ἐν τοῖς ὁμωνύμοις ſeniorem & iuniorem dicere ſolemus. Lucio Cæſari tribuuntur duo filij, Q. Catulus, & Cæſar: cum Catulus etiam filium ſibi cognominem procrearit. Quod autem alter Catulus appellatur, alter Cæſar, probabile eſt, uel adoptione id eſſe factum: uel quod Lucius Cæſar Catuli matrem uxorem duxerit. Sed hæc diſceptent ij, qui doctrinæ ἀκρίβειαν in minutijs iſtis oſtentant: quas ego (Græco præcepto parens, τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην) nec ignorare turpe, nec diſcere niſi obiter & aliud agendo, honeſtum eſſe duco. Quid enim mea intereſt, qua neceſsitudine Cæſar Catulū attigerit? Neq; enim ſcilicet hæreditatem eius, etiamſi orbus deceſſerit, aditurus ſum. Illud quidem uellem (ſi quid optando proficeretur) eius ſalem & facetias me poſſe imitari, καὶ ἀπεικάσαι ταῖς χάρισι.* Quædã ignorari cum uenia.

CICERO.

Sit igitur ſermo hic, in quo Socratici maximè excellūt, lenis, minimeq; pertinax: inſit in eo lepos.

Sit igitur hic ſermo.) *De moderatione uocis (ut dixi) diſſerere difficile nobis eſt, in ullis exemplis: & ut difficile non ſit, ne ſuperuacaneum uideatur, eſt uerendum: cum qui rectè docenti parēre, eumq; mutari uelint, pauciſsimi reperiantur: & elegantiores in utriuſq; ſermonis pronunciatione, à maximo numero barbarorum rideri ſoleant. His igitur omiſsis, ea potiſsimum conſideremus, quæ ad mores faciunt.*

In quo Socrati.) *Qualis Socraticorum ſermo fuerit, è Platonis & Xenophontis ſcriptis potiſsimum apparet, quorum ille ferè Dialogis rem explicat, hic τὸ ἔφη καὶ ἔφην perſonarum loco uſurpare ſolet. Huc faciunt etiam* τὸ μιμητικὸν καὶ διαλογικὸν εἶδος.

Ciceronis & Luciani ſcripta, ad illorum imitationem effiċta. Habet & noſtra ætas ſuos Dialogos, & ſua Colloquia: cuiuſmodi ſunt Eraſmi, Moſellani, Viuis, Moriſoti, Caſtalionis, & aliorum. Quæ ſcripta, per ocium, ut à prandio & cœna, utiliter & iucundè à ſtudioſis adoleſcentibus legentur.

Lenis.) *Vt differat à contentione, quæ eſt aſpera & uehemens, & ueluti bello parata, cum ſermo pacatus eſſe debeat. Caueatur autem in hac lenitatis affectatione mollicies, fœmina quàm uiro dignior.*

Minimeq́; pertinax.) *Pertinacia eſt, in ſententia falſa & noxia permanſio. Noxia autem intelligatur ea etiam, quæ quamuis uera & iuſta ſit, tamen alijs ſiue improbis ſiue ſtupidis perſuaderi nequit. Præſtat igitur uinci & tacere, quàm fruſtrà ſeſe fatigando, nihil niſi odium quærere. Quod quidem odium, in ſpe proficiendi aliquid, ſi non apud omnes, at apud nonnullos, non eſt fugiendum, ſed magno animo ſuſcipiendum.*

Inſit in eo lepos.) *Hic qua ratione paretur, è ſecundo libro Ciceronis de Oratore petatur. Qui neq; natura neq; arte lepidi ſunt, prudenter tacent: aut non loquuntur niſi neceſſariò. Alioqui dum faceti eſſe ſtudent, inepti, ridiculi, aut etiam moleſti fiunt.*

CICERO.

Nec uerò tanquam in poſſeſsionem ſuam uenerit, excludet alios: ſed cùm reliquis in rebus, tum in ſermone communi, † uiciſsitudinem non iniquam putet.

V. L. uiciſsitudine utendum putet.

Viciſsitudinem non iniquam.) *Cogitet quiſq;, alios quoq; non aures tàntum attuliſſe, ſed linguas etiam. Velle igitur & audire, & loqui. Paucis autem datum eſt, ut ipſi ſoli, tacentibus cæteris, audiantur. Habent enim & alij, quod & iucundè & utiliter, & cum aliqua ingenij laude, in medium afferre poſſe uideantur. Quæ facultas ſi unius alicuius loquacitate & importunitate adempta eis fuerit, iniuriam ſibi factam putant.*

CICERO.

Ac uideat in primis, quibus de rebus loquatur: ſi ſerijs, ſeueritatem adhibeat: ſi iocoſis, leporem.

Ac uideat in primis.) *Argumentum ſeu materia orationis conſideretur. Iſocrates etiam* τὸ ἐπὶ τοῖς γελοίοις σπουδάζειν, καὶ περὶ τὰ σπουδαῖα γελοίοις χαίρειν *improbat.*

CICERO.

In primiſq; prouideat, ne ſermo uitium aliquod indicet ineſſe in moribus: quod tum maximè ſolet euenire, cum ſtudioſè de abſentibus, detrahendi cauſa, aut per ridiculum, aut ſeuere, maledicè, contumelioſeq́; dicitur.

Ne ſer-

> Mores alienorum non facilè cognoſci.

Ne ſermo uitium aliquod.) *Queritur Euripides, ὅτι*

οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι,
ᾧ χρὴ τὸν ἐσθλὸν τοῦ κακοῦ διειδέναι.

Sed phyſiognomonici è magnitudine, proportione, colore, lineamentis, geſtu, motu, ſtatu, inceſſu corporis, tam de ualetudine quàm de affectionibus animorum coniecturam capiunt. Qui ut interdum ſcopum attingant: tamen index animi longè certior eſt oratio. Licet & hæc nota, ſimulationis & diſſimulationis artificio ſæpè confundatur: tranquillo præſertim animo dicentis, & ad impoſturam intento. Sed & hoc artificium deprehendere prudentis eſt, notis præſertim hominis moribus. Ignoti enim, quantumuis commodè loquantur, cordatis ſuſpecti ſunt. Cordatos autem appello, non tantum prudentes, ſed etiam bonos uiros, qui nec falli nec fallere uelint. Ac boni quidem creduli ſunt, & alios è ſuis moribus æſtimant: in quo ſæpe turpiter falluntur. Prudentes uerò bonitatem ſuam ita moderantur, ut eandem laudem alijs temerè neq; tribuant, neq; adimant: ſed cum innumeris exemplis conſtet, plures eſſe malos quàm bonos, ſine cuiuſquã iniuria ſibi cauere malũt, quàm, dũ ſe nimium bonos uideri ſtudent, accepto malo queri. Quæ autem per ebrietatem, iram, imprudentiam, aut alio affectu impellente fiunt: ea demum arguunt & declarant hominis animum. Quod enim ſobrius cogitat, id eloquitur ebrius. Ebrietas autem quædam eſt, omnis animi perturbatio: ut tranquillitas eiuſdem, ſobrietas. Monet igitur Cicero, ſi animus à prauis affectibus nondum ſit repurgatus, moderandum eſſe linguæ, ne ea nos uel ridiculos faciat, uel ſuſpectos & inuiſos, uel in diſcrimen etiam adducat. Non tutò tantum, ſed & cum ſua laude & audientium fructu loquuntur ij, qui & multiplici doctrina perpoliti ſunt, & appetitum rationi obedientem præbuerunt. Qui autem nec ingenio, nec doctrina, nec uſu rerum ualent, & turbulentis affectibus, ut inuidia, odio, ira, auaricia, ambitione, & id genus alijs perturbatis motibus agitantur: hi & exiſtimationi ſuæ, & eorũ quibus cũ ſunt, cõmodis, tacendo rectiſſimè conſulunt. Ex quo numero ſunt adoleſcẽtes, in quibus (ut antè dixit Cicero) maxima eſt imbecillitas conſilij, & ardor affectuũ rationi repugnantium. Quare quod Sophocles mulieribus præcipit, ad hos etiam accommodari poteſt: σίγα, νέοισι κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

> Adoleſcẽtes non minus quàm mulieres ornat ſilentium.

Ac non temerè his loquendum eſt, niſi uel urgente neceſſitate, uel interrogatis. Notetur hoc loco ingenioſum dilemma Simonidis poetæ, quod Plutarchus tertio libro συμποσιακῶν *ſic explicat:* Σιμωνίδης ὁ ποιητὴς ἔν τινι πότῳ ξένον ἰδὼν κατακείμενον σιωπῇ, καὶ μηδενὶ διαλεγόμενον: ὦ ἄνθρωπε, εἶπεν, εἰ μὲν ἠλίθιος εἶ, σοφὸν πρᾶγμα ποιεῖς: εἰ δὲ σοφὸς, ἠλίθιον· ἀμαθίαν γὰρ ἄμεινον, ὥς φησιν ἡράκλειτος, κρύπτειν. *id eſt: Simonides poeta hoſpitẽ quendam in conuiuio accumbentẽ, et cũ nemine colloquentẽ conſpicatus: Homo, inquit, ſiquidem ſtultus es, ſapienter facis: ſi uerò ſapiens, ſtultè. Tum uerò cum interrogatur adoleſcens, præſertim de ratione ſtudiorum: danda ei erit opera, ut diſertè, & cum laude ſua reſpondeat. Id quod facere non poterit, niſi*

præce-

præceptoribus attentiſsimum ſeſe & obſequentiſsimum præbuerit. Quod autem Iſocrates duo loquendi tempora ſtatuit, unum de rebus planè compertis, alterum de neceſſarijs, in cæteris autem ſilentiũ orationi præfert: id uiris non minus quàm adoleſcentibus eſt tenendum.

φιλαυτία. ἐπιχαιρεκακία. βασκανία. κακηγορία.

Quod maximè tum ſolet euenire.) *Φιλαυτία & ſtulticia humana pleroſq; impellit, ut cùm de ſeſe optimè & ſentiant & loquantur, tum maledicendo alijs delectentur, ijs præſertim qui uulgò aliqua re præſtant. Quibus inuideri etiam ſolet. Hinc ortum duxiſſe uidetur oratorum maledicentia, & obtrectatio, qua populum (ut ait Demoſthenes) impenſè delectari cernerent. Arguit autem maledicentia maleuolentiam, & φιλαυτίαν, turpiſsima uitia, & homine indigniſsima, multorumque malorum cauſas. Monet igitur Cicero, ſolicitè cauendam eſſe hanc ſuſpicionem, ac potius tacendum quàm maledicendum. Præcipit & Græcus quidam, de omnibus, etiam indignis qui laudentur, benè loquendum eſſe: quòd ea res nulla impenſa magnum lucrum afferat, & hominum beneuolentiam adiungat. Eſt tamen cum aliena flagitia, exempli cauſa, & ad deterrendos adoleſcentes, inſectãda ſunt: & debetur malefactis minus atrocibus, ſi non alia pœna, infamia certè. Hoc enim Iuſticia poſtulat, ut nullum benefactum laude ac præmio, malefactum nullum uituperatione & pœna careat.*

Turpitudini deberi infamiam.

Studioſè.) *captata & quæſita occaſione, cum non ultrò incidit mentio.*

De abſentibus.) *Nam quæ in os dicuntur, minus uituperantur, cum alter defendere ſe atq; ulciſci poſsit. Tum enim linguæ mutuo (ut Tacitus ait) metu continentur. Nam qui quæ uoluerit dixerit, ea quæ non uolet audiet: ut eſt apud Terentium. Et Iſocrates: οἱ ἀπαίδευτοι (inquit) ὃς ἂν τοῖς λόγοις λυπήσωσι, τούτοις πολλάκις αὐτοῖς τοῖς ἔργοις μεγάλας τὰς τιμωρίας ἔδοσαν. Multis enim uerba per iugulum redeunt. Addit autem,* Detrahendi cauſa: *hoc eſt, ad imminuendam alterius exiſtimationem, aut gratiam. Nã aliquando uitia alicuius, præſertim corporis fortunæ'ue incommoda, facetè & ſine cuiuſquam offenſa deſcribi poſſunt: ut fit in conuiuio Platonis & Xenophõtis, ubi caluitium & ſimus naſus & prominuli Socratis ocelli deridentur. Verba (ne rudiores errent) ſic ordinanda ſunt: Cum ſtudioſè, maledicè, contumelioſeq;, detrahendi cauſa, dicitur de abſentibus, aut per ridiculum, aut ſeuerè, id eſt, ſiue ioco, ſiue ſeriò id fiat.*

[illegible] εὐτράπελοι.

CICERO.

Habentur autem plerunque ſermones aut de domeſticis negocijs, aut de Republica, aut de artium ſtudijs atq; doctrina.

Habentur autem plerunq; ſermones.) *Hic latiſsimus dicendi campus à Cicerone aperitur, & ita quidem dicendi, ut oratio ſine cuiuſquam offenſa maximam habere poſsit & delectationem & utilitatem: neq; unquam materia deſit, qua triſticia & ſilentium familiarium diſcutiatur. Exiſtimo*

autem

autem Gorgiam, Prodicũ, Protagorã, cæteroſq́; ſophiſtas olim in tanta gratia, autoritate, admiratione fuiſſe, quòd nulla in re hoſpes & rudis eſſet eorum oratio, ſed & erudiret & demulceret auditores.

Aut de domeſticis negocijs.) *Intelligenda ſunt omnia ea quæ ad tuendam rem familiarem, & priuatæ uitæ caſus & actiones pertinent. Conſideretur igitur domus, & partes eius: de quibus conſulendus eſt Grapaldus. Deinde ea quæ ad uictum & cultum pertinent. Hic continetur tota agricultura, quæ neceſſaria uitæ humanæ ſuppeditat. de qua conſulendi ſunt rei ruſticæ ſcriptores: ut Cato, Varro, Palladius, Columella, Petrus Creſcentinâs, & alij: item γεωπονικὰ, quæ uel Conſtantini Cæſaris, uel Vticenſis cuiuſdã Dionyſij nomine circumferuntur. Sunt & apud Ariſtotelem, Theophraſtum, Xenophontem, & Plinium in primis, complura ad hoc inſtitutum pertinentia. Eôdem refertur & mercatura, & opificia omnis generis, quib. ædes & inſtruuntur & ornantur. Tertio loco complectendæ animo ſunt perſonæ ædium: ut parentes, liberi, domini, ſerui, affines item, cognati, amici, &c. Hæc probè uel ex bonis autoribus, uel priuata experientia cognita, maximã dicendi copiam ſuppeditant: quæ, autore Cicerone, è cognitione rerum naſcatur atq; effloreſcat neceſſe eſt. Vnde ſtudioſus adoleſcẽs colligere debet, quanta uarietate lectionis & aſsiduitate diligentiæ ſit opus, quanta parſimonia temporis, ſi id conſequi uelit, ut nulla de re non niſi cum laude uel loquatur, uel ſcribat.*

Domus partes.

Res ruſtica.

Perſonæ ædium.

Aut de Republica.) *Huc pertinet, quicquid apud ullos autores de gerẽda Republica extat. Plurima autem huius generis tractantur à Platone, Ariſtotele, Iſocrate, Cicerone, Plutarcho, & alijs nonnullis. Iuriſconſultorum etiam ſcripta huc referenda ſunt, etſi ad priuatam quoq; uitam multis in locis pertinent, ut & doctrina de moribus aliquo modo ſub œconomicis comprehendi poteſt. Multum etiam huc faciũt hiſtoriæ Græcorum & Latinorum, quibus & priuatæ uitæ & publicæ adminiſtrationis, & humanorum caſuũ uaria exempla proponuntur: ut & à Poetis, Comicis præſertim & Tragicis.*

Philoſophia.

Iuriſprudentia.

Hiſtoriæ.

Aut de artium ſtudijs & doctrina.) *In hac extrema parte in primis elaborandum eſt ſtudioſis adoleſcentibus, quorum occupatio omnis (modò nomini ſuo reſpõdere uelint) in artium ſtudijs & doctrina uerſatur. Huiuſmodi enim collocutionibus & ingenia acuentur, & corrigentur mores, & doctrina quaſi per ludum & iocum mirum in modum augebitur. O`felices eos, quibus datum eſt, ut inter ſtudioſos & eruditos homines, eoſdemq́; humanos & diſertos, perpetuò uerſentur, deq́; ratione ſtudiorum ſubinde cum illis conferant, uiciſsimq́; & diſcant & doceant. Fuerit autem huius rei cõmodiſsima ratio, ſi à primis doctrinæ elementis, hoc eſt, dicendi artibus ſumpto initio, per omnem philoſophiam aliasq́; diſciplinas (ſi qui fortè altiora etiam ſtudia attigerunt) ordine fiat progreſsio: & ut à capite ad calcem uentum fuerit, ſic à calce ad caput crebrò redeatur: & quidem toties, donec & omnes in quouis doctrinæ genere ſcrupuli ſublati fuerint, & memoria ita confirmata, ut excidere illa nunquam poſſint. Magna eſt uariæ lectionis &*

Doctorũ cõſuetudo in magna parte felicitatis numeranda.

Ordine percurrẽdas eſſe omnes diſciplinas.

Colloquia erudita publicæ auſcultationes cũlectione priuata cõiungenda.

utilitas & uoluptas: ſed huiuſmodi collocutionum multo maior & facilitas, & fructus uberior. Neq; quicquam hominibus ſtudioſis æquè incommodat, ac perpetua inter libros deliteſcendi conſuetudo, & cùm publicæ auſcultationis, tum priuatæ collationis ſtudiorum neglectio. Magnam quidem ruinam traxit Academiarum diſciplina: nullã tamen ita eſſe deprauatam exiſtimo, in qua, ſi ſtudioſè quæras, non aliquot inueniantur, qui libenter & cupidè in hac re operam nauare uelint: tempusq; eruditis diſputationibus & ſermonibus, quàm aut ignauo ocio, aut immanibus poculis, aut rebus aliis fœdioribus, conſumere malint. Cum his igitur & in prandio cœnaq; colloquendum eſt, & à cibo deambulandum: & quoties domi obrepit tædium, ſi per illorum occupationes licuerit, cum eis congrediendũ. Sic & iucundè, & utiliter, & ſine flagitiis, & maxima cum laude in Academiis uiui poteſt: ubi & omnis generis diſciplinæ à doctiſſimis uiris traduntur, & uſus earum exercitatione diſputationum & declamationum demonſtratur, & cum θεωρίᾳ πρᾶξις cõiungitur. Vulgò iactatur, Extra uniuerſitatem (non Mundi huius, extra quã nihil eſſe creditur, ſed extra Academiam) non eſſe uitam. Id dictum pleriq; acommodant ad licentiam uitæ, & multiplices ſodalitates, καὶ τὰς παντοδαπὰς ὁμιλίας, ut loquitur Iſocrates. Quaſi uerò inter ſcholam & militiam nihil interſit. Verùm enimuerò ſtudioſus homo non minus in Academiis ſuã diſcẽdi ſitim reſtinguere, quàm homines nequã libidinem ibi ſuã explere poſſunt. Quouis igitur ſupplicio digni ſunt, qui in tanta & tam parata diſcendi & excolẽdi ingenii atq; animi opportunitate, quiduis potius agũt, quàm id cuius cauſa ibi degũt: & indoctiores ferocioresq; ad ſuos redeũt, quàm abierũt.

CICERO.

Danda igitur opera eſt, ut, etiamſi aberrare ad alia cœperit, † ad hæc reuocetur oratio.

Danda igitur opera eſt.) *Sermonẽ uiatori comparat: eiq; tria loca potiſſimùm, quò eundum ſit, præſcribit. A quibus ſi aberrarit, hoc eſt, ſi affectu aliquo impellente in turpium aut nugacium rerum mentionem inciderit, monet ut à recta ratione quaſi duce, in regiam uiam, hoc eſt commemorationem rerum honeſtarum atq; utilium reuocetur.*

Aberrare.) *Id fit, cum lingua cogitationi anteuertit, aut cũ affectus mentis iudicium aſpernatur. Tum non incõmodè dici poteſt, γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; πόλιν ἀνορθώσουσα, καὶ πόλιν κατασκάψουσα: Id eſt, Lingua quò uadis? urbem extructura, & urbem euerſura.*

Ad alia.) *Vt ſunt, maledicentia, obſcœnitas, uanitas, nugæ, περιαυτολογία, &c. Vulgò quærunt ſermonis initium aut ex tempeſtatibus: ut cum dicunt, Magnum eſſe æſtum, quamuis qui audiunt, æquè ſtudẽt ut uel in Caniculæ ardoribus frigeat oratio. alii de ualetudine & fortuna percontantur: alii res nouas ſciſcitatur, easq; uel publicas, ut pacẽ, bellũ, religionis cõtrouerſias, conuẽtus et caſus Principũ, ſalubritatẽ aeris, frugũ prouentũ et preciũ: uel priuatas,*

ut nuptias,

ut nuptias, conuiuia, funera, puerperia, amores, contractus, lites, fruſtrationes, impoſturas, uitia, ſucceſſus, calamitates. Hinc ſæpe fit in obtrectationes & obſcœnitates digreſſio. Alij uates agunt, & quid publicè priuatimq́; futurum ſit, è ſcrinio ſui pectoris ſcilicet depromunt atq; denunciant. Denique ut ſtultorum, ita nugarum plena ſunt omnia. Et tamen etiam ex his pleraq; poſſunt aliquando non ineptè afferri in medium: ſed & dexteritate ingenij, & occaſionibus eſt opus.

CICERO.

Sed utcunq; aderunt res (neq; enim iiſdem rebus, nec omni tempore, nec ſimiliter delectamur) animaduertendum eſt etiam, quatenus ſermo delectationem habeat: & ut incipiendi ratio fuerit, ita ſit deſinendi modus.

V. L. Ad hæc reuocetur oratio, ſed utcunq; aderunt res, &c.
Animaduertendum eſt etiam.

CICERO.

Sed utcunq; aderũt res, &c. animaduertendũ eſt etiã.

Vtcunq;) *pro, Qualeſcunq; res fuerint, de quibus ſermo habetur, etiamſi honeſtiſſimæ atq; utiliſſimæ fuerint: faſtidium tamen auditorum caueatur. Præcepti huius αἰτιολογίαν parentheſi incluſit. Neq; enim iiſdem rebus, &c. Sunt qui quæ ipſis iucunda ſunt, ea perpetuò alijs importunè etiam commemorent, ſicut ait Poeta:*

Nauita de uentis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles uulnera, paſtor oues.

Suum enim cuiq; pulchrum & iucundum, alijs uerò non item. Sit igitur hic etiam μέτρον τοῦ λόγου, οὐχ ὁ λέγων, ἀλλ' ὁ ἀκούων.

Nec omni tempore.) *Quia aliàs aliter affecti ſumus: aliàs etiam alijs rebus aut delectamur, aut offendimur. Nam Homero autore:*

Tales ſunt hominum mentes, quali pater ipſe
Iuppiter auctiferas luſtrarit lampade terras:

Triſtes offenduntur rebus iocoſis, itemq́; occupati, &c.

Nec ſimiliter.) *Alij magis, alij minus.*

Delectationem.) *Quæ in congreſſibus familiarium, atque conuiuijs potiſſimùm ſpectari ſolet. Nec tamen interim excluduntur, de rebus etiam ſerijs & neceſſarijs collocutiones.*

Et ut incipiendi ratio fuerit.) *Sentẽtia eſt: Nec temerè quauis de re inijciendum ſermonem: ſed uidendum eſſe, quid perſonis, locis, temporibus conueniat, nec ad ſatietatem & faſtidium uſq; producendũ. Hoc enim uult* Deſinendi modus: *cui ἀπεραντολογία opponitur, uitium mulierculis & garrulis hominibus familiare, qui (ut Euripides ait)*

μικρὰς ἀφορμὰς ἂν λάβωσι τῶν λόγων, τὸν δόλιχον κατατείνουσι.

CICERO.

Sed quoniam in omni uita rectiſsimè præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id eſt motus animi nimios rationi non obtemperantes: ſic eiuſmodi motibus ſermo debet uacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignauia, aut tale aliquid appareat.

Sed quoniam in omni uita.) *Vt paulò antè paucis addidit, cauendum eſſe, ne ſermo uitium aliquod indicet ineſſe moribus, atq; exempli loco obtrectationem nominauit: ita nũc idem præceptum copioſius explicat, & omnes prauos affectus à ſermone excludit.*

Motus animi nimios.) *Obſeruetur definitio τοῦ πάθους, non congruens Stoicorum ἀπαθείᾳ, ſed Peripateticorum μετριοπαθείᾳ. Cicero enim Stoicos in hoc opere potiſsimùm, non perpetuò ſecuturum eſſe ſeſe, profeſſus eſt.*

Rationi non obtemperantes.) *Affectus enim non omnes mali ſunt ſuapte natura, ut Stoici uoluerunt: ſed ij tantum, qui rationi repugnant, & modum excedunt, itaq; in uitium degenerant.*

Ne aut ira exiſtat.) *Cum qua, ut mox dicet, nihil rectè fieri poteſt. Teneatur autem diſtinctio ſermonis & contentionis. Nam hæc πολὺ [illegible] τὸ παθητικόν. Neq; enim commoueri auditor poteſt, niſi ipſe orator in primis commotus eſſe uideatur. Ille lenis, temperatus, & æquabilis eſt. Cum autem ad uociferationes, & exclamationes, & indignationes fit progreſsio, ut uulgò ſolet: rectè illud Martialis occini hominibus importunis poteſt,*

Non de ui, neq; cæde, nec ueneno:
Sed lis eſt mihi de tribus capellis, &c.

Exiſtat.) *appareat, & animaduertatur.*

Aut cupiditas aliqua.) *Praua ſcilicet, & iniuſta. Nam præ ſe ferre cupiditatem Sapientiæ, uirtutis, beneficentiæ, & publicæ felicitatis, honeſtiſsimum eſt. Quas res deſiderari ſi Stoici ueruerunt, ualeant, καὶ κρόμμυα ἐσθιέτωσαν.*

Pigricia.) *Fuga honeſti & neceſſarij laboris, quæ plerunq; eſt in pſeudo philoſophis, id eſt ſtudioſis minimè ſtudioſis: qui cum quiduis potius quàm de ſtudijs loquantur, ſatis apparet quàm ſint ſtudioſi literarum.*

Aut ignauia.) *Timidus & degener animus, honeſta pericula reformidãs.*

Aut quod tale.) *Enumeratione aliorum uitiorum ſuperſedet, quòd ea ex contrarijs uirtutibus facilè intelliguntur. Laudatur in Græcorum commentarijs Demoſthenes, qui nec inimicorum dicteria in ſe, apertè uel refutandi cauſa commemoret, exiſtimationis ſuæ tuendæ augendæq; ſtudio. Haud enim temerè fit, ut (quæ eſt inuidentia & maledicendi libido) uerendum ſit, ne qui magnificentius de nobis ſentiant aut loquantur, ut noſtri extenuatione ſit opus. Id facient alij, & ij fortaſsis quos tibi putes amiciſsimos. Ad quorum ſermones ſi tua quoq; confeſsio acceſſerit, contemnêris & negligêris, ut*

in quo

in quo nihil ſit induſtriæ, nihil neruorum. Sed hæc fortaſsis extra oleas, quod aiunt, nō tamen (ut opinor) prorſus ἀπροσδιόνυσα. Pertinet enim præceptum hoc ad infamiam cauendam, & ſiniſtram hominum de nobis opinionem.

CICERO.

Maximeq́; curādum eſt, ut eos quibuſcum ſermonem conferamus, & uereri & diligere uideamur.

Et uereri.) *Vitandam monet ἀλαζονείαν, καὶ ὑπεροπτικὸν ὄγκον καὶ ἀναίδειαν. Pleranq; fit, ut nimia familiaritas contemptum pariat, quemadmodum mitium dominorum apud ſeruos ipſa conſuetudine exoleſcit metus. & ſunt qui apud amicos quiduis ſibi licere arbitrentur: ſed perperam, & temerè. Nam tanta eſt ferè omnium φιλαυτία, ut non tantum diligi, ſed obſeruari etiam & coli ſe uelint. Hinc adulatorum aucupium ortum habet. Hinc inſolentiſsimi illi atq; ineptiſsimi tituli & uoſsitationes ſeu uobiſſationes, ineptæ rei uocabulum ineptius, in quibus oratio non ſecus atque in ſalebris quibuſdam adhæreſcens, atq; inſiſtens, omnem gratiam ſummo cum faſtidio amittit. Quo enim minus uirtutis & ſapientiæ eſt hac ætate, eo plus ambitioſorum atq; inanium titulorum extitit: qui ludibria potius, ſi cum re conferantur, quàm honorificæ appellationes uideri queant. Eſt ea ſeruitus ingenuis animis, & puri ſermonis ſtudioſis grauiſsima & moleſtiſsima, ſed tamen his moribus ineuitabilis: ut ſi ſecus loquare uel ſcribas, aut ruſticus, aut contumelioſius habearis.*

Verecundia inter amicos.

Titulorum ſalebræ.

CICERO.

Obiurgationes etiam nonnunquam incidunt neceſſariæ: in quibus utendum eſt fortaſſe & uocis contentione maiore, & uerborum grauitate acriore.

Obiurgationes etiam nonnunquam.) *Obiurgatio, acrior reprehenſio eſt inferioris ætate atq; autoritate, minimè decora adoleſcentibus. Expoſtulatio inter pares locum habet. De potentioribus uix conqueri licet: imò & accipiendæ iniuriæ ſunt, & muſsitandæ, & gratiæ agendæ, ne conduplicentur lateres, nec tamen ueniat Moſes.*

Nonnunquam incidunt neceſſariæ.) *Imò ſæpiſsimè in deprauatis moribus, corruptaq́; & domeſtica & publica diſciplina.*

Neceſſariæ.) *Ob incuriam utiq;, & petulantiam hominum ſunt quidā natura Mitiones, qui omnibus omnia bona dicere, approbare & collaudare omnia cupiant. Hi à Græcis χρυσολόγοι καὶ ἀφιστικοὶ dicuntur: nec multum diſtant ab adulatoribus, homines molles, atq; adeò diſſoluti. Qui ſi naturam potius ſuam, quàm eorum quibus præſunt utilitatem ſpectent, & ad omnia delicta conniueant: fit ut neq; familiam, nec diſcipulos, nec populum in officio continere poſsint, ſuoq; officio deſint, ſolitudini quàm uitæ ciuili aptiores.*

Nimia lenitas noxia.

Et uocis contentione.) *ut ſeueritas appareat. Hac & iugales equi incitantur,*

citautur, & mancipia à brutis beſtijs parum differentia. Adeò ut in Saxonica quadam ditione, interdictis execrationibus, agricolæ ſe familiam ſine diris regere non poſſe conqueſti, prætorem orarint, ut ſaltem domeſticam aliquam (ſic enim loquuntur) imprecationē ſibi concederet. Qui rogati quā uellent? Peſtem, inquiunt, quæ blaſphemia caret. Tum ille: ſi ita uultis, inquit, atq; neceſſe eſt, habetote uobis etiam morbum Gallicum. ancipiti reſponſo petitione illorum & deriſa, & approbata.

Verborum grauitate acriore.) *Quæ poſita eſt* ἐν ταῖς αὐξήσεσι.

CICERO.

Id agendum etiam eſt, ut ne facere uideantur irati: ſed ut ad urendum & ſecandum, ſic ad hoc genus caſtigandi rarò inuitiq; ueniemus, nec unquam niſi neceſſariò, ſi nulla reperietur alia medicina.

Obiurgationes.

Irati.) *Hoc eſt, iniuſta, nec ſatis graui de cauſa, acerbitate quadam naturæ. Nam ut ira per ſe iuſta ſit, tamē pœna uix æquitatem ſeruabit, affectu iſto interueniente. Rationis omnino grauior eſt autoritas, quàm affectus, præſertim apud cordatos. Vulgus enim, ſi non iram, at iræ ſimulationem deſiderat.*

Sed ut ad urendū.) *Elegās ſimilitudo, quā Ouidius his uerſib. expreſſit:*

Cuncta quidem tentanda. ſed immedicabile uulnus
Enſe recidendum, ne pars ſincera trahatur.

Rarò.) *Si licebit. Nam crebrò delinquentes, crebrò etiam caſtigādi ſunt. ut facit Euripidis Hippolytus, cuius hæc de malis mulieribus uerba ſunt:*

ὄλοισθε, μισῶν δ᾽ οὔποτ᾽ ἐμπλησθήσομαι
γυναῖκας· οὐδ᾽ εἴ φησί τις μ᾽ ἀεὶ λέγειν.
ἀεὶ γὰρ οὖν πως εἰσὶ κἀκεῖναι κακαί.

Atq; hæc obiurgandi crebrò moleſtia non defugienda eſt in aliqua ſpe emēdationis. Relinquendi uerò ij, quos deploratos eſſe cōſtat: cuiuſmodi ſunt, qui malè audiendi & uapulandi conſuetudine callum duxerūt. Ancillæ igitur & famuli tales dimittēdi, diſcipuli relegandi, abdicandi filij.

Inuitiq;.) *Nam & nobis ipſis moleſti ſumus, & alijs. Inuiti & irati interſe opponuntur: ut intelligamus, uitia nos odiſſe, homines autē amare oportere: illisq; parcendum, quantum liceat.*

Si nulla reperietur.) *Magna eſt ingeniorum diſſimilitudo. Alij pudore & liberalitate in officio retinentur, alij laudibus excitantur, alij obiurgatione emendantur, alij ne uerberibus quidem: quod eſt peſſimum & deploratum genus hominum. Qui igitur rectè imperare uoluerit, diſcrimina hæc diligenter obſeruabit, & ad ea gubernationis ſuæ rationem accommodabit.*

CICERO.

Sed tamen ira procul abſit, cum qua nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt. † Magna autem ex parte clementi caſtiga-

caſtigatione licet uti: grauitate † tamen adiuncta, ut & ſeueritas adhibeatur, & contumelia repellatur.

V. L. Magna autem parte. Tamen adducta.

Cum qua nihil rectè fieri.) *Obſeruetur hæc ſententia, adiuncto Archytæ exemplo, qui iratus ſeruo dixit, ὤμωξας ἄν, εἰ μὴ λίαν ὠργιζόμην. Non diſsimile Platoni etiam tribuitur.*

Magna autem ex parte.) *Hoc uerum eſt apud ingenia minus barbara & ferocia, qualia fuerunt illa ætate Romanorum, exculta liberali doctrina & omni humanitate, uel ex ciuili tantũ conſuetudine, etiamſi qui minus eruditi eſſent. Facile enim eſt, ut ait Plautus, imperium in bonis. Barbari uerò nõ niſi coacti officiũ faciunt: & Phryx, ut prouerbio dicitur, plagis emendatur.*

Clementi caſtigatione.) *Cuius ea ratio eſt, ut delictum primùm exponatur, deinde reprehẽdatur: deniq; ſubiũgatur admonitio de eo cauẽdo, cõtrariaq; uirtute amplectẽda, propoſitis exẽplis κατ' ἀντίθεσιν, unà cũ eorũ euẽtu. Huiuſmodi caſtigationis exemplum à Terentio in Adelphis propoſitum eſt.*

Clemens caſtigatio.

Seueritas adhibeatur.) *Sine qua imperiti putant per ludum & iocum dici ac fieri omnia. Quamuis, ut Horatius ait,*

—— Ridentem dicere uerum Quid uetat? ——

De quo Perſius:

Omne uafer uitium ridenti Flaccus amico
Narrat, & admiſſus circum præcordia ludit.

Ironiæ & σαρκασμοὶ huiuſmodi apud liberalia ingenia plus habent uirium, quàm uehementiſsimæ etiam obiurgationes.

Contumelia repellatur.) *Id eſt, conuicia indigna homine ingenuo. Quanquam is à quo magnum probrum ſuſceptum eſt, ne conuicijs quidem audiendis offendi debet. Nam autore Sophocle:*

Qui male fecit, male audire ne recuſet.

οὐκ ἔστ' ἀπ' ἔργων μὴ καλῶν ἔπη καλά.

Rectè etiam Euripides: ἐπεὶ ἐτόλμας *(inquit)* τὰ μὴ δίκαια, τλῆθι καὶ τὰ μὴ φίλα.

CICERO.

Atq; etiã illud ipſũ quod acerbitatis habet obiurgatio, ſignificãdũ eſt, ipſius cauſa qui obiurgatur, eſſe ſuſceptũ.

Quod acerbitatis habet obiurgatio.) *Vetat Iſocrates* φιλεπιτιμητὴν εἶναι, παροξυντικὸν γάρ. *idemq; experientia edoctus, pleroſq;* συνδιατρίβειν *ait* τοῖς συνεξαμαρτάνουσιν, ἀλλὰ μὴ τοῖς νουθετοῦσι. *Huius quoq; rei cauſa* φιλαυτία *eſt. Cum enim reprehendimur aut obiurgamur, decedit aliquid opinioni, prudẽtiæ et probitatis noſtræ. Quo fit, ut etiã optimi uiri initiò commoueãtur. pòſt tamẽ, ubi rẽ recta uia reputarint, gratiã habeãt monitoribus.*

Obſequium amicos, ueritas odium parit.

Ipſius cauſa qui obiurgetur.) *À ſua utilitate nemo ſanus abhorret: ſed, ut dixi, quo minus reprehenſionis utilitas initiò perſpiciatur, cæcus amor ſui ob-*

Finis reprehenſionis & obiurgationis conſiderandus.

ſui obſtat. Quo reiecto, non rei gerendæ modus, hoc eſt ipſa obiurgatio acerbior, ſed finis atq; uſus, qui eſt emendatio delictorum, & euitatio incommodorum, conſideretur. Bonæ indolis & ad frugem peruenturæ ſignum euidens eſt, æquo animo ferre caſtigationem. Tales enim & ſua uitia intelligere, & emendare uelle uidentur. Qui autem reprehendi ſe moleſtè ferunt: in eo elaborare debent, ne quid admittāt reprehenſione dignum. Vix enim quiſquam eſt, quin probare & collaudare malit officio functos, quàm aut uerbis aut uerberibus ſæuire in deliquentes.

Qui reprehēdi non uult, non peccet.

CICERO.

Rectum eſt autem, etiam in illis contentionibus quæ cum inimiciſsimis fiunt, etiamſi nobis indigna audiamus, tamen grauitatem retinere, iracundiam pellere. Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec ijs qui adſunt probari.

Cōtentiones indignæ uiris doctis.

Rectum eſt autem.) *Omnino rectum, ſed difficilimum, quodq́ue fit à pauciſsimis, non tantùm plebeijs & profanis hominibus, ſed doctiſsimis, etiā in omnigenere diſciplinarum, & ſummam religionem profeſsis, ut cum Virgilio exclamare libeat:*

—Cur uos natura magis quàm Diſciplina trahit? —

In cauſa eſt, quòd à pleriſq; doctrina ad aucupium pecuniæ & honorum potius, & ad inanem oſtētationem, quàm ad animi culturam refertur. Hinc illæ uulgi querelæ, quas in oratione τῶν σοφιστῶν *recenſet Iſocrates. Moderatum autem ingenium eam rationem ſeruabit, ut errata & delicta firmis rationibus coarguat, conuicia falſa refutet, crimina uera ingenuè agnoſcat ac deprecetur. Hac moderatio erudito homine digna eſt, eumq; maximè ornat. Quo autem quiſq; uehementius excandeſcit, eo magis & impotentiam animi ſui, & inſcitiam oſtendit. Quis enim eius ſcientiæ uſus eſt, quæ prauos affectus non moderatur? In uerè autem eruditos illi uerſus Euripidis conueniūt:*

Moderatio digna uiris doctis.

τὰς ἐμφύτους, ὀρθῶς τε παγείσας φρένας
οὐδεὶς ἐπαίρει καιρὸς ἐξαμαρτάνειν.

Contraq́;, προφάσεως δ᾽ ἔστι μόνον ἡ πονηρία. *Natura, inquit, inſitam & probè firmatam prudentiam, nullum tempus impellit ad delinquendum: improbitati autem nihil deeſt præter occaſionem.*

Conſtanter.) ἀταράχως.

Probari ijs.) *Si ſint uiri prudentes & moderati. Nam alij fortaſsis graui laceſsitum iniuria uiro molliorem iudicabunt, ſi lentius & remiſſius egerit: & Ciceronem acriores motus non improbare probabile eſt, ſed iracundiam tantùm & impotentiam animi.*

CICERO.

Deforme eſt etiam de ſeipſo prædicare, falſa præſertim: &

tim: & cum irriſione audientium, imitari militem glorioſum.

Deforme etiam eſt.) περιαυτολογίαν uetat, τῆς φυλαυτίας filiam. Omnia enim noſtra ut ipſi admiramur, ſic ab alijs quoq; magnifieri uolumus. Sed plerunq; fruſtramur, cum alij uitia non animaduerſa nobis perſpiciant: & uirtutes, ſi quæ ſunt, non tantas eſſe intelligant. Laborauit hoc uitio cum primis huius præcepti magiſter, eaq; re magnam inuidiam ſibi conflauit: ut Plutarchus teſtatur, & ex oratione Saluſtij apparet. Gloriatio inuidioſa & ridicula.

Falſa præſertim.) Nam ut uera prædicentur, res ipſa ſæpè cogit, quòd aliter exiſtimatio retineri nequit. Quo autem pacto minima cum inuidia & auditorum offenſione id conſequi liceat: præclarum exemplum Demoſthenis in oratione περὶ στεφάνου demonſtrat, ibidemq; αὐτεπαγγελίας non odioſæ formam præclaram delineauit. Extat Plutarchi libellus περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως, quem hac ferè ſententia concludit: ὅτι τοῖς ἰδίοις ἐπαίνοις ἀλλότριος ἕπεται ψόγος ἀεὶ, καὶ γίνεται τέλος ἀδοξία τῆς κενοδοξίας. Id eſt: Suarum laudum comitem eſſe aliorum reprehenſionem, & inanis iactantiæ finem ignominiam. Exemplū moderatę laudationis & reprehenſionis.

Cum irriſione.) At glorioſuli iſti, minimè illi quidem irrideri ſe uolūt, ſed omnibus eſſe admirationi. Quantæ igitur ſtulticiæ eſt id agere, dum te ornari cupias, ut ridiculus fias? Prematur igitur ambitio, & linguæ ac calamo quaſi frenum quoddam inijciatur, ſi minus animo imperare poſſumus, & appetitum rationi obedientem præbere. Accedit ad irriſionē, etiam offenſa, & paraſitorū inſidiæ: id quod Terentianus Thraſo, & Plautinus Pyrgopolynices docent. Irriſio. Offenſa. Inſidiæ.

CICERO.

Et quoniā omnia perſequimur (uolumus quidē certè) dicendū eſt etiam, qualem hominis honorati & principis domum placeat eſſe, cuius finis eſt uſus: ad quem accommodanda eſt ædificandi deſcriptio, & tamen adhibenda commoditatis dignitatiſq; diligentia.

Et quoniam omnia perſequimur.) Scilicet, ea quæ ad rationem officiorum pertinent.

Volumus certè quidem.) παραγνῶσις πρὸς κατάληψιν. Habet enim arrogantiæ ſpeciem, profiteri τὸ μηδὲν παραλιπεῖν τῶν ἐνόντων ἐν τοῖς πράγμασιν, ut ait Iſocrates. Obſtat enim interdum obliuio, interdum obſcuritas & ignoratio rerum.

Qualē hominis honorati.) Iis in locis qui ad præcepta uirtutis & inſtitutionem adoleſcentiæ pertinere uidebantur, de induſtria diutius immorati ſumus: quòd ijs præceptis cognitis, probeq; perceptis, cætera quæ ſequuntur, omnia plana & expedita ſunt, & ornādi potius atq; amplificandi cauſa adhibentur. Fundamentis enim probè iactis, reliqua ædificatio facilis eſt. Cū aūt nunc pleraq; ſequantur minus huic ætati neceſſaria, breuiter omnia perſtringemus, Locos minus adoleſcentię neceſſarios. breuiter percurrendos.

gemus, niſi ubi (ut fit) locus aliquis memoria dignus inciderit. De ædium extructione igitur conſulantur ij, qui ex profeſſo de Architectura ſcripſerunt: ut apud ueteres Vitruuius, noſtra ætate Albertus Baptiſta Leo, Sebaſtianus Serlius, & alij. Diuites & potentes, etiam ex Italicis ſubſtructionibus, quarum ueſtigia quædam reſtant, exempla petant licebit. Nos hominis ſtudioſi Muſæum fortaſſe non inutiliter deſcriberemus, niſi ea noſtri ordinis fortuna eſſet, ut alieno arbitratu facienda pleraq; ſint, & perferenda. ὡς δυνάμεθα γὰρ, ἐπειδὴ ὡς βουλόμεθα, οὐ δυνάμεθα.

Muſæum ſtudioſi hominis.

Si quis tamẽ deligendi Muſæi facultatem habuerit, ei & ſalubritatem, & tranquillitatem, & amœnitatem, in proſpectu & horto potiſſimum ſitam (in hac enim re haud ſtultè ſapuit Epicurus) ſpectandam cenſemus. Multũ eſt profectò ſitum in commoda habitatione, & ad amorem ſtudiorũ alendũ, & ad animum recreandũ, & ad excitandũ ingeniũ, & ad memoriã confirmandã. Deinde ipſius Muſæi mediocre ſpaciũ probârim, in quo ita libri diſponantur, ut & omnes ſtatim ad manum ſint: & quorũ quotidianus uſus eſt, in pluteis expoſiti iaceant: menſaq; & plutei ſic parati ſint, ut & ſtans & ſedens legere ac ſcribere poſſis. Habenda eſt & luminis ratio, ne uel ſplẽdor hebetet oculos, uel tenebræ uiſum impediãt.

Bibliotheca.

Sed hæc et aliu quiſq; in re præſente melius curabit. Neq; uerò alienũ eſſet hoc loco aliquid etiam de Bibliotheca dicere, niſi id alibi egiſſemus. Illud tantùm monendus eſt ſtudioſus adoleſcens, ut optima Lexica græca, & latina & uernacula ſibi comparet, eaq; ſtudioſe legat: & in ea, ſi quid annotatu dignũ legerit, ordine alphabetico referat, aut numero ſaltẽ ſui codicis ſignet, paſſim chartis uacuis interſertis, quo ſit augendi operis maior opportunitas: ac rerum uerborumq; loci, ut natura cohærent, ita etiam in eodem uolumine coniungantur: & infirmæ atq; parum fidæ memoriæ hoc uelut perpetuo indice & generali conſulatur. Deinde paucos, ſed eos optimos autores ſibi paret, ut multum, non multa legat, ut monet Plinius: donec confirmata ætate & iudicio, certũ nactus locum, ubi degere honeſtè conſtanterq; poſſit, ſuo deniq; arbitratu paulatim librorum utiliũ numerũ augeat, repudiatis ineptis & ſuperuacaneis, qui hoc ſeculo plurimi prouolant in publicum, aut pleni conuiciorum & curioſarum diſputationum, aut nihil afferentes ſuum, ſed ueterũ ſcripta truncantes, furtiuaq; ſtrigili mutantes: ad id ferè ſolum utiles, ut & argento emungant emptores, & iacturam tẽporis afferant, quod eis legendis impenditur.

CICERO.

Cn. Octauio (qui primus ex illa familia Conſul factus eſt) honori fuiſſe accepimus, quòd præclaram ædificaſſet in palatio, & plenam dignitatis domum. Quæ cum uulgò uiſeretur, ſuffragata domino, nouo homini, ad Conſulatum putabatur. Hanc Scaurus demolitus, acceſsionẽ adiunxit ædibus, Itaq; ille in ſuam domum Conſulatum

primus

primus intulit: hic ſummi & clariſsimi uiri filius, in domũ multiplicatã, non repulſam ſolum retulit, ſed ignominiam etiam, & calamitatem. *V. L. Protinus intulit.*

Acceſsionem adiunxit ædibus.) *Id eſt, ea Octauij domo adiuncta ſuam amplificauit. Vnde intelligitur, quanta amplitudo fuerit illius ædificij Scauri, cum altera ἐν προσθήκης μέρει acceſsiſſet.*

CICERO.

Ornãda eſt enim † dignitas domo, nõ ex domo tota quærenda: nec domo dominus, ſed dño domus honeſtãda eſt.

V. L. Dignitas domino.

Ornanda eſt enim dignitas.) *Transferatur hoc præceptum ad omnia bona quæ externa dicuntur à Philoſophis, ſiue ea corporis ſint, ſiue fortunæ. Vera enim ornamenta hominis in animo poſita ſunt, atq; ingenio: τὰ δὲ λοιπὰ ἐπισωρεύματα, ut ait Ariſtoteles: etſi uulgus τὴν προσθήκην ipſi rei, hoc eſt umbram corpori anteponit.* Animi uera eſſe ornamenta.

Non ex domo tota.) *Hinc conijci poteſt, in Scauro filio nihil animi, nihil neruorum fuiſſe, nec eum ulla re alia niſi clara & ampla domo claruiſſe. Quales hoc tempore multi ſunt, qui detractis opibus, & nobilitatis inani titulo, nulla re niſi faſtu & ſuperbia & licentia uitiorum uulgo antecellant.*

CICERO.

Et ut in cæteris habenda ratio non ſui ſolùm, ſed etiam aliorũ: ſic in domo clari hominis, in qua & hoſpites multi recipiendi ſunt, & admittenda hominum cuiuſq; generis multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis. Aliter ampla domus † dedecori domino ſæpè fit, ſi eſt in ea ſolitudo: & maximè, ſi aliquãdo alio domino ſolita eſt frequẽtari. Odioſum eſt etiam, cum à prætereuntibus dicitur,

† O' domus antiqua, heu quàm diſpari dominaris domino.

Quod quidem his temporibus in multis licet dicere.

V. L. Dedecori ſit. O' domus Attici.

Et ut in cæteris habenda ratio.) *Cicero ſubinde per occaſionem à philautia reuocat ad φιλανθρωπίαν: & cõmonefacit, ὅτι ὁ ἄνθρωπος ζῶον φύσει πολιτικόν ἐστι. Neq; uerò Euangeliũ, poſt pietatem erga Deum, ullam uirtutem æquè inculcat, atq; charitatem hominum, quam penè ipſi pietati æquat. Perpetuò ergo Euripidis ſenarius ob oculos eſſe debet,* Cicero ſubinde ab amore ſui ad charitatem reuocat.

ὡς ὁ δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ:

Hoc eſt, uirum bonum alijs eſſe natum. Magnæ certè iniquitatis eſt, cum tot & tantos fructus ex ciuili conſociatione priuatim quiſq; capiat: nihil operæ, nihil ſtudij conferre in alios, ad ſe unum omnia referentem.

V 2 Quod

Quod quidem his tempotibus.) *Alludit ſiue ad ciuilium bellorum proſcriptiones, ſiuè ad ignauam & degenerem nobilitatem.*

CICERO.

Cauendum eſt etiam (præſertim ſi ipſe ædifices) ne extra modum ſumptu & magnificētia prodeas. Quo in genere multum mali etiam in exemplo eſt.

Cauendum eſt etiam.) *In ædificando, omniq; uictu & cultu corporis, ut ſordes, ita etiam luxum uetat.*

Multum mali etiam in exemplo.) *Græcum diſtichon minuendarum opum, & amittendarum, expeditam rationem eleganter complectitur:*

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πόλλ' ἀνεγείρειν,
Ἀτραπὸς εἰς πενίην ἐστὶν ἑτοιμοτάτη.
Multas ædificare domos, & paſcere multos,
Eſt ad pauperiem ſemita certa quidem.

Cicero uerò non tantum rei familiari parcendum eſſe monet, ſed etiam malum exemplū cauendū, ut eſt Reipublicæ & honeſtæ diſciplinæ amans. Quàm multis noſtra ætate res ad reſtim rediȷt, nō ob aliam cauſam magis quàm propter κακοζηλίαν eorum, qui ædificandi, ueſtiendi, cōuiuandi, ſeruos, equos, canes alendi magnificentia, ſimiliumq; rerum imitati ſunt eos, quorum opes & reditus longè maiores fuerunt, & certiores? Vnde tāta perfidia, niſi ex ignauia & luxu? Vnde tanta egeſtas? Vnde tot mendici?

CICERO.

Studioſè enim pleriq; (pręſertim in hanc partem) facta principum imitantur: ut L. Luculli, ſummi uiri, uirtutem quis? At quàm multi uillarū magnificentiā imitati ſunt? Quarum quidem certè eſt adhibendus modus, ad mediocritatemq; reuocandus.

Stulticiam patiuntur opes, tenuis tibi res eſt.

Studioſè enim pleriq;.) *Diuitibus modum ſeruandum eſſe monet, propter uulgi κακοζηλίαν, quod non conſiderat, ſtulticiam & luxum pati opes: id eſt, non multum incommodari diuitibus, etiamſi ſumptus faciant ſuperuacaneos, & minus prudenter rem ſuam familiarem tractent. Quod cum pauperes, aut qui re tenuiore ſunt, imitantur: ad extremam plerunq; rediguntur inopiam, & ad malas artes, fraudes, impoſturas, furta, rapinas conuertuntur.*

Magiſtratui luſus atque ignauia coercenda.

Itaq; τῆς κακοζηλίας fructus eſt carnificina. Maxima pars fraudum & ſcelerum, quibus uita humana perturbatur, ignauo ocio & luxui accepta eſt referenda. Hinc impoſtorum, militum, furum, latronum, tanta multitudo. Quod ſi φιλοπονία & parſimonia legibus & inſtitutis ciuilibus ſeuerius exigeretur, multo quietius & iucūdius uiueretur. Nunc, dum ij qui rerum potiuntur, finibus propagandis potius quàm regundis ſtudent: ea diſciplinæ labes facta eſt, ut uerendum ſit, ne propter ἀναρχίαν tot ignauorum nebulonum atque rapacium,

pacium, πανωλεθρία tandem omnibus Repuſpub. impendeat. Vigilãdum igitur hîc erat, & nocte dieq́; elaborandum in eo magiſtratibus, ſi qua ratione tanto malo poſſet ocurri.

CICERO.

Eadem'q; mediocritas ad omnem uſum cultumq́; uitæ transferenda eſt.

Eademq́; mediocritas.) *Magna orationis copia ex eo naſcitur, cum ὑπόθεσις ad θέσιν reuocatur, contraq́; θέσις ad ὑπόθεσιν accommodatur. Mediocritatis autem iudicium difficilimum eſt, quòd in ea uirtus conquieſcit, nec certis regulis comprehendi poteſt. Ingenio & doctrina & uſu rerum iudiciũ id parandum eſt. Itaq; Ariſtoteles ſæpè inculcat, ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειεν. & eſt in huiuſmodi rebus ſæpè νόμος καὶ χώρα, ut Græci dicunt, ſeruiẽdum: quod idem alij parum, alij nimium iudicant.*

Mediocritatis difficile iudicium.

CICERO.

Sed hæc hactenus. In omni autem actione ſuſcipienda, tria ſunt tenẽda. Primum, ut appetitus rationi pareat: quo nihil eſt ad officia conſeruãda accommodatius. Deinde, ut animaduertatur quanta illa res ſit, quam efficere uelimus: ut néue maior, néue minor cura & opera ſuſcipiatur, quàm cauſa poſtulet. Tertium eſt, ut caueamus, ut ea quæ pertinent ad †liberalem† ſpeciem & dignitatem, moderata ſint.

V. L. Ad liberalitatem. Specie & dignitate moderanda.

In omni actione ſuſcipienda.) *Tria præcepta generalia, quibus ſuperiora ueluti in ſummã rediguntur, annectit, quæ perpetuò ob oculos eſſe debẽt.*

Appetitus rationi pareat.) *De hoc præcepto ſuprà ſatis dictum eſt, atq; admonitum, tribus his uerbis totius Philoſophiæ ſummam contineri.*

Quanta illa res ſit.) *Cohæret & hoc præceptum cum ſuperiori. Nam ratio & quid, & quale, & quantum quidq; ſit, ſtatim uidet, uereq́; iudicat. Appetitus uerò fallitur, errat, caligat, hallucinatur, & res ueluti per tranſennam aut aquam intuens, nec quales nec quantæ ſint ſatis perſpicit. Hinc uulgò uoluptates, opes, honores tanti fiunt, quod plerique nihil his rebus eſſe melius exiſtimant: contrà ſapientia, uirtus, pietas, aut contemnuntur, aut negliguntur: aut certè non ita curantur, uti oportebat: quòd homines ſtupidi, aut certè dulci fortuna ebrij, atq; in ἀδόκιμον νοῦν prolapſi, nihil his eſſe uilius, nihil moleſtius exiſtimant.*

Ratio ſit iudex, non appetitus.

Ne'ue minor, ne'ue maior.) *Socrates res humanas ita tenues & uiles iudicarit, ut diceret, uideri ſibi* DEVM *magnos & irritos hominum de re-*

Extenuatio rerum humanarum modica.

bus uiliſſimis conatus & labores intuentem, nihil niſi ridere. & Poeta quidam exclamat:

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Aliud alijs paruum aut magnum.

Sed quid de hac extenuatione ſentiendum eſſet, ſuprà admonuimus. Deinde adhibēda eſt etiam diſtinctio, & unum quodq; conſiderandum, nō tantum καθ' αὑτὸ, ſed etiam πρός τι. Nam quæ DEO *parua ſunt, maxima ſunt homini: & (ut notiore utamur exemplo) decem talenta parua pecunia ſunt Crœſo, Iro uerò maxima. Hinc non incommodè dicitur, tanta eſſe cuiuſq; bona & mala, quantus ſit eius animus qui ea ſuſtineat, & Menelaus apud Euripidem, non infacetè ait:*

εὖ ἴσθι, ὅτε τις τυγχάνει κακὸν ἔχων,
τοῦτ' ἴσθ' ἑκάστῳ μεῖζον ἢ τροίαν ἑλεῖν.

Res uerè magnæ.

Sed, ut ad inſtitutum ueniamus, diſcrimen rerum conſiderandum eſſe monet Cicero, & acutè perſpiciendum, quæ res uerè magnæ, quæ paruæ ſuapte natura ſint. Magna res eſt cultura ingenij atque animi, functio officij erga DEVM *& homines. proximum locum occupant cura & conſeruatio ualetudinis, cuius incommodis animus etiam afficitur, & in officio faciendo impeditur. Tertio poſtremoq; loco ea ſunt, quæ ad uitæ neceſſitatem & cultum pertinent, ſine quibus aut omnino nō uiuere, aut minus commodè uiuere poſſumus. Hic naturalis ordo & dignitatis gradus à plerìſque mortalium (ſic enim rectius quàm homines appellantur) inuerti ſolet. Vnde & Satyricus exclamat:*

O cives ciues, quærenda pecunia primùm,
Virtus poſt nummos.—

Et alter Satyricus, μιμητικῶς:

Quod ſatis eſt etenim, ſapio mihi: non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumina terræ.

Epicteti ratio de rebus magnis & paruis.

Euangelica regula.

Epictetus uerò noſter contrariam ingreſſus uiam, ita magnitudinem omnem in animo collocat, ut direptiones & excidia urbium, nidū ciconiarum: cædes & ſtrages hominum, pecudum mactationi conferre non dubitet. Sed huic peruerſitati opinionum, tam philoſophicæ quàm populari, Euangelij autoritas eſt opponenda, quæ & ſuam homini dignitatem ſartam tectam eſſe uult, ut qui maximæ curæ ſit DEO: *& ab hac terrena uita ſubinde animos ad cœlū reuocat. Reſiſtendum igitur eſt uelis & remis, quod aiunt, & manibus ac pedibus obluctandum, cùm prauitati iudiciorum, tum exemplorum multitudini.*

Ars utilis, Mala, Superuacanea.

Neu minor, ne'ue maior.) *τέχνη ſiue εὐτεχνία duo habet adiuncta uitia, κακοτεχνίαν καὶ ματαιοτεχνίαν: quæ diligenter ab arte ſecernendæ, ac omnibus modis fugiendæ ſunt. Artis definitio Lucianica nota eſt, τέχνη δέ ἐστι σύστημα ἐκ καταλήψεων συγγεγυμνασμένων, πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ.*

Bip. *Catalogus item artium liberalium, ac partium philoſophiæ, uel puero notus eſt. De artibus uerò mechanicis, ſeu opificijs, pòſt dicendum erit: quas omnes conſtare certis quibuſdam ſiue rationibus, ſiue obſeruationibus, & finem habere in uita degenda utilem, ſatis conſtat.*

Malarum artium ſcopus & finis.

Malæ autem artes ſunt, ſycophantarum, ſophiſtarum, hypocritarum, fœneratorum, corruptorum, ueneficorum, magorum, aleatorum, mercenariorum militum, & id genus infinitæ: quæ è fine iudicantur. is uerò eſt, ſuis conſulere commodis, & prauam explere cupiditatem, cum in commodis & iniurijs aliorum. Hæ non tam artes quàm uitia ſunt, & ſcelera, & raro pœna carent.

Inanes artes.

Inanes autem artes ſunt, & friuolæ occupationes, quæ aut fructum planè nullum afferunt (cuiuſmodi ſtudium illius fuit, qui diuturna exercitatione id conſecutus erat, ut granum ciceris per anguſtum acus foramen traijceret: dignum omnino precium tantæ ſolertiæ conſecutus à magnificentiſſimo rege, modium eiuſdem leguminis) aut plus habent laboris quàm fructus (cuiuſmodi ſunt argutiæ quorundam Grammaticorum & Sophiſtarum, ſeu Pſeudophiloſophorum) aut, tametſi alijs proſunt, & alia in re, ad inſtitutum tamen noſtrum propriè non pertinēt, præſertim ſi excedatur ijs uſurpandis & meditandis modus: cuiuſmodi ſunt ea quæ πάρεργα dicuntur.

Hominis uerè ſtudioſi propriũ munus.

Quod ut exemplo fiat clarius, hominis uerè ſtudioſi ἔργον, hoc eſt, finis & propria occupatio ac peculiare munus eſt, eruditio & uirtus. His igitur duabus rebus toto pectore incumbere, in his omne ſtudium & maximam temporis partem conſumere debet.

πάρεργα, quæ obiter fiunt.

πάρεργα illi ſunt (id eſt, eiuſmodi quæ obiter tãtum & defunctoriè, nec niſi per ociũ, aut neceſſitate poſtulante, ſuadente'ue commoditate, uſurpari debent) deambulatio, equitatio, piſcatio, palæſtra, agricultura, ſpectacula, colloquia de rebus non neceſſarijs, & id genus alia. Hæc per occaſionem attingere licet. Quod cum prudenter fit, non tam πάρεργα illa ſunt, quàm συνέργα: ſi non propriè ad ſtudia doctrinarum, at ad ualetudinem conſeruandam, ad recreandum animum, ad uitæ communis uſum cognoſcendum, ad obſequendum amicis. Sed ſi excedatur modus, πάρεργα eſſe deſinunt, & fiunt ἐμπόδια τοῦ σκοποῦ καὶ ἔργου: id eſt, impediunt proprium munus & ſcopum.

τὰ πάρεργα γίγνεται συνέργα καὶ ἐμπόδια.

Falſi nominis ſtudioſi.

Ne'ue minor, ne'ue maior.) *Pſeudophiloſophi, id eſt ij qui falſò ſtudioſi appellantur, minorem curam ſuſcipiunt, quàm poſtulat eruditionis uarietas & amplitudo. Indulgent illi genio & ſomno: prælectiones aut nullas, aut paucas, eaſq; inconſtanter, animi nulla attentione, nulloq; ordine audiũt: auditas non repetunt: nihil annotant, quod memoria excidere poſſit: nihil cogitant, legunt, ſcribunt: nec diſputant, nec declamant. Igitur excidunt ſcopo eruditionis, uirtutis, opum, dignitatis, ſinceræ delectationis: contraque incidunt in barathrum inſcitiæ, uitiorum, inopiæ, ignominiæ, calamitatum. Hic ſolet euentus, ut ait Poeta, non tantum improba facta, ſed etiam ſocordiam, ἀταξίαν, atq; ignauũ ociũ ſequi.*

Inanis occupatio.

Maiorem autẽ curã ſuſcipiunt, qui ſe choreis, cõuiuijs, ludis, pompis, alijſq; nugis curioſè atq; ſolicitè longo tẽpore magnoq;

ſumptu

ſumptu & labore præparant. Magis tamen, etiam in uitio, probandi, aut certè lenius improbandi: quàm ij qui res magnas temerè tractant, & negligenter.

Moderata ſint.) *Pendet hoc, ut dictum eſt, à iudicio docti aut uſu periti hominũ, qui facilius intelligit quàm explicare poteſt, quid ſit decus ipſum tenere: hoc eſt, ut ait Iſocrates, τῆς ἀκμῆς τυγχάνειν τῶν καιρῶν.*

CICERO.

Modus autẽ eſt optimus, decus ipſum tenere, de quo antè diximus: nec progredi lõgius. Horum autem trium præſtantiſsimum eſt, appetitum obtemperare rationi.

Horum autem trium.) *Quia moderatio appetitus, ueluti cauſa efficiens eſt eorum quæ ſequuntur.*

CICERO.

Deinceps de ordine rerum & opportunitate temporum dicendũ eſt. † Hæc aũt ſcientia continentur ea, quam Græci εὐταξίαν nominant, non hanc † quam interpretantur modeſtiã, quo in uerbo modus ineſt: ſed illa eſt εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conſeruatio. Itaq; ut eãdem nos Modeſtiam appellemus, ſic definitur à Stoicis: ut modeſtia ſit, ſcientia rerum earum quæ agentur aut dicentur, loco ſuo collocandarum. Ita uidetur eadem uis ordinis & collocationis fore. Nam & ordinem ſic definiunt: compoſitionem rerum, aptis & accommodatis locis. Locum autẽ actionis, opportunitatem temporis eſſe dicunt. Tempus autem actionis opportunum, Græcè εὐκαιρία, Latinè appellatur occaſio. Sic fit, ut modeſtia hæc, quam ita interpretantur, ut dixi, ſcientia ſit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.

V. L. Hæc autem ſcientia continet eam, quam. Quam interpretamur modeſtiam.

Attributiones augẽt dicendi copiã.

Deinceps de ordine rerum.) *Adiuncta ſiue attributa perſonis & rebus, quæ uulgò circumſtantiæ dicuntur, plurimùm augent dicendi copiam, & iudicium inſtruũt: id quod uel in his præceptis cernitur. Tractata hactenus eſt res, id eſt ipſum officium ſeu actio uirtutis. Deinde perſona, cuius facta eſt diuiſio multiplex: ut quæ ſpectaretur uel in communi hominum natura, uel in ſua cuiuſq; propria, cui deinde accederent uarietates uoluntatum & fortunarum. Nunc tranſitur ad circumſtantiam loci & temporis, quæ uſu autorum una eademq; ferè ſignificatione commoditatis atq; opportunitatis intelliguntur. Hæc omnia ſcrupuloſe etiã & minutim perſequi, Stoicis ob linguæ*

Res. Perſona. Locus. Tempus.

Græcæ

Græcæ copiam, fingendiq́; noua uerba licentiam in procliui fuit. Ciceroni uerò, propter patrij ſermonis egeſtatem, & ipſius rei, à Romanis non pertractatæ, nouitatem, non perinde promptum fuit, copia uerborum certare cum Stoicis. Conatus tamen eſt: &, ut potuit, ſeſe expediuit. Sic autem paucis habeatur: Modeſtiam à Latinis intelligendam, non tantum σωφροσύνην apud Græcos, ſed etiam εὐταξίαν καὶ εὐκαιρίαν, quæ ſint ordo rerum, & opportunitas temporum. Cicero de uerbis laborans.

CICERO.

Sed poteſt eadem eſſe prudentię definitio, de qua principiò diximus. Hoc autem loco de moderatione & temperantia, & alijs ſimilibus uirtutibus quęrimus. Itaq; quę erant prudentiæ propria, ſuo loco dicta ſunt. Quæ autē harum uirtutū de quibus † iamdiu loquimur, quæ pertinent ad uerecundiam, & ad eorum approbationem quibus cum uiuimus, nunc dicenda ſunt.

V. L. Iamdudum.

Sed poteſt eadem eſſe prudētiæ definitio.) *Magna eſt, ut totius naturæ rerum, ita & artium & uirtutum inter ſe cognatio atq; affinitas. Diſtinguuntur autem ob faciliorem intelligentiam, quam ordo ac diſtinctio parit. Prudentia igitur ex parte cū hac Modeſtia, quæ Græcis εὐταξία καὶ εὐκαιρία eſt, conſentit, præſertim ſi Platonem ſequaris autorem: qui ut omniū uirtutum genus ſcientiam facit, ita τὴν μὲν σοφίαν πάσης ἀρετῆς τὸ μέγιστον μέρος, τὴν δὲ φρόνησιν ἡγεμόνα τοῦ ὀρθῶς πράττειν: hoc eſt, ſapientiam uirtutis omnis partem maximam, prudentiam uerò rectè agendi ducem conſtituit. Ariſtoteles autem, ſcientiam prudentiæ & ſapientiæ aſſignat: habitum uerò uoluntatis, cæteris uirtutibus attribuit. Illud quidem omnino uerū eſt, nullam uirtutem conſtare poſſe, niſi prudentia quadam gubernetur.* Cognatio naturæ rerum, uirtutum & artium. Sapientia. Prudentia.

CICERO.

Talis eſt igitur ordo actionum adhibendus, ut quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in uita omnia ſint apta, & inter ſe conuenientia.

Talis eſt igitur ordo.) *Obſeruemus & nos Ciceronis ordinē. Primùm, etymologiam ſeu definitionem nominis ponit. Deinde, deſcriptionem ipſius rei. Mox differentiam, quòd εὐταξία καὶ εὐκαιρία partem aliquam à Prudentia, partem à Modeſtia mutuentur. Denique præcepta harum uirtutum ſubiungit.* Ordo Ciceronis.

Vt quemadmodum in oratione.) ¶ *Primū præceptum, omnes actiones inter ſe conſentire, ac ſeruare conſtantiam debent.*

In oratione conſtanti.) *Ea eſt cōſtans oratio, quæ primùm rem ipſam,* Oratio conſtans.

qua de agitur, Dialectica methodo inueſtigatam & perſpectam habet: deinde artificio oratorio diſpoſitam & collocatam, & uerbis idoneis expreſſam. Oratio diſſoluta. *Tales ſunt orationes Græcorum & Latinorum oratorum. Diſſolutæ uerò orationis, inconſtantis, perturbatæ imaginem Horatius principio Artis poeticæ depingit: & cùm uulgi, tum rudium ſcholaſticorum ſermones, ac ſcripta paulò prolixiora, complura exempla ſuppeditant. Qui igitur aptè ſcribere aut loqui uoluerint, præter cognitionem rerum, etiam artes dicendi probè cognitas, præceptaq; meditata & in numerato habere debebunt.*

CICERO.

Turpe eſt enim, ualdeq́ue uitioſum, in re ſeuera cõuiuio dignum, aut delicatum aliquem inferre ſermonem.

In re ſeuera conuiuio dignum.) *Exemplũ inconſtantis orationis. Conuiuia decet hilaritas: deliberationem & tractationem grauium rerum, ſeueritas & animi attentio. Fit tamen interdum, ut his quoq; ſiue leuandi tædij, ſiue inſectandæ abſurditatis cauſa, ioci admiſceantur: ſed tempeſtiuè & breuiter, ne ſcopus orationis excidat.*

CICERO.

Benè Pericles, cum haberet collegã in prætura Sophoclem poetam, hiq́ue de communi officio cõueniſſent, & caſu formoſus puer preteriret, dixiſſetq́ue Sophocles, O' puerum pulchrum Pericle: ait, At enim prætorem Sophocle decet, non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere. † Atqui, hoc idem Sophocles ſi in athletarum † probatione dixiſſet, iuſta reprehenſione caruiſſet.

V. L. Atq; hoc idem. approbatione.

Benè Pericles.) *Exemplum inconſtantis actionis. Eſt autem optima docendi ratio non contenta expoſitione præceptorum, ſed ijs exempla tanquam corpori animum & uitam adiungit.*

Non ſolum manus.) *Sententia eſt: Magiſtratum nec largitionibus corrumpi, nec uoluptatibus uinci: ſed cùm prudenter conſulere Reipublicæ, tùm exemplum eſſe abſtinentiæ & continentiæ oportere.*

Si in athletarum approbatione.) *in palæſtra & theatro ac ludicro certamine, ubi uires & habitudo corporis ſpectantur, luctandiq; dexteritas. Sententia eſt: rectè ea fieri, quæ cum negocij fine conſentiunt. Conuenerant autem prætores, uel ut controuerſiam aliquam ciuilem componerent, uel ut de belli gerendi ratione deliberarent: quas ad res formoſi pueri commendatio nihil faciebat. Moleſtè ſcilicet tulit Pericles Sophoclis leuitatem, nugas magis curantis quàm munus officij ſui.*

Iuſta reprehenſione caruiſſet.) *Quia oratio actioni fuiſſet cõſentanea.*

CICERO.

Tanta uis eſt & loci & temporis, ut ſi quis, cum cauſam ſit acturus, in itinere, aut in ambulatione ſecum ipſe meditetur, aut ſi quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur: at hoc idem ſi in conuiuio faciat, inhumanus uideatur, inſcitia temporis.

Tanta uis eſt & loci.) *ὠδιφώνημα, & exempla ἄφωνα.*

Secum ipſe meditetur.) *Ne hoc quidẽ noſtræ nationis barbaries æquo animo fert, ob odium literarum & literatorum.*

Inſcitia temporis.) *Quia in conuiuio conuenitur reficiendi corporis & animi recreandi cauſa: non propter ſeueras cogitationes, ſubtilesq́; diſputationes, quæ alibi tractandæ ſunt.*

Inſcitia temporis.) *Vix in quenquam cadit huius rei ignoratio. Quare uſus uidetur Inſcitiæ uocabulo, pro neglecto & non obſeruato decoro temporis. Martialis Catonem deridet, cum ſpectaculo Floralium intereſſe noluiſſet: Nunquid (inquit) ſeuere Cato huc intraſti ut ex ires?*

CICERO.

Sed ea quæ multũ ab humanitate diſcrepant, ut ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna peruerſitas: facilè apparent, nec magnoperè admonitionem & præcepta deſiderant.

Sed ea quæ multum ab humanitate.) *ἀποδίωξις, uim habens acriter dehortandi ab enormi turpitudine.*

Si quis in foro cantet.) *Ne ſaltare quidem in foro, & titubare, & turpiora quædam facere ebrioſos noſtros Centauros, & fœdos Polyphemos, interdum pudet. Tanta honeſtæ diſciplinæ labes facta eſt.*

CICERO.

Quæ autẽ parua uidentur eſſe delicta, neq; à multis intelligi poſſunt: ab his eſt diligentius etiam declinandum. Vt in fidibus aut tibijs, quamuis paulum diſcrepent, tamen id à ſciente animaduerti ſolet: ſic uiuendum eſt in uita, ne fortè quid diſcrepet: uel multo etiã magis, quò maior & melior actionum quàm ſonorum concentus eſt.

Quæ autem parua.) ¶ *Alterũ præceptum: Minima etiam errata & delicta ſtudioſe cauenda eſſe. Cauſa præcepti eſt, quòd (ut Plato ait) ut res ipſa parua ſit, non parua tamen res eſt mala conſuetudo. Deinde qui in paruis delictis ſibi ignoſcunt, paulatim ad maiora progrediuntur, donec in omnem turpitudinem prolapſi, nec decus nec honeſtatem curent. Nemo repentè fuit turpiſſimus, inquit Satyricus. Non diſſimilis eſt ratio uirtutum &*

A paruis initijs ad magna incremẽta fit progreſſio.

Creſcit occulto uelut arbor æuo Ars, item uirtus animi benigni.

doctrinæ. nam & hæ indies paulatim, ſi ſtudium non remittatur, creſcunt: donec tandem perfectionem aliquam aſſequantur, tantam ſcilicet, quantam humana fragilitas atq; improbitas admittit.

CICERO.

Itaq; ut in fidibus, Muſicorum aures uel minima ſentiunt: ſic nos (ſi acres † ac diligentes iudices eſſe uolumus, animaduerſoresq́; uitiorum) magna ſæpe intelligemus ex paruis.

V. L. ac diligentes eſſe uol.

Vt in fidibus.) *Similitudine, & ea quidem aptiſſima, præceptum hoc illuſtrat, addito argumento à minori ad maius.*

Et in agendo cauti, & in iudicando non præcipites eſſe debemus.

Magna ſæpe intelligemus ex paruis.) *Cauenda eſt in hoc genere temeritas. Nam quæ hic recenſentur, ἀνέστα ſunt, non τεκμήρια. Sed tamen, quia multi ſuſpicaces ſunt, & in peiorem partem rapiunt omnia: diligenter cauenda eſt etiam iniuſtæ reprehenſionis occaſio. Iuliani quidem Apoſtatæ (ut antè dictum eſt) leuitatem & ambitionem, D. Ambroſius & Baſilius ex motu, inceſſu, & ineptis corporis geſtibus maturè ſe deprehendiſſe gloriantur.*

CICERO.

Ex oculorum obtutu, ſuperciliorum aut remiſsione aut contractione: ex mœſticia, ex hilaritate, ex riſu, ex locutione, ex reticẽtia, ex contentione uocis, ex ſummiſsione, ex cæteris ſimilibus facilè iudicabimus, quid eorum aptè fiat, quid ab officio naturaq́; diſcrepet.

Ex oculorum obtutu.) *Declarat enumeratione quadam, quæ parua delicta appellet: ea nimirum, quæ cum morum ciuilitate pugnant.*

Pœna deformitatis.

Quid aptè eorum fiat.) *Non hoc ſolùm ſagaces homines ſpectant: ſed ut ex habitu corporis, ita etiam è geſtu coniecturam capiunt de animo. Sunt igitur qui (ut Philopœmẽ olim) tanquã à Natura notati, deformitatis ſuæ pœnas dent, ob diſtorta quædam membra, & minus apta, ſuſpecti & inuiſi: etſi Socrates deformis, longè uir melior & ſapientior fuit Alcibiade formoſiſsimo. Sæpè enim eſt in pulchro hoſpitio deformis hoſpes, contraq; in deformi hoſpitio pulcher hoſpes. Quare grauiter Aeſopus Xanthum monuit: philoſopho, id eſt uiro ſapienti & graui, non corpus, ſed animum eſſe intuendum. Is uerò è ſermonibus & actionibus magis, quam è lineamentis corporis perſpicitur. Illa enim ſigna communia ſunt, & incerta.*

CICERO.

Quo in genere non eſt incommodum, quale quodque eorum ſit, ex alijs iudicare: ut ſi quid dedeceat in illis, uitemus ipſi.

mus ipſi. Fit enim neſcio quo modo, ut magis in alijs cernamus, quàm in nobiſmetipſis, ſi quid delinquitur. Itaq; facilimè corriguntur in diſcendo, quorum uitia imitãtur emendandi cauſa magiſtri.

Quo in genere non eſt incommodum.) *Rationem dijudicãdi parua errata indicat. Etſi difficile eſt, ea quæ in alijs improbauerimus, in nobis ipſis uel animaduertere, uel corrigere: quòd ob aſſuetudinem nec ſatis ea perſpicimus, & φιλαυτίᾳ excæcati nobis ipſi ignoſcimus.*

CICERO.

Nec uerò alienum eſt, ad ea eligenda quæ dubitationẽ afferunt, adhibere doctos homines, uel etiam uſu peritos: & quid his de unoquoq; officij genere placeat exquirere.

Nec uerò alienum eſt.) ¶ *Tertium præceptum: In rebus dubijs (hic autem de decoro & ciuilitate morum agitur) conſulendos eſſe prudẽtiores, ſiue illi iudicandi facultatem natura habeant, ſiue doctrina & uſu rerum pararint. Adoleſcentia ſuos ſecuta impetus, plerunq; grauiter impingit, cum omnia ſe decere exiſtimet: incidit in errores, uitia, calamitates: quarum rerum comes eſt pœnitentia, ὅτι οὐδὲν ἴσαι πλέον αἰτιωμένοις.*

CICERO.

Maior enim pars eò ferè deferri ſolet, quò à natura ipſa deducitur. In quibus uidendum eſt, non modò quid quiſq; loquatur, ſed etiam quid quiſq; ſentiat, atq; etiam qua de cauſa quiſq; ſentiat.

Maior enim pars eò ferè.) *Sententia hæc μετὰ προδιορισμοῦ accipienda eſt. Alioqui enim uulgi præiudicijs maxima Philoſophiæ pars, eius inquam quæ de moribus præcipit, opprimetur. Maior enim pars, ut ait Liuius, plerunq; uincit meliorem. & Cicero alibi: Vulgus, inquit, ex ueritate pauca, ex opinione multa iudicat.*

Eò deferri ſolet.) *Scilicet, in ijs quæ ad ciuilitatem morum pertinent. Et loquitur de ciuitate Romana, in qua homines politiſſimi erant.*

In quibus uidendum eſt.) *Cautionem addit tertio præcepto: ne ſimulatione callidorum, & nos non amantium hominum, quod ſæpe fit, decipiamur. Sunt enim non ἀποφαντικοὶ tantùm, ſed etiam πειραστικοὶ λόγοι, cum homines callidi ſua diſſimulata ſententia, ſic inſtituunt orationem, ut alterius ingenium, opinionem, uoluntatem ſic explorent, ut id tamen minimè agere uideantur. Quare uigilandum eſt in tot inſidijs, ne alijs ludibrio & prædæ ſimus, ſimulatione & diſſimulatione impoſtorum circumuenti.* Cauendum ne ſimulationis artificio decipiamur.

Qua de cauſa quiſq; ſentiat.) *Alibi monet, re, non teſte, moueri nos oportere. Cum autem non tantùm in callidos, ſed etiam in minus prudentes* Tanta ſit autoritas, quanta eſt ratio.

 homines,

bomines, aliquo caſu decepti, incidere ſoleamus: tanta ſit autoritas, quanta eſt ratio. Spectetur igitur, ſit ne ratio illa uera, firma, idonea: an uerò inepta, falſa, nec ſatis grauis. Cauendi enim ſunt ubiq; οἱ σοφιστικοὶ ἔλεγχοι: nec aliorum tantùm, ſed etiam noſtri ipſorum.

Nec ab alijs nec à nobiſmetipſis decipi debemus.

CICERO.

Vt enim pictores, & ij qui ſigna † fabricant, & uerò etiã Poetæ, ſuum quiſq; opus à uulgo conſiderari uult: ut ſi quid reprehenſum ſit à pluribus, id corrigatur: hiq; & ſecum & cum alijs, quid in eo peccatum ſit, exquirunt: ſic aliorum iudicio permulta nobis & facienda, & nõ facienda, & mutanda & corrigenda ſunt.

V. L. fabricantur, & ueri etiam poetæ.

Et uerò etiam poetæ.) *Alij legunt, ueri: ſed minus placet. quanquam de prudentibus & ſolertibus ea uox intelligi poſſet.*

A' uulgo conſiderari.) *Notum eſt exemplum Apellis: nota & Poetarum conſuetudo, recitandi poemata ſua, Comicorum certè ac Tragicorum opera, cũ in ſcena agerentur, ad popularẽ approbationẽ utiq; referenda fuerunt.*

A' pluribus.) ὥσπερ μιᾶς χειρὸς ἀσθενὴς μάχη, οὕτως εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ. *Vt unius (inquit Euripides) manus infirma pugna eſt, ſic unus uir non uidet omnia.*

Id corrigatur.) *Vbi ſcilicet & ſecum, & cum alijs, quid in eo peccatum ſit exquiſierint. Multi enim multa, temerè & imperitè reprehendunt: quos, ut ſutorem Apelles, ultra crepidam progredi non ſinemus.*

Propter falſas populi opiniones, Naturę iudicium nõ deſerendum.

Sic aliorum iudicio.) *Modò probari illis uelimus: & quid alij de nobis exiſtiment, non contemnamus. Hæc autem περὶ τῶν ἀδιαφόρων intelligantur: hoc eſt, de rebus quæ ab opinione populari maximè pendent. Nam ab ipſius naturæ præſcripto, propter falſas populi opiniones & peruerſos mores, non eſt recedendum. Non eſt adulterandum, etſi impunè licet: non immanibus poculis certandum, etſi laudi datur: non contemnenda ſtudia literarum, etſi uulgò id faciunt: non opes per fas & nefas parandæ, etſi paupertas iuſta & ſobria ridetur: non irridendus Deus, non neganda prouidentia, non animorũ immortalitas eludẽda, etſi prora & puppis ſapientiæ quorũdam hac una opinione maximè nititur. Difficilimum eſt, mehercule, pugnare cum erroribus & moribus ſui ſeculi: ut nulla res alia quõdam æquè uiros bonos in ſolitudines & monaſteria cõpuliſſe uideatur. Sed in hac pugna magnitudo animi & conſtantia multo magis cernitur, quàm in multis hoſtium millibus trucidandis.*

Fortitudo contemnẽdi errores ſui ſeculi.

Si fas cædendo cœleſtia ſcandere cuiquam,
Soli mi cœli maxima porta patet:

Gloriatur Ennij Scipio. Sed profectò id fas nõ eſt, per tantam humani generis in-

neris iniuriā aſcendere in cœlos. Cædere uitia, cædere errores & ſuos & aliorum, multo eſt diuinius, & cœlo dignius.

CICERO.

Quæ uerò more aguntur, inſtitutiſq; ciuilibus: de his nihil eſt præcipiendum. illa enim ipſa præcepta ſunt.

Quæ uerò more aguntur.) ¶ *Quartum præceptum, νόμῳ καὶ χώρᾳ δουλευτέον. Huiuſmodi ſunt cerimoniæ nuptiarum, funerum, conuiuiorum, ludorum, & ſi qua ſunt eius generis alia: in quibus nouitas, etſi recepto more melior, tamen in reprehenſionem ſolet incurrere.* Legi & regioni alicubi ſeruiendum.

CICERO.

Nec quēquam hoc errore duci oportet, ut ſi quid Socrates aut Ariſtippus, contra morem cōſuetudinemq; ciuilem fecerint, locuti'ue ſint, idem ſibi arbitretur licere.

Nec quenquam hoc errore.) *Refutatio, qua docet, ciuilem morem raris Philoſophorum exemplis eſſe præferendum: addita ratione, quòd is qui uitioſa tantum imitetur, omiſſis uirtutibus cæteris, non poſſit ullam habere excuſationem.* κακοζηλία uitanda.

CICERO.

Magnis illi & diuinis bonis hanc licentiam aſſequebantur.

Magnis.) *Vt enim fœcundum ſolum noxijs herbis: ſic præclara ingenia ſuis quibuſdam uitijs carere non ferè ſolent, quæ pluribus & maioribus uirtutibus condonantur. κακοζηλία uerò eſt importuna & odioſa.*

CICERO.

Cynicorum uerò ratio tota eſt eijcienda. eſt enim inimica uerecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.

Cynicorum.) *Quidā, τὸν κυνισμὸν σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδόν: hoc eſt, cōpendiariam uirtutis uiam, Cynicam ſectam appellarunt: quòd in moribus excolendis potiſſimum occupati, pauciſſimis contenti uiuerent. Canina uerò illa impudentia, & quoslibet inſectandi, & quæ naturæ ferret neceſſitas in propatulo faciendi, nemini unquā bono (ut opinor) probata fuit. Epictetus certè, cætera quidem Cynicis minimè iniquus, ac præclarè potius de illa diſciplina ſentiēs, nihil æquè probat, cōmendat, præcipit, inculcat, atq; uerecūdiā.* κυνισμὸς. uerecundia.

CICERO.

Eos autem quorū uita perſpecta in rebus honeſtis atq; magnis eſt, bene de Repub. ſentiētes, ac bene meritos, aut merentes: aliquo honore aut imperio affectos, obſeruare & cole-

& colere debemus. Tribuere etiam multum ſenectuti: cedere his qui magiſtratum habebunt: habere delectum ciuis & peregrini: in ipſoq́ peregrino, priuatim'ne an publicè uenerit.

Obſeruātia.

Eos autem quorum uita.) ¶ *Quintum præceptum, de obſeruandis ijs, & colendis, qui dignitate & autoritate antecellunt: ſuprà quoq; & ipſum tractatum, ſed nondum pleriſq; perſuaſum, qui nemini honorem habent, niſi cuius ope atq; opera indigēt. Quæ ſiue ſuperbia ſiue ruſticitas cùm omni ætati turpis eſt, tum adoleſcentiæ & puericiæ fœdiſſima.*

Senectuti.) *Propter uſum rerum, & imbecillitatem ætatis, & quòd quaſi parentum loco ſunt iunioribus. Sed de hac, plura in Catone Maiore.*

Cedere ijs qui magiſtratum habebunt,) *Non tantum propter poteſtatem, ſed etiam propter publicam autoritatem, qua inferior eſt priuata cuiuſq; dignitas.*

Delectum ciuis & peregrini.) *Ciui plus debetur officij: peregrino (ſi cætera paria ſint) plus honoris. Tametſi à multis φιλοξενία ita commendata eſt, ut ciuibus peregrini aut æquarentur, aut etiam præferrentur.*

Societatis ſtudium, felicitatis principium.

Priuatim'ne an publicè.) *Legati enim totius ciuitatis perſonam ſuſtinent. Plus autem debetur uniuerſis, quàm ſingulis.*

CICERO.

Ad ſummam (ne agam de ſingulis) communem totius generis humani conciliationem & conſociationem colere, tueri, ſeruare debemus.

Ad ſummam.) ¶ *Generali præcepto locum hunc omnem de Modeſtia concludit. Quòd ſi obſeruaretur, ſanctiſſima eſſet diſciplina, uita trāquilliſſima & beatiſſima: nulla inopia, nullæ diſſenſiones, nulla bella.*

CICERO.

Iam de artificijs & quæſtibus, qui liberales habēdi, qui ſordidi ſint, hæc ferè accepimus.

Honeſtas naturalis ab opinione populari diligēter diſcernenda.

Iam de artificijs & quæſtibus.) *Hoc loco τὸ αἰσχρὸν καὶ τὸ καλὸν diligenter diſtingui debent. Eſt enim ea honeſtas & turpitudo hîc intelligenda, quæ non ad uirtutes & uitia, ſed ad externam ſpeciem & popularem opinionem refertur. Sutor (modò uir bonus) in ſuo genere non minus honeſtus eſt, quàm Conſul: ſed æquè ſplendidus non eſt. Conſulatus nobilem hominem decet, conſuere calceos (noſtris quidem moribus) non decet: adeò ut plerique putent, latrocinari honeſtius nobilem, quàm opificio aliquo uictum quæritare: ruſticum & ſordidum indicantes Heſiodum, præcipientem ὅτι*

Sutor. Conſul.

ἔργον μηδὲν ὄνειδος· ἀεργίη μὲν ὄνειδος.
Dedecus haud labor eſt, ignauia dedecus ingens.

Qui liberales habēdi.) *libero, atq; adeò nobili etiā homini nō indecori.*

Sordi-

Sordidi.) *Ideſt ſeruiles, indigni homine libero, nobili præſertim. Verùm hæc (ut modò attig mus) nō de naturali illa honeſtate, ſed de populari opinione ſunt intelligenda, quæ ſibi aliud decus & dedecus confinxit, faſtu & ſuperbia incitata. Quaſi uerò diuites, nobiles, ſplendidi, magnifici iſti, dignitatem illam & ſplendorem ſuum uel initiò conſequi, uel poſteà tueri potuiſſent ſine iſtis opificibus, quos per contemptum illiberales & ſordidos appellant. Deinde inhumanitatis eſt. ſordidos & illiberales appellare eos, qui cum aut nullas aut exiguas opes à parentibus ſuis acceperint, opere & labore noxio nemini, plurimis uerò utili, uictum quæritant. Præſtaret' ne eos aut fame perire, & conſciſcere ſibi necem: aut furari, latrocinari, & ciuilem tranquillitatem peſsimis facinoribus perturbare? Neque uerò omnibus eæ uel ingenij uel animi uires datæ ſunt, ut ad illuſtres dignitates induſtria ſua perueniant: neque multis talibus locus eſſe poteſt in ciuitatibus. Nam ſi omnes imperarent, quis ſeruiret? Si omnes ſplendido illo ocio fruerētur, quis ad uictum & cultum neceſſaria ſuperbis iſtis ſuppeditaret? Nemo igitur contemnendus: ſed amandus quiſque ſuo loco, & magnifaciendus eſt. qui ſine cuiuſquam iniuria, opere & artificio aliquo, quantumuis humile id uideatur, cùm ipſe ſibi uictum quæritat, tum aliorum commodis inſeruit. Neq; etiam ullus opifex aut operarius tantas ſordes tractat, quantas & potentiſsimi reges, & formoſiſsimæ uirgines per omnem ætatem in ſuis corporibus circumferunt: nec ullum cadauer humano, quamuis regio, magis fœtet. Quo indignius eſt eorum faſtidium, qui opificum quorundam nomen, ſine honoris præfatione, audire non ſuſtinent. Iam ſi ad propiora ueniamus. fieri poteſt ut contempti opificis animus ſit pietate & multis uirtutibus, rectoq; iudicio & moderatione cupiditatum ornatus: cum ſplendidi iſti intercutibus (ut Cato dicere ſolebat) uitijs ſint contaminatiſsimi, corruptiſsimis ingenijs, immenſa auaricia, infinita cupiditate, contemptu Dei & hominum turgidi & inflati. Iam quò animus corpore precioſior eſt, eo etiam ſordes animi quàm corporis ſunt fœdiores. Atque hæc ad contemptum nobilitatis minimè pertinent: ſed nobiles monere debent, ne pedibus conculcent eos, ſine quorum ope & opera nec uiuere nec ſuperbire poſſunt. Nemo enim citra impietatem contemni à quoquam poteſt, niſi ſtultus & improbus. etſi hi quoque commiſeratione quàm inſectatione ſunt digniores: neque quiſquam eſt, quin à Deo deſertus (deſerit autem ſuperbos potiſsimùm) in ſimilem calamitatem poſsit incidere.*

Mercenarios & opifices nō eſſe contemnendos.

Sordes corporum.

Sordes animorum.

Deus ſuperb.. reſiſtit.

Hæc ferè accepimus.) *His uerbis declarat, hæc non tam philoſophica eſſe, quàm recepta uſu. eſtq́ue tacita occupatio contra eas rationes, quas modò expoſuimus.*

CICERO.

Primum improbantur ij quæſtus, qui in odia hominũ incurrunt: ut portitorum, ut fœneratorum.

Inuiſi quæſtus. Vt portitorum.) *Cur non his adiunxit honeſtiſsimum ordinem publicanorum ſuorum? Quanquam quid hi fuerunt, niſi fœneratores, publica muniti autoritate? Noſtra ætate inuiſi ſunt ignaui & rixoſi literati, ocioſi monachi & ſacerdotes, quæſtores principum & exactores, aulici δωροφάγοι, ἅρπυιαι milites: ij deniq; omnes, qui ſuum ocium atq; luxum cum iniurijs & miſerijs aliorum coniunxerunt.*

CICERO.

Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorũ artes emuntur. eſt enim in illis ipſa merces autoramentum ſeruitutis.

Illiberales.) *Dum ſeruitus illa uetus durauit, ingenui ferè genio indulſerunt ocioſi: & omnes labores, omnes operas ſeruis mandarunt. Quod & hodie fieri apud Barbaros fertur. Apud Athenienſes autem qui ſeruos non habebant, αὐτουργοί: θῆτες, mercenarij appellabantur.*

Non quorum artes.) *Operarios, ob ſtuporem & inſcitiã durius tractat: mollius artifices, ob induſtriam & ingenium.*

Ipſa merces autoramentum ſeruitutis.) *Quotuſquiſq; eſt, qui laborũ ſuorum præmium non petat? Si non pecuniam, at honorem, obſeruantiam, obſequium. Hinc Diogenes, reges & principes μεγαλοπτώχους appellabat. Sed hac de re conſulatur exordium orationis Iſocraticæ, quæ Nicocles inſcribitur. Vt autem Euripides quenquam eſſe liberum negat: ſic ego non uideo quenquam, qui non ſit mercenarius. Nam ſanctiſsimi etiam, qui præmia humana deſpiciunt, remunerationem diuinam expectant.*

CICERO.

Sordidi etiam putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim uendant. nihil enim proficiunt, niſi admodũ mentiantur. Nec uerò quicquam eſt turpius uanitate.

Propolæ. Sordidi etiam.) *Vanitas τῶν παλιγκαπήλων probari non poteſt, impoſtura multo minus. Sed tamen hi quoq;, ſi uellent, boni uiri eſſe poſſent: neq; dubito quin aliqui ſint, etſi non multi. Carere uerò his, qualeſcunq; ſint, non poſſumus. Neq; enim magni mercatores, propter unciam zinziberis aut piperis, ſarcinas ſuas aperient.*

Turpius uanitate.) *αἰσχρὸν, inquit Homerus, ἀνεμώλια βάζειν. Neque tamen quicquam in mercatorijs urbibus & aulis uſitatius: adeò ut multi, nulla propoſita mercede, quamuis in ſpeciem honeſti uiri, ſola conſuetudine opinor ducti, apertè mentiri non dubitent.*

CICE-

CICERO.

Opificesq́ omnes in ſordida arte uerſantur. Nec enim quicquam ingenuum habere poteſt officina: minimeq́ artes eæ probandæ, quæ miniſtræ ſunt uoluptatum: cetarij, lanij, coci, fartores, piſcatores, ut ait Terentius. Adde huc, ſi placet, unguentarios, ſaltatores, totumq́ ludum talarium.

Officina.) *An homo ingenuus ſubire officinam nequit? An, ubi ſubierit, mutat ingenium? Paulò durius hoc dictum uidetur, propter magnæ partis opificum degeneres animos, & ex inopia ſeruiles operas. Sed tamen nihil uetat, captiuum etiam leonem eſſe leonem: hoc eſt, in humili quoq; uitæ genere, liberali & recto eſſe ingenio, idq; conſequetur opifex frugalitate & parſimonia, induſtria & ſolertia, in primis autem fide & ueritate.*

Minimeq́ artes probandæ.) *Multæ artes ſunt non tam ad uitæ uſum neceſſariæ, quàm ad luxum & oſtentationem accommodatæ. Sed cum ea ſit hominum multitudo, cui neq; agri ſuppetant, neq; occaſio ſit neceſſarijs artibus alendi ſeſe: ne ſuperuacuæ quidem illæ artes planè improbandæ aut ſuperuacuæ iudicandæ ſunt, præſertim cum uitam elegantiorem, ornatiorem, inſtructioremq́; reddant. Etſi dolendum eſt, eas auariciæ, luxuriæq́; præbere occaſionem. Sed tamen præſtat huiuſmodi artifices aliquid operis facere, quàm ocio torpeſcere, aut aliorum rei familiari uim atq; inſidias parare. Videtur autem ipſa natura uarietatem iſtam & elegantiam artium ſuo exemplo comprobare, & quæ non pauciora delectationi quàm neceſſitati procrearit: nonnulla etiam, quæ ſi non pernicioſa, inutilia certè & ſuperuacanea uideri queant, cum aut uſus nobis occultos habeant, aut ſaltem ad ornatum uniuerſi pertineant.*

Præſtat ſuperuacuas artes exercere, quàm egere, ociari, latrocinari.

Naturæ laſciuia.

CICERO.

Quibus autem artibus aut prudentia maior ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honeſtarum: hæ ſunt ijs, quorũ ordini conueniunt, honeſtæ.

Vt medicinæ.) *Harum artium θεωρία, atq; adeò plerorumq; opificiorũ, nemine indigna eſt, ſi non ad uilem quæſtum, ſed aut ad honeſtam oblectationem, aut ad priuatum publicum'ue uſum ciuitatis referatur. Sed πρᾶξις quæſtuoſa, nobiles & potentes dedecere uidetur: & ad eos tantum pertinere, qui in re tenui nati & educati, obſcuroq́; genere orti, de ſuo uictitare nõ poſſunt. Sic Iſocrates pro inſtitutione artis oratoriæ mercedẽ petere potuit: quod idem Nicocles, quamuis eiuſdẽ artis peritus, dum regno potiretur, ſine magna ignominia facere nõ potuiſſet. Dionyſio iuniori philoſophiæ ſtudiũ ad moderãdũ*

Artium ſcientia digna etiam principibus: exercitatio mercenaria pauperibus non indecora.

animum, & regnum prudentius adminiſtrandum, & ornamento & præſidio eſſe potuit. Sed poſteà, cum regno pulſus Corinthi exularet, etiam mercede literas docere potuit, decoro unà cum fortuna mutato. Etſi omnibus ingenuis animis mercenariæ operæ ſunt moleſtæ. id quod Iſocratis exemplum declarat, qui cum mercedem à diſcipulis oblatam acciperet, cum lachrymis: Nunc me (inquit) his eſſe uenditum uideo. Putabat nimirum, id quod Cicero dixit, ipſam mercedem autoramentum eſſe ſeruitutis: qua & Theologorum & Philoſophorum autoritas apud rude uulgus parum imminuitur. Vnde iocus ille: Beatos eſſe ſacerdotes, qui cantando rem faciant.

Mercenariæ operæ generoſis animis acerbæ.

Doctrina rerum honeſtarum.) *Omnes liberales artes, earumq; procreatricem Philoſophiam intelligo: idq; non quatenus animo excolendo inſeruiunt (de hoc enim quis niſi Barbarus atq; inſanus dubitet?) ſed quatenus ad uictum parandum referuntur. In hoc igitur numero ſunt pædagogi, ludi magiſtri, omnes Academici doctores: atq; etiam extra ſcholas, Theologi, Iuriſconſulti, Medici omnes: in quibus, ut & in opificibus, ipſa merces eſt autoramentum ſeruitutis: inter quos ita ſcilicet excellimus, ut inter reliquos ſeruos atrienſis ille Plauti Sauria, eoq; minus ſuperbiendum nobis erat.*

Docti mercenarij, ſerui atrienſes.

CICERO.

Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt. ſin magna & copioſa, multa undiq; apportans, multiſq; ſine uanitate impertiens: non eſt admodum uituperanda.

Mercatura autem.) *Eſt & hic locus à quodam doctiſſimo uiro reprehenſus, quòd rei quantitas qualitatem non mutet: ut ſi florenus ducentis malis nummis conſtet, eum non fore meliorem uno malo nummo. Sed nihil opus eſt his argutijs, cum Cicero hìc populariter potius quàm philoſophicè loquatur. Fert autem populi conſuetudo, ut res magnas & multas pluris faciat, quàm paruas aut paucas eiuſdem generis. Magnificas ædes & numeroſum exercitum admiramur: humilem caſam quamuis bellè ædificatam, & paucos milites licet ſtrenuos, non item.*

Numerus, & magnitudo multum ualet apud populum.

Multa undiq; apportans.) *Mercaturam his moribus ſummè neceſſariam eſſe, nemo negat: eandemq; iurè laudari poſſe, quiuis cenſet, remotis impoſturis & auaricia. Sed ut omnia uitæ genera, ita Mercatura etiam, uitio malorum hominum contaminatur: & præter fraudes & iniqua precia mercium, illud etiam mali hoc hominum genus importat, quòd patrios mores ſi boni ſunt, peregrinis uitijs ac delicijs corrumpit: ſi mali, deteriores facit.*

Mercaturæ cómoda atque incommoda.

CICERO.

Atq; etiam ſi ſatiata quæſtu, uel contenta potius, ut ſæpe ex alto in portum, ſic ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſioneſq; contulerit: uidetur iure optimo poſſe laudari.

Vel contenta potius.) *Quia cupiditatis ſitis eſt inexplebilis: monet*

Cicero,

Cicero, fugiendam mercatoribus auariciam. Sed illi iacturam ſe facere putant, niſi lucrum faciant: & ita impedita ſua negocia eſſe dicunt, ut explicari non poſſint. Ego uerò facile concedo illis & lucra & pericula, & occupationes perpetuas: cum illi perpetuas meas lucubrationes non impediant. Sicut enim ego lectione & ſcriptione neq; ſatiatus neq; contentus eſſe poſſum: ita illis quæſtus dulcedinem non inuidendam eſſe duco. Conſuetudo enim altera natura eſt.

Conſuetudo altera natura.

CICERO.

Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. De qua, quoniam in Catone maiore ſatis multa diximus: illinc aſſumes, quæ ad hunc locum pertinebunt.

Nihil eſt agricultura melius.) *De ijs agricolis loquitur, qui ſuos agros colunt, eorumq; fructibus aluntur: homines non ſeruili conditione, multiplicíq; tyrannide oppreſſi, ut noſtrates agricolæ: ſed libertate ſua fruentes, nec Reipub. munerum & magiſtratuum expertes. quales ij fuerunt, qui in Catone recenſentur. Vnde & Horatius:*

Agricolæ.

Beatus ille, qui procul negotijs,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore, &c.

Et Virgilius:

O` fortunatos nimium, ſua ſi bona norint, Agricolas, &c.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ QVARTI OFFICIORVM FONtis, ſiue partis Honeſti, in qua uerecundia & quaſi quidam ornatus uitæ, TEMPERANTIA ET MODESTIA, omniſq; ſedatio perturbationum animi & rerum modus cernitur.

¶ *Hoc loco continetur τὸ πρέπον, id eſt decorum, quod cogitatione magis à uirtute poteſt quàm re ſeparari. Nam & quod decet honeſtum eſt, & quod honeſtum eſt decet.*

Diuiſio decori.

Decorum eſt aliud generale, aliud ſpeciale, aliud poeticum.

1. *Decorum generale, quod conſentaneum eſt hominis excellentiæ in eo, in quo natura eius à reliquis animantibus differt. Differt autem; rationis & orationis uſu.*

Diuiſio animi.

Duplex eſt uis animorum atq; naturæ. Vna pars in appetitu poſita eſt, quæ eſt ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione, quæ do-

cet & explanat quid faciendum fugiendum'ue ſit. Ita fit, ut ratio præſit, appetitus uerò obtemperet.

Appetitus moderandus.

Appetitus omnes contrahendi ſedandiq́; ſunt, excitandaq́; eſt animaduerſio & diligentia, ut ne quid temerè ac fortuitu, inconſideratè, negligenterq́; agamus.

Ludus & iocus.

Ludo & ioco uti illis quidem licet, ſed ſicut ſomno & quietibus cæteris: tum quum grauibus ſeriisq́; rebus ſatisfecerimus.

In ipſo ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat.

Diſcrimen hominis & beſtiæ.

Beſtiæ nihil ſentiunt niſi uoluptatem, ad eamq́; feruntur omni impetu. Hominis autem mens diſcendo alitur, & cogitando ſemper aliquid aut inquirit aut agit: uidendiq́; & audiendi delectatione ducitur.

Appetitus uoluptatis & moderandus & occultandus eſt. Victus cultusq́; corporis ad ualetudinem referantur, & ad uires, non ad uoluptatem.

II. *Speciale decorum ita naturæ conſentaneum eſt, ut in eo moderatio & temperantia appareat, cum ſpecie quadam liberali.*

III. *Poeticum decorum eſt, cùm id quod quaq; perſona dignum eſt, & fit, & dicitur.*

Diſcrimen iuſticiæ & decori.

Iuſticiæ partes ſunt, Non uiolare homines: uerecundiæ, non offendere: in quo maximè perſpicitur uis decori.

DIVISIO PERSONARVM QVAE INTELLIguntur è circumſtantijs & prædicamento Relationis. Quæ circumſtantiæ niſi diligenter conſiderentur & obſeruentur, decorum conſtare non poteſt.

¶ 1 *Hominibus uniuerſis perſonam impoſuit ipſa natura, magna cum excellentia præſtantiaq́; animantium reliquorum. hæc non aliud eſt, quàm generale decorum.*

2 *Altera eſt perſona, quæ propriè ſingulis eſt tributa: ut & in corporibus & formis magnæ ſunt diſsimilitudines. Hîc αἱ φυσικαὶ δυνάμεις τε καὶ ἀδυναμίαι, ſiue ἰδιοτροπίαι καὶ ἰδιοσυγκρασίαι continentur.*

Exempla peculiarium perſonarum.

Vel uiribus ad luctandum, uel ad curſum uelocitate ualere: ineſſe formæ aut dignitatem, aut uenuſtatem, &c. Et hæ ſunt ἰδιοτροπίαι, ſiue ἰδιοσυγκρασίαι corporum. In animis autem peculiaria ſunt, neq; communia cum omnibus, multus lepos, ſingularis ſeueritas, multa hilaritas, &c. Innumerabiles deniq; ſunt & aliæ diſsimilitudines naturæ, morumq́;, minimè tamen uituperandorum. Hæ ſunt ἰδιοτροπίαι ſiue ἰδιοσυγκρασίαι animi.

Præceptum.

Ad quas res aptiſſimi erimus, in ijs potiſſimum elaborabimus.

3 *Tertia perſona eſt, quam caſus aliquis uel tempus imponit. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, eaq́; quæ ſunt his contraria, in caſu ſita, temporibus gubernantur.*

Præceptum.

Si quando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenij non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea ſi non optimè, at non indecorè facere poſſimus, &c.

4 *Quarta perſona eſt, quam ipſi nobiſmetipſis iudicio noſtro accommodamus. Itaq́; ſe alij ad philoſophiam, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiam applicant, ipſarumq́; uirtutum in alia alius mauult excellere, &c.*

Exceptio.

I. *Vitia maiorum (ſi paternam gloriam imitari uelis) non ſunt imitanda.*

II. *Si natura non feret, ut quædam imitari poſſis: illa tamen præſtabis, quæ in tua erunt poteſtate: Iuſticiam, Fidem, Liberalitatem, Modeſtiam, Temperantiam.*

Sententiæ & præcepta quædam.

In primis conſtituendum eſt, quos nos & quales eſſe uelimus, & in quo genere uitæ: quæ deliberatio eſt omnium difficilima.

Pubertatis tempus à natura ad deligendum, quam quiſq́; uiam uiuendi ſit ingreſſurus, datum eſt.

Naturæ & Fortunæ comparatio.

Multo Natura & firmior eſt, & conſtantior: ut Fortuna nonnunquam, tanquàm ipſa mortalis, cum immortali Natura pugnare uideatur.

Mutatio uitæ.

Si te erraſſe intellexeris in deligendo genere uitæ: facienda morum inſtitutorumq́; mutatio eſt.

τὰ τῶν προσώπων καθήκοντα. *Officium adoleſcentis, ſenis, magiſtratus, priuati, peregrini, petatur ex ipſo autore.*

Conſtantiæ decus.

Nihil eſt quod tam deceat, quàm in omni re agenda, conſilioq́; capiendo, ſeruare conſtantiam.

Verecundia.

Quæ natura occultauit, eadem omnes qui ſana mente ſunt, remouent ab oculis: ipſiq́; neceſſitati dant operam, ut quàm occultiſſimè pareant, &c.

Nos naturam ſequamur: & ab omni quod abhorret ab ipſa oculorum auriumq́; comprobatione, fugiamus. Status, inceſſus, ſeſſio, accubatio, uultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Quibus in rebus duo ſunt maximè fugienda: ne quid effœminatum aut molle, aut ne quid durum aut ruſticum ſit.

Pulchri-

Pulchritudo & cultus.

Pulchritudinis duo genera ſunt: uenuſtas muliebris, & dignitas uirilis.

A forma remoueatur omnis uiro non dignus ornatus, & huic ſimile uitium in geſtu motuq; caueatur.

In omni genere quæ ſunt recta & ſimplicia, laudantur.

Formæ dignitas coloris bonitate tuenda eſt, color exercitationibus corporis.

Adhibenda eſt mundicia non odioſa, neq; exquiſita nimis: tantumq; fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam.

Veſtitus.

In ueſtitu, ſicut in pleriſq; rebus, mediocritas optima eſt.

Inceſſus.

Cauendum eſt, ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates.

Cogitatio & appetitus.

Curandum eſt, ut cogitatione ad res quàm optimas utamur, appetitum rationi obedientem præbeamus.

Oratio.

Oratio duplex eſt: altera contentionis, altera ſermonis. Contentio diſceptationibus tribuatur iudiciorum, concionum, ſenatus: ſermo in circulis, diſputationibus, congreſsionibus familiarium uerſetur, proſequatur etiam conuiuia.

Vox.

Orationis indicem uocem habemus. In uoce autem duo ſequamur: ut clara ſit, ut ſuauis. Vtrunq; omnino à natura petendum eſt: uerùm alterum exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium, & leniter.

Sonus.

Sonus ſit dulcis, literæ neque expreſſæ neq; oppreſſæ, ne aut obſcurum ſit, aut putidum: ſine contentione uox, nec languens, nec canora.

Sermo.

Sit ſermo lenis, minimeq; pertinax: inſit in eo lepos, &c.

Materia ſermonum.

Habentur plerunq; ſermones aut de domeſticis negocijs, aut de Republica, aut de artium ſtudijs & doctrina, &c.

Modeſtia ſermonis.

Perturbationibus, hoc eſt motibus animi nimijs, rationi non obtemperantibus, ſermo debet uacare, &c.

Obſeruantia hominum.

Maximè curandum eſt, ut eos quibus cum ſermonem conferimus, & uereri & diligere uideamur.

Obiurgatio.

In obiurgationibus utendum eſt fortaſſe & uocis contentione maiore, & uerborum grauitate acriore.

πεϱιαυτολογία.

Deforme eſt, de ſeipſo prædicare, falſa præſertim: & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum.

Domus.

Ornanda eſt dignitas domo, non ex domo dignitas tota quærenda: nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt, &c.

Mediocritas.

Mediocritas ad omnem uſum cultumq; uitæ transferenda eſt.

In actionibus obſeruanda.

In omni actione ſuſcipienda, tria ſunt tenenda. Primùm, ut appetitus rationi pareat: quo nihil eſt ad officia conſeruanda accommodatius. Deinde, ut animaduertatur quanta illa res ſit, quam efficere uelimus: neu maior, ne'ue minor cura & opera ſuſcipiatur, quàm cauſa poſtulet. Tertium eſt, ut caueamus, ut ea quæ pertinent ad liberalitatem, ſpecie & dignitate moderata ſint. Modus autem eſt optimus, decus ipſum tenere, nec progredi longius.

εὐταξία καὶ εὐκαιρία.

εὐταξία, id eſt ordo rerum, ſeu ordinis conſeruatio: & εὐκαιρία, id eſt, opportunitas temporum, ſeu tempus actionis opportunũ, uno, etſi non proprio, Modeſtiæ uocabulo dici poſſunt: quæ eſt ſcientia tum earum rerum quæ agentur aut dicentur, loco ſuo collocandarum: tum opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.

Vis loci & temporis.

Tanta uis eſt & loci & temporis, ut ſi quis, cum cauſam ſit acturus, in itinere aut in ambulatione ipſe ſecum meditetur, aut ſi quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur. At hoc idem ſi in conuiuio faciat, in humanus uideatur, inſcitia temporis.

ἀκρίβεια.

Quæ parua uidentur eſſe delicta, neq; à multis intelligi poſſunt, ab his eſt diligentius etiam declinandum.

Si acres & diligentes iudices eſſe uolumus, animaduerſoresq; uitiorum, magna intelligemus ſæpè ex paruis, &c.

Aliorum iudicia.

Aliorum iudicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda & corrigenda ſunt.

Mos.

Quæ more aguntur, ipſa præcepta ſunt.

Impudentia Cynica.

Cynicorum ratio tota eſt eijcienda. eſt enim inimica uerecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.

κοινόν.

Communem totius generis humani conciliationem & conſociationem colere, tueri, ſeruare debemus.

Quæſtus improbati.

Improbantur ij quæſtus, qui in odia hominum incurrunt: ut portitorum & fœneratorum. Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. eſt enim in his ipſa merces, autoramentum ſeruitutis.

Quæſtus probati.

Quibus artibus aut prudentia maior ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honeſtarum: hæ ſunt his quorum ordini conueniunt, honeſtæ.

Mercatura.

Mercatura, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt: ſin magna & copioſa, multa undiq; apportans, multisq́; ſine uanitate impertiens, non eſt admodum uituperanda.

Agricultura.

Omnium rerū ex quibus aliquid exquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.

CICERO.

Sed ab ijs partibus quæ ſunt honeſtatis, quemaduodū officia ducerentur, ſatis expoſitum uidetur.

Honeſtorum inter ſeſe cōparatio.

Sed ab ijs partibus.) *Initio capiendi conſilij deliberationem in quinq; partes diſtribuit: quærendumq́; eſſe monuit, honeſtum'ne factu ſit, an turpe? Quod ſi honeſtum ſit: nunquid aliud alio poſſit eſſe honeſtius, aut honeſtiſſimum, ſi plura propoſita fuerint. Hæ duæ partes primo libro tractantur. Quarum priore, quæ ſimplicis honeſtatis explicationem continet, abſoluta: nunc alteram aggreditur, paucisq́; præcipit, Iuſticiam & Prudentiæ & Fortitudini eſſe anteponendam, Modeſtiæ uerò nonnunquam certis de cauſis poſt habendam. Et hæc huius partis ſumma eſt. Pauca tamen ad ea declaranda, quibus hæc præceptio confirmatur, ſunt afferenda.*

E' præcipuis capitibus cætera intelligenda.

Satis expoſitum uidetur.) *Scribūtur enim hæc non ſtipitibus & caudicibus: ſed ijs qui ex paucis multa intelligūt, & uiam à perito duce monſtratam alacriter ingrediuntur. Rectè doctores à Socrate obſtetricibus comparantur, diſcipuli prægnantibus mulieribus: quibus partum illæ non inſerunt, ſed maturum adiuuant, ut facilius edatur in lucem. Nam qui mediocrī eſt ingenio, & nonnulla induſtria, è paucis multa, & magna è paruis intelligit.*

CICERO.

Eorum autem ipſorum quæ honeſta ſunt, poteſt incidere ſæpè contentio & comparatio, de duobus honeſtis utrum honeſtius. Qui locus eſt à Panætio prætermiſſus.

Con-

Contentio & comparatio.) *ἀντίθεσις καὶ ἀντεξέτασις hoc loco intelligatur: non φιλονεικία, aut τὸ ὑπερβάλλεσθαι λέγοντα.*|

Vtrum honeſtius.) *Non externus ſplendor hic intelligatur, ut uulgò apud nos ſolet: (ut cum dicimus, nobilem puellam honeſtius nubere Baroni quàm mercatori, ſi cætera paria fuerint) ſed naturale decus honeſtatis conſideretur. Quæ cum ſumma & generali diuiſione in quatuor partes tribuatur, omnino ita inter ſe cohærentes ut membra corporis eiuſdem, calamitoſa omnis eſt optio: non ſecus ac ſi eligere iubearis, dextram ne manum, an ſiniſtrũ oculum malis amittere? Ego uerò utrunq; conſeruatum uelim, modò poſſim. Sed cum non poſſim: expendo ipſe mecum, dextræ ne manus, an ſiniſtri oculi iactura ſit grauior. Talis igitur eſt hæc propemodum, de qua nũc agetur, honeſtorum inter ſeſe comparatio.* Omnis optio res bonas amittendi calamitoſa.

CICERO.

Nam cum omnis honeſtas mãnet à partibus quatuor, quarum una ſit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hæ in deligendo officio ſæpe inter ſe comparentur neceſſe eſt. Placet igitur, aptiora eſſe naturæ officia quæ ex cõmunitate, quam ea quæ ex cognitione ducantur. Idq; hoc argumento cõfirmari poteſt: quòd ſi contigerit ea uita ſapienti, ut omnium rerum affluentibus copijs ditetur, quamuis omnia quæ cognitione digna ſint, ſummo ocio ſecum ipſe conſideret & contempletur: tamen ſi ſolitudo tanta ſit ut hominem uidere non poſſit, excedat è uita.

Placet igitur.) ¶ *Primum præceptum, Iuſticiam præſtare Sapientiæ.*

Quòd ſi contigerit ea uita.) *Prima ratio à fine ſumpta, hoc ferè modo: Societas magis expetitur quàm cognitio: ergo eſt præſtantior. Antecedens καθ' ὑπόθεσιν, id eſt fictione quadam declarat, idq; pro indubitato ponit. Nã etſi anachoretæ & eremitæ turbam fugerunt: tamen in ſolitudine etiam uicinas inter ſe cellulas habuiſſe eos, & nonnunquam hominum conſuetudine uſos eſſe, & probabile eſt, & ex hiſtorijs pleriſq; conſtat. Sententia eſt, natura impelli homines magis ad conſociationem, quàm ad ſolitariam contemplationem. Locum ſimilem ex Lælio huc aſciſcant ſtudioſi, cuius initiũ eſt: Si quid tale poſſet contingere, &c.*

CICERO.

Princepsq; omnium uirtutum eſt illa ſapientia, quam σοφίαν Græci uocant. Prudentiã enim, quàm Greci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligimus, quæ eſt rerum

expetẽdarum fugiendarumq́ʒ ſcientia. Illa autem ſapientia (quam principem dixi) rerum eſt diuinarum & humanarum ſcientia: in qua continetur deorum & hominum communitas, atq; ſocietas inter ipſos. Ea ſi maxima eſt (ut eſt certè) neceſſe eſt quod à communitate ducatur officiũ, id eſſe maximum.

Principsq́ʒ omnium uirtutum.) *Altera ratio à definitione Sapientiæ, orta è Stoica diſciplina, quæ (ut & Plato alicubi facit) habitus intellectus & uolũtatis confundit, & uirtutes διανοητικὰς καὶ πρακτικὰς commiſcet. Nam quem alij bonum uirum, eum ſapientem appellare Stoici maluerunt.*

σοφία. Prudentiam enim.) *Diſtinguit cognatas intellectus uirtutes. Ariſtoteles σοφίαν tribuit rebus æternis, ut Deo, cœlis, angelis, principijs rerum &*

φρόνησις. *ſcientiarum, quæ nullam admittunt mutationem: φρόνησιν uerò rebus caducis, & perpetuæ mutationi obnoxijs, cuiuſmodi ſint infra Lunam omnia. In hac uanitate caducarum rerum & nihil conſtantiæ habentium, omnè ferè mortalium ſtudium, omnis opera conſumitur: pauciſſimi oculos & mentes in cœlum attollunt, originis ſuæ & autoris omnium rerum Dei memores.*

Stoicorum religio. In qua continetur deorum.) *Stoici philoſophorũ omniũ poſt Platonẽ religioſiſſimi fuerũt, diuinæq; prouidẽtiæ in rebus humanis acerrimi defenſores. Statuerunt igitur, Mundum & hanc rerum uniuerſitatem, unam quandã magnam eſſe ciuitatem, in qua dij & homines commutatione quadam officiorum continerentur: ac dij uel parentibus, uel dominis ac magiſtratibus: homines autem uel liberis, uel ſeruis et ciuibus compararentur. Ex ea igitur opinione, & mundi definitione, hæc Sapientiæ definitio promulgata eſt.*

Conſociatio deorum & hominum. Atq́ʒ ſocietas inter ipſos.) *Malo intelligere hominum, quàm deorum ſocietatem: ut Mundus ſit urbs, in qua ſit primum communitas deorum & hominum: deinde hominum etiam mutua ſocietas. Communitas autem deorum & hominum ſic intelligatur. Dei eſt, creare, conſeruare, adiuuare, beare homines: hominum eſt, Deum agnoſcere, adorare, colere, gratias ei agere, præceptis obtemperare. In hac Dei & hominum communitate, niſi hi officio ſuo defuerint (nam Deus quidem ſemper erga nos officio fungitur) humana ſalus & uera felicitas ſita eſt. Sed maxima pars mortalium communitatem hanc*

Defectio ad diabolum. *perfidioſè dirumpit, & cum pernicie ſua ad diabolũm deficit, ingratiſſimum officiorum quæ ei præſtita fuerint, remuneratorem, ac potius crudeliſſimum carnificem & intolerabilem tyrannum.*

Ea ſi maxima eſt.) *Sorite argumentum hoc explicat, hoc ferè modo:*

Sapientia eſt præſtantiſſima uirtus: Sapientia continet ſocietatem:

Ergo & Societas præſtantiſſima eſt uirtutum omnium.

Præſtat ergo ſocietas, ſapientiæ comes, cognitioni, quæ eſt prudentiæ attributa.

CICERO.

Etenim cognitio contemplatioq́ naturæ, manca quodammodo atq; inchoata ſit, ſi nulla actio rerum cōſequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendis maximè cernitur. Pertinet igitur ad ſocietatem generis humani. Ergo hæc cognitioni anteponenda eſt.

Etenim cognitio, contemplatioq́.) *Alteram rationem à definitione ſumptam, alia ratione quæ ad finem referri poteſt, expolit & communit, hoc ferè modo: Finis præſtat ijs quæ ad finem faciunt. Ergo actio cognitioni præſtat. Cognoſcimus enim agendi cauſa, proptereaq́ue homini & mens & ſenſus dati ſunt, ut ſibi utilia cognoſceret, cognita perſequeretur, fugeretue contraria. Quod ſi quis obijciat, contemplationem naturæ rerum ſe ipſa contentam eſſe, nec ad alium referri finem: ſpeciem quidem aliquam habet ea ratio. ſed ſi quis propius conſideret, uidebit, ea contemplatione excitari hominem ad Deum admirandum & colendum: quæ iam actio quædam eſt, & ad curam æternæ ſalutis ſuſcipiendam.* Cognitionis finis eſt actio.

CICERO.

Atq; id optimus quiſq; re ipſa oſtēdit & † indicat. Quis eſt enim tam cupidus in perſpicienda cognoſcendaq́ rerum natura, ut, ſi ei tractanti contemplantiq́ res cognitione digniſsimas, ſubitò ſit allatum periculum, diſcrimenq́ patriæ, cui ſubuenire opitulariq́ poſsit, non illa omnia relinquat atq; abijciat: etiamſi dinumerare ſe ſtellas, aut metiri mundi magnitudinem poſſe arbitretur? Atq; hoc idem in parentis, in amici re aut periculo fecerit. Quibus rebus intelligitur, ſtudijs officijsq; ſcientiæ præponenda eſſe officia iuſticiæ, quæ pertinent ad ‡ hominum utilitatem: qua nihil homini debet eſſet antiquius.

V. L. Iudicat. hominum charitatem.

Atq; id optimus quiſq;.) *Tertia ratio, ab autoritate, ſeu potius facto ipſorum ſapientum, qui actionem contemplationi ſæpè anteponat. Nam quod Archimedis exemplum obijcitur, id uerò eiuſmodi eſt, ut conſtet, eum contemplationem ſuam & delineationes Geometricas ad patriæ defenſionem retuliſſe.*

Dinumerare ſe ſtellas, aut metiri.) *Alterum profeſſus eſt Eudoxus Cnidius, alterum Mathematici perſpectum eſſe affirmant. Etſi enim cuiuſmodi ſint omnes terræ partes, & an & à quibus habitentur ignorant: id tamen cognitionem magnitudinis eius impedire negant. Quid enim? An tu quã-*

ta ſit domus, non uides: tametſi opes in ea reconditas, & ſingula conclauia non perluſtraris?

CICERO.

Atq; illi, quorum ſtudia uitaq; omnis in rerum cognitione uerſata eſt: tamen ab augendis hominum utilitatibus & commodis non receſſerunt. Nã & erudierũt multos, quò meliores ciues, utilioresq; rebus ſuis publicis eſſent: ut Thebanum Epaminondam Lyſis Pythagoræus, Syracuſiũ Dionẽ Plato, multiq; multos: nosq; ipſi, quicquid ad Remp. attulimus (ſi modò aliquid attulimus) à doctoribus atq; doctrina inſtructi & ornati acceſsimus.

Atq; illi quorum ſtudia.) *Abſoluta probatione, correctionem quandam addit: & crimen philoſophis, cum de Iuſticia ageret, à ſe obiectum (accuſauit autem ut ignauos, & humanæ ſocietatis diſertores) nunc ipſe diluit.* Philoſophorũ defenſio. *Etiam philoſophi (inquit) quamuis ignaui uideantur, ſocietatem ciuilem plurimum iuuant. Quomodo? Primum, quia multos, eosque præſtantes uiros docent: deinde, quòd egregios libros conſcribunt, omni poſteritati utiles. Ita & multo plus & diutius proſunt, quàm ij qui gerenda Repub. occupatiſsimi eſſe uidentur. Apparet igitur, Ciceroni eo loco, non tã Platonẽ reprehendere, quàm Romanorũ proceres ab ignauo Epicuriſmo deterrere, propoſitũ fuiſſe.*

Epaminondam Lyſis.) *Veteres principes non aſpernati fuerunt eruditionem, ut in noſtra barbarie plerunque fieri ſolet: ſed eruditionem magno ſibi & adiumento & ornamento eſſe, re ipſa ſunt experti. Miſeros uerò principes, ac ne principes quidem, qui nihil eximium habent præter externum* Doctrina principum. *ſplendorem, & uiolentam potentiam. Itaq; aut tyrannicè graſſantur, aut doctis & ſapientibus uiris non imperant, ſed ipſi parent. Quam autem Principi non modò commoda, ſed etiam neceſſaria ſit doctrina: præter ſcriptos ea de re ueterum commentarios, M. Antonius Natta, nõ Iuriſconſultus magis quàm Philoſophus etiam excellens, iuſto nuper uolumine demonſtrauit. Cæterùm Lyſias orator, cuius orationes adhuc complures extant, alius fuit ab hoc Lyſide, quem eundem fuiſſe quidam falſò putant.*

CICERO.

Neq; ſolũ uiui atq; præſentes, ſtudioſos diſcẽdi erudiunt atq; docent, ſed hoc idem etiam poſt mortem monumentis literarum aſſequuntur. Nec enim locus ullus eſt prætermiſſus ab eis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad diſciplinam Reipublicæ pertineret: ut ocium ſuum ad noſtrum negocium contuliſſe uideantur. Ita illi

ipſi do-

ipſi doctrinæ ſtudijs & ſapientię dediti, ad hominum utilitatem, ſuam prudentiam, intelligentiamq́; potiſsimùm conferunt.

Studioſos diſcendi.) *Q.d per illos nō ſtetit, quo minus prodeſſent omnibus. Si quibus autem nō proſunt, eorum inſcitia atq; ignauia eſt accuſanda.*

Nec enim locus ullus.) *Quod ſi ita eſt, ut certè eſt (id quod uel Platonis & Ariſtotelis ſcripta teſtatur principibus, in primis eruditione eſt opus, ne experientia magiſtra tantum niti cogatur, periculoſa illa quidem & ærumnoſa. Atq; etiam uulgus, ſi & intelligeret, & gratis animis agnoſceret beneficia doctorum: non ita homines ſtudioſos odiſſet, inſectaretur, inutilia terræ pondera eſſe iudicaret. Nam ea etiam quæ nunc moribus & inſtitutis tenentur, doctis pleraq; debentur. Atq; adeò homines illiterati, non planè indocti iudicandi ſunt, quòd præter naturæ uim (quæ in alijs atq; alijs eſt excitatior) multa didicerunt, & quaſi per manus acceperunt à legumlatoribus, à iudicibus, à concionatoribus, à conſuetudine & dictis ſapientum, parentumq́; monitis ſalubribus. Quæ ſi non omnia, at pleraq; à doctis, tanquam riuuli à fontibus promanarunt, illisq; accepta referenda ſunt ut primis autoribus. Itaq; ſi qui ex illiteratis ob ciuilem prudentiam doctos aſpernantur, & ipſi etiam aliquid memorabile in medium afferunt, ijs Sampſonis illud reſponderi poſſet: Niſi uitula noſtra araſſetis, nunquam ænigma hoc ſoluiſſetis. Inepti enim ſunt, & ueritatis ignari, qui in Scholis diſputant omnia, & extra Scholas nihil dignum cognitione percipi: falſa perſuaſione & ſuæ ſcientiæ, & aliorum ignorationis imbuti. Multos enim & præſtās ingenij uis, & uſus rerum peritorumq; hominū conſuetudo, uel ſine literis melius erudiunt, quàm ſcholaſtici doctores in umbra tantū & ocio philoſophati. Qui ſæpe cum in Solem & lucem prodeundum eſt, in meridie lucernam deſiderant, ridiculi magis quàm admirabiles. Ii uerò demum magnam laudem merentur, qui cum naturæ bonitate ſolidam eruditionem, & uſum rerum coniunxerunt.*

Doctorum beneficia uulgus nō agnoſcit.

Illiteratorū prudentiam magna ex parte doctis deberi.

Doctos non è ſolis ſcholis prodire.

Ita illi ipſi doctrinæ ſtudioſi.) *Riſit Peripateticum Phormionē Hannibal, (rectè'ne an ſecus, non diſputo: etſi fortaſſe non deeſt, quod pro Phormione afferri poſſit) Platonē Dionyſius, multi principes & tyranni multos uiros doctos. Quorum præceptis ſi paruiſſent, rectius & felicius imperaſſent. Cicero autē ab ineunte ætate, uſq; ad extremū ferè ſpiritum, in rebus maximis gerendis nō minus quàm illi uerſatus, doctrinæ beneficia, ut gratus diſcipulus, agnoſcit ac prædicat: nec Platonē & Ariſtotelem, tanquā ἀπολιτεύτους, imperitiæ cōdemnat. Verè enim illos iudicaſſe, & ſapiēter præcepiſſe, ipſa re comperit. Eruditi autem noſtra ætate, cum pauperes ferè ſoli ſtudijs literarum incumbant, ipſa inopia magiſtra Reipub. inſeruiunt: exceptis ignauis ſacrificulis, quorum omnis opera cerimonijs quibuſdam conſtat: quæ utinam eam, uim haberent, ut ocioſos & uoluptatibus demerſos homines ad cœlos eueherent.*

Cicero beneficia doctrinæ agnoſcit.

Cerimoniæ.

CICE-

CICERO.

Ob eamq́ʒ etiã cauſam eloqui copioſe, modò prudenter, melius eſt, quàm acutiſsimè ſine eloquentia cogitare: quòd cogitatio in ſe ipſa uertitur, eloquentia uerò cõplectitur eos quibus cum communitate iuncti ſumus.

Eloqui copioſe.) *Vt officia communitatis, ita etiam Eloquẽtia (inquit) communitati tuendæ ſeruiens, mutæ ſapientiæ præſtat: ut intelligatur, principem illam, quam dixit, ſapientiam, non contemplatricem ocioſam intelligi, ſed efficacem & actuoſam. Eſt hæc, ut mihi quidem uidetur, primi argumenti declaratio.*

CICERO.

Atqʒ ut apum examina non fingendorum fauorũ cauſa congregantur, ſed cum congregabilia natura ſint, fingunt fauos: ſic homines, ac multo etiam magis, natura cõgregati, adhibent agendi cogitandiq́ʒ ſolertiam. Itaqʒ niſi ea uirtus quæ conſtat ex hominibus tuendis, id eſt ex ſocietate generis humani, attingat cognitionem rerum, ſoliuaga cognitio & ieiuna uideatur.

Conſociatio nis humanæ cauſæ.

Atqʒ ut apum examina.) *Occupatio quædam eſt, tractata etiam in Lælio, & hic ſimilitudine illuſtrata. Quarta hæc (ſi cui uidetur) ratio numeretur, ſumpta à cauſa efficiente: Sententia eſt, homines non tam neceſsitate & mutui auxilij cauſa, quàm naturæ ipſius impulſu congregatos eſſe. Nos autem utrunq; coniungentes, aſſeramus, & naturæ propenſione, & propter adiumenta uitæ quotidianæ conueniſſe homines. Quem enim non terret ſolitudo? Quem conſpectus hominis in ſolitudine non recreat? Quàm pauci ſine coniuge uiuere poſſunt? Hinc oritur ſoboles, familia conſtituitur: pagi, urbes, regna propagantur, ut initio docuit. Qui locus ex Ariſtotelis politicorum libro primo petitus eſſe uidetur.*

CICERO.

Itemq́ʒ magnitudo animi, remota communitate, coniunctioneq́ʒ humana, feritas ſit quædam & immanitas. Ita fit, ut uincat cognitionis ſtudium conſociatio hominum atqʒ communitas.

Itemq́ʒ magnitudo animi.) ¶ *Alterum præceptum, Iuſticiam etiam Fortitudini præſtare.*

CICERO.

Nec uerum eſt quod dicitur à quibuſdã, propter neceſſitatem

ſitatem uitæ,quod ea quæ Natura deſideraret, conſequi ſine alijs nō poſſemus:idcirco iſtam eſſe cum hominibus communitatem & ſocietatem. Quòd ſi omnia nobis,quę ad uictum cultumq́ pertinent, quaſi uirgula diuina (ut aiunt) ſuppeditarentur: tum optimo quiſq; ingenio, negocijs omnibus omiſsis, totum ſe in cognitione & ſcientia collocaret.

Nec uerum eſt quod dicitur.) *Rationem primam ſuprà poſitam, nūc προκατασκευαστικῶς καὶ ἀνασκευαστικῶς plenius exequitur.*

CICERO.

Non eſt ita. nam & ſolitudinem fugeret, & sociū ſtudij quæreret: tū docere, tū diſcere uellet: tū audire, tū dicere.

Non eſt ita. nam, &c.) *Hactenus ἀντίθεσις producta eſt: hic λύσις incipit. Obſeruetur autem, quòd affirmat Cicero, homines uitæ neceſsitatibus potiſsimum à ſtudijs abſtrahi. Deinde illud etiam, quòd optimo quiſq; ingenio, ſit doctrinæ cupidiſsimus. concedit enim horum utrunque. Illud uerò unū negat: Negocijs omnibus omiſsis, totum ſe in cognitione & ſcientia collocaturum fuiſſe. ut ſententia ſit: præcipuū quidem tum fore Philoſophiæ ſtudium, ſed non ſolum, neq; ſolitarium.* Vitę neceſsitates à ſtudijs abſtrahunt.

Nam & ſolitudinem.) *Non loquitur de Timone μισανθρώπῳ, non de auaris & inuidis Euclionibus (cuiuſmodi ſunt οἱ βιβλιοτάφοι ab Eraſmo dicti, & οἱ ἐθελοκακοῦντες δημοσίᾳ, ne ſcilicet ipſorum uulgetur eruditio: ac potius, ut maior quàm ſit, iſta occultatione appareat) ſed de optimis ingenijs, quæ ſunt eadem κοινωνικώτατα καὶ φιλανθρωπότατα, quæq́; occultæ Muſices, & defoſsi theſauri, & abditæ ſcientiæ nullum eſſe uſum exiſtimant: de ijs deniq;, qui (ut noſtrates ὑπερβολικῶς dicunt) ſoli uel in cœlis eſſe recuſent.* Sociabilia & candida ingenia.

Socium ſtudij.) *Huius rei tanta eſt utilitas, ut uerbis nemo id poſsit aſſequi. εἷς γὰρ ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ. Sed ſtudij, inquit: non nugarum & nequitiæ ſocium, quæ maxima turba eſt ubiq; gentium.* Socius ſtudij.

πολλοί τοι πόσιος καὶ ἐδητύος εἰσὶν ἑταῖροι,
ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι:

Vt ait Theognis. Delectu igitur & magna prudentia eſt opus, ne pro ſocio interturbator ſtudij contingat.

CICERO.

Illud forſitan quærendum ſit: Num hæc communitas, quæ maximè eſt apta naturæ, ſit etiam moderationi modeſtiæq́ ſemper anteponenda? Non placet. Sunt enim quædam partim ita fœda, partim ita flagitioſa, ut ea ne cō ſeruandæ quidem patriæ cauſa ſapiens facturus ſit. Ea

Poſidonius colligit permulta: ſed ita tetra quędam, ita obſcœna, ut dictu quoq; uideantur turpia. Hæc igitur non ſuſcipiet quiſquam Reip. cauſa: ne Reſpub. quidem pro ſe ſuſcipi uolet.

An unus homo toti ciuitati præferendus.

Illud forſitan quærendum.) ¶ *Tertium præceptum, Modeſtiam aliquando communitati, id eſt, utilitati publicæ eſſe anteponendam. Enimuerò ſi turpitudo non tam in facto quàm conſilio cernitur: ſi ſapiens pro Repub. uitam etiam profundere debet: dubitari poßit, an ulla tanta ſit turpitudo, quam conſeruandæ patriæ cauſa, alioqui funditùs perituræ, ſit recuſaturus. Mihi certè quidem Reſpublica unius homuncionis gloriolam incolumitati ſuæ prælatura non uidetur: nec eo nomine male auditura, cum urbe capta plurimi eſſent æquè fœda perpeſſuri, nec illo ipſo fortaßis bono uiro & ſapienti excepto. Datur neceßitati uenia, nec peccatum eſt niſi uoluntarium ſit. Sed de hoc, ſuo quiſque arbitratu ſtatuat. Nos Deum precemur, ne tam duræ optionis unquam incidat neceßitas.*

Vt dictu quoq; uideantur.) *Imitemur & nos Ciceronis uerecũdiam, atq; hæc ignorare, quàm curioſè indagare malimus: ne in Modeſtiam peccemus, cuius hîc excellentia deſcribitur.*

CICERO.

Sed hæc cõmodius ſe res habet, quòd non poteſt accidere tempus, ut interſit Reipublicæ, quicquam illorũ facere ſapientem.

Vt interſit Reipublicæ.) *Atrociſsima utiq; & fœdiſsima quæq; confinxerat Poſidonius, ad auertendam peſtilentiam, aut famem, aut tyrannicam graſſationem. Itaq; Cicero τῆ ἀκ̃διάξει παραμυθίαν ſubiungit, cum tacita reprehenſione ineptiarum Poſidonij.*

Sapientem.) *Q. d. In puerilem ætatem, aut muliebrem ſexum fortaßis iniuriæ iſtæ caderent.*

CICERO.

Quare hoc quidem effectũ ſit: in officijs deligendis id genus officiorũ excellere, quod teneatur hominũ ſocietate. Etenim cognitionem prudentiamq; ſequitur cõſiderata actio. Ita fit, ut agere conſideratè pluris ſit, quàm cogitare prudenter. Atq; hæc quidem hactenus. Patefactus eſt enim locus ipſe, ut non difficile ſit, in exquirendo officio, quid cuiq; ſit præponendum, uidere. In ipſa aũt cõmunitate ſunt gradus officiorũ, ex quibus quid cuiq; præſtet, intelligi poſsit: ut prima Dijs immortalibus, ſecunda patriæ,

triæ,tertia parẽtibus, deinceps gradatim quę reliquis debeantur. Quibus ex rebus breuiter diſputatis intelligi poteſt,nõ ſolum id homines ſolere diſputare, honeſtum'ne an turpe ſit:ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrũ honeſtius. Hic locus à Panætio eſt(ut ſuprà dixi)prætermiſſus. Sed iam ad reliqua pergamus.

Quare hoc quidem.) *Epilogus huius ſecundæ partis, de tuẽda in primis & iuuanda hominum ſocietate. Quod autem de gradibus huius ipſius ſocietatis additur, ſuprà quoq; in loco de Beneficentia traditum eſt: niſi quod hîc Dei quoq; mentio rectè omnino adiungitur, & principatus (ſicuti decet) religioni defertur. Eſt & in quinq; partes diſtributa capiendi conſilij deliberatio. ſatis initio tractata. Quare his omiſſis, unum illud admonebimus, hũc primum librum quaſi fundamentũ eſſe totius doctrinæ morum. cuius ſummã & capita qui intelligẽtia comprehenderint, eos in reliquis non admodũ laboraturos: in quibus eadem quidem, ſed alia ratione tractentur. Vtile autem fuerit, catalogum uirtutum, qui extat apud Ariſtotelẽ, & in alijs Ciceronis operibus, cum huius libri præceptis conferri. In primis autem conſulatur liber ſecundus de Inuentione, ubi agit, quibus ex rebus ius conſtet. Itemq́;, ubi rerum expetendarum genera recenſet. In Partitionibus item oratorijs, hæc eadẽ & diſtinctius & copioſius tractantur.*

Principatus religioni deferendus.

Primum librũ diligentiſsimè cognoſcendum eſſe.

Catalogos uirtutum eſſe conſulendos.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ.

Pars primi libri altera, qua duo uel plura honeſta inter ſe comparantur, hoc modo:

Cõmunitas, hoc eſt Iuſticia, eſt Cognitioni ſeu Prudentiæ & Magnanimitati anteponenda: Verecundia uerò & Modeſtia, nonnunquam ipſi Communitati.

Sententiæ.

Φρόνησις Prudentia, eſt rerum expetendarum fugiendarumq́; ſcientia.

Σοφία Sapientia, princeps omnium uirtutum, rerum eſt diuinarum & humanarum ſcientia, in qua continetur deorum & hominum communitas atq; ſocietas inter ipſos.

Cognitionem Prudentiamq́; ſequitur conſiderata actio.

In ipſa communitate ſunt gradus officiorũ, ex quibus quid cuiq; præſtet, intelligi poſſit: ut prima Dijs immortalibus, ſecũda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur.

Hæc & reliqua ſuis locis antè notata, rudioribus & hebetioribus in primis memoriæ mandanda ſunt, ut etiam ad corrigendos mores fructũ aliquẽ è prælectione huius Operis capiant. Nec enim cognitione uerborum, modorũq́; loquendi contenti eſſe debent (quæ & ipſa magno ſtudio conſectanda ſunt) ſed etiã artificiũ Dialecticũ & Rhetoricũ, hiſtoriæ itẽ atq; exẽpla, ea denique

omnia quæ uel linguam ſermone diſerto, uel pectus cognitione rerum utilium inſtruere queant, obſeruanda ſunt. Qui autem plus ingenio & induſtria ualent, ijs ſequenda eſt autoritas Plinij: & totum hoc de Officijs opus, maximè uerò liber primus, ad uerbum ediſcendum, non ſolicito conatu & puerili, ſed frequenti repetitione & meditatione: qua fit, ut omnia rectius intelligantur: & quæ probè intellecta fuerint, non difficile ſit meminiſſe.

FINIS ANNOTATIONVM ET ἀπομνημονευμάτων *Primi libri de Officijs.*

HIERONYMI VVOLFII OETINGENSIS ANNOTATIONES IN SECUNDUM M. T. Ciceronis Librum de Officijs:

Quo utilitas ab honeſtate promanans, & cum ea coniuncta, explicatur: ut Honeſtas fonti, Utilitas riuo ſeu amni rectè comparetur.

CICERO.

QVemadmodum officia ducerentur ab honeſtate, M. fili, atque ab omni genere uirtutis: ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore. Sequitur, ut hæc officiorum genera perſequar, quæ pertinent ad uitæ cultum, & ad earum rerum quibus utuntur homines facultatem, ad opes, ad copias. In quo tum quæri dixi, quid utile, quid inutile: tum ex utilibus, quid utilius, aut quid maximè utile. De quibus dicere aggrediar, ſi pauca prius de inſtituto ac de iudicio meo dixero.

Adoleſcentibus ſtylum & genus orationis nõ minus eſſe curandũ, quàm aut rerum cognitionem, aut artificiũ dicendi.

Quemadmodum officia.) *Antequam ad ipſius operis explicationem accedam, res ipſa monet, ut de obſeruatione proprij & elegantis ſermonis pueros admoneamus: ne maximæ partis ſtudioſorum exemplo, rebus ipſis aut artificio Dialectico atq; Rhetorico intenti, uerborum & ſtyli curam abijciant: quam negligentiam certiſſima barbaries ita comitatur, ut pro dictione Latina, uernaculæ linguæ idotiſmi uſurpentur. Quod uitium quomodo cauendum ſit, una atq; altera periodo tractanda, ut eandem rationem, aut ſi quam fortè meliorem inuenerint, ſtudioſi in lectione Ciceronis ſequantur, oſtendamus. Quæ*

mus. Quæ quamuis puerilia, cum & neceſſaria & utilia ſint, nec præceptori negligenda ſunt, nec ab alijs contemnenda.

Quemadmodum.) *Id eſt, quo modo, qua ratione, quo pacto.* Puerilis uerborum obſeruatio.

Officia.) *Id eſt, doctrina uirtutis, inſtitutio ad honeſtas actiones, ad honeſtam uitam, ad bonos & ciuiles mores.*

Ducerentur.) *Id eſt, orirentur, deriuarētur, ueluti à fonte promanarēt. Ducere uel duci officia ab honeſtate ſeu honeſto, et ab omni genere uirtutis.* Phraſis.

Ab honeſtate.) *Honeſtas, ſeu honeſtum, Græcè τὸ καλὸν, deducitur ab honore, quo afficiendi ij ſunt qui uirtutem ſequuntur.*

Marce fili.) *Chariſſimus hic Ciceroni filius, quippe unicus, utiq; fuit: ſed epitheton amoris & iucunditatis diſſimulatur. Obſeruetur etiam uocatiui in medio collocatio: quem pueri ferè initio periodi, contra Latini ſermonis conſuetudinem, additis etiam neſcio quibus titulis & officiorum ſuorum pollicitationibus, ponunt.* Collocatio uocatiui atq; epitheta.

Ab honeſtate atq; omni genere.) *Genus & ſpeciem, ſeu totum & partes, ſynonymia quadam coniungit. Virtutes enim ſunt partes honeſtatis. Omnis enim uirtus eſt honeſta ſiue cogitatio, ſiue oratio, ſiue actio: quāquam & cogitationes & orationes actionis genere continentur. Eſt & officium nihil aliud niſi actio uirtutis, & (ut Ariſtoteles appellat) ἐνέργεια κατ' ἀρετήν. Hîc obſeruandum eſt, Ciceronem gaudere ſynonymijs, eandemque rem & ſententiam ſubinde alijs atq; alijs uerbis explicare: ſed ea plerunq; ratione, ut poſteriora prioribus ſint aut clariora, aut grauiora, aut ſonantiora. Hæc obſeruatio cùm ad orationis copiam; tum ad compoſitionem oratoriam facit. Sed in hac parte nemo Ciceronem feliciter imitabitur, niſi optimorū uerborum, quæ idem ferè ualeant, copia inſtructiſſimus. quam facilius non parabit, quàm frequenti & accurata Ciceronis omnium operum lectione, adhibita in omni exemplorum genere, imitationis diligentia.* Synonymiæ Ciceronis.

Omni genere uirtutis.) *Id eſt, omnis generis uirtute, uel uirtutibus, uel, à ſingulis uirtutibus, uel (ut barbarè dicimus) à qualibet uirtute ſeparatim ſiue ſeorſum. Omnis generis, uel omne genus, allerlay: addito alio ſubſtātiuo, ut uarij generis, mancherlay: Græcè, παντοδαπὴ ἀρετή. Hoc enim, tametſi fruſtra ferè hactenus, repetens, ut ait Virgilius, iterumq; iterumq; monebo: & Latina cum Græcis, & Græca cum Latinis, & uernacula cum utriſq;, in repetendis lectionibus, utiliſſimè ad linguarum uim & proprietatem perſpiciendam, coniungi. Quæ perſpicientia proprij ſermonis, plurimū etiam ad cognitionem rerum facit. Nam qui uerborum uim ignorant, facilè (ut ait Ariſtoteles) captiunculis decipiuntur, οἱ γὰρ δυνάμεως τῶν ὀνομάτων ἄπειροι παραλογίζονται.* Latina cum græcis, & hæc cū uernaculis coniungenda.

Satis explicatum.) *Scilicet, eſſe. Diligenter obſeruandum, quando huiuſmodi ellipſes orationem uel ornent, uel obſcurent. Ornant autem, cum particula omiſſa ſit oratio lenior & ſonantior: obſcurant, cum intelligentiam loci difficiliorem faciunt.*

Arbitror.) *Verbum hoc, & eiuſdem ſignificationis alia, ut apud Græcos οἶμαι, δοκῶ, &c. aliàs dubitationem declarant, ſæpius modeſtiæ ſeruiunt: & affirmationis temeritatem excludendo, faciunt ad captandam beneuolentiam, uitandamq; arrogantiæ opinionem odioſam.*

Libro ſuperiore.) *Pro, in libro.*

Superiore.) *Id eſt, priore. Comparantur enim hîc inter ſe tantùm Liber primus & ſecundus, cum totum opus tribus libris conſtet: eoq;, comparatiuo eſt uſus. Notetur Superior & Poſterior: pro quibus ſi non Barbarè, at minus eleganter dicimus, præcedenti libro, & ſequenti.*

Superiore, ſequitur, ut, &c. perſequar.) *Pro, hoc libro ea officia perſequenda mihi ſunt.*

Genera officiorum.) *Id eſt, ea officia: ſicut, Ea librorum genera, idem quod, ij libri.*

Perſequar.) *Id eſt, diligenter explicare ſtudeam, ita, ne quid me prætereat. διεξελθεῖν Græcè. Metaphora ſumpta ab ijs, qui fugientia ſiue animalia ſiue homines aſſequi & capere ſtudent. Multiplex autem & huius & aliorũ uerborũ uſus, quæ ad intelligendũ difficiliora, et nõ ſatis nota ſunt, ab unoquoq; ex Ciceroniãis Obſeruationib. aut Roberti Steph. Theſauro requiratur.*

Officia pertinentia ad uitæ cultum.) *Vitæ cultus, quæ aliàs uita exculta dicitur atq; elegans: cui contraria eſt, agreſtis & inculta uita. Cultus enim non tantũ res neceſſarias, ſed etiã ſuperuacuas quodã modo complectitur.*

Facultas earum rerum quibus utuntur homines.) *Id eſt, Cum ea ſuppetunt, quibus homines commodè carere non poſſunt.*

Ad opes.) *Non tantùm diuitiæ ſignificantur hac uoce, ſed in genere omnia ea quæ hominem potentiorem reddunt atque adiuuant: ut autoritas, amici, clientes, &c.*

Ad copias.) *Copia eſt Græcis εὐπορία: cùm non modò ſatis eſt, ſed etiam ſupereſt. Eadem ſignificatione plurali quoq; numero uſurpatur: etſi de exercitu & numeroſo milite plerunq; dicitur. Obſeruetur copia Ciceronis: 1 uitæ cultus: 2 earum rerum quibus utuntur homines facultas: 3 opes: 4 copiæ. Nos more noſtro diceremus, utilia, ſeu res utiles ac neceſſariæ.*

Ad copias. In quo.) *Pro, in qua re, uel, quibus de rebus cum agitur.*

Tum. Tum. — Tum quæri, &c. tum ex utilibus.) *Nos ſubinde inculcamus, Nõ tantùm, ſed etiam: cum particulæ breuiores, & eãdem uim habeãt, & elegantiã maiorem. Breuiũ enim particularũ repetitio minus eſt moleſta. Sed dubitari poteſt, an prius Tũ, hoc loco ſit aduerbiũ, & ſignificet Superiore libro: alterũ uerò Tũ, pro præterea, uel atq; etiã capiatur. Nã alioqui hæc collocatio magis probaretur,* In quo quæri dixi, tum quid utile, &c.

Quid utile, quid inutile.) *Repetitio elegans.*

Ex utilibus quid utilius.) *Si ſcriptura nõ fallit, Quid pro utrũ capitur. Nã cõparatiui plerũq; de duobus, ſuperlatiui de tribus aut pluribus intelligũtur. Talibus obſeruationibus ſeruiũt Elegantiæ Vallæ, quas pueris in manibus* (Elegantiæ Vallæ.)

eſſe ne-

eſſe uelim Magis enim mihi probatur initio ſtudiorum curioſitas, atq; etiam ſuperſtitio, quàm temeritas & negligentia loquendi ſcribendiq́;.

Ex utilibus quid utilius.) τῶν ὠφελίμων τί ὠφελιμώτερον. *Maluit periphraſi uti, quàm ſimplici genitiuo,* Vtilium quid utilius: *ſicut mox, Quid maximè utile, pro, quid utiliſſimum.*

Dicere aggrediar.) πειράσομαι εἰπεῖν. *Eſt et hæc (ſi Demoſthenis interpretibus credimus) modeſta locutio, conatū potius quàm facultatē perficiēdæ rei ſignificans. Ad talem orationis modeſtiam pueri aſſuefaciendi ſunt: ne, ſi magna quædam profiteantur, alij dicant, aut certè cogitent,*

Quid tanto dignum dabit hic promiſſor hiatu?
Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

De inſtituto.) *ſcilicet tractandæ Philoſophiæ, omiſſa Republica.*

A iudicio.) *Id eſt, cenſura de ſectis philoſophorum, inter quos maximè probauit Academicos: etſi nec à Stoicis nec à Peripateticis abhorrens.*

Quanquam enim libri noſtri.) *Obſeruetur etiam periodorum inæqualitas, quæ faſtidiū leuat. Nā ſi earum omniū par ſit dimenſio, facilè pariūt ſatietatem: ſicut earundem figurarum frequentatio. Quo nomine à Dionyſio Halycarnaſſeo Iſocratis crebræ* παρισώσεις καὶ παρομοιώσεις καὶ ἀντιθέσεις *reprehēdūtur. Sed hæc (ut dixi) puerorū admonēdorū cauſa dicta ſint* παρέργως μὲν, ἀλλ' οὐκ ἀνωφελῶς, ἐμοίγε δοκεῖν. *Nunc ad rem ipſam accedamus.*

Quemadmodum officia ducerentur.) *Tranſitio, qua & ſuperioris Libri ſumma repetitur, & argumētum huius explicatur. Pertinet autem hæc figura ad locum docilitatis.* Tranſitio à verbis ad explicationem rerum.

Quæ pertinēt ad uitæ cultum, &c.) *His rebus pleriq; occupantur, tā ſummi quam infimi: & rectè quidē, ſi nō malis artibus, ſed uirtute ad eas cōtenderēt. Docet hîc Cicero, habendā eſſe rationē utilitatis: ſed eius demū utilitatis, cuius cauſa effectrix ſit ipſa uirtus, nō fraus aut iniuria Hoc diſcrimē boni uiri et mali hominis eſt, quòd alter ſine cuiuſquā fraude et iniuria ſuas opes auget: alter, quo iure quaq; iniuria ſuo cōpēdio ſtudet, cū detrimēto aliorū.* Alter uir bonus, alter improbus ſuis commodis conſulit.

Ad copias.) *Voluptatem ſeu res iucundas nominatim nō exprimit, quòd ea & rerum copiam ſequitur ultrò: & ab ipſa natura ſic ad eam rapimur omnes, ut monitore nihil ſit opus.*

De quibus dicere aggrediar.) ὑπέρθεσις, *ſiue* ἀναβολή. *Res enim ipſa poſtulat, ut ſtatim ratio utilitatis ex uirtute ortæ explicetur. Sed Cicero eam rem paululum differt, & aliquid quaſi per digreſſionem interſerit de ſuo philoſophiæ ſtudio. In quo & Græcos ſcriptores, proœmijs plerūq; uti ſolitos initio librorum, imitatur: et id agit, ut maiore ſtudio doctrina hæc cognoſcatur, maximiq́; fiat. Neq; enim* παραινέσεις *tantū, ſed etiā* παρακλήσεις καὶ προτροπαὶ *ad docēdum adhibendæ ſunt. quarum illæ* τὸ ἡγεμονικὸν *informant: hæ,* τό, τε θυμοειδὲς καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν *excitant, ut non tantùm intelligatur quid ſentiendum agendum'ue ſit, ſed etiam cum id intellectum fuerit, magno ut quiſq; ſtudio id perſequatur, nec niſi uoti compos factus conquieſcat.* Præcepta iudicium formant: adhortationes uoluntatem excitant.

CICE-

CICERO.

Quanquam enim libri noſtri, complures non modò ad legendi, ſed etiam ad ſcribendi ſtudium excitauerunt: tamen interdum uereor, ne quibuſdam bonis uiris philoſophię nomen ſit inuiſum: mirenturq́; in ea tantum me operæ & temporis ponere.

Philoſophiæ non deſunt reprehenſores.

Quanquam enim libri noſtri.) προκατάληψις. *Occurrit enim tacitæ reprehenſioni, quaſi actum, quod aiunt, agere uideatur: iiſdemq́; rebus præter rem inculcandis, tempus fruſtrà terat.* ἀντίθεσις *eſt huiuſmodi: Res pleriſq; probata, cuiuſmodi eſt philoſophiæ ſtudium, defenſione non eget, &c.* λύσις: *Pleriſq; probatum quidem eſt philoſophiæ ſtudium, ſed non omnibus, & quidem uiris nō contemnendis. Habet autem &* ἀντίθεσις *&* λύσις *ſuas amplificatiunculas: ut, legendi, ſcribendi ſtudium, &c. quibuſdam bonis uiris, &c. inuiſum, mirenturq́;. Vbi etiam notandum, diuerſæ conſtructionis uerba eidem iuncta eſſe caſui.*

Modeſta reprehēſio efficacior inſectatione.

Interdum uereor.) *Admirabilis eſt modeſtia Ciceronianæ orationis, in extenuando aduerſariorum errore. Ait, interdum, uereor, quibuſdam, bonis uiris, & reliqua. Quæ omnia cum nihil habeant acerbitatis: æquo animo ab illis ipſis qui reprehenduntur, legi audiriq́; poſſint.*

Nomen incognitæ rei aliquando inuiſum.

Philoſophiæ nomen.) *ſcilicet, incognita ipſa re: cuius ea excellentia eſt, ut à nemine non modò non contemni, ſed etiam nō maximi fieri nō poſſit, niſi ſenſuum & mentis integritate deſtituatur. Odium autem illud uulgi & contemptus inde oritur, quòd quæ res Philoſophia ſit, pleriq; ignorant, eamq́; è parum probatis doctorum moribus æſtimant. Doctos autem, quia de populari opinione loquor, ſine diſcrimine appello, tam eos qui ſunt, quàm qui habentur docti.*

Arrogantiæ opinio. Curioſitas. Ignauia. Incōſtantia. Inuidia. Inſcitia uulgi.

Sit inuiſum.) *Quæramus cauſas, quarū Prima eſſe poteſt arrogātia: quòd philoſophi hominum uulgus, ut & ſapientiæ & uirtutis expers, præ ſe contemnere uidentur, nec tamen ipſi aliquid præclari præſtant. Altera, quòd putantur rebus friuolis, ſuperuacaneis, & captum humanæ mentis excedentibus occupati. Tertia, quòd aut rei familiari & publicæ parum cōſulant: aut, ſi iis etiam inſeruiant, cum profeſſione & inſtituto eorum uita & mores mirabiliter pugnent. Deniq; inuidetur philoſophus, hoc eſt hominibus ſtudioſis & doctis, tranquillum (ut putatur) ocium, & qualiſcunque ſplendor. Ac poſtrema quidem hæc, & ſecunda cauſa, haud ſanè facilè dilui poſſunt. Quis enim unquam rebus ſuis ſecundis uitauit inuidiam? Quis hominibus craſſis, imperitis, ignauis, ab audiendo etiam abhorrentibus, paucis declarare queat, quæ res & quanta ſit Philoſophia? quot & quantas complectatur utilitates?*

Modeſtia & integritas Philoſophorum.

Primam autem & tertiam philoſophiæ candidati facilimè refutabunt, cùm de ſemetipſis & ſuo ſtudio modicè, ac potius intra modum loquendo: tum uerò, ac multo magis, prudenter honeſteq́; uiuendo. Sed & hæc difficilima ſunt

pſeudo-

pſeudophiloſophis. Nam & præſtare ſe cæteris uolunt: & excellentiam illam non in uitæ innocentia morumq; integritate collocarunt, ſed omnem dignitatem ſuam diſputationum ſubtilitate & uarietate cognitionis metiuntur. Quod ut Mathematicis, Phyſicis, Dialecticis ſit concedendum: ita illi ipſi fateantur neceſſe eſt, uerum eruditionis fructum in falſis opinionibus refellendis, in prauis affectibus corrigendis, in moribus ad honeſtatem & decus conformandis eſſe collocatum. Quas res ſi uel negligunt, uel contemnũt: eas utiq; res & negligunt & contemnunt, ſine quibus tueri philoſophorũ nomen nullo modo poſſunt: modeſtis et benè moratis è plebe etiam uiris poſtponendi, ſiue illi naturæ bonitate, ſiue domeſtica diſciplina, ſine literis tales euaſerunt. Debebant tamen plebeij, ſi quid à noſtris peccaretur, eam adhibere diſtinctionem, qua in eludendis conuicijs in opifices & nationes conijci ſolitis utuntur. Si quis enim ob facinus capitali ſupplicio affectus fuerit, non Francum aut Sueuum, ſed latronem: non Bauarum aut Vandalum, nec cerdonem, ſed furem pœnas dediſſe dicunt. Etſi enim medici adulterant, peierant, uenena miſcent: id tamen nec medicina iubente, nec ut medici faciunt, ſed ſceleratæ naturæ & uitioſorum affectuum impulſu.

Pſeudophiloſophos iure eſſe in odio.

Mirenturq;.) *Vocabulum hoc, ut apud Græcos θαυμάζω cum genitiuo, modeſtam reprehenſionem ſignificat: cum profitemur nos probabiles cauſas, cur aliquid ab aliquo fiat aut non fiat, non ſatis perſpicere.*

Tantũ me operę & temporis.) *Putãt enim, ut philoſophandũ ſit, paucis tamẽ eſſe philoſophandũ. Atq; hactenus poſita eſt ἀντίθεσις: Ciceronẽ perperã facere, qui omiſſa Repub. philoſophetur: cũ Libro ſuperiore ipſe docuerit, actionem & cõmunitatẽ cognitioni atq; contemplationi anteponendã eſſe.*

CICERO.

Ego aũt quàm diu Reſpub. per eos regebatur, quibus ſeipſa commiſerat: omnes meas curas cogitationesq; in eam cõferebam. Cum aũt dominatu unius omnia tenerentur, neq; eſſet uſquam conſilio aut autoritati locus, ſocios deniq; tuendæ Reipublicę ſummos uiros amiſiſſem: nec me angorib. dedidi, quib. eſſem cõfectus, niſi his reſtitiſſem, nec rurſum indignis homine docto uoluptatibus.

Ego autem.) *Sequitur ἡ λύσις. ſumpta à diſtinctione temporũ, ſeu tranſlatione culpæ à ſe in tempora. Concedit maiorem: Actionem contemplationi anteponendam eſſe, ſed non ſemper: tum uerò demum, cùm Reipub. prodeſſe poſſis. Quod cum ſibi eo tempore non liceat: præſtare philoſophari, quàm aut fruſtrà nitendo, & ſeſe fatigãdo, nihil niſi odium quærere: aut indulgere ignauiæ & genio. Habemus hic exemplum officij κατὰ περίστασιν καὶ σύγκρισιν. Turpiſsimum enim fuiſſet doctori uirtutis, neglecti officij conuinci. Libro de Diuinatione 2. ſimilis planè locus eſt, quẽ utiliter ſtudioſi cum hoc conferent: tũ ut*

Actioni, perturbato Reipublicæ ſtatui ſi nequeas ſuccurrere, contemplationẽ eſſe anteponendam.

Collatio ſimilium locorum.

Bb copiam

copiam autoris magis perſpiciant, tum ut ſententias eius rectius intelligant. Habet hæc collatio & quaſi ſυμφωνία ſimilium locorum, ſiue rerum illi ſiue uerborum ſint, magnam utilitatem. Nam & commentarij uice ſunt, & mirabiliter confirmant memoriam, & imitationem faciunt multo faciliorẽ.

Omnes meas curas.) *Locus hic ad captandam beneuolentiam præcipuè pertinet, etſi etiam ad attentionem (cognati enim hi duo loci inter ſe ſunt) referri poteſt. Laudat enim ſuum officium ſine arrogantia: & complures, eaſq́; neceſſarias cauſas affert deſertæ Reipublicæ.*

Reſpublica per eos.) *Id eſt, incolumi libertate, cum legitimum eſſet imperium, non uiolentum & tyrannicum: ut fuit ſub Cæſare Dictatore perpetuo, iure & legibus oppreſſis.*

Curas cogitationesq́.) *Significat, id quod boni magiſtratus officium eſt, ſe Reipub. ſalutem & dignitatem tam priuatæ oblectationi Philoſophiæ, quàm rei familiari ſuæ antepoſuiſſe. Id quod Auguſtus etiã Cæſar teſtatus eſt, cum magna parte horum librorum lecta apud nepotem quendam ſuum exclamauit: Eloquens eloquens, fili, fuit hic uir, & amans patriæ.*

Cicero & eloquens & amans patriæ.

Totum hominem literę poſtulant.

In eam conferebam.) *Simile ſtudium pueri ad diſcendas literas & bonas artes afferre debent, & omnes ſuas curas cogitationesq́; in eam rem conferre, quò rectius uiri facti Eccleſiæ & Reipub. inſeruire poſſint.*

Nec me angoribus dedi.) *Trimembrem occupationum partitionem ponit, quæ non ad uniuerſos, ſed ad perſonam clari uiri pertinet: cuiuſmodi Cicero fuit. 1. Reipub. adminiſtrationem: 2. deſperationem: 3. luxuriam. Homini plebeio & pauperi, res ſua familiaris & negociatio ac uitæ genus cõmodum receptum præbuiſſet: etſi ne hæc quidem à Cicerone ſunt neglecta. Sed magni uiri, cum de ſe loquũtur, ea potiſſimùm cõmemorant, quæ habent aliquid dignitatis, res autem uulgares & plebeias diſſimulant: id quod in omnibus Demoſthenis orationibus animaduerti poteſt.*

Magni uiri humilium rerum commemoratione ſuperſedent.

Niſi his reſtitiſſem.) *Quomodo reſiſtitur angoribus? &, Eſt'ne id in hominis ſitum poteſtate? Epictetus hoc affirmat, illud docere conatur, declarat utrũq; Simplicius: è quibus illa petenda ſunt. Qui ut & legi & intelligi facilimè poſſent, nos ſedulò dedimus operã. Sed credo Alaſtorem aliquem tam præclarum opus impedire, & publicæ utilitati & priuatis etiam rationibus meis inuidentem. Inchoatum enim id opus annis abhinc duodecim, pòſt diu intermiſſum, & uix tandem elucubratum, tertium iam annum premit typographus: eò fortaſſis, ut mihi poſthumi naſcantur filioli, & primi conatuum meorũ uelut abortus & immaturi partus hac mora penſentur. Sed his omiſ-*

Ciceronis ſolatia.

1. *ſis, ad Ciceronem redeamus. Is igitur & ipſe pro ſua ſapientia ſatis intellexit,*
2. *nihil præſtandum eſſe ſapienti præter culpam: & fatales rerumpublicarum*
3. *eſſe commutationes non ignorauit. Adhæc, & oculos à conſpectu, & ani-*
mum à cognitione publicarum calamitatum, rura peragrans, quoad potuit,
4. *auertit. His rationibus adiunxit philoſophiæ ſtudiũ, latinis literis illuſtran-*
dæ: quæ occupatio tanta in eo fuit, ut miſeriæ ſuæ (nec enim ita Stoicus fuit,

ut ſe

ut ſe in Phalaridis tauro beatum iudicaret) ſi non prorſus obliuiſceretur, minus crebrò tamen, & non æquè acerbo doloris ſenſu recordaretur. Acceſſerunt etiam (ut ex Epiſtolis eius & alijs ſcriptis apparet) colloquia & conuiuia amicorum, exercitationes item oratoriæ nobilium adoleſcentum, & philoſophicæ diſputationes eruditorum: quæ quidem magis & à ſolitudine & à ſolicitudine abſtrahunt, quàm uel cogitatio tacita, uel opera ſcribendi.

CICERO.

Atq; utinã Reſpublica ſtetiſſet, quo cœperat ſtatu: nec in homines non tam commutandarum quàm euertendarum rerum cupidos incidiſſet.

Atq; utinam Reſpub.) *Expoſita cauſa mutatæ uitæ ſuæ rationis, ſubiungit κατ' ἀντίθεσιν uotum ſeu optationẽ: qua deplorat tyrannidem triumuirorum, M. Antonij, M. Lepidi, & C. Octauij, qui pòſt Auguſtus eſt dictus.* Vno tyranno ſublato, plures extiterunt.

Stetiſſet quo cœperat.) *Id tempus, & eum Reipub. ſtatum intelligo, cum Auguſtus, autoritate Ciceronis potiſſimùm adductus, Senatus autoritatem, ueteranarum legionum præſidio, contra M. Antonij tyrannidem defendendam ſuſcepiſſet. Scripti enim hi libri (ut antè dictum) ſunt, non diu antè Ciceronis interitum, quo tempore ita iſti graſſabantur, ut C. Iulij Cæſaris dominatus exoptandus eſſe uideretur.*

Non tam commutandarum rerum.) *μεταβολὴν τῆς πολιτείας intelligo, cum primùm ἀριστοκρατία per Cæſarem in μοναρχίαν mutata eſt. Deinde cum præſidio Auguſti, poſt interfectum Cæſarẽ, ἀριστοκρατία reſtituenda uideretur: pro uno tyranno tres, qui Triumuiri dicti ſunt, extiterunt. Quorum intemperiæ è Philippicis Ciceronis orationibus, & ijs autoribus qui ciuilia Romanorum bella deſcripſerunt, (cuiuſmodi eſt Appianus, Dion, Plutarchus, & alij) ſunt cognoſcẽdæ. Tandem uerò M. Antonio & Lepido oppreſſis, Auguſtus ſolus rerum potitus, feliciter & clemẽter Romanam Rempub. gubernauit.*

Commutandarum rerum.) *Huiuſmodi commutationes, ut hic minimè eſſe mirandas aut nouas innuit, ita in 2. de Diuinatione, Platonis etiam autoritate probat: Id ipſum, inquit, à Platone philoſophiaq; didiceram, naturales eſſe conuerſiones quaſdam Rerumpublicarum, ut eæ tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à ſingulis.*

Quàm euertendarum.) *Crudelitate ſcilicet in ciues & populos, & luxu atq; profuſionibus, & temeritate adminiſtrationis.*

CICERO.

Primùm enim, ut ſtante Republica facere ſolebamus, in agendo plus, quàm in ſcribẽdo, operæ poneremus. Deinde, ipſis ſcriptis non ea quæ nunc, ſed actiones noſtras mandaremus: ut ſæpè fecimus.

Primùm enim.) *Perſtrinxit tyrannidem Triumuirorum, & Cæſaris:*

per quam Rempub. gerere non potuerit, quamuis uellet. nunc quid facturus fuiſſet, ſi abſq; ea fuiſſet, exponit καθ' ὑπόθεσιν.

In agendo plus.) *τὸ δέον, id eſt officium uiri politici.*

Deinde ipſis ſcriptis.) *Cicero, & ante eũ Demoſthenes, ὁ μήτε γεγραμμένα μήτ' ἄγραφα παντελῶς λέγειν εἰωθώς, ſi quam grauiorem cauſam egerunt, eam per ocium literis mandatam in publicum ediderunt: eâdem ferè ratione, qua hodie ea quæ in Scholis dictantur, imprimi ſolent, & omnibus cõmunicari. Atq; etiam noſtra ætate ἀντίπαλοι λόγοι μεγιστάνων τινῶν μαχιμώτατοι uulgò leguntur.*

Actiones noſtras.) *Non tam res geſtæ intelligendæ ſunt, (quanquam eas quoq; deſcripſit in libris de Conſulatu, atq; Temporibus ſuis) quàm orationes ſiue in Senatu, ſiue in foro, ſiue pro concione habitæ: ut è uerbis, quæ ſtatim ſubijciuntur, intelligi poteſt.*

CICERO.

Cum autem Reſpublica (in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat) nulla eſſet omnino: illæ ſcilicet literæ conticuerunt, Forenſes & Senatoriæ.

Cum autem Reſpub.) *τὸ γινόμενον, id eſt euentus uoto contrarius.*

In qua omnis mea cura.) *Subinde inculcat ſuum patriæ amorem, conciliandæ beneuolentiæ gratia.*

CICERO.

Nihil autem agere cum animus non poſſet, in his ſtudijs ab initio uerſatus ætatis; exiſtimaui honeſtiſsimè moleſtias poſſe deponi, ſi me ad philoſophiam retuliſſem.

Excruciari. Luxuriari. philoſophari.

Nihil autem agere.) *Republica oppreſſa, reliquum fuiſſe dixit, aut ut angoribus conficeretur, aut uoluptatibus ſe dederet, (ut fecit Lucullus, quem ideò Xerxem togatum dixerunt) & ijs quidem homine docto indignis. Hæc duo reijcit & improbat: neutrum enim uirum ſapientem decet. Reſtat igitur tertium, ut philoſophetur. Vide 2. de Diuinatione, locum huic ſimilem.*

Homini docto uiuere eſt cogitare.

Nihil autem agere.) *Agitatio mentis, ut libro ſuperiore dixit, nũquam acquieſcit, ne in ſomnis quidem. Prudentiæ igitur fuerit, eum aſſuefacere ad rerum optimarum cogitationem, de quibus ſuprà dictum eſt: & uoluptates, quæ dignæ ſint homine docto: cui (ut alibi noſter autor ait) uiuere, cogitare eſt. Meditemur igitur, ſcribamus, legamus, audiamus ea per quæ animus uirtute, ingenium ſapientia, lingua eloquentia excolatur & adornetur. Homine docto indignæ uoluptates ſunt comeſſationum, aleæ, libidinum, uenationum, ſpectaculorum leuium, & ſi qua ſunt id genus alia. non quin & horum nonnullis interdum uti liceat: ſed quòd uitioſum eſt, huiuſmodi nugis multum temporis perdere, quod parciſſimè diſpenſandum, & in res optimas conferendum erat.*

Indignæ homine docto uoluptates.

In ijs

In ijs ſtudijs.) *Scilicet, e eadæ Reipub. & actionum noſtrarum, quas literis mandabamus. Poteſt tamen etiam philoſophiæ & literarum ſtudium intelligi.*

Ab initio ætatis.) *Alludit ad illud, quo conſuetudo altera natura dicitur: quæ quidem firmior eſſe ſolet, ſi ab ineunte ætate inchoetur. Rectè igitur monuit Pythagoras, uitæ rationem optimam eſſe deligendam. Fore enim, ut ipſa conſuetudine iucundiſsima reddatur. Laudantur à Græcis οἱ παιδομαθεῖς: contraque οἱ ὀψιμαθεῖς ita contemnuntur, ut id nomen non tam intempeſtiuum ſtudium, quàm ingenij ſtuporem atq; inſcitiam complecti uideatur.* Adeò à teneris aſſueſcere multum eſt.

Verſatus.) *Magnam ἔμφασιν habet hoc uerbum, & diligentiæ aſsiduitatem ac temporis diuturnitatem includit. Pauci uerſantur in literis, hoc eſt, nihil intentatum relinquunt, quò ſolidam eruditionem ſibi pariant. plerique uix extremo digito diſciplinas attingunt, omnes moleſtias, omnes labores diſcendi fugientes, & amœnitates tantùm ſtudiorum (ut ait Seneca) conſectantes.* Verſari in literis.

Exiſtimaui honeſtiſsimè.) *Quartum membrum propoſitæ ſiue diſtributionis, ſiue enumerationis tractat, & probat, hoc ferè modo: Oppreſſa Republica, 1. nec inanis labor capiendus eſt: 2. nec animus inani ſolicitudine excruciandus: 3. nec ocio & luxui uacandum: 4. ergo philoſophandum, ut tamen aliquid honeſtum & utile ſimulq; iucundum tractetur. Cur non, ut Cato, necem ſibi cõſciuerit, Libro ſuperiore docuit: cur alias occupationes & uitæ genera non recenſuerit, iam explicauimus.* Cur prætermiſſa αὐτοχειρία [illegible]

Si me ad philoſophiam retuliſſem.) *Suo igitur exemplo probat eſſe uerum, quod in oratione pro Archia ſcripſit: Hæc ſtudia adoleſcentiã * agere, ſenectutem oblectare, ſecundas res ornare, aduerſis perfugium ac ſolatium præbere, delectare domi, non impedire foris, pernoctare nobiſcum, peregrinari, ruſticari.* Multiplex literarum cõmoditas. * alere, uel augere.

CICERO.

Cui cùm multum adoleſcens diſcendi cauſa temporis tribuiſſem: poſteaquam honoribus inſeruire cœpi, meq; totum Reipublicæ tradidi, tantum erat philoſophiæ loci, quantũ ſuperfuerat amicorum & Reipublicæ † temporis.

V. L. temporibus.

Cui cùm multum adoleſcens.) *Pergit in commemoratione anteactæ uitæ ſuæ, cùm captandæ, ut dixi, beneuolentiæ cauſa: tum, ad refutandum crimen ſuperuacaneæ occupationis. Eſt autem imitatione dignum exemplum Ciceronis, qui adoleſcentiam diſcendis optimis artibus & philoſophiæ impendit: quarum cognitione & uir factus, in gerendis rebus plurimùm & adiutus & ornatus eſt: & in afflicta Reipub. temporibus ſenectute, luctuq; domeſtico mirificè recreatus.*

Cui cum,&c.tantum erat philoſophiæ loci.) *Pro,tantum illi: Antecedens pro relatiuo,Hebraico more.*

Ambitio Romanorũ.

Honoribus inſeruire.) *Abundè notum eſt,apud Romanos non ita, ut apud nos,ultrò cuiquam deferri ſolitos magiſtratus:ſed fuiſſe ambiendos, & ſuffragijs ac fauore populi Romani quaſi emẽdicandos. Rationem autẽ huius rei qui cognitam cupit,legat Q.Ciceronis libellum de Petitione conſulatus,& Nicolaum Cruchium de Comitijs Romanorum.*

Laus Magiſtratus, & Studioſi.

Totum Reipub.tradidi.) *Egregia commendatio boni magiſtratus,qui oblitus commodorum ſuorum,tantum Reipub. conſultum uult. Quòd ſi adoleſcentes ſe totos ſtudijs traderẽt,atq; in ijs omnis eorum cura,cogitatio, opera poni ſoleret:multo maior bonorum & doctorum uirorum eſſet prouentus. Nunc dum quaſi obiter, & leui(quòd aiunt)brachio pleriq; philoſophantur,*

Paulatim relabi nos ad barbariem.

alijs rebus magis intenti:non mirum eſt, ſtudia literarum paulatim ad priſtinam barbariem relabi. Quod ne fiat,pro uirili doctis ludimagiſtris eſt elaborandum,cùm ad purum & elegantem ſermonem aſſuefaciẽdo, tum bonis artibus tradendis, tum ad diligentiæ aſsiduitatem ſolidæq; doctrinæ ſtudium ſæpe cohortando.

Tantum erat philoſophiæ loci.) *Ciceroni adoleſcenti ἔργον fuit philoſophia,reliqua omnia πάρεργα:adulto & uiro,Reipub.& amicorum tempora, id eſt neceſsitates atq; utilitates ἔργον fuerunt, philoſophia πάρεργον: ſeni,pulſo regni forenſis gloria, & curia quaſi excluſo, rurſus ἔργον eſſe cœpit.*

Ratio ſtudiorum commutabilis.

Sic una cum ætate ſtudiorum etiam ratio commutatur: multiq; fruſtrà deplorant, ſe adoleſcentiam, cum diſcendi eſſet occaſio, nequiter perdidiſſe: matura autem ætate atq; ingraueſcente, neq; facultatem (minuitur enim ingenij uigor,langueſcit induſtria,memoria hebetatur,deſtituunt etiã uires corporis),neq; ocium habere.

Adoleſcentiã neglectæ philoſophiæ ſerò pœnitet.

Vt enim eos qui in magiſtratibus ſunt, taceamus: quot curis,moleſtijs, negocijs, bonus paterfamilias implicatur atq; diſtrahitur? Adoleſcentes autem his impedimentis ferè omnibus, aut certè maxima ex parte carent.

Reipub.temporibus.) *Sic rectius legi uidetur,quàm temporis: alioqui ſubintelligendum erit* negocijs,*ut ſit conſtructio: Tantum loci erat philoſophiæ,quantum temporis ſuperfuerat negocijs Reipub. & amicorum.*

Ciceronis frugalitas & lucubrationes.

Solitus autem fuit Cicero & frugaliſsimè cœnare, & in multã noctem lucubrare,ne uel amicorum & Reipublicæ negocijs deeſſet, uel omni literarum delectatione careret:exemplo imitatione digniſsimo.

CICERO.

Id autem omne conſumebatur in legendo , ſcribendi ocium non erat.

Lectio ſine intellectu inutilis.

Conſumebatur in legendo.) *Multa legere,homini ſtudioſo & in bonis artibus linguarũq; cognitione mediocriter uerſato,& facilimũ,& iucũ-diſsimum*

diſsimum eſt. Qui autem nec proprietatem ſermonis ſatis intelligunt, nec omnium bonarum artium ſummam quandam tenent, (extant autem multi præclari libelli in hoc genere) hi negligere potius, ut ille ait, quàm legere uidentur, cum ea legunt quæ non intelligunt. In magno igitur errore uerſantur ij, qui liberos ſuos, uix deguſtatis Latinæ linguæ initijs, ad alia negocia traducunt. Quis enim Latinarum literarum uſus illis eſſe poteſt, quas nec emendatè ſcribere, nec intelligere ſatis poſſunt? Fucus iſte inanis eſt, ipſis pueris inutilis, ad decipiendum uulgus non ſanè incommodus, ſed eruditis ridiculus & inuiſus.

Filij ante cōparatum habitum à literis non abducendi.

Scribendi ocium.) *Non ſine cauſa exclamat Horatius:*

Scribimus indocti doctiq́; poemata paſsim:
Occupet extremum ſcabies, mihi turpe relinqui eſt.

Hoc ſcribendi cacoethes ita inualuit noſtra ætate, ut optandum ſit, multis deeſſe ſcribendi ocium. Pauci enim ſunt ſolidè docti, pauci elegantia ſtyli ualent, ac temerario conatu hinc inde ineptos & nugaces, aut certè ſuperuacaneos libellos conſarcinant: cum à ueteribus eadem argumenta doctius, copioſius, ornatius tractata ſint, in quibus explicandis & declarandis utilior opera poneretur.

Scribendi ocium.) *O` te ſtupidum & tardū Cicero, quamuis una nocte 500 ſcribere uerſus ſolitus eſſe dicaris. Nos quantū te doctrina & ingenijs uincimus, qui pede ſtantes in uno librum conficimus, præloq́; ſubijcimus? Sed qualem librum? Qui eodem die & naſcatur, & moriatur: aut certè plus turbarum excitet, quàm fructus afferat. Rectè Germani ab exteris nationibus reprehendimur, cùm ob πολυπραγμοσύνην, quòd artium & occupationum uarietate diſtrahamus ingenia: tum propter ταχυγραφίαν, id eſt præcocem & impolitam librorum editionem. A` quo crimine utinam ego me uindicare poſſem. Pro uolauimus enim & ipſi penè implumes adhuc, pēnis certè quidem nondum firmatis, in publicum. ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Atq; utinam uel nunc rectius ſaperemus. Sed hoc fata uiderint. Vt enim ipſi, quæ facta ſunt, infecta facere non poſsumus: ſic etiam atq; etiam uigilandum eſt ijs qui res ſacras tractant, ut non niſi per ocium, hoc eſt meditati, & ad dicendum ueniant, & ad ſcribendum, & ſingula uerba aurificis (quod aiunt) ſtatera expendant. In iſto enim literarum genere tanto licentia iſta & temeritas eſt grauior, quanto minus ibi peccare tutum.*

CICERO.

Maximis igitur in malis, † hoc tamen boni aſſecuti uidemur, ut ea literis mandaremus, quæ nec ſatis erant nota noſtris, & erant cognitione dignisſima.

V. I. *Hoc tantum boni.*

Maximis igitur in malis.) *Quid enim acerbius accidere poteſt uiro claro, honorato, & patriæ amanti, quàm interitus Reipublicæ? hoc eſt, quàm op-*

quàm oppreſſio libertatis, & honeſtæ diſciplinæ? quàm tyrannicæ graſſationes?

παθητικὰ μετὰ παραμυθίας.

Hoc tamen boni.) *τῇ παθοποιίᾳ ſubiungit παραμυθίαν, τῶν συνοικείωσιν. Mala fuit euerſio Reipublicæ: uiciſſimq́; bona & utilis, philoſophiæ illuſtratio. Nec ſine cauſa ſtudioſi homines optarẽt, (ſi quid uotis proficeretur) Ciceronem aut maturius receſſiſſe à Repub. aut eidem diutius fuiſſe ſuperſtitem. Sed hoc magis dolendum eſt, quòd præclara eius nõnulla ſcripta amiſimus: ut Hortenſium, Sex libros de Republica, Quatuor libros Academicarũ quæſtionum, Libros de Conſulatu ſuo, de Gloria, De Conſolatione, Laudationem Catonis, λειμῶνα, Conuerſas orationes Aeſchinis & Demoſthenis contrarias, Oeconomicũ Xenophontis, Orationes complures, Tres libros de tẽporibus ſuis uerſibus ſcriptos: & alia fortaſſe plura, quæ nos ignoramus. Sed ea quæ ſuperſunt opera tanto ſtudioſius nobis legenda & conſeruanda ſunt: ne eorum ſimus ſimiles, qui aut amiſſos aut latentes 150 Liuianos libros, qui integrum Diodorum, Dionem, Ariſtotelem, & alios præclaros ſcriptores uehementer deſiderant atq́; exoptant, nec tamen reliquias eorũ operum legunt.*

Iactura Ciceronianorum operum.

Excerpenda bona è malis.

Hoc tamen boni.) *Epictetus ait, Quamq́; rem duas habere anſas: alteram expeditam & facilem, alteram moleſtam & auerſandam. Quod ita intelligendum eſt, ut Poeta ait,*

Omnis commoditas ſua fert incommoda ſecum:

& contrà. Qui igitur commoda amplectuntur, incommodis diſſimulatis: hi ueram anſam apprehendunt, & ſuauiter uiuunt. Qui autem incommoda exaggerant, diſſimulatis commoditatibus: hi moleſtam anſam apprehendunt, & ſemper habent quod doleant. Huius doctrinæ egregium exemplum extat in Epigrammatibus Græcis, ubi à Poſidippo & Metrodoro uitæ humanæ cõmoda & incommoda deſcribuntur, cum amplificatione atq́; extenuatione.

Nec ſatis erant nota.) *Idem copioſius 1. Tuſc. dicit: Philoſophia iacuit uſq́; ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum Latinarum. Pauci nimirum ex Romanis uel in Græciam proficiſcebantur diſcendi cauſa, uel domi alebant philoſophos: ſicut & apud nos (ſi docti uel ex nobilibus & patricijs, cum indoctorum multitudine conferantur) pauci Græcas aut Latinas literas callent: & quæ ſcripta Ciceronis uernaculo ſermone reddita ſunt, parum habent elegantiæ, ne dicam in ſententijs etiam ſæpè eſſe aberratum. Quòd ſi nobis aliquis contingeret, qui philoſophiam Germanicis literis illuſtraret, ut apud Latinos Cicero fecit: fortaſſis cultiores fierent mores, & politior oratio noſtrorum hominum. Sed hoc eò fuerit difficilius, quòd noſtra lingua & dialectos habet penè infinitas, & nullos ferè probatos autores, nec Lexica è quibus uarius & elegans uerborũ uſus requiri poſſit. Huc illud accedit, quòd ſingulis ferè annis dicendi mutamus genus. Cicerone igitur nobis eſt opus, hoc eſt, homine prouidentiæ dono ad hanc rem nato atq́; facto: nec Græcis tantũ & Latinis literis, atq́; omni diſciplinarum genere erudito, ſed in palatijs etiã Regum & Principum uerſato, & in uernaculi ſermonis & ſcriptionibus &*

Germani Ciceronem nõ habent.

Difficultates.

Remedia.

oratio-

orationibus diu multumq́; exercitato: quiq́; ad haſce facultates & ocio abundet, & iuuandæ patriæ cupiditate ſit inflammatus.

Erant cognitione digniſsima) *Superiora potiſsimùm ad locum beneuolentiæ referenda ſunt: hic autem captatur attentio ab honeſtate, utilitate, & iucunditate rei, hoc eſt philoſophiæ, quæ à Cicerone tractatur, cuiusq́; laudes breuiter illæ quidem, ſed pereruditè & magna cum ui deſcribuntur.*

CICERO.

Quid eſt enim per deos optabilius ſapiẽtia? quid præſtantius? quid homini melius? quid homine dignius?

Quid eſt enim per deos.) *Propoſitio eſt, Philoſophiam eſſe rem præſtantiſſimam, eoq́; ſummo ſtudio dignam: amplificata primùm congerie ſeu ſynonymia. Deinde obteſtatione, tum interrogatione. Longè acrior ſententia eſt, quàm ſi ſimpliciter dixiſſet: Nihil eſt philoſophia præſtantius. Quare eius ſtudioſi non ſunt uituperandi.*

Optabilius ſapientia.) *Nihil utiq́;, ſi mentem precipuam eſſe hominis partem conſtat, eaq́; diſtingui hominem à cæteris animantibus. Sapientia autem eſt perfectio, & quaſi ſanitas mentis: ſicut uiſio, ſeu uidendi uis, perfectio & ſanitas oculi eſt. Propoſitio ipſa eſt ἀυτόπιστος, ac probatione non eget: declaratione autem eget apud imperitos, qui proſperam ualetudinem, diuitias, honores, uoluptates, ſapientiæ anteponunt.* Vulgus multa magis optat quàm ſapientiam.

Optabilius.) *Monet ergò, à Deo petendam eſſe ſapientiam, ut fecit Salomon, & D. Iacobus faciendum eſſe monet. Sic & Satyricus:* Sapientia petenda à Deo.

Orandum eſt (inquit) ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Cuius utriuſq́; partis curationem philoſophia (niſi fortè ab ea medicinam excludimus) ſuſcipit. Illud dubitari poteſt, an felicitas ſit optabilior ſapientia? Imò ne dubitari quidem. Sicut enim Felicitatem in Sapientia ſitam eſſe.

Iuſtìcia in ſeſe uirtutem continet omnem:

Ita & felicitas bona omnia complectitur. Sed tamẽ magna felicitatis pars poſita eſt in Sapientia, ac tota potius felicitas, autore Seruatore ipſo, qui hanc ait eſſe uitam æternam, id eſt felicitatem, ut patrem cognoſcamus uerum Deum, & quem is miſerit IESVM CHRISTVM. *Quod cum ita ſit, nihil magis in uotis habere debemus, quàm ut eius cognitionis participes reddamur: & maior pars Dominicæ precationis ad agnitionem Dei, hoc eſt ad ueram ſapientiã impetrandã refertur.* ἀλλὰ ταῦτα μὲν θεολόγως μᾶλλον, ἢ φιλοσόφως· τοῦτ᾽ ἐστι, φιλαληθῶς μᾶλλον, καὶ εὐσεβῶς, ἢ ἀλαζονικῶς τε καὶ κενοδόξως.

Quid præſtantius.) *Nihil utiq́;, cum eius ſubiectum ſit mens: hoc eſt, imago Dei, & radius quidam diuinæ lucis. Quanto igitur res diuinæ atq́; æternæ rebus terrenis & caducis præſtant: tantum Sapientia præſtat proſperæ ualetudini, diuitijs, honoribus, uoluptatibus: etſi ipſa Sapientia nihil iucundius eſſe poteſt. Eademq́; & diuitias, quibus natura eget, parare, & ualetudinem inprimis conſeruare poteſt. Honores autem, uulgares iſtos, pro nihilo ducit:* Sapientia rerum omnium præſtantiſſima.

contenta conſcientia ſua, & approbatione diuina.

Nihil magis ſalutare ſapientia.

Quid homini melius.) *Nihil utiq;. Conſeruat enim hominem, & ut uerè homo ſit facit. Nam inter amentem hominem et pecudem, nihil intereſt, præter figuram corporis.*

Nullum ornamentum illuſtrius ſapientia.

Quid homine dignius.) *Nihil utique magis ornat hominem, ut ſine qua ne homo quidem ſit futurus. Omnis enim excellentia hominis, in mente & ſapientia poſita eſt. Nam magnitudine, uiribus, celeritate, acrimonia & uigore ſenſuum, cæteriſq; corporum dotibus à multis brutis animalibus ſuperamur. Summum igitur ornamentum hominis in Sapientia poſitum eſt: & is iure meritoq; uir ornatiſſimus dicitur, qui ſapientia cæteris antecellit. Neque uerò ſapientiæ comes Virtus excluditur. Nam ne ſapientia quidem eſſet, ſi uirtutis nullam rationem haberet. Idemq; ſentiendum eſt et de Eloquentia, quæ nihil aliud eſt niſi ornatè & copioſe loquens ſapientia.*

Virtus & eloquentia coniunctæ cum ſapientia.

CICERO.

Hanc igitur qui expetunt, philoſophi nominantur: neque quicquam aliud eſt philoſophia, ſi interpretari uelis, quàm ſtudium ſapientiæ.

Hanc igitur qui expetunt.) *Suprà dixit, uereri ſe, ne philoſophiæ nomen quibuſdam ſit inuiſum: quod nihil aliud eſt, quàm ne philoſophi ſint inuiſi: ex ratione coniugatorum. Innuit igitur, odiſſe illos quidem philoſophorum et philoſophiæ nomen: ſed quid eo ſignificetur, non intelligere. Alioqui enim multo magis admiraturos & amaturos eſſe, quàm oſuros & uituperaturos. Facit itaq; Cicero id, quod bono & ſapienti uiro dignum eſt: errantes & ignorantes non tam obiurgat & inſectatur, quàm monet & docet, erroremq; illis & falſam opinionem eripere ſtudet.*

Humanius eſt docere, quàm obiurgare.

Qui expetunt.) *Emphaſis uerbi notetur, ſtudium uehemens complectentis, non uota inania & ignaua. Quis enim eſt, qui (ſana modò mente ſit) non & ſtulticiæ probrum moleſtè ferat, & ſapientiæ laudem concupiſcat? Sed uoluptates negligere, auariciã & ambitionem relinquere, moleſtias & labores capere, & ſumptus facere nolunt.*

Pauci ſapientiæ ſtudioſi: plures uoluptatê, opum, honorum.

Philoſophi nominantur.) *Hæc definitiò perpetuò ſtudioſis in conſpectu ſit: Philoſophus eſt, qui expetit ſapientiam. Non dicit, qui ſimulat ſe expetere ſapientiam, & interim ſpecioſo illo titulo alia uenatur: ut diuitias, honores, uoluptates: id quod prætextu religionis etiam & ſæpè, & à multis fit. Plato diſputat, multos qui philoſophorum nomen ſibi arrogent, non eſſe φιλοσόφους, ſed φιληδόνους, φιλοχρημάτους, φιλοσωμάτους, φιλοδόξους, φιλάρχους. Sicut autem in religione nihil odioſius eſt ὑποκρίσει, ita nec in philoſophia quicquam tetrius Sophiſtica: cum, neglecto ueritatis & uirtutis ſtudio, ea tantum quæruntur, quæ uulgus & bonis & malis artibus comparare ſtudet. Hi ψευδοφιλόσοφοι, nomen philoſophiæ inuiſum reddiderunt:*

Hypocritæ & Sophiſtæ inuiſi.

id quod

id quod & ſacerdotibus & monachis accidit. Vulgus enim inter bonos & malos, inter doctos & indoctos, inter ſimulatores & uerè ſtudioſos bonarum rerum, diſcrimen nullum ſolet conſtituere: ſed uitia primùm hominum rerumq; acutius quàm uirtutes cernere: deinde eâdem (quod aiunt) decempeda metiri omnes eiuſdem profeßionis homines: perperam utique. Vt enim uinum per ſe bonum, abuſu ebrioſorum malum fieri uidetur: ita etiam philoſophia, iuſta reprehenſione caret, quamuis eam falſò iactitent homines indocti & improbi, & quiduis amantes & curantes potius quàm ſapientiam.

Temeraria uulgi iudicia.

Nec quicquam aliud eſt.) *Etymologia, ſeu explicatio Græcæ uocis, quam definitioni rei præmittit. Fuerunt enim fortaßis ea ætate Romæ quoque uecordes homines, qui philoſophiam & ſtulticiam aut impoſturam idem declarare putarent: ſicut apud nos non deſunt, qui facetos ſe uideri ac feſtiuos cenſeant, ſi hominem fatuum, Doctorem: malè moratum & uanum, Poetam dictitent. ſicut alicubi craſſos et inertes, κατ' ἀντίφρασιν aurifabros cognominant.*

Honeſtorum nominum abuſus.

Studium.) *Hoc uerbum alibi ſic declarat: Studium eſt, animi aſsidua & uehemens, ad aliquam rem applicata, magna cum uoluntate occupatio: ut philoſophiæ, poeticæ, geometriæ, literarum. Quæ quidem definitio cóplures apertè conuincit ignauiæ & falſi criminis, qui ſe ſtudioſos dicunt.*

Studij definitio.

CICERO.

Sapientia autem eſt † (ut à ueteribus definitum eſt) rerum diuinarum & humanarum, cauſarumq; quibus hæ res continentur, ſcientia.

V. L. † (ut à ueteribus philoſophis definita eſt)

Sapientia autem eſt.) *Definitio, fundamentum totius huius diſputationis, quæ breui hoc enthymemate conſtat: Philoſophia ſapientiæ ſtudium eſt: ergo, ſummis digna laudibus: Non debet igitur eſſe inuiſa, non reprehédendus is qui ei ſtudet, &c. Maxima uis eſt ueræ definitionis: ſed etiam atq; etiã uidendum, ne ea uel plura uel pauciora complectatur, quàm res poſtulet aut admittat. Danda etiam opera, ut ſingulorum uerborum uis rectè intelligatur. Nos igitur ſingula uerba examinemus.*

Sapiẽtiæ definitio.

Vt à ueteribus philoſophis definitum eſt.) *Definitum eſt, abſolutè ponitur: ut apud Græcos, ὥρισται. Etſi dubitari poteſt, an Definita eſt, rectius legatur.*

A ueteribus.) *De quorum uirtute & ſapientia magna eſt opinio.*

Philoſophis.) *Magnum fuit nomen, magna autoritas, in uulgus etiam, Socratis, Platonis, Ariſtotelis, & ſimilium, quamuis ij qui tum uiuebant, philoſophi, non tanti fierent: quòd non ita morati uiderentur, ut recta ratio poſtulabat. Opponit igitur uulgari opinioni, ueterum philoſophorum autoritatem: ut nos Chriſtiani profanis hominibus, & ſuo arbitratu*

Autoritas ueterum philoſophorum.

quiduis in religione comminiſcentibus, decreta ſacrarum literarum nullis argutijs, nullis calumnijs labefactanda. Quid de Sapientiæ ſtudio maxima pars populi ſentiat, Satyricus ſub perſona cuiuſdam hircoſo de grege centurionum ſic deſcribit:

> *Quod ſatis eſt (inquit) ſapio mihi: non ego curo*
> *Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones,*
> *Obſtipo capite, & figentes lumina terræ.*

Sapientia uulgi.

Sapientiam autem uulgus hominum, acquirendæ pecuniæ intelligentiam definit: quæ definitio quamuis ab omnibus doctis reprehendatur, pauciſſimos tamen inuenias, qui non maximam ſapientiæ uim in congerendis diuitijs poſitam eſſe exiſtiment. Nam quo nomine magis deridentur & contemnuntur philoſophi (ſi qui fortè uerè philoſophi ſunt) quàm quòd maius ſapientiæ et uirtutis, quàm honoris & pecuniæ ſtudium habeant? Auari igitur hoc modo ſapientiam definiunt: ambitioſi autem, tyrannici, uoluptarij, in eo poſitam illam arbitrantur, ſi honores, potentiam, uoluptates conſequantur. Quod cum ſine pecunia uix, ac ne uix quidem fieri poſſit, omiſſis aut diſſimulatis cæteris cupiditatibus, acquirendæ pecuniæ, reginæ rerum, tota ſapientiæ laus conceditur. *(duxit.*

Definitiones ex affectibus ortæ, ac potius idola.

Rerum.) *Hoc uocabulo continentur in genere, omnia quæ natura pro-*

Res diuinæ, æternæ, cœleſtes.

Diuinarum.) *Hic philoſophi nimium ſibi tribuere putantur, & falcem (quod aiunt) in alienam meſſem Theologorum mittere. nec enim naturam, nec uoluntatem Dei erga homines, nec ueram eius colendi rationem acie humani ingenij perſpici. Alij diuinas res intelligunt æternas & cœleſtes: ut res diuina ſit Aſtrologiæ cognitio. nam Ariſtoteles mundum æternum eſſe credidit. Sed, utut ſit, D. Paulus primo & ſecundo capite ad Romanos, euidenter aliquam Dei cognitionem humanis mentibus, etiam abſque patefactione diuina, tribuit his uerbis:* ἀποκαλύπτεται ὀργὴ θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ, ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων, τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων. διότι τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται: ἥ, τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους: διότι γνόντες τὸν θεόν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν, ἢ εὐχαρίστησαν. *Item:* τὰ ἔθνη ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου, γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων. *Interpretationem, cui commodum eſt, ex alijs requirat. Hinc ergò apparet, non tantùm noticiam legis naturalis, & doctrinæ morum, ſiue de Officijs, concedi hominibus: ſed etiam* θεογνωσίας τι μέρος, *partem aliquam cognitionis Dei, qualis eſt in definitione Platonica,* ὁ θεὸς νοῦς ἐστιν ἀΐδιος, αἴτιος τοῦ ἀγαθοῦ τῇ φύσει. *Vnde uerſiculi illi deſumpti uidentur:*

Cognitio Dei naturalis.

> *Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt:*
> *Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.*

Sed inchoata eſt & imperfecta iſta cognitio, nec humana mens per ſe

quicquam

quicquam de rebus ad æternã ſalutẽ neceſſarijs uel ſomniare poteſt: cuiuſmodi ſunt, τὸ ὀλιγοχρόνιον τῆς κτίσεως τοῦ κόσμου, καὶ τὸ παράπτωμα τῶν πρωτοπλάστων, καὶ τὸ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας μυστήριον, καὶ ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν, καὶ ἡ δικαιοκρισία τοῦ θεοῦ. Harum & ſimilium rerum cognitionem philoſophia ſibi arrogare neq; poteſt, neq; debet: Theologia, quæ Biblijs continetur, & poteſt & debet. Nam quæ Theologia humana ſit, è multorum & ſcriptis & dictis apparet: quæ pleraq; in ſuo Zodiaco Marcellus Palingenius μακρῷ ἀποσειλάμενος, perſecutus eſt. Etſi autem nonnulla de præmijs piorum & ſupplicijs impiorum, multa item de immortalitate animorum apud philoſophos extant: conſtantius illa tamen affirmaſſe quàm crediediſſe illos, epiſtolæ Ciceronis docere poſſunt, in quibus morte omnem malorum ſenſum aboleri contendit.

Creatio mũdi, lapſus protoplaſtorũ, reparatio ſalutis, reſurrectio mortuorum, iudicium extremum, & ſimilia: religiõis capita, ignota rationi.

Theologia philoſophica.

Zodiacus Palingenij.

Et humanarum.) *Humanæ res intelligantur, quæ mortali huic uitæ inſeruiunt: ut Agricultura (nam & hæc non parua philoſophia eſt) ut Medicina, ut Architectura, & omnes liberales artes. In ſumma, τὸ λογικόν τε καὶ θεωρητικὸν καὶ πρακτικόν: id eſt, & differendi ſubtilitas, & naturæ obſcuritas, & doctrina uitæ ac morum, quas philoſophiæ partes alibi copioſius expoſuimus. Eſt & illud antè dictum, principia omnium artium, quæ nunc ab indoctis hominibus exerceantur, è philoſophia eſſe propagata. Quare perfectus philoſophus, etſi calceos neq; incidit, neq; conſuit: tamen eius quoque rei rationem tenere poteſt.*

Humanæ res.

Cauſarumq́.) *Duplex eſt docendi ratio, quarum altera τὸ ὅτι, id eſt nuda præcepta: altera τὸ διότι, hoc eſt præceptorũ cauſas & fontes tradit. Nam ſcientia, autore Ariſtotele, cognitione cauſarum conſtat, cum ait: τότε γὰρ ἴσμεν ὅταν τὴν αἰτίαν. Socrates autem ſuam philoſophiam ὄναρ ἀμφισβητήσιμον appellauit. Vnde Academici & Sceptici ſuam ἐποχὴν καὶ ἀκαταληψίαν extruxerunt. Quidam uerò, propter diſſenſiones hominum, omni ſcientia philoſophiæ adempta, nihil præter incertas & perplexas opiniones reliquerunt: ut Hermias quidam, & Luciani Hermotimus. Et quidem fatendum mihi eſſe uidetur, plura & neſciri, & agitari opinionibus: quàm cognita, & ſcientia percepta eſſe. Itaq; ſcientia hæc pro modulo humani ingenij, eoq́; peranguſto, eſt intelligenda. Et tamen paucula hæc fragmenta eiuſmodi ſunt, ut omnibus alijs rebus humanis præferenda eſſe uideantur.*

Doctrinæ uel expoſitione, uel demonſtratione cõſtans.

Quidam philoſophiæ nihil præter ambiguas opiniones relinquunt.

Quibus hæ res continentur.) *Id eſt, cognitionẽ quæ cauſa cuiuſq; rei ſit. Sapientis enim eſt, intelligere quæ ſit effectrix, ut mundi Deus: quæ materia, ut cœlum & terra, quæq; his continentur. Materia mundi, eſt à Deo producta, non ſponte enata: ut de Chao poetæ fabulantur. Forma mundi globoſa eſſe perhibetur, magna tamen interim uarietate diſtincta: unde Græcis ab ornatu κόσμος, ut & Latinis Mundus dicitur. Finis mundi, uel potius τὸ τελικὸν αἴτιον, eſt cultus & gloria ac celebratio Dei. Omnes enim res conditæ, ad celebrandam potentiam, ſapientiam & bonitatem Dei, ipſo naturæ, hoc eſt diuino ordine referuntur. Vnde in Pſalmis, cœli dicuntur enarrare Dei*

Cognitio cauſarum.

gloriam: & D. Paulus creaturæ gemitus inenarrabiles attribuit, quòd ſubiecta ſit uanitati, hoc eſt, abuſui ſceleratorum & impiorum hominum.

Terra exoſa hominum ſcelera.

In eandem ſententiam ueteres quoque Poetæ finxerunt, Terram ſcelera hominum exoſam, ſupplicaſſe Ioui, ut tam nefario onere leuaretur. unde primum bellum Thebanum, deinde Troianum extiterit. Sed multò maiore grauitate Moſes Iſraelitas ſuos monet, ut uitata impietate & flagitijs, caueant, ne terra eos euomat: & peccata Sodomitarum clamaſſe ad cœlos uſque, ſcribit.

Etiam humana plurima hominibus ignota.

Sed ut ad inſtitutum redeam, in hoc quoque Philoſophiæ nimium tribuitur, cum pauciſſimarum rerum naturam, hoc eſt ueras cauſas perſpectas & cognitas habeamus. Rectè igitur additur πρὸς δύναμιν: Quoad humanæ mentis anguſtiæ capiant. *Etſi etiam abſque hac appendice, nemo eſt qui ignoret, uel à doctiſſimis infinita ignorari: & inter ipſos eruditos earum etiam rerum quæ ſciri poſſunt, alios plures, alios pauciores ignorare. Multa neſcit Theologus, nota Iuriſconſulto: Iuriſconſultus, nota Medico: & contrà: niſi idem & Theologus & Iuriſconſultus & Medicus ſit, quod uix fieri poteſt.*

Eundem in pluribus excellere, difficile.

illud quidem fieri poteſt, ac omnino debet, ut unus & idem ſumma quædam capita diſciplinarum omnium certa methodo comprehenſa teneat. Sed tamen ſi aduerſus artificem, in uno aliquo doctrinæ genere perpetuò & cum laude uerſatum, in arenam deſcedendum ſit: facilè intelligetur, methodos atque epitomas illas claudicare. Quiſque igitur, ut antea ſæpè dictum eſt, linguarum & philoſophiæ iuſta præparatione adhibita, certum ſtudiorum genus deligat, in quo omnis eius cura, cogitatio, opera ponatur: cætera uerò παρέργα *ſint.*

Si ſcietia eſt: Academicũ dogma corruit.

Scientia.) *Id eſt, certa cognitio. Mirum profectò eſt, Ciceronem ſe, poſt hanc Sapientiæ definitionem, profiteri Academicum: niſi fortè ſcientiam, ſecus quàm Ariſtoteles, qualemcunque cognitionem intellexerit. Cur uerò mirum? Cum hîc Stoicum potius agat, quàm Academicum: eique in philoſophia magis, quàm in Republica, duabus ſedere ſellis liceat.*

CICERO.

Cuius ſtudiũ qui uituperat, haud ſanè intelligo, quidnam ſit quod laudandum putet.

Sapientiã ſi non aſſequimur, certè ſequimur.

Cuius ſtudium qui uituperat.) *Poteſt & hoc uocabulum excuſare Ciceronem, ut qui non* σοφὸν, *ſed* φιλόσοφον *ſe profiteatur. Neq; uerò neceſſe eſt, eum qui ſapientiæ ſtudeat, etiam fieri compotem ſapientiæ: ſicut nec auari omnes diteſcunt. Eſt tamen aliquò prodire tenus, ſi non datur ultra: & cum omnes res humanæ imperfectæ ſint, quid miri eſt, philoſophum quoq; perfectum extitiſſe adhuc neminem?*

Cuius

Cuius ſtudium qui uituperat.) *Ab æquabili & temperato genere orationis, paulatim ad contentionem progreditur, ſeruata tamen philoſophica mediocritate. Nos barbaricè dixiſſemus: Iniquiſſimus calumniator ſit oportet, & omnium bonarum rerum contemptor & hoſtis, qui philoſophos reprehendat. Sententia & propoſitio eſt: Laudatiſſima eſt philoſophiæ occupatio: quia & delectat, & iuuat, & ornat hominem. hoc eſt, honeſta & utilis & iucunda eſt: quæ res ſolæ expetuntur.*

Philoſophia & honeſta & utilis & iucunda.

CICERO.

Nam ſiue oblectatio quæritur animi, requieſcq; curarum: quæ conferri cum eorum ſtudijs poteſt, qui ſemper aliquid † anquirunt, quod ſpectet & ualeat ad bene beateq; uiuendum?

V. L. † acquirunt. Al. inquirunt.

Nam ſiue oblectatio animi.) *ψυχαγωγία Græcè dicitur. μισοφιλόσοφοι hoc negabunt. Dicent enim, tam obſcuras & ſpinoſas diſputationes pungere potius quàm oblectare. Deinde nihil eſſe moleſtius, quàm claudi ſutoris inſtar perpetuò aſſidere libris, & ſodalitates & amores & luſus uitantem.*

Philoſophia nõ omnibus iucunda.

Requies curarum.) *Pro, à curis. ἀνάπαυσις τῶν φροντίδων, ἢ μεριμνῶν. Imò dicent ijdem, illa perpetua inquiſitio & inueſtigatio ueri, & rixandi, aut certè rixas diſcernendi neceſſitas, plena curarum eſt, & ſolicitudinum. His reſpondendum eſt, ὅτι δεῖ φύσει τῇ δεξιότητι τὸν εἰς φιλοσοφίαν τινὰ φῦναι. Vt enim non è quouis ligno fit Mercurius: ſic non quiuis idoneus eſt contemplationi philoſophicæ. Cuius controuerſiæ & difficultates à fideli & docto magiſtro leuantur & explicantur. Verè autem oblectationem animi tribui philoſophiæ: ipſius Ciceronis Operum philoſophicorum lectio docere atque euincere poteſt: ut Senecam, Epictetum, Platonem, Ariſtotelem, Xenophontem & alios taceamus.*

Natura ſcientiæ cupidum eſſe oportet.

Lectio philoſophicorum Ciceronis operum iucundiſsima.

Quæ conferri poteſt.) *Interrogatio, πρόκλησιν philoſophiæ continens. Non negat Cicero, alias etiam eſſe uoluptates, ut agriculturæ, uenationum, deambulationum, conuiuiorum, & ſimiles: ſed nullas æquè demulcere & tenere animos, atque à curis & moleſtijs auocare, ac philoſophiæ oblectationem. Cauſa eſt, quòd philoſophia caſus humanos aut contemnere, aut certè moderatè ferre docet: id quod aliæ oblectationes non præſtant, cum ſæpè inter eas ipſas recrudeſcat dolor animi, ex recordatione factæ iacturæ. Habent etiam ſingularem delectationẽ acutæ & eruditæ ſententiæ, eleganti atq; ornata oratione expoſitæ: nec eſt quicquã, ad quod aliorum opera minus requiratur. Eſt enim ἀπερίσπαστός τε καὶ σύντομος ἡ τέρψις.*

Philoſophia caſus humanos moderatè ferre docet.

Inuentio argutа, & elocutio ſuauis.

Acqui-

Acquirunt.) *Id eſt, doctrinam ſuam augent: quod fit non tantum addiſcendis nouis, ſed ex parte iam cognitis penitius introſpiciendis, accedente etiam firmiore aſſenſione. Alij legunt, Anquirunt: alij, Inquirunt. Sed Acquirunt ἐμφατικώτερον eſt, cum effectum, illa uerò ſtudium tantum ſignificent. Hoc nomine deriſus fertur Xenocrates à Lacone quodam, quòd ſenex adhuc uirtutem inquireret. Quando (inquit) uirtute utêris? num apud inferos?*

Philoſophiæ finis, uita honeſta & beata.

Ad bene beateq; uiuendum.) *Illud uirtutis eſt, hoc felicitatis. Neq; uerò Epicurus, uoluptatis defenſor, delectationem ab honeſtate ſegregauit: ſi modò illud dictum rectè illi tribuitur,* ὅτι οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν, ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως. *Notetur hic philoſophiæ finis, uita honeſta & beata. Hinc 5. Tuſculana diſputat, uirtutem ad beatam uitam ſe ipſa eſſe contentam.*

Beatitudo moderati animi.

Beatitudo autem hæc maxima ex parte in bonis animi poſita eſt: non autem, ut uulgus opinatur, in fortunæ muneribus. Qui igitur ſtudia ſua ad hunc finem non referunt, oleum & operam, quod aiunt, perdunt. Nam dignitates & opes non præcipui fines ſunt ſtudiorum, ſed acceſſiones, καὶ πάρεργα, καὶ γε τὰ δεύτερα μέρη, *ut Græci dicunt.*

CICERO.

Siue ratio cõſtantiæ, uirtutiſq; ducitur: aut hæc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas † ſequamur.

V. L. † *aſſequamur.*

Siue ratio conſtantiæ.) *Argumentum ab honeſto & utili.*

Conſtans uirtus requirit naturam, doctrinã, diſciplinam.

Ratio conſtantiæ, uirtutiſq;.) *Id eſt, conſtans uirtus: quæ tria requirit,* φύσιν, λόγον, ἔθος. *Nam ſola natura non ſatis firma eſt, etſi potentiſſima: nec etiam ea uis eſt conſuetudinis ſolius. Sed ſi uera doctrina cum naturæ bonitate & diſciplinæ ſanctitate coniuncta fuerit: tum demum uera & perfecta uirtus (ita quidem perfecta, ut humana fragilitas fert) exiſtet. Sæpè iam dictum eſt, conſtantiam eſſe rationis, uerique iudicij, quo uirtus omnis gubernatur: temeritatem uerò & leuitatem affectuum, qui hominem huc & illuc rapiunt, nec eidem rei aut ſententiæ diutius inſiſtere patiuntur.*

Virtus an doceri poſſit, & an diuini muneris eſſe uideatur.

Aut hæc ars eſt.) *Dilemmate, ſeu potius diſiunctione hypothetica probat & oſtendit, doceri poſſe uirtutem. Etſi inter Platonica opera libellus extat, quo diſputatur, neque propagari uirtutem in liberos, quòd præſtantiſſimi quique uiri improbiſſimos filios procrearint: neque diſciplina tradi, quòd ijdem inſtitutione parentum nihilo ſint facti meliores. Vnde colligatur,* ὅτι τινὶ θείᾳ μοίρᾳ παραγίγνεται τοῖς ἀνθρώποις ἡ ἀρετή: *hoc eſt, uirtutem acceptam eſſe referendam diuinæ liberalitati. Rectè omnino: Deus enim α καὶ ω eſt. Sed interim ſecundæ & propiores cauſæ non ſunt negligendæ, mediocribus præſertim ingenijs. Nam heroicæ quidem*

uirtutes,

uirtutes, quæ nec doctrinam nec diſciplinam magnoperè deſiderant, omnibus ſeculis rariſſimæ fuerunt: proptereaq́; in exemplum trahendæ, & præiudicÿ loco adducendæ non ſunt.

CICERO.

Nullam dicere maximarum rerum artem eſſe, cùm minimarum ſine arte nulla ſit: hominum eſt parum conſideratè loquentium, atq; in maximis rebus errantium.

Nullam dicere.) *Poſterius membrũ dilẽmatis priore loco refutat, argumento à minori ad maius, hoc modo: Minutiſſima quæq; opificia, ut cerdonũ, textorum, &c. arte conſtant: item diſciplinæ leuiores, ut Grammatica, Geometria, &c. ſuis conſtant methodis. Ergò uirtus maxima omnium artium, ac ueluti procreatrix, multo magis præcepta & doctrinam deſiderat, non contenta ingenio & aſſuefactione. Sed hîc obÿci poſſet, multos indoctos homines uirtute præſtare doctis. Concedatur ſanè hoc eſſe uerum: ſed & cauſa explicetur, quòd indocti illi & melius nati, & rectius educati fuerint: docti autem, aut peruerſis ſint præditi ingenÿs: aut non tam uirtutis ſtudium habuerint, quàm alterius cuiuſdam cognitionis, itemq́ue ambitionis & auaritiæ. Nam doctrinæ nomen latè patet, atque ad omnes philoſophiæ partes extenditur. Hic autem de doctrina morum agitur, cuius finis eſt uiros bonos efficere: non de naturæ obſcuritate, aut ſubtilitate differendi. Multi etiam docti perhibentur, doctrina non integra præditi, ſed mutilata: interdum etiam peruerſa, aut ſuperuacanea. Præclarè enim Seneca: Propterea (inquit) pleriq; neceſſaria ignoramus, quòd ſuperuacanea didicimus.*

Cur docti nõ nulli deteriores indoctis?

Non omni doctrina uirtutem tradi. Semidocti & male inſtituti.

Hominum eſt.) *Non utiq; munus atq; officiũ, ſed mos & praua conſuetudo: id eſt, homines temerarÿ, præcipites, & malè ſentientes, ita ſolẽt loqui.*

Parum conſideratè.) *Grauiter conuellitur aduerſariorum autoritas his duobus epithetis, Loquendi parum conſideratè, &, Maximis in rebus errandi. Videtur autem eſſe ὕστερον πρότερον. Nam qualis fuerit opinio, talis etiam ſolet eſſe oratio, quæ utiq; ſequitur. Innuit etiam ſubobſcurè, eos graues dare pœnas contemptæ philoſophiæ, quòd is cõtemptus in cauſa ſit, ut & malè ſentiant, & ſtultè loquantur. Docet enim philoſophia, non niſi conſideratè loqui: nec prauos tantum affectus corrigere, ſed etiam errores & falſas opiniones eripere animis hominum ſtudet, quæ maxima eius merita ampliſſimis digna ſunt præmÿs.*

Contemptæ philoſophiæ præmium male ſentire, & ſtultè loqui.

Maximis in rebus.) *Perperam enim ſentiunt de uirtute, quam uel natura uel conſuetudine ſola parari poſſe exiſtimant. Malè item ſentiunt de philoſophia, cuius fructus ampliſſimos non intelligunt.*

CICERO.

Si autem eſt aliqua diſciplina uirtutis, ubi ea quæretur, cum ab hoc diſcendi genere diſceſſeris?

Dd Si au-

Si autem eſt aliqua.) *ὑποθετικῶς argumẽtatur. Si qua eſt ars uirtutis, ea in philoſophia eſt: Sed eſt aliqua: Ergo, &c. Aſſumptio antè probata eſt à minori ad maius. Alterum membrum maioris propoſitionis eſt αὐτόπιστον apud ueteres, qui philoſophiæ nomine omnem humanam ſapientiam & eruditionem complectebantur. Apud nos uerò in dubium uocari poteſt, quòd Theologiam habeamus diuinitùs patefactam, quæ etiam uitæ leges, & omnia uirtutis officia complectatur. Vnde homines quidam nimis religioſi (ne ſuperſtitioſi, uel ignaui dicam) omnia philoſophorũ præcepta, ſententias, exempla præſtantium uirorum ſuperuacanea eſſe dicunt. Quibus illud quidem concedi poteſt, tradi in ſacris literis omnia ad ſalutem neceſſaria: ſed tamen etiam humanas rationes utiliter cum ſacra doctrina conferri fatendum. Deinde in philoſophia probabiles rationes cuiuſq; uirtutis atq; officij, certo ordine & eleganti oratione traduntur: ſecus quàm in Sacris literis fit, quæ habent nuda ferè præcepta paſſim ſparſa, nec uſquam in unum quaſi corpus digeſta. Nam Decalogus ob breuitatem obſcurior eſt: & quemadmodũ leges ciuiles, ita & ipſe, cogit potius quàm perſuadet. Eademq; ratio eſt honeſtæ diſciplinæ, & patrij moris. Philoſophia autem monſtrat inprimis errata & peccata: eorũq; oſtendit tam cauſas proximas, quàm turpitudinem & noxam. Deinde uirtutis pulchritudinem & utilitates immenſas ob oculos ponit, & hic hominem paulatim à uitijs abſtractũ ad uirtutem allicit: idq; conſequitur, ut pudore & liberalitate potius in officio retineatur, quàm alieno metu. Neq; tamen interim uel diſciplina publica, uel priuata educatio parentũ, quæ puericiæ ferè eſt, philoſophiæ de moribus nondum ſatis aptæ, excluditur: imò doctrina parum proficit, niſi hæc quoq; acceſſerint. τὸ γὰρ εὖ ἦχθαι, magnam in doctrina morum uim habet.*

Theologiam cũ habemus, an ſit philoſophiæ locus.

CICERO.

Sed hæc, cùm ad philoſophiã cohortamur, accuratius diſputari ſolent: quod alio quodã libro fecimus. Hoc autem tempore tantùm nobis declarandum fuit, cur orbati Reipublicæ muneribus, ad hoc nos potiſsimùm ſtudium contuliſſemus.

Sed hæc cum.) *ἀποδίωξις ſignificans non neceſſariam, aut certè intempeſtiuam, ſi fuerit longior, hanc diſputationem fore, quæ ſummã Hortenſij complectitur. Ex hoc loco & 5. li. de Finibus, atq; alijs ſimilibus locis, uidetur Sadoletus occaſionem ſumpſiſſe ſcribendi de Philoſophiæ laudibus: qui libellus non ſine fructu à ſtudioſis legetur.*

Cum ad philoſophiam.) *Id ex profeſſo factum eſt in Dialogo qui Hortenſius inſcribebatur. Fit etiam obiter in proœmijs Philoſophicarum diſputationum, & alibi ſparſim, ubi ſe dedit occaſio.*

Hoc autem tempore.) *Concluſio primæ defenſionis, quæ ad rem ipſam pertinet, philoſophiam,*

CICE-

CICERO.

Occurritur autem nobis, & quidem à doctis & eruditis, quærentibus, ſatis'ne conſtanter facere uideamur, qui cum percipi nihil poſſe dicamus: tamen & alijs de rebus diſſerere ſoleamus, & hoc ipſo tempore præcepta officij perſequamur.

Occurritur autem nobis.) *Poſtquam oſtendit, liberalem & magno uiro dignam eſſe philoſophiæ tractationem: aliud etiam crimẽ diluit. Etſi enim quidam philoſophiæ præſtantiam confitebantur in genere: tamen non quamuis philoſophiæ ſectam probabant, ut hodie fit in Theologia. In primis uerò feruidioribus ingenijs Academica ἐποχὴ καὶ διάσκεψις neſcio cuius ſtuporis & delirij eſſe uidebatur. Quis enim fatuum non exiſtimet, eum qui aut niuem albam, aut glaciem frigidam, aut ignem calidum eſſe neget, aut ſaltem his de rebus dubitet? Et ſanè exceſſere modum in hac re Academici, ut & alij, qui omnia pro comperto affirmant. Neq; enim ſciuntur, neq; ignorantur omnia. Sunt enim & quæ uulgus certiſſimè ſciat, ut pleraq; quæ in oculorũ atq; aurium ſenſum cadunt: & de quibus doctiſſimi quiq; dubitent, quæq; non ſatis comperta eſſe fateantur. Hac de re, ne prolixiores ſimus (paucis enim tanta res expediri non poteſt) conſulatur libellus Sebaſtiani Foxij de Demonſtratione: qui etiam doctrinam Morũ, & de Natura, erudita methodo expoſuit, & iudicium adoleſcentũ ita informauit, ut & uulgi obtrectationes, & philoſophorum falſas opiniones facilè poſſe uideantur & contemnere, & refutare. Sed ut ad Ciceronem redeam, ἀντιθέτῳ diſtinctione diluit: Sum (inquit) Academicus, ſed non Ariſtonem aut Pyrrhonem ſequor, qui permiſcebant omnia, nec ullum rerum delectum relinquebant.*

Non eandem omnibus philoſophiam probari.

Academiæ aut uxcordiam aut impudentiam tribui.

Nec ignota, nec dubia, nec certa eſſe omnia ſed quædam.

Sebaſtianus Foxius.

Academiæ non unum genus.

Et quidem à doctis.) *Philoſophiæ contemptores ſuprà bonos uiros appellauit, ἀγωνικῶς opinor: ſicut alibi Epicureos, homines minimè malos dicere ſolet: ut ſubintelligatur, eos eſſe parum acutos, nec ſatis ſapientes. Hic cum philoſophis ſibi rem eſſe ait, ac potiſſimùm Peripateticis & Stoicis, qui pleraq; affirmabant, & comperta eſſe ac certa contendebant. Academici contrà, re ipſa ab illis non diſſentientes, controuerſia uocabuli torquebantur: ut appareret, eos contentionis & gloriæ, quàm ueritatis, eſſe cupidiores. Voluerunt illi ſcilicet, ut & Stoici, noui autores haberi, & eaſdem ſententias alijs uerbis, aliaq; ratione explicare.*

Academicorum λογομαχία.

Et quidem à doctis.) *Amplificatiuncula ab adiunctis: Vulgi reprehenſiones facilè contemnuntur, doctorum non item. Vnde Ariſtoteles, ἅπαντας, inquit, ἐξετάζειν τὰς δόξας, ματαιότερον ἴσως ἐστίν· ἱκανὸν δὲ, τὰς μάλιστα ἐπιπολαζούσας, ἢ δοκούσας ἔχειν τινὰ λόγον.*

Non omnes omnium reprehenſiones curandæ.

Doctis & eruditis.) *Synonymia potius eſſe uidetur, quàm aliqua inſignis differentia. Nam alibi inuerſo etiã ordine utitur, cum ſcribit: Homo præclara eruditione atq; doctrina, & Homo eruditus & doctrina excultus.*

Quærentibus.) *Scilicet ἐλεγκτικῶς, arguendi & reprehendendi mei cauſa. Propoſitio ἀντιθέσεως eſt: Cicero, qui & nihil percipi ſtatuat, & de officijs præcipiat, ſibi non conſtat. Modeſtius autem quærendo id fit, quàm affirmando.*

Varietatem opinionum, & inconſtantiam, cauſam Academico dogmati præbuiſſe uideri.

Percipi.) *καταληπτὰ intelligenda ſunt, de quorum cauſis ita conſtat, ut non magis dubia uideantur, quàm quæ comprehenſa manibus tenentur. Contraria ſunt ἀκατάληπτα, quorum cauſæ ignorantur. Hinc deducuntur ſubſtantiua, κατάληψις καὶ ἀκαταληψία. Videntur Academici (ſi à nouitatis & gloriolæ ſtudio uindicentur) conſideraſſe imbecillitatem humani ingenij, & uarietatem opinionum, non diuerſorum modò hominum, ſed etiam eiuſdem qui aliàs aliud ijſdem de rebus ſentire ſoleat. Vnde & illud Homeri:*

τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Quos uerſus alibi à Cicerone conuerſos aſſcripſimus.

Inconſtantia leuatur autoritas.

Et alijs de rebus diſſerere.) *Magnum crimen leuitatis eſt, in doctore præſertim. Qui ſi ipſe incertus ſit, quid certi docebit alios? Si crebrò mutet ſententias: quî conſtare poteſt, quæ cui ſit præferenda? Plinius monuit, ſcriptori titulum Operis ſæpè inſpiciendum, & conſiderandum eſſe, ne ſcilicet quicquam ab eo uel alienum uel diuerſum inculcet. Eodem modo doctori cuiq; ſuæ profeſſionis genus & dogmata meditanda ſunt. Hoc Ariſtoteles dicit τὴν θέσιν διαφυλάττειν, καὶ ταῖς ὑποτεθείσαις ἀρχαῖς ὁμολογουμένως εἰπεῖν.*

Obligatio.

Hanc rationem ueteres Dialectici Obligationem appellarunt, ut monerent, ne quid per imprudentiam uel affirmaretur, uel negaretur, quod cum propoſitione ipſa pugnaret: ut ſi quis oratorem definiret uirum bonum, dicendi peritum: & in orationis progreſſu, quem Oratorem diceret, eundem uirum bonum negaret. Ac hoc quidem nemo temerè fecerit. Qui autem oratorem, quem uirum bonum eſſe uolunt, multa iubeant fingere, & propter uictoriam falſa dicere: qui præcepta illi præſcribant laudandorum turpium, quouis deniq; modo inſeruiendi cauſa, non paucos inuenias: quod meo quidem iudicio, cum boni uiri officio pugnat. Sic igitur ſiue Stoici, ſiue Peripatetici poſtularũt, ut ne Cicero præciperet quicquam, quod quicquam percipi negaret. Nam quæ non percipiuntur, incerta ſunt: incerta non habent firmam aſſenſionem, quæ in præceptis requiritur.

CICERO.

Quibus uellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia. Nõ enim ſumus hi, quorum animus uagetur errore, nec habeat unquam quid ſequatur. Quæ enim iſta eſſet mens, uel quæ uita potius, non modò diſputandi, ſed etiam uiuendi ratione ſublata?

Quibus uellem ſatis cognita.) *Hactenus ἡ ἀντίθεσις. Sequitur ἡ λύσις, quæ*

σις, quæ

ois, quæ conſtat diſtinctione Pyrrhoniorum, & Academicorum: quorum illi ἀδιαφορίαν ſtatuebant: hi τὴν πιθανότητα, remota καταλήψει, relinquebant. Deinde negat, eorum tantùm eſſe præcipere, qui κατάληψιν ſtatuant: ſed idem præcipiendi ius eſſe ei qui probabilia ſequatur. Stoicus igitur & Peripateticus dicit. Virtus eſt ſummum bonum, id eſt cauſa efficiens ſummi boni, quæ eſt ipſa felicitas, ſeu beatitudo. Academicus uerò, Virtus uidetur eſſe ſummum bonum: uel, Probabilius eſt felicitatem uirtute quàm ulla alia re parari. Antequam autem ſic pronunciet, inquirit & profert omnes rationes, quæ huic ſententiæ repugnare uidentur. Quas ubi firmioribus rationibus, magis'ue probabilibus refutarit: tum demum ſuum illud dogma, uirtutē ſummum uideri bonum, ſic profert, ut det alijs diſſentiendi poteſtatem: unaq́; præ ſe ferat, ſi quid ab alio rectius afferatur, id ſe, repudiata ſua opinione, libenter eſſe amplexurum. Talis modeſtia in primis decet adoleſcentes, ob imperitiam, & conſilij imbecillitatem, temeritatemq́; affectuum: qui quod optant, id ſtatim etiam uerum & rectum eſſe opinantur.

Pyrrhonij diſcrimen, Academici affirmationē tollunt.

Stoici & Academici diſcrimen.

Modeſtia digna adoleſcente.

Quibus ucilem ſatis.) λύσις non minus modeſta, quàm ἀντίθεσις: ſicut in philoſophicis diſputationibus decet, ut ait Ariſtophanes:

ἔλεγχ' ἐλέγχου, λοιδορεῖν δὲ μὴ πρέπει.
ἄνδρας ποιητὰς ὥσπερ ἀρτοπώλιδας.

Multò modeſtius hoc eſt, quàm ſi dixiſſet: Iſti re incognita immeritò me reprehendunt. Summo autem ſtudio caueatur temeraria cuiuſquam reprehenſio, cum etiam uera & neceſſaria ſit odioſa. Votum hoc, his calumnioſis temporibus, quo multi multa, incognitis & rebus & cauſis & perſonis, reprehendunt, rectè uſurpari poteſt.

Reprehēdendi temeritas cauenda.

Satis cognita.) Q.d. Sciunt illi quidem me eſſe Academicum: ſed inter ueterem & nouam Academiam, & Pyrrhoniam ſectam, non diſtinguunt. Leniter ſimul & grauiter aduerſarios arguit, ut & rei ignaros, & ſine cauſa reprehendentes.

Non enim ſumus ij.) Propoſitio: Non ſum Pyrrhonius. Deſcribit autem hìc breuiter Pyrrhoniorum ſectam.

Pyrrhoniorum deſcriptio.

Quorum uagetur animus errore.) Id eſt: Qui aliàs alia, eaq́; diuerſa probent: qui quod modò nigrum dixerint, mox candidum eſſe ſtatuant. Metaphora ſumpta eſt à uiatoribus, uiæ ignaris, & temerè huc atq; illuc oberrantibus. quod quàm modò non moleſtū ſit, ſed etiā periculoſum, experti norunt. Neq; uerò animo conſtanti & ueritatis amanti, uagæ incertæq́; opiniones magis aut iucundæ aut tutæ ſunt.

Quid ſequatur.) Id eſt: Quo nitatur, quod uerum aut rectum eſſe exiſtimet. cuiuſmodi Pyrrhon fuiſſe ſcribitur, incredibili (ſi uerum eſt) ſtultitia: qui cum neq; præcipitia, neq; feras, neq; occurentes currus uitaret, à ſuis tamen diſcipulus fuerit conſeruatus. Credibile autem eſt, abſente diſcipulorum theatro, aut nō ita fuiſſe ſtultū, aut breui periturū, cōtrà ac factū eſſe perhibetur. Captauit igitur inanē cōſtātiæ gloriolā, ſophiſta poti' quàm philoſophus.

Pyrrhonis aut uæcordia, aut oſtētatio.

Quæ enim eſſet.) *Refutatio Pyrrhoniæ ſectæ, ab abſurdo. Iſta ſecta, inquit, non modò philoſophiam, ſed etiam uitam ciuilem euertit, ſi inter candidum & nigrum, inter uerum & falſum, inter bonum & malum, inter uitam & mortem nihil intereſſe ſtatuatur.*

Ratione diſputandi.) *Nam diſputare non aliud eſt, quàm uarijs rationibus prolatis, ueras retinere, falſas repudiare: ſicut uinitores & frondatores in uitibus & arboribus ſolent ſuperuacanea & noxia reſecare. Hoc enim inter alia Putandi uerbum ſignificat: unde & Amputare componitur.*

Opinio. Affectus. Actio. Viuendi ratione.) *Homo ad agendum impellitur opinionibus, cum quibus affectus coniunguntur. Sperat enim, ea quæ acturus eſt, ſibi aut honori, aut uſui, aut uoluptati fore: aut certè ſe contraria horum uitaturum eſſe. Iam ſi inter illa nihil interſit: aut ignauo ocio torpeſcet homo, aut ſtulticia & temeritate aſinos etiam ſuperabit.*

Mens.) *Cui propoſita eſt inueſtigatio ueritatis: quemadmodum uoluntati adeptio bonorum.*

Vel quæ uita potius.) *Correctio αὐξητικὴ. Nã cultura mentis paucorũ eſt: curatio autem corporis, earumq́; rerum quæ corpori ſeruiunt, omnium eorum qui non inſaniunt.*

CICERO.

Nos autem, ut cæteri alia certa, alia incerta eſſe dicunt: ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, alia non probabilia eſſe dicimus.

Nos autem ut cæteri.) *Falſam à ſe opinionem amouit: nũc uerã ponit.*

Certa.) *quæ in dubium uocari non poſſint: aut ſi uocẽtur, natura humanæ mentis corruat: cui tales noticiæ, quas Græci κοινὰς ἐννοίας καὶ προλήψεις uocant, diuinitùs ſint impreſſæ, nec ullius fanatici hominis temeritate & delirio euerti poſſint. Qua de re cùm in Dialecticis dici multa ſolẽt, tũ Nicolaus Hemingius nõ inutilẽ de lege Naturæ libellũ nuper edidit, itẽq́; de Methodis.*

Probabilia.) *Eſt ſanè ueriſſimum quidq́; quàm maximè probabile. Sed & probabilia quædam ſunt, quæ tametſi uera nõ ſint (poſſunt enim tam falſa eſſe, quàm uera) ueriſimilia tamen ſint, id eſt, uera nonnullis eſſe uideantur. ut, Diſcipulus eſt indoctus: ergò præceptorem aut indoctum, aut negligentem habet. Hoc uulgo probabile uidetur, non conſideranti uel ætatem uel ingenium, uel diligentiam & ualetudinem atq́; fortunam diſcipuli.*

CICERO.

Quid eſt igitur quod me impediat, ea quæ mihi probabilia uideantur ſequi: quæ contrà, improbare: atq́; affirmandi arrogantiam uitantem, fugere temeritatem, quæ à ſapientia diſsidet plurimùm?

Quid

Quid eſt igitur quod.) *Concluſio. Sententia eſt: Academicos probabiliter poſſe de rebus diſſerere, eaq́; de cauſa etiam officij præcepta perſequi. Negari enim non poteſt ea cuiquam facultas, ut id quod ſentit dicat, ſiue uerum ſiue probabile ſit, ſiue etiam falſum & abſurdum. Hoc enim eſſet eripere homini naturæ donum, orationem. Sed illud cuiq; cauendum eſt, ne facultate orationis abutatur, & magno conatu magnas nugas agat.* Orationis uſus ut nemini eripiendus: ſic abuſus cuiq; cauendus.

Atq; affirmandi arrogantiam.) *Si mihi liberè quod ſentio, dicendum eſt (& ut dicere liceat, ab æquitatis & ueritatis amantibus impetratum uelim) πρόφασις εὐπρόσωπος Academicæ ſectæ, eſt modeſtia & conſtantia: ἡ δὲ ἀληθὴς αἰτία uidetur eſſe, καινοτομία τε καὶ κενοδοξία: quæ duæ peſtes etiã ſuperuacanea Stoicorum πεπλεγμένα καὶ ἀπεπλεγμένα, & infinitas alias nugas atque argutias in philoſophiam inuexerunt. Quorſum enim iſta monſtra & uerborum & opinionum, quæ nemo ſanus probet, niſi doctorum ſuorum autoritate & præſtigijs faſcinatus? Quod cum ita ſit, æquiores uulgo eſſe debemus, & philoſophiam & philoſophos contemnenti & deridenti. Atq; adeò uerendum eſt, ne propediem Theologiæ quoq; futura ſit eadem conditio, in tot curioſis, ſuperuacaneis, uirulentis diſputationibus.* Ambitio & nouitatis ſtudium, ſectarum origo.

Arrogantiam uitare.) *Alij legunt uitantem, Græca imitatione: οὐκ ἀλαζονευόμενον, pro uitando arrogantiã, uel uitanda arrogãtia. Nã ſic Græci participijs utuntur pro gerundijs & ablatiuis, participiorũ accuſatiuos adhibentes.*

Fugere temeritatem.) *Id eſt, adhibere ad res cõſiderandas & tẽpus & diligẽtiã: nõ effutire quicquid in buccã uenerit: nõ pro cõperto affirmare, quæ firmis rationibus nõ nitũtur: aut negare, quæ cuiuſmodi ſint non perſpexeris.*

A ſapientia diſsidet.) *Huius definitio paulò antè poſita, hic repetatur. Temeritas cõtrà eſt, ignorantia rerũ omnium, & belluinus quidam impetus.* Temeritas.

CICERO.

Contra autem omnia diſputatur à noſtris, quòd hoc ipſum probabile elucere non poſsit, niſi ex utraq; parte cauſarum eſſet facta contentio. Sed hæc explanata ſunt in Academicis noſtris, ſatis (ut arbitror) diligenter.

Contra autem omnia diſputatur.) *Id eſt: Academici omnes aliorum ſententias in dubium uocant, atq; oppugnant, non euertendæ, ſed indagandæ ueritatis ſtudio. Alij legunt, Contrà aduerbialiter, & Omnia diſputantur à noſtris: id eſt, Academici diſputant de omnibus rebus. Etſi autem ſenſus ferè idem eſt, tamen prior mihi lectio magis probatur.*

Cauſarum facta eſſet contentio.) *Hoc eſt: niſi rationes utriuſq; partis inter ſe conferantur, & plures potioresq́; leuioribus anteferantur. Sententia hæc aureis literis in omnibus gymnaſijs, prætorijs, templis, Muſæis deſcribenda eſſet: ſi ueritatis maior, quam aut inueteratæ opinionis, aut priuatorum affectuum ratio haberetur. Pythagoricum illud αὐτὸς ἔφα, multum ualet ad rude & importunum uulgus coercendum. Sed hominem eruditum* Cauſarum facienda contentio. Eruditus utranq; partẽ audiat.

ditum, aut certè ſtudioſum, δεῖ ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι: id quod Athenis iudices facere iubebantur. ὁμοίως interpretatur Demoſthenes, pari beneuolentia, ut non priuatus ullus affectus, non præcepta opinio, ſed unius cauſæ æquitas ualeat, uictoriaq; potiatur. Fit autem plerunq; contrarium. **Pertinacia ſemel arreptæ opinionis defendendæ.** *Quæ à præceptoribus accepimus, quibusq; aſſueuimus, ea firma, rata, inexpugnabilia ducimus, ea manibus pedibusq; defendimus: aduerſariorum autem rationes, ne audire quidem ſuſtinemus. In quo fortaſſe imperito uulgo uenia danda eſt, quod de obſcuris & perplexis controuerſijs iudicare non poteſt: erudito autem homini rationes aduerſariorum non minus cognoſcendæ & expendendæ ſunt, quàm ſuæ. Alioqui enim non erit φιλόσοφος καὶ φιλαλήθης, ſed δοξόσοφος καὶ φίλαυτος: ut grauiora uitia taceamus. Quæcunq; igitur controuerſia inci-* **Cauſæ,** *derit, cauſæ conferantur: nec quicquã probetur, aut improbetur prius, quàm eæ accuratiſſimè examinatæ fuerint. Cauſæ enim ſcientiam gignunt* **Affectus. Autoritas.** *affectus uerò temeritatem & pertinaciam: recepta conſuetudo, atq; autoritas humana, leuem, & ſæpè fallacem opinionem. Quicquid tamẽ agas, ſæpè δεῖ σε ἐπ-* **ἐποχὴ & διάσκεψις.** *έχειν καὶ διασκέπτεσθαι: id eſt, ſuſtinenda erit aſſenſio, & amplius deliberandũ, atq; etiam dicendum* NON LIQVERE. *idq; longè præſtat, quàm temerè pronunciare.*

Sed hæc explanata.) *ἀπόδοσις, ſeu præciſio huius diſputationis, quali paulò etiam antè uſus eſt in defenſione & laudatione philoſophiæ. Tranſit autem ad quartam huius Proœmij partem, quæ eſt dedicatio operis, & ad lo-* **Quatuor procemij partes.** *cum beneuolentiæ refertur. Poſſunt enim huius procemij quatuor conſtitui partes: quarum prima eſt tranſitio, hoc eſt repetitio ſummæ primi Libri, & expoſitio ſummæ ſecundi Libri. Altera continet defenſionem philoſophici ſtudij, omiſſa Repub. Tertia oſtendit, etiam Academico licere præcepta officij perſequi. Hæc duo membra cum eandem rem tractent, hoc eſt, Philoſophiæ defenſionem, in unum conflari poſſunt: ſed tamen commodius ſeparantur, cum diuerſæ ſint criminationes, una totius Philoſophiæ, altera Academicæ ſectæ. Quarta & poſtrema eſt, ut dixi, operis dedicatio.*

Academicarum quæſtionum iactura. Satis, ut arbitror.) *Eſt & hoc modeſtum. Sed cum eorum librorum iacturam ex parte fecerimus, ſunt fortaſſe quæ non iniuria deſideremus.]*

CICERO.

Tibi autem, mi Cicero, quanquam in antiquiſſima nobiliſſimaq; philoſophia Cratippo autore uerſaris, iis ſimilimo qui iſta præclara pepererunt: tamen hæc noſtra, finitima ueſtris, ignota eſſe nolui. Sed iam ad inſtituta pergamus.

Ariſtoteli quamuis adiuto inuentis ueterum, magnam deberi gratiã. Tibi autem, mi Cicero.) *προσκαταληπτικὸν membrum eſt, cuiuſmodi etiam initio primi libri habuimus: Quanquam te Marce fili, &c. ne, quod prouerbio dicitur, γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. Antiquiſſimam autem Peripateticorũ doctrinã appellat, reſpectu ſectæ Academicæ. Doctrina enim Pythagorica,*

quam

quam Italicam dicunt, & Thaletis aliorumq́;, quam Ionicam uocant, longè fuerunt antiquiores. Ac niſi Ariſtoteles uitula illorum philoſophorum (ut Sampſonis uerbo utar) araſſet, multa ænigmata philoſophiæ non ſoluiſſet. Facilè enim eſt inuentis addere, multorūq; ſententijs collatis, uidere quid probabile, quid à uero alienum ſit. Sed tamen maior gratia deberi Ariſtoteli uidetur, quàm cæteris omnibus: primùm, quod omnes diſciplinas methodo quadam explicare ſtuduit: deinde, quòd non opiniones, aut aliorum autoritatem ſecutus eſt, ſed rationes ſuæ ſententiæ attulit. nec monſtra quædam καὶ παράδοξα (ut Pythagorei, Plato, Epicurei, Stoici & Academici) confinxit, ſimplicis ueritatis amicus. Ob cuius ſtudiū, honeſtiſſimis elogijs à magiſtro Platone eſt ornatus: ut & ἀναγνώστης, & ὁ νοῦς, & ὁ φιλόσοφος τῆς ἀληθείας diceretur. Qui igitur philoſophari uolunt, huius opera ſtudioſè legant, adhibitis tamen in primis epitomis Melanthonis, Foxij, & aliorū doctorū, quibus admoneantur, ne pro oraculis habeant omnia quæ tradit Ariſtoteles. Fuit enim & ipſe homo, & is quidem ueræ religionis ignarus: qui labi, errare, decipi, qui affectibus alicubi indulgere potuit. Deinde fortaſſis ei ocium defuit abſoluendi, & corrigendi omnia. Deniq; multa eius præclara ſcripta interciderunt: & ea quæ extant, multis locis mutila & deprauata ſunt.

Methodi & ueritatis ſtudium.

Etiam Ariſtoteles cum iudicio legendus.

In antiquiſsima nobiliſsimaq́ philoſophia.) *Teneatur hoc elogium, ἡ περιπατητικὴ αἵρεσις τῶν φιλοσοφιῶν ἡ ἀρχαιοτάτη τε καὶ πρεσβυτάτη. Quare ualde ijs aſſentior, qui nouas ſectas ideo & exortas eſſe & floruiſſe putant, quòd ſcripta Ariſtotelis longiſſimo tempore, ſeu malo quodam fato, ſeu hominum incuria delituerint.*

Iſta præclara pepererunt.) *Intelligit Socratem, Platonem, Xenocratem, Speuſippum, Ariſtotelem, Theophraſtum, & ſimiles Academiæ ueteris & ſectæ Peripateticæ autores atq; principes: quorum decreta philoſophaſtri recentiores argutijs atq; ambitione ſua corruperunt & obſcurarunt. Sed uide quanta ſit uis ſimplicis ueritatis. Nihil Zenonis, nihil Epicuri, nihil Arceſilæ, nihil aliorum complurium habemus reliquum: Platonem, Ariſtotelem, Xenophontem, Theophraſtum habemus, ſi non integros, at magnam eorum bonamq́; partem, ut exclamare cum Cicerone noſtro libeat: Opinionum commenta delet dies, Naturæ iudicia confirmat. Neq; hoc cum dico, illud dico: aut nihil illos, quorum ſcripta perierūt, habuiſſe præclari: aut nihil in ijs quæ ſuperſunt, in eſſe erroris & impietatis (neq; enim ſibi ueritatis ſtudioſus legem atq; neceſſitatem debet imponere, ut quem in plurimis probet, nuſquam improbare, ſi quid melius cognorit, audeat. delyri enim hominis hoc, non ſapientiæ ſtudioſi fuerit) ſed quia in pleriſq; ſtudium ueritatis illi habuiſſe, & à Naturæ ſcopo minimùm aberraſſe uidentur: ideo magni eos eſſe faciendos, & amandos exiſtimamus.*

CICERO.

Quinq́ igitur rationibus propoſitis officij perſequendi, qua-

di,quarum duæ ad decus, honeſtatemq́ pertinent: duæ ad commoda uitæ,copias,opes,facultates: quinta ad eligendi iudicium: ſi quando ea quæ dixi, pugnare inter ſe uiderentur,honeſtatis pars perfecta eſt,quam quidem tibi cupio eſſe notiſsimam.

Quinq; igitur rationibus propoſitis.) *Hactenus proœmiũ, prior Secundi Libri pars. Sequitur altera, quæ præcepta tradit rerum uitæ utilium, actione uirtutis parandarum.*

Quinque igitur.) *Quia tranſitioni Proœmium longius ſubtexuit, eandem repetit, ut commodiorem habeat aditum ad præcepta utilitatis explicanda.*

Officij perſequendi.) *Primo libro dixit, capiendi conſilij deliberationem in quinq; diſtributam eſſe partes. Sed hæc uerba, Capiendi conſilij deliberatio: & Rationes officij perſequendi: non pugnant inter ſeſe, ſed potius cohærent, ut θεωρία καὶ πρᾶξις. Primùm enim intelligendum eſt, quid honeſtum, quid utile ſit. cum hoc intellectum fuerit, perſequendæ ſunt res honeſtæ & utiles: id eſt, omni ſtudio conſectandæ & parandæ, fugiendæq; contrariæ.*

θεωρία. πρᾶξις.

Quam quidem tibi cupio.) *Scilicet, ut & magis conuenientem hominis dignitati, quippe cuius mentem & animũ inſtruat & exornet: & ut fundamentum eorum quæ ſequuntur, omniũ. Nam cum honeſtas atq; utilitas cohæreant, nec ſeparari poſsint: cognita honeſtate, nec utilitas quidem ignorabitur. Sed hoc intereſt inter Librum primũ & ſecundũ, quòd illo honeſtas per ſe conſideratur, nuda ſcilicet, detractoq; omni fructu, ſicut formoſus homo eſſe mallet quàm deformis, etiamſi in ſolitudine uiueret: hoc autem libro ita conſideratur honeſtas, ut eſt efficiens uariarum utilitatum, & maximis præmijs ornat hominem.*

Honeſtas cõſideratur uel quatenus perficit, uel quatenus exornat atque inſtruit hominẽ rebus ad uitam degendum neceſſarijs.

CICERO.

Hoc autem de quo nunc agimus, id ipſum eſt quod utile appellatur. In quo uerbo lapſa cõſuetudo deflexit de uia, ſenſimq́ eò deducta eſt, ut ab honeſto utile ſecerneret, & conſtitueret honeſtum aliquod, quod utile non eſſet: & utile, quod non honeſtum. Qua nulla pernicies maior hominum uitæ potuit afferri.

Hoc autem de quo nunc.) *Quia utile aliter philoſophi, aliter plebeij homines definiunt: in primis, utra eius deſcriptione uelit uti, conſtituit. Vtile (inquit) appello, id quod ab honeſto proficiſcitur, & eius quidem fructus eſt atq; effectus. Hoc utile eſt unius generis, more Stoico, & ſemper cum honeſto coniungitur. Vulgus aũt facit aliquid honeſtum, quod neq; utile neq; iucundũ ſit: ut, oppetere mortẽ pro patria. aliquid utile & iucundũ, quod non ſit honeſtum: ut, magnis diuitijs fraude, periurio, ui partis, indulgere genio. Aliquid etiam iucundum, quod neq; utile neq; honeſtũ ſit: ut, gula & libidine corrum-*

Vtile Stoicum.

Populare honeſtum, Vtile, Iucundum.

pere

pere ualetudinẽ, & contaminare famã. ut & contrà, aliquid utile, ſed non iucundum: ut, magnis laboribus & periculis parare opes, & eruditionẽ: in quo poſteriore concurrit etiam honeſtas. Hæc ſententia non adeò abſurda eſt, ſi communis loquendi uſus ſpectetur, & præſens tempus. Pleriq; tamen honeſtum nihil agnoſcunt, niſi idem ſit utile: quippe qui utilitate honeſtatem metiantur, & honeſti uim detracta utilitate non perſpiciant. Hinc illud Iſocratis in Panathenaico: Cum duæ res, inquit, Athenienſibus, quarum neutra bona eſſet, proponerentur, præſtare putauerunt, ſe alijs malefacere, quàm aliorũ iniurias tolerare: & præter ius & æquum alijs potius imperare, quàm huius culpæ fuga iniuſtè Lacedæmonijs ſeruire. Quæ utiq; omnes cordati homines meliora & potiora ducunt: pauci aũt, qui ſapientiæ ſibi nomen arrogant, inficiantur. Sed philoſophi re ſubtilius indagata, & fine ſpectato, intellexerũt, ueram uoluptatẽ et utilitatem pendêre ab honeſto: à qua ſi receſſerint, inania quædam eſſe ſimulacra uoluptatum atq; utilitatum, cum reuera ſint triſtiſſimæ peſtes. Sed dogma hoc à ſolis Chriſtianis, qui ad diuinum præmium & ſupplicium omnia referunt, uerè intelligitur: cum Stoici quaſi per ſomniũ præclara quedã dicere uideãtur. ut ſæpe Ariſtotelis in mẽtẽ mihi uenit, qui α. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ dicit, ὅτι οἱ πάλαι φιλοσοφήσαντες, οὔτε ἄρ' εἰδήσεις, οὔτε εἰδότες ἐοίκασι λέγειν ἃ λέγουσι: id eſt, ueteres philoſophos ea quæ dixerũt. ſic dixerũt, ut nec ſciẽtia illa cõprehẽſa tenuiſſe, nec intellexiſſe uideãtur. Qua de re plura fortaſſe dicemus lib. 3. ne prolixior unius loci tractatio faſtidiũ pariat.

Solos Christianos & honestatis & utilitatis connexionem uerè perspicere.

In quo uerbo lapſa.) *Primùm refutat prauum uſum uocabuli. Sic Athenienſes etiam, cum Ariſtides Themiſtoclis conſilium, quod libro tertio refert Cicero, utile quidem eſſe, ſed non honeſtum dixiſſet: pro concione reclamarunt, Nihil eſſe utile, quod non idem ſit honeſtum: Infamiam, ut opinor, magis quàm turpitudinem fugientes. Nam quæ illorum in gerendo Græciæ principatu ſanctitas & abſtinẽtia fuerit, uel è patriæ laudatore Iſocrate pluribus in locis, qui uolet, perſpexerit.*

Lapſa conſuetudo deflexit de uia.) *Elegans locutio, re, loco perſonæ, poſita: pro, homines ſolent labi, & deflectere de uia.*

Senſimq; eò.) *Alludit ad uulgatam ſentẽtiam, errorem initiò paruum, tand' fieri maximũ: ut ſolet in itinere faciendo accidere. Principijs igitur obſtandum: & (quod libro ſuperiore monuit) hunc quoq; transferendũ, quæ parua eſſe uideantur delicta, nec à multis perſpici poſſint, ab ijs diligentius etiam eſſe cauendum. Quæ ratio utinam & in educatione pueritiæ, & publica diſciplina ſeruaretur. Paruam enim labem & inclinationem, niſi fulcra & tibicines adhibeantur, tandem ruina totius ædificij ſequi conſueuit.*

Qua nulla pernicies maior.) *Grauiſſima & ueriſſima ſentẽtia. Hinc enim omnis officij neglectio, omnes iniuriæ, fraudes, ſcelera, uitæ humanæ perturbationes, plurimæq; calamitates oriuntur: quòd pleriq;, pietate & honeſtate neglecta, ijs rebus inhiant, ad eaſq; toto impetu feruntur, quæ ſpeciem aliquam uoluptatis atq; utilitatis habent.*

Perniciosa utilitatis & honestatis distractio.

CICERO.

Summa quidem autoritate philoſophi, ſeuerè ſanè atque honeſtè, † hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtinguunt. Quicquid enim iuſtum ſit, id utile etiam eſſe cenſent: itemque quod honeſtum, idem eſſe iuſtum. Ex quo efficitur, ut quicquid honeſtum ſit, idem ſit utile.

V. L. hæc tria, genere confuſa, cog.

Summa quidem autoritate.) *Maior pars, ut ait Liuius, plerunq; uincit meliorem: & uiolentum eſt imperitæ multitudinis præiudicium. cui hîc autoritas philoſophorũ opponitur: hoc eſt, rectæ rationis iudicium, ſenſuum illecebris & opinioni ueritas, nullis firmis nixæ rationibus antefertur.*

Honeſtum. Iuſtum. Vtile.

Hæc tria genera confuſa.) *Id eſt, Vtilitatem, Iuſticiam, & Honeſtatẽ, quæ ſuapte natura cohæreant, nec diuelli poſſint. Quæ etiam uirtutum omniũ & artium (ſi perfectio aliqua, & non inane ſimulacrum ſpectetur) ratio eſſe dicitur. Videtur autem climax hic, ſeu connexio (ſi, quod ſentio, dicendum eſt) dilutior, & ſuperuacaneus. Quis enim neſcit, Iuſticiã honeſtatis eſſe partem: & iuſtum quod ſit, idem non honeſtum eſſe non poſſe? Videntur tamen Stoici de generali iuſticia locuti, quæ una uirtutes in ſeſe omnes contineat. Sic τὸ καλὸν καὶ τὸ δίκαιον erit idem καὶ συνώνυμον, ab eoq; pendebit τὸ συμφέρον: ut honeſtas ſiue iuſticia ſit effectrix magnarum, ac potius omnium utilitatum: quod quidem uulgo non ita planum, ſed inter principes etiam philoſophos controuerſum eſt: nec (ut iam dixi) certò cuiquam conſtare uidetur, niſi Chriſtiano homini, qui unus uerum finem & ultimum ſpectat, nec in præmijs humanis ſpem ponit rerum ſuarum.*

CICERO.

Quod qui parum † perſpiciunt, hi ſæpè uerſutos homines, & callidos admirantes, eorum maliciam, ſapientiam iudicant. Quorum error eripiendus eſt, omniſque opinio ad eam † ſpem traducenda, ut honeſtis conſilijs, iuſtiſque factis, non fraude & malicia ſe intelligant, ea quæ uelint, conſequi poſſe.

V. L. proſpiciunt. ſpeciem.

Quod qui parum.) *ſcilicet, cohærere inter ſeſe connexione neceſſaria honeſtum, iuſtum, utile: ita quidem, ut ſi quis ſecus ſtatuat, eaq; diuellat, utile aliquid iudicans quod inhoneſtum iniuſtumq; ſit: is in iudicandis & hominibus & actionibus erret atq; hallucinetur.*

Perſpicunt.) *Alij proſpiciunt, ſed utrunq; nõ incommodè legitur. Proſpiciunt: id eſt, qui id modò quod ante pedes eſt uident, nec in longitudinem conſulunt, ut ait Terentius. Permulta enim ſunt, quæ in præſentia pulcherrima*

rima ſpecie uoluptatis atq; utilitatis blandiantur, ſed tamen in maximas moleſtias & perniciem detrudant. Eſt enim falſæ utilitatis & uoluptatis omnino quidẽ uirginea facies, ſed nigra & uenenoſa cauda: cõtraq; uirtutis primus aſpectus horridior, ſed finis iucundiſſimus & utiliſſimus. Perſpiciunt, id eſt qui in ſuperficie tantum (quod aiunt) hærent, nec rem ipſam intuentur, ſed falſam rei ſpeciem: ut qui cicutam & aconitum ob bellè depictam pyxidem ſalutares medicinas arbitrantur. Coniungant adoleſcentes utrunq; uerbum, aſſueſcantq́; & PERSPICERE ET PROSPICERE, *ne ſint ἐπιμηθεῖς, ἢ προμηθεῖς μετὰ τὰ πράγματα, ne'ue conuicium illud in Agamemnonem ab Achille coniectum audiant:*

Virgo formoſa ſupernè Deſinit in turpem piſcem maleſuada uoluptas, Vtilitasq; boni ſpecie fucata.

Perſpicere. Proſpicere.

— ὅγ᾽ ὀλοιῇσι φρεσὶ θύει
Νήπιος, οὐδὲ νοεῖν δύναται πρόσσω καὶ ὀπίσσω. *id eſt,*
Hunc furor urget atrox, neq; ſtulto corde reuoluit
Præteritum, cæcus neq; proſpicit ille futurum.

Hi ſæpè.) *Ex opinionibus falſis naſcuntur & praua iudicia de alijs, & uitioſæ actiones.*

Verſutos.) *Qui in omnem partem uerſant animum, nihilq́; intentatum relinquunt, quo ſuis rationibus conſulturi eſſe uideantur: ſine ullo ueritatis, uirtutis, conſtantiæ reſpectu. Mentiuntur, fallunt, fraudant, peierant, aſſentantur, ſi expedire uideatur. Hi græcè πολύτροποι, καὶ πανοῦργοι dicuntur: cuiuſmodi Philippum Macedonem Demoſthenes, Poetæ Vlyſſem depingunt.*

Verſuti δεινοὶ πράγμασι χρῆσθαι.

Callidos.) *Diuturno rerum uſu ita eruditos, ex aliorum incommodis ſua uti parent commoda, ut loquitur Comicus, nec à malis artibus abhorreant. Qua de re ſuperiore libro præclaram Platonis ſententiam habuimus.*

Callidi περὶ πράγματα τ' ἀγρούς.

Admirantes.) *Hæc admiratio etiam imitandi ſtudium complectitur, qui eſt Græcè ζῆλος: contraq; & contemnendi, & irridendi, & exagitandi, & circumueniendi uoluntatẽ, qui artes iſtas uel nõ callent, uel ut intelligant, oderunt & reprehendunt.*

Admiratio-oum incitatione improbitates.

Maliciam.) *Id eſt, mendacia, fraudes, impoſturas, iniurias, πανουργίαν & ἀδικίαν. Videtur enim uerbum hoc propriè deprauationem rationis, auerſam à Iuſticia, & ad πλεονεξίαν propenſionem declarare: ut è contrario Bonitas quid eſt aliud, niſi ueri & recti amor, cum benefica uoluntate?*

Malicia πανουργία καὶ πλεονεξία.

Quorum error eripiendus eſt.) *Sacræ quidem literæ hoc efficacius præſtant, quàm philoſophi: qui ad hanc in terris uitam pleraq; referentes, negare non poſſunt, impoſtores & tyrannos ſæpè hic ſplendidius & ſauius uiuere, quàm optimos & integerrimos uiros, qui nolunt (ut ait Ariſtophanes) ἀσκεῖν τὸν ἐπιχώριον τρόπον, hoc eſt mentiri, fallere, peierare, nihil denique facere quod ſanam mentem arguat. Sed tamen etiam Cicero errorem iſtum hoc libro ita coarguit, ut qui non planè deploratis ſunt ingenijs, intelligant uirtutem & utiliorem & ſuauiorem eſſe, quàm improbitatem. Qua de re, ſuo loco præclaram Clementis Alexandrini diſputationem afferemus.*

Improbos ſæpe uideri bonis feliciores.

Virtus & utilior & ſuauior improbitate.

Omniſq; opinio ad eam ſpem traducenda, ut intelligant.) *Id eſt: efficiendum eſt, uti opinentur, intelligant, & ſperent, ſe honeſtis rationibus plurimùm ſibiipſis profuturos: hoc eſt, honeſtiſsima quæq; fore etiam utiliſsima. Hoc qui maximæ hominũ parti perſuaſerit, (omnibus enim, propter ingeniorum ſtuporem, & naturæ prauitatem, diuturna conſuetudine roboratam, haudquaquam poteſt) quàm præclarè de uita mortalium merebitur? ſublata utiq; omni improbitate, & nocendi ſtudio. Quantæ autem difficultatis id ſit, uerborum pondus arguit. Error (inquit) horum eripiendus eſt: quaſi dicat, delectantur homines errore illo ſuo, eumq; ſumma ui defendunt: nec deponant ultrò, niſi aut firmiſsimis rationibus conuicti, aut diſciplinæ ſeueritate aliter aſſuefacti.*

Errorem hominibus eripere, palmariũ facinus.

Homines ſuis erroribus delectantur.

Ad eam ſpem.) *Rectius ſic legitur, quàm* Speciem. *Innuit enim, pleroſq; deſperatione quadam ad malas artes conuerti: quòd probitas (ut Satyricus ait) laudetur, & algeat. Hæc ſpes profectò pertenuis eſt, ſi huius uitæ confuſio ſpectetur: & animi, cupiditate magnarum opum & honorum æſtuent. Hæ enim res ſæpius fraude & malicia, quàm honeſtis conſilijs, iuſtiſq; factis parantur. Quæ in benè conſtitutis demum Rebuſpublicis (quæ, ſi quæ ſunt, pauciſsimæ ſunt) ad ampliſsimum dignitatis gradum euehunt. In cæteris uerò ſuarum rerum ita ſatagunt, ut tamen ab egeſtate & contemptu facilè ſeſe uindicent: interdum etiam principem locum obtineant, ueritate mendacium, uirtute improbitatem ſuperante. Si quando autem ſua ſpe fruſtrantur, & optatis eorum non reſpondet euentus: conſcientia recti factorum illi nituntur.*

Spes pertenuis in hac uita bono uiro propoſita.

Ea quæ uelint.) *Scilicet, commoda uitæ, copias, opes facultates, ut ſuprà dixit, quæ à græcis* τὰ πρῶτα τῆς φύσεως *dicuntur: hoc eſt, ne ulla re neceſſaria careant, aut priuentur: ne eſuriant, ſitiant, algeant, æſtuent: ut ſint ſani, robuſti, ſecuri, tuti, chari, diuites, potentes, glorioſi, fortunati, nobiles, &c. Hæc enim omnis ſanus ipſius naturæ inſtinctu deſiderat, ſed alius alio magis: & niſi ea uel omnia, uel prima illa ſaltẽ ſperet è ſuis laboribus, nulla philoſophiæ præcepta audit. Venter enim (ut prouerbio dicitur) caret auribus. Cũ harum rerũ iuſta copia eſt, facilè homines in officio cõtinentur: cum deſunt, contemptis & dijs & hominibus, quo iure quaq; iniuria ad eas parandas ruunt: cum ſuperſunt, luxuriant animi, inſoleſcunt atque iterum deos hominesq; contemnunt. Vnde uidemus rectiſsimè ſcriptum eſſe in Rhetoricis ad Herennium:* Difficile eſſe uirtutes eum reuereri, qui ſemper fortuna ſecunda ſit uſus. *Hinc ſupercilium illud, & faſtus intolerabilis, nobilium & diuitum. Eſt igitur huiuſmodi rerum* αὐτάρκεια *longè præſtantior, quàm affluentia: penuria uerò intolerabilis. Plures ſunt tamen* ἐπείσακτοι ἐπιθυμίαι: *ut cupiditas diuitiarum, imperiorum, uoluptatum. Nam uel ſine his benè beateq; uiui poteſt.*

Honeſta diſciplina nec in magnis opibus, nec in extrema inopia conſtare poteſt.

Mediocritas.
Inopia.
Affluentia.

Cupiditates ſuperuacaneæ.

CICERO.

Quæ igitur ad uitam hominum pertinent, partim ſunt inanimata, ut aurum, argẽtum, ut ea quæ gignuntur è terra, ut alia eiuſdem generis: partim animalia, quæ habent ſuos impetus, & rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia ſunt, alia ratione utentia. Expertes rationis ſunt, equi, boues, reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum uſum atque uitam. Ratione autem utentium duo genera ponuntur: unum deorum, alterum hominum.

V. L. inanima.

Quæ ergò ad uitam hominum, &c.) *Nunc tandem ipſum huius libri argumentum tractatur: & definitioni utilitatis, dialectica methodo, diuiſio ſiue partitio ſubiungitur, quæ eſt huiuſmodi: Omnes res utiles, aut ani-* 1. *matæ ſunt, aut inanimatæ. Inanimatarum rerum longa enumeratione non eſt opus.*

Res animatæ habent ſuam ὑποδιαίρεσιν. Diuiduntur enim in brutas, & 2. *rationis participes. Brutarum animantium prolixo catalogo æquè nihil opus eſt.*

Res rationis compotes iterum habent ſuam ὑποδιαίρεσιν. Sunt enim uel 3. *dij, uel homines. Locum de Deo, uel dijs, perſtringit breuiter, & ſatis frigidè, ſi Chriſtianiſmum ſpectes. Neq; uerò ille, promiſſi Meſſiæ & ſacræ hiſtoriæ ignarus, aliter aut luculentius potuit. Quæ uerò pietas fuit, colere Iouem Capitolinum, & Mineruã, eiq; hecatombas immolare, aut thus adolere, & ebori, ſaxo, ligno aut metallo ſupplicem eſſe? Quod maius frigus eſſe poteſt? Imò quæ maior & impietas, & inſania? De hominibus autem copioſius agit: ac monet, qui ſuis rebus optimè conſultum uelit, ei elaborandum eſſe, ut quàm plurimorum hominum ſtudia parata habeat: quibus efficiatur, ut & brutæ animantes, & res inanimes, ipſi maximo uſui futuræ ſint. Cum autem contrariarum rerum doctrina ſit eadem: non opus eſt, res noxias & pernicioſas enumerare.*

Frigida religio Ciceronis: inutile dogma.

Homo homini uel deus, uel lupus.

Intellectis utilibus, etiam noxia intelliguntur.

Vt alia eiuſdem generis.) *Quid uerò è terra non naſcitur, eáue non includitur, atque innititur? ut ſyluæ, montes, fontes, flumina, maria, &c. & quæ in his degunt animantes. Cum igitur dixerit (Ea quæ gignuntur è terra) non uideo quid opus ſit hac clauſula.*

[illegible]

Quæ habent ſuos impetus.) *Scilicet & corporum, & animorum: non affixa terræ, alieno'ue impulſu agitata, ut ſegetes & arbores, &c. Sed ui quadam ſua, quam à natura acceperunt: ut piſces natant, aues uolant, pecudes & homines ingrediuntur, cum uolunt. Et hæc de natura intelligenda ſunt in-*

ἔμψυχα.

ἄψυχα. ſunt integra, & externa ui non impedita. Ex hac deſcriptione inanimatarũ quoq; rerum definitio ſatis intelligitur. eas eſſe, quæ appetitus rerum & ſuos impetitus non habeant, qui tamen μεταφορικῶς terræ tribuitur (unde illud, ὄμβρου ἐρᾷ γῆ: & rebus terra naſcentibus, ut herbis, arboribus, &c.

Beneficia Dei gratis animis accipienda.

Quarũ opere efficitur.) *Humanis uſibus omnes res terrenæ, ſiue animatæ, ſiue inanimatæ, diuina inſtitutione ſeruiunt. Quamobrem decebat homines perpetuò diuinæ erga ſe liberalitatis meminiſſe, eiq; omnia uitæ cõmoda grauiſſimis animis, & cum ſummo præceptis illius obtemperandi ſtudio, & beneficentia erga egenos, accepta referre.*

Ad uſum hominum non, hominis.

Ad hominum uſum atq; uitam.) *Hominum, inquit: non, unius alicuius hominis. Iniuſti igitur ſunt homines auari & tenaces, qui omnia in ſuum peculium uertere conantur, nec egentibus & ſine culpa calamitoſis quicquã impertiunt. Illud quidem uerum eſt, ignauorum & luxurioſorum hominum uſui, uel potius abuſui, nihil impertiendum eſſe.*

Vſum.) *non abuſum, qui lædit ualetudinem & nocet alijs.*

Atq; uitam.) *non ad interitũ. Ferro igitur utendum erat non ad trucidandos homines: ſed ad colendam terram, ad opificia exercenda, ad mactandas pecudes, ad interficiendas feras.*

CICERO.

Deos placatos efficiet pietas & ſanctitas.

Deos placatos efficiet pietas & ſanctitas.) *Non incommodè hæc dicuntur, ſi dextrè intelligantur. Pietas enim agnitionem & cultum Dei complectitur: ſanctitas, innocentiam, atq; integritatem uitæ. Talibus enim Deus nõn modò iraſcitur, ſed etiã optima quæq; largitur. Sed his de rebus in Theologia diſputatur accuratius, & prolixius, quàm hoc loco explicari uel poſſit, uel debeat.*

Pietas quid ſit Ciceroni?

Pietatem autem Cicero alibi fundamentum uirtutum omniũ, ueriſſimè appellans, iuſticiam aduerſus Deos, honeſtamq; de numine eorum ac mente opinionem, definit. aliàs ea eſſe dicit, quæ erga patriã aut parentes, aut

Sanctitas.

alios ſanguine coniunctos, officium conſeruare moneat. Sanctitatem uerò aliàs colendorum deorum ſcientiam appellat: ac pietatem, ſanctitatem, religionem, purè ac caſtè deorum numini tribuenda eſſe præcipit. aliàs & hominibus & magiſtratibus, & uarijs rebus tribuit.

Vtinam pietatis & ſanctitatis ſtudioſiores eſſemus.

Vtinã uerò nos pietatis & ſanctitatis tam ſtudioſi eſſemus, quàm rixarum & odiorum. Vnde πανολεθρία pietatis & ſanctitatis extitit: quam (niſi Deus auerterit) rerum publicarum interitus conſequetur.

Sophiſticæ, cruenta certamina ſucceſſerunt.

Queſti non ita olim ſumus de ſophiſtarum argutijs, eaſq; è Scholis profligauimus: ubi regnum illæ, nõ quidem ualdè probandum, ſed incruentum tamen tenuerunt. Sed quid illorũ correctores & ſucceſſores & deſignarint & deſignent, piget ac tædet meminiſſe. Abſit ut atrociora uidere cogamus, & perpeti.

CICERO.

Proximè autem, & ſecundum deos, homines homini-

bus ma-

bus maximè utiles eſſe poſſunt. Earumq; item rerũ quæ noceant & obſint, eadem diuiſio eſt.

Eadem diuiſio eſt.) *Contrariorum enim doctrina eſt eadem. Si igitur res animatæ atq; inanimes, rationis participes & expertes, ſi Dij atq; homines proſunt & iuuant: eædem res etiam obſunt atq; nocent.*

CICERO.

Sed quia Deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus plurimos obeſſe uel prodeſſe arbitrãtur.

Sed quia Deos nocere non putant.) *Scilicet, quia boni ſint. Bonorũ autem ſit, prodeſſe tantùm, non etiam obeſſe. Sicut D. Paulus ait, Deum uelle omnes homines ſaluos fieri. Ipſi autem ſeſe lædunt, qui à Deo & præceptis eius petulanter recedunt. Diuinæ igitur Iuſticiæ eſt, pati eos eſſe miſeros & malos, ac diaboli mancipia: cum boni & beati, & ſerui Dei eſſe nolunt. Non tam igitur læduntur à Deo, quàm deſeruntur: deſerti autem, omni malorum genere opprimuntur.*

Deus homines à ſe auerſos in exitiũ ruere ſinit.

Deos nocere non putant.) *Eos etiam prodeſſe negarunt Epicurei, ut Lucretius his uerſibus delirat:*

Omnis enim per ſe diuûm natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruantur,
Semota à noſtris rebus, ſeiunctaq; longè.
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri,
Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Veteres autem tria Deorum genera ſtatuerunt, & triplicem etiam cultus rationem habuerunt. Nam à cœleſtibus bona precabantur: Heroes colebant ob acceptorum beneficiorum memoriam: Cacodæmones placabant, ne nocerent. Sed hoc ultimum deorum genus Cicero diſſimulat.

Tria Deorũ genera.

Quæ ergo ad uitam hominum.) *Non inutile fuerit, nec ab inſtituto noſtro alienum, diuiſionem hanc utilium rerum ad rem ſcholaſticam accommodare. Videtur igitur ad Scholam feliciter & benè inſtituendam & tuendam, neceſſarius eſſe Genius ipſius loci, à Muſis & Gratijs, honeſtaq; diſciplina non alienus. Videmus enim alia loca plures agricolas, alia mercatores, alia milites, alia opifices, alia doctos homines gignere. Nec enim omnis fert omnia tellus. Hic igitur Genius diuini beneficij eſt. Deindè quia pauci, quæ res ſit eruditio intelligunt: pauci ludimagiſtros adeunt: magiſtratus autem educationem liberũm parentibus liberam relinquit: Eccleſiaſtici doctores requiruntur, qui rudem populum officij ſui in erudiendis liberis commonefaciant, ut parentes liberos ſuos & erudiri uelint, nec quicquam prætermittãt quod ad eam rem requiratur. Requiritur autem in primis delectus ingeniorum, quæ diſcere & uelint, & poſſint. Vt poſſint, opus eſt integritate mentis,*

Accõmodatio Ciceronianorũ uerborũ ad rem ſcholaſticam.

Loci genius.

Eccleſiaſtici doctores.

Delectus ingeniorum.

Facultas.
Voluntas.

& ſenſuum, proſpera ualetudine, & mediocribus ſumptibus. Vt uelint, uel ab ipſa natura excitantur, uel parentum & præceptorum dexteritate atq; autoritate mouentur. Cum & parentes & liberi in officio fuerint, opus eſt au-

Magiſtratus.

toritate & liberalitate magiſtratuum: à quibus honeſta præmia, & iuſta uitæ ſubſidia præceptoribus ingenioſis, & eruditis, fidelibus, aſſiduis, laborumq; patientibus decernantur: indocti autem, ignaui, diſſoluti, plagoſi, ἀμέθοδοι remoueantur. Et hæc ſunt τὰ ἔμψυχα καὶ λογικὰ τῶν ὀργάνων, quibus ſchola uel carere non poteſt: uel ſi caret, haud dubiè malè regitur, fitq; χολὴ potius quàm σχολὴ, ut iocabatur Diogenes. Accedunt deinde etiam τὰ ἄψυχα τῶν ὀργάνων, quæ à ſuperioribus inſtrumentis pendent: cuiuſmodi ſunt,

Muſæa diſtincta claſsibus.

Muſæa tranquilla, & ab omni remota ſtrepitu, ſalubria, amœna. pro numero diſcipulorū & ratione diſcentium iuſtis interuallis diſtincta, ut & certæ ſint progreſſionum rationes. & claſſes inferiores ſuperioribus ſubſeruiant.

Scholaſtici in gymnaſijs alendi.

Hîc commodū eſſet, pueros literis deſtinatos, à parentibus abduci, & in ſcholis etiam ali: ut fit Lutetiæ, & alijs in locis, ubi ſæpè filius in gymnaſio degens, toto ſemeſtri parentes in eadem urbe habitantes non uidet. Alioqui enim nunquā uel honeſta diſciplina, uel certa docendi diſcendiq; ratio poterit obſeruari, ſubinde a-

Monaſteriorum uſus.

lijs atq; alijs ceſſantibus, & munus ſuum negligentibus. In hunc uſum conuerti monaſteria poſſent, profligata ſuperſtitione, atq; ignauo luxu: & introducta pietate, honeſta diſciplina & optimarum artium ſtudijs, quibus adoleſcētes eruditi, & Eccleſijs & Rebuſpublicis uſui atq; ornamēto eſſent: nō monachi & homines ſuperſtitioſi, & inutilia terræ pondera: ſed Theologi, Iuriſconſulti, Medici, Philoſophi, Ludimagiſtri hinc prodirent. Ita fieret, ut nec bona ingenia ob inopiam negligerentur, nec Reſpublicæ nouis ſumptibus onerarentur. Sed hæc fortaſſe beatorum ſomnia ſunt, optariq; facilius quàm ſperari poſſunt: eorum utiq; (ſi dicere fas eſt) culpa, nec ſine rerum humanarum

Bibliotheca.

clade, qui rerum potiuntur. Poſteà non minimum eruditionis inſtrumentum ſunt multi & boni libri: quem in uſum publicæ Bibliothecæ inſtitutæ ſunt, ne quiuis homo priuatus & tenuis neceſſe habeat, uel munere ſuo minus luculenter fungi, uel nummulos alendæ familiæ neceſſarios in libros conferre, qui poſt ipſius obitum liberis parū proſint. Hoc enim mercis genus & magno emitur: & peſſimè, cum urget neceſſitas, uenditur. Hæc inſtrumenta quia Scholas pleruſq; magna ex parte deſtituunt: miſerandū potius eſt quàm mirandum, eas adeò non inſtaurari, ut potius breui planè corruituræ eſſe uideantur. Qui in culpa ſunt, rationem reddent Deo.

CICERO.

Ea enim ipſa quæ inanimata diximus, pleraq; ſunt hominum effecta operis. Quę nec haberemus, niſi manus & ars acceſsiſſet, nec his ſine hominū adminiſtratione uteremur. Neq; enim ualetudinis curatio, neq; nauigatio, neq; agricul-

agricultura, neq; frugum fructuumq́; reliquorum perceptio & conſeruatio, ſine opera hominum ulla eſſe potuiſſet. Iam uerò & earum rerum quibus abundaremus exportatio, & earum quibus egeremus inuectio certè nulla eſſet, niſi his muneribus homines fungerentur. Eademq́; ratione nec lapides exciderentur è terra, ad uſum noſtrũ neceſſarij: nec ferrum, aurum, æs, argentũ effoderetur, penitùs abditum, ſine hominum labore & manu. Tecta uerò, quibus & frigorum uis pelleretur, & calorũ moleſtiæ ſedarentur, unde aut initio generi humano dari potuiſſent, aut poſtea ſubuenire, ſi aut ui tempeſtatis, aut terræ motu, aut uetuſtate cecidiſſent, niſi communis uita ab hominibus harum rerum auxilia petere didiciſſet? Adde ductus aquarum, deriuationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppoſitas fluctibus, portus manufactos, quæ non ſine hominum opere habere poſſemus. Ex quibus omnibus, multisq́; alijs perſpicuum eſt, qui fructus, quæq́; utilitates ex rebus his quæ ſunt inanimatæ percipiantur, eas nos nullo modo ſine hominum manu atque opera capere potuiſſe. Qui denique ex beſtijs fructus, aut quæ commoditas, niſi homines adiuuarent, percipi poſſet? Nam & qui principes inueniendi fuerunt, quem ex quaque belua uſum habere poſſemus, homines certè fuerunt: nec hoc tempore ſine hominum opera paſcere equos, aut domare, aut tueri, aut tempeſtiuos fructus ex his capere poſſemus. Ab eiſdemq́; & ea quæ nocent, interficiuntur: &, quæ uſui eſſe poſſunt, capiuntur.

Ea enim ipſa quæ inanimata.) *Prolixa enumeratione oſtendit, ut & antè diximus, hominem homini & deum & lupum eſſe, ut prouerbio dicitur. Finis autem enumerationis eſt is, ut ſtudeamus nobis quàm plurimos honeſtis officijs conciliare. Primi uerò membri ſumma, ut res inanimatæ homini proſint, hominum induſtria effici. Sequitur alterum membrum, ſine eorundem opera ne animalia quidem nobis uſui eſſe potuiſſe. Quæ cum omnia clara & perſpicua ſint: cur lucernam (quod aiunt) in meridie accenderemus?* Res & animatas & inanimes hominũ opera prodeſſe nobis.

Sine hominum opera.) *Hoc loco ea repetantur, quæ lib. ſuperiore contra fa-*

tra faſtũ & inſolentiã diuitũ dicta ſunt. Quos hæc cõmemoratio ad grati animi officium, atq; ad amandos & magnifaciendos pauperes homines excitare poteſt & debet. Conſtat enim eos his ipſis rebus eſſe magnos, potentes, fortunatos, quæ induſtria & labore pauperrimorum & uiliſſimorum hominum comparantur. Qui cum ſinguli miſerrimi ſint, & egentiſſimi, coniunctis operis, tenuiq; ſtipe collata, potentiſſimos Reges ita efficiunt, ut multi tenuiſſimi riuuli fluuios nauigabiles: qui pleriq; & ipſi à primo ortu quid aliud fuerũt niſi riuuli, quos penè ſiccis pedibus tranſeas?

Pauperum ſtipe creſcũt opes regales.

CICERO.

Quid enumerem artium multitudinẽ, ſine quibus uita omnino nulla eſſe potuiſſet? Quis enim ægris ſubueniret? Quæ eſſet oblectatio ualentium? qui uictus aut cultus, niſi tam multæ nobis artes miniſtrarent? Quibus rebus exculta hominũ uita, tantum diſtitit à uictu & cultu beſtiarum. Vrbes uerò ſine hominũ cœtu nõ potuiſſent nec ædificari, nec frequentari. Ex quo leges moresq; conſtituti, tũ iuris ęqua deſcriptio, certaq; uiuendi diſciplina, per quas bene beateq; uiuitur. Quas res & manſuetudo animorum cõſecuta, & uerecundia eſt: effectumq; eſt, ut eſſet uita munitior, atq; ut dando & accipiendo, permutandisq; facultatibus & commodis nulla re egeremus.

Artium uarietas & conſociatio ciuilis hominum induſtriæ accepta referenda.

Quid enumerem.) *Tertium & quartũ enumerationis membrũ, etiam artiũ uarietatem, ciuilemq; conſociationem, hominum induſtriæ deberi indicant. Potuiſſet paucis dicere: Quicquid uitæ noſtræ uſui ſeruit, hominibus acceptum eſt referendum. Sed Cicero diſtributione ſiue enumeratione locum hunc dilatauit & illuſtrauit, in quo obiter obſeruanda eſt elegans minimeq; moleſta complures partes connectendi ratio.*

Ex quo leges.) *Nã dum homines diſperſi in agris & ſyluis more ferarũ uiuebant, ſuæ cuiq; uires pro legibus erãt, et robuſtior imbecilliorẽ, ſi libuiſſet, opprimebat. Erãt igitur* χειροδίκαι καὶ βίαιοι, ὑβρισταί, ὑπερφίαλοι, ἀδίκιστοι.

Et mãſuetudo animor.) *Vis & effectus ciuilis cõſociationis, honeſtæq; diſciplinæ deſcribitur, quæ magna ex parte è Scholis benè conſtitutis pendet.*

Et uerecundia.) *Ne ſcilicet more Cynico, quæ naturæ neceſſitas affert, quæq; per ſe inhoneſta non ſunt, in publico fiant, ne aliorum oculi, aures, nares, animi offendantur. Sunt igitur Cynici in montes & ſyluas, ad feras & beſtias relegandi. nam in Republica & familia, eorum licentia ferri non poteſt.*

Vt eſſet uita munitior.) *minus obnoxia iniurijs tempeſtatum, graſſationibus ferarum, & uiolentiæ eorum qui robore ſunt ſuperiores.*

Atq; ut

Atq; ut dando.) *Commercia & contractus hic attinguntur: de quibus & ipſis libro ſuperiore, in loco de Iuſticia, paulo uberius actum eſt.*

CICERO.

Longiores hoc loco ſumus, quàm neceſſe eſt. Quis eſt enim cui nō perſpicua ſint illa, quæ pluribus uerbis à Panætio commemorantur: neminem neq; ducem in bello, nec principē, magnas res & ſalutares ſine hominū ſtudijs gerere potuiſſe? Cōmemoratur ab eo Themiſtocles, Pericles, Cyrus, Ageſilaus, Alexander: quos negat ſine adiumentis hominum tantas res efficere potuiſſe. Vtitur in re non dubia, teſtibus non neceſſarijs.

Longiores hoc loco.) *Opportuna, ac propè neceſſaria occupatio. Nemo enim ſanus eſt, quin per ſeſe hæc omnia intelligat, atq; etiā uideat, ni cæcus ſit. Referuntur tamen non ut incognita, ſed in memoriā reuocantur, ut diligenter cogitāda: eo utiq; conſilio, ne ſuperbia elati, alios præ nobis contēnamus: ſed potius, ut infimos etiā homines amemus, iuuemus et magnifaciamus.* ἀνάμνησις τῆς φιλαυτίας.

Quis eſt enim cui non.) *Tractat hic Cicero τὰ κοινὰ καινῶς, occupatione, præteritione, atq; etiam reprehēſione in ſpeciem, ut ne fruſtrà uerba facere uideatur: utq; id tamē dicat, quod & à præſtātibus uiris antè dictum fuerat, & eſt: hominibus, præſertim potentibus, utile in memoriam reuocari, ne ſibi αὐτάρκεις, & per ſe tanti tamq; potentes eſſe uideantur.*

Magnas res.) *Eæ ſunt, conſeruatio cōcordiæ, pacis, honeſtæ diſciplinæ, In bello autē, propulſatio hoſtiū. Cum his cōiungitur copia rerū neceſſariarū, & ſalubritas aeris: quatenus illa, mundicijs ædium & platearum, ab homine præſtari poteſt. Quæ res magnæ, eædemq; ſalutares ſunt. Quod autem ad amplificationem imperij atque opum pertinet: quantumuis illa magna uideatur, pernicioſa tamen eſt potius utrique parti, & uictoribus & uictis, quàm ſalutaris. Quid enim præclari habent uaſtationes agrorum, incēdia uillarum, excidia urbium, cædes & captiuitates hominum uel innocentium, uel certè miſerorum? Quod ſi omnes ſuarum rerū ſeſe finibus continerēt, regesq; & magiſtratus darent operam, ut ſuorum populorum concordiam, honeſtam diſciplinam, ualetudinem & rem familiarem tuerentur, externumq; metum propulſarēt: longè melius cum rebus humanis ageretur, & res multo maiores, magisq; ſalutares gererētur. Quid eſt enim in eo laudabile, ſi cum multorū interitu uel tuos, uel Reipublicæ tuæ reditus, ac potius luxū ac ſuperbiā augeas, ambitionem atq; auariciam alas, & omnibus flagitijs magnam aperias feneſtram? Sed hæc fruſtrà dicuntur & optantur, Deo impietati noſtræ & flagitijs irato, eaq; ſæuitia bellorum ulciſcente, ad eamq; rem tyrannorum opera abutente. Nam ſeruū ſuū Nebucadnezar per Prophetas uocat Deus, quē mirabiles illi triumuiri Regum omnium peſſimum & atrociſſimum appellant.*

Magnas res.

Amplificatio imperij & uictis & uictoribus noxia.

Vindice bella Deo, ſcelerū ſæuiſsima pœna Miſſa, iubent uiæ rectæ us ire uiam.

leonibus circumſeſſam fuiſſe cõmemorat, qui prius depelli nõ potuerint, quàm interfectorum cadauera ignominiæ cauſa furcis ſuſpenderentur. Idem, Baleares inſulas Romanarum legionum auxilia contra cuniculorum multitudinem implorâſſe tradit. Quãtum ranæ, cimices, & alia inſecta Aegyptijs nocuerint, docent Sacræ literæ.

Quarum impetu docet.) *Is liber intercidit, neq; nunc talia exempla in mentem ueniunt. Noſtra quidem ætate quantum locuſtæ nocuerint agrũ, & ut infecerint aerem, notum eſt.*

CICERO.

Cùm igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimùm hominibus & proſint, & obſint: proprium hoc ſtatuo eſſe uirtutis, conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos adiungere.

Cùm igitur hic locus.) *Prolixa hæc commemoratio duobus enthymematis includi poteſt, hoc ferè modo:*

Homines hominibus plurimùm prodeſſe poſſunt. Ergo
Danda eſt opera, ut nobis benè cupiant.

Homines hominibus plurimùm nocere poſſunt. Ergo
Cauendum, ne à nobis alienentur, aut irritentur.

Cùm igitur hic locus.) *Poſteaquam oſtendit, hominem homini plurimùm & prodeſſe & nocere: eò iam accedit quò uoluit, ac propoſitionẽ huiuſmodi ſtatuit: Beneuolentia hominum uirtute concilianda eſt. Id autem quî fiat, in progreſſu huius diſputationis pluribus uerbis declaratur.*

Proprium hoc ſtatuo eſſe.) *Suprà dixit, omnem opinionem ad eã ſpem eſſe traducendam, ut honeſtis conſilijs, iuſtisq́; factis, non fraude & malicia, ſe intelligant ea quæ uelint conſequi poſſe. Proprium ergo uirtutis, κατ' ἀπόφασιν ϗ ἀναίρεσιν τοῦ ἐναντίου intelligatur. Virtus (inquit) uera effectrix eſt uerarum utilitatum: non fraus & malicia, ut uulgus hominum putat.*

Ad uſus ſuos adiungere.) *Id eſt, Efficere ut re, opera, conſilio nos iuuent. Hinc intelligi debet, immeritò reprehendi philoſophos, ut nec ad rem familiarem tuendam, nec ad Rempublicam gerendam aptos: atq; adeò tales, qui adoleſcentes etiam ad huiuſmodi officia inſtitutione ſua ineptos reddant. Nõ ita ſe res habet. Nam ſi uirtutem docẽt, uirtus aũt ueræ utilitatis effectrix eſt: qui præceptis eorum paruerit, (neq; enim ea audiuiſſe & intellexiſſe ſatis eſt) eum ad omnia uitæ quoq; ciuilis munia obeunda aptiorem fore quis dubitet? Nam quòd res humanas deſpicere iubent, id eam uim non habet, quaſi negligenda ſint omnia: ſed illud uult, uirtuti & ſapientiæ magis ſtudendum eſſe, quàm rebus caducis: ac eas quidẽ, ſi adſint, tuẽdas: ſi deſint, honeſtè ac ſine auaricia parãdas eſſe. Sin uel hominũ iniuria, uel fortunæ incertis caſibus ademptæ ereptæq́; fuerit: iacturam æquo animo eſſe ferendam.*

Philoſophos docẽda uirtute, inſtruere adoleſcentiam ad agendum.

Res humanæ quomodo contemnendæ.

CICE-

CICERO.

Itaqꝫ quę in rebus inanimis, quæqꝫ in uſu & tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum uitam, artibus ea tribuuntur operoſis. Hominum autem ſtudia, ad amplificationem noſtrarum rerum prompta & parata, uirorū præſtantium ſapientia & uirtute excitantur.

Artibus ea tribuuntur operoſis.) *Id eſt, Res inanimes, itemq́; beſtiæ, nobis uſui eſſe non poſſunt ſine difficultatibus, moleſtijs & laboribus. Beneuolentia uerò hominum tanto labore non paratur, multoq́; facilius contingit, modò ſis uir bonus & ſapiens. Qualis ut euadas, niſi ab ipſa natura magna adiumenta ad utramq; rem habeas, perdifficile eſt futurum. Sæpe tamen adoleſcentia ἐθελοκακοῦσα, naturæ, nō ignauiæ ſuæ, quæ ſæpe ſola obſtat, uitia ſua & ſtulticiam imputat. Virtutis autem & ſapientiæ opinionem, hominum, præſertim bonorum, beneuolentia ſtatim comitatur, ut umbra corpus. Eſt igitur amplificatio, ſumpta à collatione & loco à facili, qui dialectico more ad cauſam efficientem refertur.*

Artibus operoſis.) *quæ manum laboremq́; poſtulant. Aliàs dicit, eas artes quæ opere cernuntur. Græci ποιητικὰς appellant, quibus αἱ διανοητικαὶ opponuntur: αἱ πρακτικαὶ autem ad actiones publicas & priuatas pertinent, quæ ab ingenio & uſu rerum proficiſcuntur: ita munus ſuū explent, etiamſi nullum opus, ijs finitis, in ſenſus atq; oculos incurrat. Cuiuſmodi eſt rei familiaris & publicæ, cùm dicendo, tum agendo, ſiue pacatis ſiue bellicis temporibus adminiſtratio. τὸ μὲν διανοητικὸν antecedere ubiq; oportet: τὸ δὲ πρακτικὸν καὶ ποιητικὸν ſæpè coniunguntur, ut ſubtilis magis ea diſtinctio quàm neceſſaria eſſe uideatur.*

Studia excitantur ſapientia & uirtute.) *Id eſt, Sapientia & uirtute conciliantur homines.*

Ad amplificationem noſtrarum rerum.) *ut cupiant dignitatem & opes noſtras augere.*

CICERO.

Etenim uirtus ferè omnis in tribus rebus uertitur: quarum una eſt in perſpiciendo, quid in quaqꝫ re uerum ſincerumq́ꝫ ſit: quid conſentaneum cuiqꝫ, quid conſequens, ex quo quæqꝫ gignantur, quæ cuiuſqꝫ rei cauſa ſit.

Etenim uirtus ferè omnis.) *Propoſitioni huic addit rationem, ſumptam à diuiſione uirtutis, ut tota res fiat dilucidior. Neq; uerò hæc repetitio ſuperuacanea eſt, etſi antè ſæpius tractata: ſed percōmoda, ac propè neceſſaria ad doctrinæ utilitatis explicationem. Trimembris autem eſt hæc diuiſio, uarietatis (ut opinor) cauſa, cum ſuprà uirtutem omnem ſeu honeſtatem in quatuor di-*

tuor diſtribuerit partes. Ac magna quidem libertate in diuiſionibus utuntur autores: alij ſumma genera ponunt, alij τὰς ὑποδιαιρέσεις adiungunt, alij ὑποδιαιρέσεις perſequuntur, ad minutiſſima quæq; deſcendentes. Interim tamen res manet eadem, quamuis eodem modo non tractetur.

Quarũ una eſt in perſpiciendo.) *Prudentiæ deſcriptio, & eius quidem non tantùm πρακτικῆς, quam Ariſtoteles definit πρακτικὴν δύναμιν τῶν συντεινόντων πρὸς εὐδαιμονίαν: ſed etiam θεωρητικῆς, quæ Philoſophiam & omnes bonas artes complectitur, atq; adeò hiſtoriarum quoq; cognitionem.* Prudentia.

Quid conſentaneum cuiq;.) *Dialecticæ munus, cuius hic notatio quædam eſſe uidetur. Quę cum (ſi Ciceroni credimus) non in ſcholis tantùm uerſetur, ſed in lucem etiam atq; in aciem educenda ſit, atq; in actione uirtutis uerſari debeat: commendatiſſima eſſe debet adoleſcentibus.* Dialectica.

Ex quo quæq; gignantur.) *Hoc ad Phyſiologiam potiſſimùm pertinet, quæ quaſi parens eſt Medicinæ.*

Gignantur.) *Intelligo materiam.*

Quæ cuiuſq; rei ſit cauſa.) *Efficientem cauſam intelligo: etſi fortè ſynonymia eſt.*

CICERO.

Alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant: appetitionesq;, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi.

Alterum cohibere.) *Temperantia τὸ ἐπιθυμητικόν, Fortitudo τὸ θυμοειδὲς moderatur: quas hic Cicero uidetur conflare in unam uirtutem, quæ ſiue continentia, ſiue animi moderatio appelletur. Paulo pòſt iuſticiæ comitẽ adiungit fortitudinẽ: rectè utrunq;. Neq; enim iuſticia ſine animi neruis, neq; fortitudo ſine moderatione conſtare poteſt. Omnino difficile eſt, ea quæ natura cohærent, ſic diſtinguere, ut in ea diſtinctione non alijs aliud uideatur.* Temperantia, Fortitudo.

Obiendientes efficere rationi.) *Peripateticum hic, ut & alibi, magis agit, quàm Stoicum: nec ἀπάθειαν, ſed μετριοπάθειαν poſtulat. Rectè omnino. Affectus enim tolli neq; poſſunt, neq; debent: ſed intra præſcriptum rectæ rationis coherceri & poſſunt, & debent. Iraſci licet, ſed improbis, ſed moderatè, ne ira furor fiat. Sic de reliquis affectibus.*

CICERO.

Tertium, ijs quibus cum congregamur, uti moderatè & ſcienter: quorũ ſtudijs ea quæ natura deſiderat, expleta cumulataq; habeamus: per eos deniq; (ſi quid nobis importetur incommodi) propulſemus, ulciſcamurq; eos qui nocere nobis conati ſunt, tantaq; pœna afficiamus, quantam æquitas humanitasq; patitur.

Tertium, ijs quibus cum congregamur.) *Virtutem hanc ſuprà ſæpè*

communitatem & uitæ conſociationem appellauit, quæ eſt ipſa Iuſticia, cui hic comitem (ut dixi) adiungit Fortitudinem in depellendis & ulciſcendis iniurijs.

Quantam æquitas humanitasq́.) *ne & iræ indulgeatur, & crudelitas in uictos exerceatur. Suppliciorũ etiam carnificina improbari uidetur, cuiuſmodi eſt illud Metij Suffetij, & Perſica illa σκάφευσις, de qua Zonaram conſulito. Et hæc quidem, ſi ad magiſtratum referantur, probari poſſunt Eius enim munus eſt, autoritate diuina mandatum, ulciſci improbos. Sed ſi eò referas, ut uindictæ cupiditati priuatæ, non ad depellendam iniuriam, ſed ad cumulandam & magno cum fœnore rependendam (etſi ab aduerſario nihil amplius periculi tibi ſit) indulgeas: neq; Theologiæ neq; Philoſophiæ iſta ultio probabitur: quarum illa, uindictam Deo relinquit: hæc, operam dandam eſſe præcipit, ut ex inimicis amici fiant.*

CICERO.

Quibus autem rationibus hanc facultatẽ aſſequi poſsimus, ut hominum ſtudia complectamur, eaq́; teneamus, dicemus, nec multò pòſt. Sed pauca antè dicenda ſunt.

Iuſticia. Fortitudo. Quibus autem rationibus.) *Innuit, Iuſticiam & Fortitudinẽ potiſſimùm excitare hominum ſtudia, etſi ne reliquæ quidem uirtutes excluduntur.*

Sed pauca dicenda ſunt.) *Repetit collationem ſuprà tractatam, quæ fuit, hominem homini plurimùm ut prodeſſe, ita etiam obeſſe: ut ſententia hac probè infixa animis, odia hominum caueamus, eorumq́; beneuolentiam conſectemur.*

CICERO.

Magnam uim eſſe in Fortuna in utranq; partem, uel ad ſecundas res, uel aduerſas, quis ignorat? Nam & cũ proſpero flatu eius utimur, ad optatos exitus prouehimur: & cum reflauit, affligimur.

Fortuna. Magnam uim eſſe in Fortuna.) *Inane nomen Fortunæ eſt, & τῶν εἰς φύσιν intelligendum. Quid eſt Fortuna? Eſt ignoratio et cæcitas humanæ mentis: hoc eſt, euentus, cuius homines probabilem cauſam reddere nequeunt. Qua de re Hippocrates præclaram ſententiam, ac potius oraculũ reliquit: ἡμῖν μὲν αὐτόματον, τῇ δὲ αἰτίῃ μηδὲν αὐτόματον. Cauſam putant intelligi Deum, autorem rerum omnium, cuius nutu ac prouidentia tam minima quàm maxima queq; regantur & adminiſtrentur. Sed poteſt etiam ſic accipi: cum primũ*

Pontanus. *cauſa rei cognita fuerit, tum deſinere eſſe fortuitam. Pontanus Fortunam nihil aliud eſſe cenſet, niſi occultã uim ſiderum, mirabilium euentuũ in rebus & naturalibus & humanis effectricem. Quæ quidem ſententia prouidentiã non modò non negat, ſed etiam confirmat. Niſi fortè quis neget, uires illas mirabiles diuinitùs aſtris eſſe inſitas.*

In

Parium diſpar euētus.

In utranq; partem.) *Cum duo pari uirtute atq; induſtria rem adminiſtrant, & alterius conſilia & actiones felicem habent exitum, alterius irrita ſunt, atq; etiam calamitoſa: de cauſa dubitatur, & culpa in fortunam confertur: hoc eſt, ſuam ignorantiam homines confitentur, dicuntq; ſe neſcire, cur paris prudentiæ & uirtutis tam diſsimilis fuerit exitus. ut, ſi duo pugiles inter ſe committantur pari robore, audacia, luctandiq; peritia, & tamē alter ſuccumbat: quæ res uictorem alterum facit, alterū proſternit? Fortunam dicimus: hoc eſt, occultum Dei & ſiderum decretū. Menander, ingenio & arte non modò par, ſed (ut ferunt, & ex reliquijs eius credibile eſt) etiā ſuperior, ſæpè uictus à Philemone, aliquando illi dixit: Non te pudet, Philemon, me uiciſſe? Habuit ſcilicet hic fortunam magis propitiam, quàm Menander. In huius uarietatis explicatione magnificè Iulij Firmici libro primo ſe iactat oratio. Qui utinam themata geneſeon etiam adieciſſet, ut cauſas euentuū οἱ φιλαστρολόγοι perſpicerent. Etſi in Demoſthene et Hermodoro mihi non ſatisfacit. Vt enim idem utriq; fuerit horoſcopus: quis tamē exiſtimet, loca & ſigna Planetarum omnia conſenſiſſe? Iuuenalis fortunam omnino negat, eamq; ſtultitiæ hominum tribuit, his uerſibus:*

Menander. Philemon.

Iulius Firmicus.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia. Sed nos
Te facimus Fortuna deam, cœloq; locamus.

Arrogantia calamitatis mater.

Theologi autem, calamitates præſtantium uirorum impietati & contemptui Dei, atq; arrogantiæ aſcribunt, cum res à ſe feliciter geſtas, uirtuti & ſapientiæ ſuæ tribuant: non autem, ut debebant, diuinæ liberalitati. Sed hæc diſputatio alterius eſt loci.

CICERO.

Hæc igitur ipſa Fortuna cæteros caſus rariores habet: primùm ab inanimis procellas, tēpeſtates, naufragia, ruinas, incēdia: deinde à beſtijs ictus, morſus, impetus. Hæc igitur, ut dixi, rariora. At uerò interitus exercituū, ut proximè trium, ſæpè multorum: clades imperatorum, ut nuper ſummi ac ſingularis uiri: inuidiæ præterea multitudinis, atq; ob eas cauſas bene meritorum ſæpè ciuium expulſiones, calamitates, fugæ: rurſusq; ſecundæ res, honores, imperia, uictoriæ, quanquam fortuita ſunt, tamen ſine hominum † operibus & ſtudijs neutram in partem effici poſſunt.

V. L. opibus & ſtudijs.

Fortuna multum, plus amor aut odium ualet.

Hæc igitur ipſa Fortuna.) *Per collationem denuò inculcat, homines hominibus & utiliſsimos & pernicioſiſsimos eſſe.*

At uerò interitus exercituum.) *Quia & hæc quæ ab hominibus inferuntur, à fortuna pendêre uidetur: cõmoda occupatione utitur, & cõceſſione. Pendent (inquit) à fortuna etiam hæc. Sed Fortuna, hominum quaſi miniſterio in his utitur, ſicut alioqui ad perdendos homines utitur procellis, tempeſtatibus, naufragijs, ruinis, incendijs, beſtiarum ictu, morſu atq; impetu. Sententia eſt: Tam ſecundæ quàm aduerſæ res uulgò Fortunæ acceptæ referũtur. Sed fortuna & cũ nocet, ſæpius per homines nocet: & cum iuuat, ſæpius per homines iuuat, quàm per res inanimas aut beſtias. Comprehendatur hæc collatio hoc Iambico uerſu:*

Fortuna multum, plus amor aut odium ualet.

Etſi profectò hos ipſos hominum affectus à Fortuna potius quàm à merito hominis pendêre, uel meo exemplo probare poſſum.

Vt proximè trium.) *Videtur intelligendus hic locus de Põpeio in Theſſalia, Scipione & Pompeij filijs in Hiſpania profligatis.*

Hiſtoriæ pleræq; cruentæ.

Sæpè multorum.) *Exemplis refertæ ſunt hiſtoriæ, in quibus bella potiſſimùm, clades & uictoriæ referuntur. De pacata autem Reipublicæ adminiſtratione, & pacis artibus, longè pauciora dicuntur.*

Virtus ſuſpecta.

Inuidiæ præterea.) *Liberis ciuitatibus magni uiri perpetuò ſuſpecti eſſe ſolent, tyrannidis metu. Ipſi etiam tyranni & Reges plerunq; ſuſpectos habent uiros præſtantes & gratioſos, metuentes ne ipſi imperium inuadant. Sic excellens etiã uirtus multis calamitatũ cauſa eſſe ſolet, ut Belliſario & alijs.*

CICERO.

Hoc igitur cognito, dicendum eſt, quo'nam modo hominum ſtudia ad utilitates noſtras allicere atque excitare poſsimus. Quæ ſi longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis cõparetur: ita fortaſſe etiã breuior uidebitur.

Secundi libri de Officijs ſumma, conciliandæ beneuolentiæ artificium.

Hoc igitur cognito.) *Collationem fortunæ & hominum quaſi per digreſſionem inſeruit: nunc ad rem ipſam accedit. Propoſitio eſt: Exponam rationes cõciliandæ hominum beneuolentiæ. Sed cum totus ferè ſecundus Liber in ea explicatione cõſumatur, occupatione utitur, unaq; attentionem captat.*

Hoc igitur cognito.) *Quod ſuprà obſcurius propoſuit (nam genus obſcurius eſt ſpecie, ut & ſpecies indiuiduo. Vnde fit, ut exempla in docendo plurimùm ualeant) ea nunc ſingulatim accuratius explicat. Propoſitio eſt: Hominum ſtudia maximè proſunt. Quærat autem aliquis, quo pacto homines mei ſtudioſos efficiam? Hoc nunc tractat Cicero, & explicat beneuolentiæ cauſas enumeratione quadã. Sunt autem, 1. Amor, is plerunq; beneficijs excitatur (neq; enim nunc de amoribus adoleſcentum & puellarum, neq; de ſapientum uirorum amicitijs loquimur.) 2. Virtus, cuius pars eſt Fides, cum ſit Iuſticiæ fundamentum. 3. Spes & expectatio emolumentorum. 4. Metus incommodorum. 5. & poſtrema, Precium ſiue largitio. Qui igitur ſe magni*

Studia hominum conciliant, Amor, Fides, Spes, Metus, Largitio.

fieri.

fieri uoluerit, det operã, ut aut ametur: idq́; beneficentia conſequi poterit (hoc loco meliore conditione ſunt diuites) aut uirtute ſit præditus, aut ut aliquid ab eo expectari poßit, aut ut metuatur, aut ut habeat quod numeret. His duobus poſterioribus ſubſidijs pauperes ferè carent. Nec enim habent quod dent: & cùm parum nocere poßint (niſi fortè uel mori tutum putent, uel inter ſeſe conſpirent) negliguntur. Summum igitur, & id quidem honeſtißimum, præſidium pauperes in uirtute collocatum habent, à quo nullis fortunæ iniurijs excluduntur. Etſi ſtulticia & improbitate hominum, uirtutem uel non intelligentium, uel contemnentium, fit, ut ne ſic quidem multum proficiant.

Vnum in uirtute præſidium pauperibus reliquũ.

Ita fortaſſe etiam breuior.) *Vt hoc obiter dicamus, Prolixitas aut breuitas ſcripti, non numero uerſuum & multitudine paginarum metienda eſt: ſed ratione argumenti, propoſitæq́; materiæ. Quæ cum ita tractatur, ut neque redundet, neq; deſit quicquam: breuitatis laudem uel in magna prolixitate nõ amittet oratio. Contrà, cum paucißima dicuntur, & admiſcentur tamen quæ nihil ad rem faciunt: ea prolixa erit oratio. Atq; in hoc iudicio, nõ ipſius modò rei, ſed eorũ etiam quibus cum agitur, habenda eſt ratio. Dictum enim ſapienti ſat eſt: apud alios pinguiore Minerua, quod aiunt, agendum. Quòd ſi neceſſaria præterieris: & breuitatis laudem amiſeris, & rem ipſam quaſi mutilaris & truncaris. Qui autem & has uirtutes conſequi, & contraria uitia effugere uoluerit: methodum ſibi dialecticam μετὰ συνέσεως πολιτικῆς proponat neceſſe erit. Nam ipſius etiam methodi quæſtiones nonnullæ alicubi prætermitti poſſunt ac debent, ut neceſſarijs ornandis ſit locus.*

Prolixitas & breuitas ſcripti quomodo iudicanda.

Methodus, Prudentia.

CICERO.

Quæcunq; igitur homines homini tribuunt, ad eum augendum atq; honeſtandum, aut beneuolentiæ gratia faciunt, cum aliqua de cauſa quempiam diligunt: aut honoris, ſi cuius uirtutem ſuſpiciunt, & ſi quem dignum fortuna quàm amplißima putant: aut ſi cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur: aut cuius opes metuunt, aut contrà, à quibus aliquid expectant: (ut cum Reges populares'ue homines largitiones aliquas proponunt) aut poſtremò, precio & mercede ducuntur. Quæ ſordidißima quidem eſt ratio, & inquinatißima, & ijs qui ea tenentur, & illis qui ad eadem confugere conantur. Malè enim ſe res habet, cum, quod uirtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed quoniam nonnunquam ſubſidium hoc neceſſarium eſt, quemadmodum ſit utendum

dum eo, dicemus, ſi prius ijs de rebus quę uirtuti propiores ſunt, dixerimus.

Quæcunq; igitur.) *Præcepta hæc etſi ad politicos homines & in republica uerſantes maximè pertinent: tamen in priuata uita etiam pleraq; locum habent.*

Ad eum augendum.) *Græca phraſis eſt, αὔξειν τινά: hoc eſt, augere alicuius diuitias, potentiam, autoritatem.*

Honeſtandum) *Ad honores & magiſtratus, atq; etiam exiſtimationem hoc pertinet.*

Tres amicitiæ cauſæ.

Cum aliqua de cauſa quempiam diligunt.) *Tria amicitiæ genera, ut Ariſtoteles, ita etiã Aſtrologi faciunt, δι' ἡδονὴν, κέρδος, ἀρετήν. Voluptas congruentia ingeniorum & occulta quadam ui excitatur. Aſtrologi tribuũt hoc conſenſui horoſcopi & lunæ. Hoc amicitiæ genus in adoleſcentia maximè uiget. Sequitur poſteà lucri cupiditas. Aliquando, ſed rarò admodum, hac præſertim ætate, uirtus amicitias conglutinat. Eadem eſt & beneuolentiæ ratio, cum ea nihil aliud ſit niſi inchoata quædam amicitia: quæ progreſſa longius, re ipſa atque opere cernitur in conſuetudine uitæ, & uiciſſitudine officiorum.*

Beneuolentia.

Variæ diligẽdi cauſæ.

Aliqua de cauſa.) *Sub his tribus generibus infinitæ penè partes continentur. Quàm enim uariæ ſunt uoluptates? Alius equis, alius canibus, alius alea delectatur. Qui igitur equos & canes tractare & alea ludere ſciunt: ijs iucundi ſunt, qui iſtis rebus delectantur, ab ijsq; diliguntur. Ita uenator Princeps, uenatorem Philoſopho & Iuriſconſulto præfert. Cætera per ſeſe quiſq; intelligit, hoc craſſo exemplo admonitus. Reliquæ partes enumerationis cum per ſe perſpicuæ ſint, ijs omiſſis, ad ultimam ueniamus.*

Argenteis lanceis qui pugnant, pleraq; uincũt.

Quæ ſordidiſsima quidem eſt ratio.) *Nam pecuniæ & largitio & acceptio in utriſq; uirtutis inopiam arguit, ſine qua nihil eſt laudabile. Nunc uerò diuites & potentes hoc uno ferè præſidio nituntur ad explendas cupiditates ſuas, adeò ut iniuriam ſibi fieri exiſtiment, ſi quis pecunia non ad quoduis facinus perpetrandum, aut quoduis diſcrimen ſubeundum adducatur. Habent illi nimirum in promptu oraculum Delphicum, olim Philippo Macedoni redditum:*

ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.

Et quidem rarò falluntur tam uenalibus ingenijs & mercenarijs ἀδικωτάτων ἀνδραπόδων, quæ non aureis, ſed ſæpè ne auratis quidem compedibus nectuntur: digniora, ob ſcelerum & libidinis miniſteria, ſed reprimo me.

Sed quoniam nonnunquam.) *Occupatio quædam eſt, et ἀπολογία, cur id doceat quod reprehendit. Non (inquit) eo, quòd probem, ſed quia peruerſitas hominum non ſemper uirtute mouetur.*

Quæ uirtuti propiores ſunt.) *Cuiuſmodi ſunt, Beneuolentia, admiratio,*

ratio, fides, quas antè poſuit. Nam timeri, tyrannorum eſt: largitiones parum à mercede & precio diſtant. Eædem ferè cauſæ obedientiæ, quæ beneuolentiæ.

CICERO.

Atq; etiam ſubijciunt ſe homines imperio alterius, & poteſtati, pluribus de cauſis. Ducuntur enim aut beneuolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia: aut ſpe, ſibi id utile futurum: aut metu, ne ui parêre cogantur: aut ſpe largitionis promiſsioniſq; capti: aut postremò (ut ſæpè in noſtra Republica † uidemus) mercede conducti.

V. L. uidimus.

Atq; etiam ſubijciunt.) *Superior doctrina ad liberam ciuitatem, ciuilemq; conſociationem propriè pertinet: hæc ad principatum potius, & regnum. Reges autem etiam in Rebuſpublicis quidam ij ſunt, qui autoritate & potentia præſtant cæteris. Eædem ferè, inquit, cauſæ ſunt obedientiæ, quæ beneuolentiæ.*

Mercede conducti.) *Cum pecunia per tribus diuidebatur. Ad quam ſordidiſsimam & inquinatiſsimam rationem, ut noſter autor uocat, cohercendam, lata fuit lex de ambitu, cuius argumenti eſt oratio Ciceronis pro L. Murena.* Ambitus.

CICERO.

Rerum autem omnium nec aptius eſt quicquã ad opes tuendas, quàm diligi: nec alienius, quàm timeri. Præclarè Ennius: Quem metuunt, oderunt: Quem quiſq; odit, perijſſe expetit.

Rerum autem omnium.) *Enumeratis cauſis beneuolentiæ atq; obedientiæ, quibus potiſsimùm opes & honores parentur: instituit collationem metus & beneuolentiæ, quorum ille tyrannicus eſt, hæc ariſtocratica & popularis.* Beneuolentia metu potior. *Comprehendatur & hic locus trimetro Iambico:*

Metus cohercet, plus tamen poteſt amor.

Tractatur autem autoritate, ſententijs & exemplis.

Rerum autem omnium.) *Propoſitio bipertita, κατ' ἀντίθεσιν.*

Præclarè Ennius.) *αὐτολογία, ἀξιώμα ſeu autoritate celebris Poetæ.*

Quem metuunt, oderunt.) *Obſeruetur hic κλῖμαξ, ſiue gradatio. Sæuitia gignit metum, metus odium, odium inſidias, inſidiæ interitũ. Sumpta eſt autem Enniana ſententia, de uita communi, & obſeruatione exemplorum.* Gradus ad interitum.

CICERO.

Multorum autem odijs nullas opes poſſe obſiſtere, ſi igno-

ignotum antea fuit, nuper eſt cognitum. Nec uerò huius tyranni ſolum, quem armis oppreſſa † pertulit ciuitas, interitus declarat, quantum odium hominum ualeat ad peſtem: ſed reliquorum ſimiles exitus tyrannorum. quorũ haud ferè quiſquam interitum ſimilem effugit. Malus enim cuſtos diuturnitatis metus: contráq́, beneuolentia fidelis eſt uel ad perpetuitatem.

V. L. pertulit ciuitas appâret, cuius maximè mortui interitus declarat quantum.

Multorum autem odijs.) *Autoritati Ennianæ ſubiungit exempla, atq; in primis Iulij Cæſaris interitum: qui potentia, rebus geſtis, uigore animi atq; ingenij, clementia etiam omnes omnium ætatum tyrannos ſuperauit. Tyrannum appello, Ciceronem autorem & hiſtoriarum fidem ſecutus: etſi non ignoro, extenuare & excuſare multos Cæſaris factum, alios de eo diſputare. Sed quid hæc noſtra?*

Malus enim cuſtos.) *αἰτιολογία αὐτόπτικος, et ſententia ſumpta ab experientia. Cuiuſmodi etiam apud Demoſthenem extat ſecunda Olynthiaca.*

Cuſtos diuturnitatis.) *Id eſt, metus non diu poteſt cuſtodire opes: qui metuuntur, non diu poßunt opes ſuas retinere.*

Fidelis uel ad perpetuitatem.) *Id eſt, qui habet multorum beneuolentiam, tutus eſt à perfidia, & ſuas opes perpetuò tueri inuiolatas poteſt. Hanc ſententiam Seneca breuius complexus eſt, hoc modo:*

Ferrum tuetur principem, melius Fides.

CICERO.

Sed ijs qui ui oppreſſos imperio coercēt, ſit ſanè adhĩbenda ſæuitia, ut heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt. Qui uerò in libera ciuitate ita ſe inſtruũt, ut metuantur: his nihil poteſt eſſe dementius.

Dominatus in liberis ciuitatibus cōſtituti.

Sed ijs qui ui oppreſſos.) *Occupatio quædam eſt, & conceßio: ſeu potius ἀποδίωξις, ac diſtinctio. Alia, inquit, ratio tyrannorum eſt, alia liberæ ciuitatis.*

Qui ui oppreſſos.) *Vt in Græcia uſitatum olim fuit, & non ita olim in Italia quoq;. Nam potentes ciues aut largitionibus multos ſibi adiungebant, quorum conſpiratione, legibus & iudicijs oppreßis, ipſi dominatum occuparent: aut regum auxilijs idem conſequebantur. Sic & patrum & noſtra memoria liberæ ciuitates, Bononia, Senæ, Piſæ, Florẽtia, oppreſſæ ſunt: & is qui nunc Florentino principatu potitur, Coſmus Medices (quem honoris cauſa nomino) quanquam uir ingenio & uirtute, ut aiunt, ornatißimus, nec tam exactor acerbus, quàm ſanctus honeſtæ diſciplinæ cuſtos, infinitis inſidijs etiam*

etiam domeſticorum ſuorum appetitus, miſerrimè uiuit, niſi magnitudinē animi cautionis diligentiæ parem, terroribus illis, atq; eximiam opponit.

Vt heris in famulos.) *Scilicet ignauos, mendaces, furaces, flagitioſos, contumaces. Nam ijs qui ſeruiebant liberaliter (ut Comici uerbis utamur) iuſta & clemēs plerunq; fuit apud dominos ſeruitus, adeò ut eis ſummum quod haberent precium, id eſt libertatem, perſoluerēt. Ideò Cicero addit: Si aliter teneri non poſſunt. Sunt enim nationes quædam ita feroces & barbaræ, ut reges non ferant, tyrannos ferant. Idem & de ſeruis intelligatur. Vnde prouerbio, Phryx plagis dicitur emendari. Atq; utinam non idem ad pueros liberalibus ſtudijs deſtinatos aliquando eſſet transferendum, apud quos pudor & liberalitas minus habet loci quàm alienus metus. His præceptores, qui parentū loco eſſe debent, mutantur in tyrannos: & pro ſuis laboribus malam plerunq; reportant gratiam. Quod enim aliud eſt fidelis præceptoris ſtudium, quàm ut inſtitutione & monitis ſuis caueat, ne pueri incidant in aliquā turpitudinem, noxam, calamitatem? Conantur emendare imperitiā eius ætatis, prauos affectus cohibere, informare iudicium de rebus ad omnē uitæ rationem pertinentibus. Quantum in ipſis eſt, curāt, ne quid eis neceſſarium deſit: in eo elaborāt, ut euadant in uiros doctos, bonos, prudentes, qui & ſibimetipſis & rebus publicis (modò pareant) & ornamento & adiumento eſſe poſſint. Non igitur ſine graui cauſa affirmauit Ariſtoteles: Dijs immortalibus, patriæ, parentibus, & præceptoribus, nunquam dignam poſſe referri gratiam.*

Varietates ingeniorum.

Fidelibus præceptoribus ſæpè mala refertur gratia.

Ita ſe inſtruunt.) *eas opes, ea præſidia hominum ſibi cōparant. Hi Athenis plerunq; acti fuerunt in exilium, etiam innocentes, quòd populus perſuaſum haberet, præſtare unū ciuem carere patria, quàm ab uniuerſa patria formidari. Hæc cauſa* τοῦ ὀστρακισμοῦ *fuit, quem Iulius Firmicus infamis teſtulæ ſuffragium uocat: quando uir præſtans, nullius criminis reus, ob ſolam ſuſpicionem, ad certos annos patria carere cogebatur.*

Oſtraciſmus Athenienſiū.

CICERO.

Quamuis enim demerſæ ſint leges alicuius opibus, quamuis † tremefacta libertas: emergūt tamē hęc aliquando aut iudicijs tacitis, aut occultis de honore ſuffragijs. Acriores aūt morſus ſunt intermiſſæ libertatis, q̄ retētæ.

V. L. timefacta.

Quamuis enim demerſæ ſint leges.) *Propoſitio eſt, Patriæ libertas non eſt opprimenda ui.* αἰτιολογία, *Quia is dominatus non eſt diuturnus. De turpitudine et ſcelere huius facti nihil hic dicit: quòd nemo ignorat, quàm id ſit iniquum & nefarium. De moleſtijs & periculis tantùm dicit, quibus homines improbi magis mouētur, quàm turpitudine. Qui enim Deos hominesq; contemnit, qui nulla conſcientiæ labe mouetur: is nulla re, niſi periculi metu, à ſcelere deterretur.*

Periculo nō turpitudine mouentur improbi.

Demerſæ leges opibus.) *Id eſt, ſi potentia alicuius perfregerit*

leges: ut muſcæ grandiores, telas aranearum. Oratio metaphorica eſt, quaſi dicat: Potentia ſic tegit leges, ut nuſquam appareant, ut inundatio agros.

Tremefacta libertas.) *Id eſt: Si is terror incuſſus fuerit Senatui, ut nemo ſecuro animo liberas ſententias dicere audeat, ſed orationem ſuam ad eius qui plus ui & armis poteſt, uoluntatem & nutum accommodare cogatur.*

Emergunt iudicijs tacitis.) *Hoc eſt, Patriæ libertatis ſtudioſi inter ſeſe conſilia ineunt, de eripiendis legibus ex illa inundatione tyrannica, ipſoq́; tyranno pellendo aut tollendo.*

Occulta ſuffragia.

Occultis de honore ſuffragijs.) *Nō diſsimilis phraſis eſt Demoſthenica, ὡς δ' ἐν τῷ Φιλίππου· ἐστράφη ἐν τὴν ἱερὰν βουλὴν ψῆφον τοῦ φανερῶς θορυβεῖν. Obſcuriora quidem uerba ſunt, ſed intelligo de conſenſu bonorum uni alicui, aut etiam pluribus eum honorem deferentium, ut eum ducem & autorē uindicandæ libertatis decernant: cuiuſmodi Athenis fuit Thraſybulus, qui triginta tyrannos pepulit: Romæ Brutus & Caſsius, à quibus Iulius Cæſar eſt interfectus. Quæ nunquā facere auſi fuiſſent, niſi præſciſſent plurimos ea comprobaturos eſſe: quanquam ſenſum animi ſui palàm profiteri, tyranni metu, non auderent. Hæc igitur, mea ſententia, ſunt iudicia tacita, & occulta ſuffragia. Iudicijs, hic locum non habet, niſi fortè (χαίρουσι γὰρ πολλοὶ ταῖς σεσοφισμέναις τῶν ἐξηγητῶν) ad occaſiones tyranni incautum opprimendi, uerbum id referas.*

CICERO.

Quod igitur latiſsimè patet, neq; ad incolumitatem ſolùm, ſed etiam ad opes & potentiam ualet plurimum, id amplectamur: ut metus abſit, charitas retineatur. Iſta facilimè quæ uolumus, & priuatis in rebus, & in republica conſequemur. Etenim qui ſe metui uolent, à quibus metuuntur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt.

Tyrannica uita miſera & dubia.

Quod igitur latiſsimè patet.) *Concluſio: Præſtare diligi quàm timeri, addito effectu beneuolentiæ, itemq́; effectu timoris: Beneuolentia (inquit) uotorum compotes, odium & timor populi tyrannos ſolicitos & timidos facit. Hanc ſententiam de effectu timoris, tyrannorum exemplis illuſtrat.*

Etenim qui metu.) *Sic Iſocrates ad Nicoclem,* ὅπως ἂν σὺ ἄλλους πρὸς σεαυτὸν διαθῇς, οὕτω καὶ σὺ πρὸς ἐκείνους ἕξεις.

CICERO.

Quid enim cenſemus? ſuperiorem illum Dionyſium, quo cruciatu timoris angi ſolitum: qui cultros metuens tonſorios, candēti carbone ſibi adurebat capillū? Quid? Alexandrum Pheræum, quo animo uixiſſe arbitramur? qui

qui(ut ſcriptum legimus)cum uxorem Theben admodū diligeret: tamen ad eam ex epulis in cubiculum ueniens, barbarum, & eum quidem(ut ſcriptum eſt)compunctū notis Threicijs, diſtricto gladio iubebat anteire: pręmittebatq; de ſtipatoribus ſuis, qui perſcrutarentur arculas muliebres, & ne quod in ueſtimentis occultaretur telum exquirerent. O' miſerū, qui fideliorem & barbarū & † ſtigmatiam putaret, quàm cōiugē. Nec eū ſe fellit opinio. ab ea eſt enim ipſe propter pellicatus ſuſpicionē interfectus.

V. L. ſtigmaticum.

O' miſerum.) *Hiſtoriæ penè incredibili, quam per occupationem aliena fide recenſet, ſubiungit exclamationem ualde opportunam.*

Et barbarum.) *qui naturali odio Græcos perſequuntur, ut eſt in Panegyrico Iſocratis.*

Stigmatiam.) *Id eſt, compunctum notis ignominioſis: ut ſerui improbi, qui fœnum in cornu habent, notari ſolent, quo eorum caueatur improbitas: quòd illæ notæ indicent, eſſe eos mendaces, furaces, rapaces. etſi id apud Thraces nobilitatis inſigne fuiſſe ſcribunt. Noſtri uerò balneatores, & eos imitati ſtulti adoleſcentuli, ultrò ita ſe compungunt: pulchrum id eſſe putantes, ſcilicet.*

Nec eum feſellit opinio.) *Amplificatio ab euentu. Præſagijt illi ſcilicet animus, ut ſæpe fit, unde exitium immineret. Sed uicit amoris affectus diuinationem rationis.*

Propter pellicatus ſuſpicionem.) *Alexander non tantum Theben uxorem admodum dilexit: ſed & fratrem eius(ut illorum temporum nefaria conſuetudo ferebat)in delicijs habuit. Mulier igitur, ſiue odio tyrannidis, ſiue Pelopidæ Thebani principis inſtinctu, ſiue ob iniuriam & ſibi & fratri factam à marito, tyrannum per occaſionem interfecit.*

CICERO.

Nec uerò ulla uis imperij tanta eſt, quæ premente metu poſsit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, cuius eſt præter cæteros nobilitata crudelitas, qui non ex inſidijs interijt, ut is quē modò dixi Alexāder: non à paucis, ut hic noſter: ſed in quē uniuerſa Agrigētinorū multitudo impetū fecit. Quid Macedones? Nonne Demetriū reliquerūt, uniuerſiq; ſe ad Pyrrhū cōtulerūt? Quid Lacedęmonios iniuſtè imperātes, nōne repētè oēs ferè ſocij deſerue-

runt, ſpectatoresq́ſe ocioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis?

Nec uerò ulla uis.) *Sententia eſt: Tyrannos quantumuis cautos & potentes ac ſæuos, exitium uitare non poſſe. Cautiſſimus fuit Alexander Pheræus, ſed nihilominus periit. Sæuiſſimus fuit Phalaris: ſed tamen lapidibus obrutus eſt.*

Cicero quouis modo à tyrãnide deterret.

Vniuerſiq́ſe ad Pyrrhum.) *Factum id fortaſsis eſt, non tam ob interfectum ab illo Alexandrum Macedoniæ regem, quàm ob largitiones Pyrrhi. Sed Cicero exemplum hoc, ut & Romanæ Reipub. ἀπροσδιονύσως propemodum ad ſuum inſtitutum quaſi ui pertrahere uidetur. Sed ſpectandum eſt boni & calamitoſi ſenis conſilium, qui hac digreſsione & ſuos affectus ad omnem æquitatem ac reipublicæ ſalutem propenſos declarat: & propoſitis ſuperiorum temporum delictis & peccatis, poſteritati conſultum cupit. Fruſtrà ille quidem, quantumuis prudenter & piè. Cur uero?*

* inamabilis.

Fata obſtant, triſtiq́; palus innabilis unda,*
Scilicet & nouies Styx circumfuſa cohercet.

CICERO.

Externa libentius in tali re, quàm domeſtica recordor. Veruntamen quàm diu imperium populi Romani beneficijs tenebatur, non iniurijs, bella aut pro ſocijs aut de imperio gerebantur: exitus erant bellorum aut mites, aut neceſſarij.

Externa libentius in tali re.) *À peregrinis exemplis calamitoſæ tyrannidis ad Romana tranſit, ſed cum occupatione quadam, laudationem maiorum ſui ſeculi reprehenſioni præponendo, ne patriæ cladibus atque infamia delectari uideatur. Delicatæ enim ſunt hominum aures: & ut ſuis laudibus audiendis auidè inhiant, ſic à commemoratione rei malè geſtæ, ſuiq́; dedecoris uehementer abhorrent. Sic Virgilianus Aeneas excidium patriæ inuitus refert: & apud Ouidium Achelous præfatur,*

— Quis enim ſua prælia uictus
Commemorare uelit? —

Eſt & oratorum hæc conſuetudo, ut probra ab inimicis ſibi obiecta, callidè diſsimulent ac tegant.

Aut mites, aut neceſſarij.) *Virgilius utrunq; hoc uerſu complectitur:*

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Exitus bellorum.

Mites exitus bellorum ſunt, cum deuicti populi aut in ciuitatem, aut in fidem & clientelam recipiuntur, modico tributo impoſito. Neceſſarij, cum excinduntur urbes, & captiui ſub corona uæneũt. Sic Campani, Fregellani, Numantini, Carthaginenſes. Corinthij aſperius tractati ſunt, partim ob ſuperbiam, perfidiam & crudelitatem: partim quòd Romani ſe illis ſaluis incolumes eſſe

mes eſſe poſſe diffideret. Nũc Turcica tyrãnis abſq; diſcrimine ſæuit in omnes, uel cædib. quæ quidẽ leniſſima pœna eſt: uel cõtumelioſa et impia ſeruitute.

CICERO.

Regum, populorum, nationum portus erat & refugium, Senatus. Noſtri autem magiſtratus imperatoresq́ ex una hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi prouincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terrę uerius, quàm Imperium poterat nominari.

Regum, populorum.) *Sic Macchabæi, cum à Syriæ regibus urgerentur, Romanorum opem implorarunt. Sic Hieron, Ptolemæus, Ariobarzanes Deiotarus, Macedones, Græci, &c. Romanorum opibus ſe defenderunt.*

Patrocinium urbis.) *Patroni ſunt poſt manumiſſionem ſeruorum ij, qui domini fuerant: hoc eſt, defenſores in iudicio, & omnibus alijs periculis. Sic patroni dicuntur, qui in foro defendunt reos. Præclara eſt hæc ſententia. Nam omne legitimum imperium nihil aliud eſt niſi patrocinium: id eſt, ad conſeruationem iuris & æquitatis comparatum. A quo ſcopo cum receditur, fit tyrannis.* Imperium nihil eſt niſi patrocinium.

CICERO.

Senſim hanc conſuetudinem & diſciplinam iam antea minuebamus: poſt uerò Syllæ uictoriam, penitus amiſimus. Deſitum eſt enim uideri quicquam in ſocios iniquum, cum extitiſſet etiam in ciues tanta crudelitas. Ergo in illo ſecuta eſt honeſtam cauſam, non honeſta uictoria. Eſt enim auſus dicere, haſta poſita, cum bona in foro uẽderet, & bonorum uirorum, & locupletum, & certè ciuium, Prædam ſuam ſe uendere.

Senſim hanc conſuetudinem.) *Non obſcurum eſt ex hiſtorijs, Romanos per ſpeciem defenſionis ſociorum & ſupplicum, id egiſſe diſſimulanter, ut aucta potentia ſua, rerum potirentur: itaq; factum eſt. Eſt hoc philautiæ ingenium, ut ſibi melius eſſe malit quàm alteri, & ſuapte cauſa pleraque faciat. Sed imperij cupiditas mollioribus principijs prætexi ſolet, donec ui opprimantur ij qui parêre ultrò recuſarunt. Cœperunt autem Romani tum maximè inſoleſcere, cum exciſa Carthagine, Perſeoq; capto, iuſtos aduerſarios habere deſierunt. Tum enim ſinguli prætores & proconſules luxu & faſtu plus quàm regio prouincias exhauſerunt: ne quid de publicanorum priuatorumq́ue ciuium auaricia dicatur. Veriſſimè igitur ſcripſit Demoſthenes:* ὅτι τὸ παρὰ τὴν ἀξίαν εὖ πράττειν, πολλάκις ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς Cupiditati imperij prætexitur defenſio ſociorum.

ἀνοήτοις γίγνεται. Quod quaſi interpretatus Mimus ille Publianus:

Fortuna (inquit) quem nimium fouet, ſtultum facit.

Nec ſtultum tantùm, ſed inſolentem etiam, & iniuſtum. Exempla plura quàm uellem, & mihi commodum eſt, ſunt in promptu.

Optima ſunt igitur mediocria: ſumma periclis
Obuia: contemptum ſordida uita parit.

Sed hæc petantur ex hiſtorijs, ac Liuij & Saluſtij proœmijs.

CICERO.

Secutus eſt, qui in cauſa impia, uictoria etiam fœdiore, non ſolùm ſingulorum ciuium bona publicaret, ſed uniuerſas quoque prouincias regionesque uno calamitatis iure comprehenderet. Itaque uexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperij, portari in triumpho Maſſiliã uidimus: & ex ea urbe triumphari, ſine qua nunquã noſtri imperatores ex tranſalpinis bellis triumpharunt. Multa præterea commemorarem nefaria in ſocios, ſi hoc uno Sol quicquam uidiſſet indignius.

Tyrannis infeſtus Cicero.

Secutus eſt qui in cauſa impia.) *Vbique per occaſionem tyrannidem C. Iulij Cæſaris Cicero inſectatur, cùm ut alios à ſimili conatu deterreat: tum ut eorum animos leniat, qui necem eius iniquis ferebant animis. Indulſit interim fortaſsis etiam dolori non iniuſto, nec ſine augurio ſecutæ Reipublicæ cladis, ſuique interitus: non minus uerus uates, quàm Alexander Pheræus.*

In cauſa impia.) *Cæſar hoc negabat, & populi beneficium ſibi defendendum eſſe affirmabat. Impetrarat ille quidem, ſed malis artibus & largitionibus, ut in conſularibus comitijs ſui abſentis ratio haberetur. Sed huius controuerſiæ diſceptatio non eſt huius loci, nec id noſtra ſcilicet intereſt. Sed Nemeſis intolerabilem illam ambitionem & auariciam, atque Deorum & hominum contemptum, ferre diutius non potuit.*

Ranarum intemperias coharcet ciconia.

Victoria etiam fœdiore.) *Impia cauſa eſt, propter priuatam ambitionem opprimere leges, & patriæ, libertatem. Turpis autem cauſæ honeſta eſſe uictoria qui poteſt? Nihilo certè magis, quàm ſi latro in ſyluis & ſolitudine interficiat uiatorem imbecilliorem. Honeſtæ autem cauſæ uictoria poteſt eſſe inhoneſta, ſi quis ea crudeliter, auarè libidinoſeque utatur. Neque uerò hoc dico, uictoriæ honeſtatem pendêre ex moderatione uictoriæ (ſucceſſus enim cauſam non mutat: & latronem, maleficio & ſcelere partæ opes, non honeſtiorem, id eſt meliorem uirum efficiunt) ſed illud dico, ut honeſtæ cauſæ uictoriam dedecorat crudelitas, libido, auaricia: ſic minus turpem inhoneſtæ cauſa uictoriam facit moderatio, continentia, clementia: non quin omnis meretrix mala ſit, ſed minus mala Thais quàm Bacchis. Quæ liberalitas eſt*

eius,

eius, qui hominibus innocentibus ſpoliatis, noſodocheum extruit? Non nego rectius eſſe hoc, id eſt minus prauum, quàm ſi eaſdem opes ad luxum atque libidinem contuliſſet. Minus igitur turpis eſt fortaſſe: honeſtus autem tum fuiſſet, ſi de ſuo, ſine cuiuſquam iniuria, fuiſſet liberalis.

Vno calamitatis iure.) *Quaſi dicat: Nihil iuris habuit. Cæſar, cur mulctaret prouincias: ſed ius illud in armis fuit. Alij, uno calamitatis genere, legunt: quod & ipſum ferri poteſt, ut ſignificet, pari calamitate omnes prouincias fuiſſe afflictas. Nam ad explendam militarem auariciam maxima pecunia Cæſari fuit opus, quæ ſine maxima uexatione prouinciarum cogi non potuit.*

CICERO.

Iure igitur plectimur. Niſi enim multorum impunita ſcelera tuliſſemus: nunquam ad unum tanta perueniſſet licentia. A' quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbos uenit hæreditas.

Iure igitur plectimur.) *Commemorationi calamitoſi ſtatus Reipublicæ, ſubiungit confeſſionem culpæ, & cauſam exponit calamitatis. Cum (inquit) leges non obſeruantur, & potentum cupiditatibus indulgetur: tyranni ſolent exiſtere. Quare apud Ariſtophanem monet quidam,* σκύμνον λέοντος ἐν πόλει μὴ τρέφειν, ἢ τοῖς νόμοις πειθαρχεῖν ἀναγκάζειν. *Quæ autem potentum graſſationes Romæ fuerint, quæ libidines, uel ex Clodianis facinoribus atq; intemperijs patêre poteſt.* Tyranni unde exiſtant.

CICERO.

Nec uerò unquam bellorum ciuilium ſemen & cauſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt, quam P. Sylla cum uibraſſet, dictatore propinquo ſuo: idem ſexto & triceſimo anno pòſt à ſceleratiore haſta eâdem nõ receſsit. Alter autem, qui in illa dictatura ſcriba fuerat, in hac fuit quæſtor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus præmijs propoſitis, nunquam defutura bella ciuilia. Itaq; parietes urbis modò ſtant & manent, ijq; ipſi iam extrema ſcelera metuentes: rem uerò publicam penitùs amiſimus.

Nec uerò unquam.) *Diuinatio de effectu, ex cauſis antecedentibus. Præclarum hoc eſt diuinandi genus, cum cauſa poſita colligitur effectus. Sic Ouidius:* Diuinatio è cauſis de effectu.

Augurium ratio eſt & coniectura futuri:
Hac diuinaui, noticiamq; tuli.

Sic me-

Fortuna coniecturas diuinationis eludit.

Sic medici ex habitudine corporis, & ratione uictus, de ualetudine & uita diuinare ſolent. Sed in rebus domeſticis & ciuilibus, quæ Fortunæ magna ex parte parent, minus hæc certæ ſunt, propter multiplices cæcæ & uolubilis illius deæ uiciſſitudines.

Homines perditi corrigi non poſſunt, caueri debent.

Homines perditi.) *Sic appellat non tam eos (etſi hos etiam) qui rem familiarem per luxum conſumpſerunt: quàm eos, in quibus nulla pietas, nulla uirtus eſt, nulla humanitas: qui frænum laxarunt ſuis cupiditatibus: & quicquid libeat, licere ſibi putant. Ad quos huiuſmodi conciones pœnitentiæ agendæ & corrigendæ uitæ nihil attinent (neq; enim alios non perire, quàm ſe incolumes eſſe, malūt) ſed ij tantùm monentur, in quibus aliquæ ſanæ mentis reliquiæ ſuperſunt.*

Idem ſexto &c.) *Significat, P. Syllam etiam Cæſarianæ proſcriptionis auctioni præfuiſſe: cuius fuerit minus iuſta cauſa, quàm Syllanæ.*

Alter autem qui.) *Non ſatis conſtat, quis ſit intelligendus: neq; noſtra id refert. Illo certè tempore ſatis notus fuit.*

Ita parietes modò urbis.) *Quia ἡ πολιτεία ψυχή ἐστι τῆς πόλεως, autore Iſocrate.*

Sicq; ipſi iam extrema ſcelera.) *Non tantùm, inquit, patriæ libertas amiſſa eſt, quaſi anima ciuitatis: ſed illud etiam timendum, ne ſcelerati homines urbem expugnent, diripiant, incendant, euertant.*

Rem uerò publicam.) *Hoc eſt, τὴν ἀριστοκρατίαν, καὶ τὴν ἐλευθερίαν. Nulla ſupereſt Senatus autoritas, & iudiciorum: ſed è triumuirorum, M. Antonij, C. Octauij, M. Lepidi, libidine omnia adminiſtrantur. A quibus etiam Cicero interfectus eſt, proditus & deſertus à C. Octauio, Iunonio illo puero, & matris ſuæ aureo partu, & è cœlo demiſſo: quem ſummis immatura ætate honoribus, Bruto uehementer improbante, ſpe ſua fruſtratus, nimium uel timidus uel credulus ſenex ornarat. ἐόλει δὲ ἄρα κακῶς γίνεσθαι τοῦ λυδῷ.*

CICERO.

Atq; in has clades incidimus, (redeundum eſt enim ad propoſitum) dum metui, quàm chari eſſe & diligi, maluimus. Quæ ſi populo Romano iniuſtè imperanti accidere potuerunt: quid debent putare ſinguli?

Atq; in has clades.) *Accommodatio digreſſionis, de Romana Republica, ad inſtitutam doctrinam.*

Inteſtinis bellis potius quàm externis labefactata Roma.

Dum metui quàm chari eſſe.) *Non tam hoc ad populum Romanum pertinet, quàm ad certos proceres, qui per conſpirationem opibus ſuis auctis, Rempublicam oppreſſerūt: ut fecerunt C. Marius, Cinna & Sylla dictatores, C. Iulius Cæſar: & poſteà Triumuiri, quos modò diximus: cum quibus ætate paulo ſuperiores etiam Cn. Pompeius & M. Craſſus conferri potuerunt. nam horum quoq;, Cæſare ſocio, triumuiratus quidam fuit. Hi igitur, & ſimiles, ſi chari eſſe quàm metui maluiſſent, non tot clades Romanæ Reipublicæ apportaſ-*

portaſſent. Neq; enim exteræ nationes & prouinciæ Romanis plus nocuerũt, quàm ipſi ſibi. Vnde Horatius ait:

Suis & ipſa Roma uiribus ruit.

Et Liuius eò perueniſſe rem Romanam affirmat, ut iam magnitudine laboret ſua: alludens opinor ad Hippocraticum illud, ὅτι αἱ ἄκραι τῶν εὐεξιῶν σφαλεραὶ, ὥσπερ αἱ τῶν ἀθλητῶν. Lucanus poeta in fata cauſam horum malorum confert, his uerſibus:

Inuida fatorum ſeries, ſummiſq; negatum
Stare diu, nimioq; graues ſub pondere lapſus.

Alluſit fortaſsis ad Herodoti dictũ, qui ſcripſit, τὸ θεῖον ἐὸν φθονερὸν, numen eſſe inuidium. non quòd tam fœdus affectus in Deum cadat: ſed quòd animaduerſum eſt, felicitatem raro eſſe ſolidam & diuturnam. Quod fit uel (ut philoſophi cenſent) propter materiæ inſtabiliatem (nam quæ ſub Luna ſunt, caduca, fragilia, mutabilia ſunt) uel (quæ uera Theologorum ſententia eſt: neq; enim Deus immeritos punit) propter peccata hominum, qui petulantia ſua pœnas ſibi accerſunt. Etſi non ignoro, etiam hanc cauſam eludi ab impijs, fideliſsimos Saguntinos ante fœdifragos Carthaginenſes periſſe dictitantibus. Sed nos τὸ ὡς ἐπὶ πλεῖστον ſpectare debemus: cætera diuinæ prouidentiæ committere, cuius nos arcanis conſilijs non adhibemur. Numinis inuidia.

Quæ ſi populo Romano.) *Argumentatur à minori ad maius: hoc eſt, minus uerisimile eſſe, Romanos potentiſsimos affligi, quàm unum hominem, cuius paruæ ſint opes. Si quis inuertere mauult, & dicere, à maiori ad minus eum argumentari, fortaſſe nihil prohibet: Romani enim maiores & potentiores ſunt ſingulis. Sed id non ſpectatur hoc loco.*

CICERO.

Quod cum perſpicuum ſit, beneuolentiæ uim eſſe magnam, metus imbecillem: ſequitur ut diſſeramus, quibus rebus poſsimus facilimè eam, quam uolumus, adipiſci cum honore & fide, charitatem.

Quod cum perſpicuum ſit.) *Propoſitio eſt: Dabimus præcepta capiendæ beneuolentiæ. cui præpoſuit comparationem metus & beneuolentiæ.*

Cum honore & fide charitatem.) *Tres has partes ſtatuit eſſe perfectæ gloriæ. Nec enim tantum de Beneuolentia hic agitur: ſed de perfecta gloria, cuius una pars eſt Beneuolentia. Gloria porrò fundamento uirtutis innixa, comitem etiam Fortunam habere debet (alioqui enim uirtus ſuo præmio fraudaretur) eademq; omnia ea continere uidetur, quæ ſunt homini politico neceſſaria. Nam pecunia ex ærario, non è priuatis loculis ad gerendam Rempublicam eſt depromenda.* Gloriæ uis.

CICERO.

Sed ea non pariter omnes egemus. Nam ad cuiuſque uitam inſtituendam accommodandum eſt, à multis'ne opus ſit, an ſatis ſit à paucis diligi?

Homini politico plurib. opus, quàm priuato.

Sed ea non pariter omnes.) *Quemadmodũ ſuperiore libro dixit, philoſophos animi tranquillitatem facilius conſeruare poſſe, quòd minus multa in eorum uita pateant, quæ fortuna feriat: ita nunc, homini politico & in magiſtratibus conſtituto maiore plurium beneuolentia opus eſſe dicit. Docilitatis enim cauſa priuatorum & principum diſcrimen conſtituit. Qui rem familiarem adminiſtrat, eorum ſtudijs contentus eſſe poteſt, ſine quibus munere ſuo fungi non poteſt, qui pauciores ſunt. Quanquam his quoq; interdum ea occurrunt, ut plurimorum auxilio ſit opus. Qui uerò Reipub. præeſt, quæ omnes ciues complectitur: ei omnium etiam ciuium, aut magnæ certè partis ſtudijs & beneuolentia eſt opus, quò rectius patriæ conſulere poſſit. Sed hoc nemini mortalium unquam contigiſſe uidetur. Magna fuit gratia Pompeij. Sed tamen is quoq; ſuos æmulos & aduerſarios habuit. Danda igitur eſt cuiq; opera, ut officio ipſe fungatur, neq; ſua culpa quenquam à ſe alienet: (hoc enim penes ipſum eſt:) euentus autem committendus Deo: Sunt enim nonnunquam ita peruerſi homines, ut nihil minus ferre poſſint quàm neceſſariam & honeſtam diſciplinam: quæ magiſtratui in primis tuenda eſt. Quod cum facit, improborum ſermones, odia, inſidias, uitare nullo modo poteſt.*

Officio fungendũ: Euentus boni conſulendus.

Nam ad cuiuſq; uitam inſtituendam.) *Rectius legi uidetur, Ad cuiuſq; uitæ inſtitutum, ſiue publicum ſiue priuatum, quæ Græcè eſt προαίρεσις καὶ ἐπιτήδευμα.*

An ſatis ſit à paucis diligi.) *Quo cuiuſq; res anguſtiores & contractiores ſunt (non loquor iam de egeſtate aut mendicitate, ſed de fortunis mediocribus) eo paucioribus præſidijs eſt opus. Quo ampliores & illuſtriores, eo plurium opera deſideratur: id quod in magnis & paruis familijs cernimus.*

CICERO.

Certum igitur hoc ſit, idq; & primum & maximè neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & noſtra † mirantium.

V. L. curantium.

Certum igitur hoc ſit.) *Propoſitio: Amicitia eſt opus.*

Habere.) *ὅτι ἔχειν δεῖ.*

Et id quod & primum.) *Rectius legitur: Hoc ſit, idq; & primum.*

Familiaritates habere fidas.) *Græci uno uocabulo πιστοφιλίαν appellant, cum qua ἡ πολυφιλία rarò coniungitur.*

Et

Et noſtra mirantium.) *Ideſt: Qui præclarè de rebus noſtris ſentiant, noſq; magni faciant. Alij legunt, Curantium: quod & ipſum ferri poteſt. Sed eſt illud ἐμφατικώτερον.*

CICERO.

Hæc enim eſt una res prorſus, ut non differat multum inter ſummos & mediocres uiros, eaq; utriſque propemodum comparanda. Honore & gloria & beneuolentia ciuium fortaſſe non æquè omnes egent. Sed tamen ſi cui hæc ſuppetunt, adiuuant aliquantum, tum ad cætera, tum ad amicitias comparandas. Sed de amicitia † eo libro dictum eſt, qui inſcribitur Lælius. Nunc dicamus de gloria, quanquam ea quoq; de re duo ſunt noſtri libri. Sed attingamus, quandoquidem ea in rebus maioribus adminiſtrandis adiuuat plurimum.

V. L. alio libro.

Hæc enim eſt una res prorſus.) *Correctio quædam eſt diſtinctionis magiſtratuum & priuatorũ. Ad uerba quod attinet, ſi pro Eſt una res, legeretur, efficit una res: planior uideretur oratio.*

Vtriſq; propemodum.) *Scilicet, ex æquo. Mediocres, inquit, uiri amicos & familiares fidos non minus comparare debent, quàm uiri politici.*

Honore & gloria.) *συνδρομὴ, cõceſſio. His politici carere uix poſſunt, ac ne uix quidem, niſi ea conditione ſint, qua Bibulus in conſulatu ſuo fuit, de quo epigramma extat:*

Non Bibulo quicquam nuper, ſed Cæſare geſtum eſt:
Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

Homines quidem priuati honore & gloria carere poſſunt. Sunt enim τῶν ἐπεισάκτων ἐπιθυμιῶν: id eſt, ex numero earum cupiditatum, quas non natura inſeruit, ſed uanitas excogitauit. Niſi fortè eam gloriam intelligamus, qua quiſq; in ſuo uitæ genere, officio ſuo ſatisfacere exiſtimatur: hoc eſt, habere & uoluntatem & facultatem efficiendi id, quod ab ipſo poſtulatur. Hac enim gloria etiam opificibus & ſeruis eſt opus. Ea gloria poſtulat peritiam & ſtudium ſuæ artis, uitæ integritatem, ciuilitatem morum, moderationem animi atq; linguæ, ſeueritatem humanitate temperatam. Gloria doctoris eſt, eſſe eruditum, διδακτικὸν, φιλόπονον, in loco & humanum & ſeuerum. Gloria diſcipuli, eſſe aſſiduum, modeſtum, obſeruantem præceptoris. Gloria ſerui, προθύμως, πιστῶς, ἐπιμελῶς ὑπηρετεῖν: id eſt, alacriter, fideliter, diligenter inſeruire domino. Sic Medicus, Iuriſconſultus, Theologus ſuam habet

Gloria priuatorum hominum quibus rebus cõtineatur?

Gloria Doctoris, Diſcipuli, Serui.

gloriam. κενοδοξία uerò καὶ ἀπονοίαις excludendæ. Honos aliàs præmium Honos. *ſignificat: unde illud, Honos alit artes. aliàs, ſed plurali numero fere, magiſtratum: ut apud Seruium Sulpitium, Honores ordinatim in Repub. petere. aliàs ſignificationẽ externã ſiue obſeruantiæ, ſiue præclari de aliquo iudicij: quæ ſignificatio & gloriam & potentiam & diuitias comitatur.*

Sed tamen ſi cui hæc ſuppetunt.) *Quod modò conceſſit, nunc nonnihil corrigit: & cum priuatis etiam communicat, quod magiſtratuum quaſi proprium uidetur: ut oſtendat, quanta honoris & gloriæ ſit utilitas: & quãto in hoc genere meliore conditione ſint magiſtratus, quàm homines priuati. Nam ſplendor ille publici muneris, & iuuandi nocendiq́; facultas, multos ad amicitiam, aut certè amicitiæ ſimulationem allicere ſolet. Rectè quidem dicitur: Vbi amici, ibi opes. Sed non minus & uerum & bellum τὸ ἀντίστροφον:* Vbi opes, ibi amici. *Vbi opes, ibi amici, ſi non ueri (nam hæc rara eſt auis) at hiſtriones amicitiæ.*

Lælius. Sed de amicitia.) *ἀπόδειξις, qua monet, libellum de Amicitia hoc loco aſciſcendum eſſe: ut diſcamus, quo pacto familiaritates fidas amantium nos amicorum, & noſtra mirantium, comparare poſſimus. Et quidem prudenter Typographi cum hoc Opere Lælium, Catonem, Paradoxa, Somnium Scipionis coniungunt, ut unà in Scholis proponi, & à pueris ediſci poſſint.*

Ciceronis de ſuis libris diuinatio. Nunc dicamus de gloria.) *Propoſitio huius loci, ſed cum occupatione. Dicam de gloria comparanda. Videtur Cicero quaſi diuinaſſe, quid de ſuis libris futurum eſſet. Nam librorũ de Gloria ſummam hîc exponit, qui interciderunt. De Amicitia minus dicit, quòd is libellus ad poſteritatem permanſit. Philoſophiam in Prooemijs paſſim celebrat. πολιτικὰ παραγγέλματα & in his libris & in Epiſtolis ſæpe admiſcet: quo minor ſit Hortenſij & librorum de Republica iactura, & leuius deſiderium. Locus hic illud etiam admonere poteſt: Nonnulla quæ ad officij præceptiones pertinerẽt, in his libris ideo prætermiſſa uideri, quòd alibi ea ex profeſſo aut tractarit, aut tractare uoluerit copioſius.*

CICERO.

Summa igitur & perfecta gloria conſtat ex tribus his: Si diligit multitudo: Si fidem habet: Si cum admiratione quadam, honore nos dignos putat.

Gloriæ deſcriptiones. Summa igitur & perfecta gloria.) *Enumerat partes loco definitionis, quas Græcè ſic breuiter efferre liceat. εὐδοξία ἐστὶ, τὸ φιλεῖσθαί τε, καὶ πιστεύεσθαι, καὶ θαυμάζεσθαι, καὶ τιμᾶσθαι ὑπὸ τῶν πολλῶν: uel, ſi tripertita Ciceronis ratio magis placet, μετὰ θαυμασμοῦ θεραπεύεσθαι. Suprà dixit, ſtudia hominũ conciliari amore, ſpe, fide: quæ à gloria ſeiungi non poſſunt. Nam largitio quidem & metus τυραννικώτερα ſunt. Solet autẽ uariè deſcribere gloriam alijs in locis: quas deſcriptiones in promptu habere, utile eſt, non tantum ad hunc locum intelligendum, ſed & ad degendæ uitæ rationem.*

Excellit gloria is maximè, qui uirtute plurimùm præſtat: hoc eſt, uirtus eſt cauſa efficiens gloriæ.

Vera gloria fructus ueræ uirtutis, uirtutem tanquam umbra comitatur.

Gloria eſt, frequens de aliquo fama cum laude.

Gloria eſt illuſtris ac peruulgata multorum & magnorum uel in ſuos ciues, uel in patriam, uel in omne genus hominum, meritorum fama.

Gloria eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta uox benè iudicantium de excellenti uirtute.

Extrema hæc deſcriptio, mihi omnium optima uidetur, quod & fundamentum uirtutis habet: & ſtultos atque improbos excludens, ſolos uiros bonos & prudentes admittit. Non igitur gloria eſt, ſi quis à ſtultis aut improbis hominibus celebretur: neque ignominia eſt, ſi ab ijſdem contemnatur & uituperetur. Cum autem plures mali & ſtulti ſint, quàm boni & ſapientes: facilè intelligitur, gloriam non requirere totius populi ſuffragia: ſed contentam eſſe paucis illam quidem, ſed ijſdem excellentibus uiris.

CICERO.

Hęc autem, ſi eſt ſimpliciter breuiterq́ꝫ dicendum, quibus rebus pariuntur à ſingulis, ijſdem ferè à multitudine. Sed eſt alius quoqꝫ quidam aditus ad multitudinem: ut in uniuerſorum animos tanquam influere poſsimus.

Hæc autem, ſi eſt ſimpliciter.) *Gloria floret is, quem diligit multitudo: cui fidem habet: quem admiratur, & honore dignum iudicat. Hæc cum præclara ſint: quis tam abiecto ſit animo, quin ea conſequi cupiat? Sed ſtatim occurrit: Cupio quidem parare gloriam, modò poſſem. Cicero igitur iam πάνυ τεχνολογικῶς uiam monſtrat, quæ ducit ad gloriam, & à primis uelut elementis incipit: ut oſtendat, non tantam eius rei eſſe difficultatem, quanta uideatur. Quis enim eſt qui non unum aliquem ſibi ita conciliarit, ut ab eo & diligatur, & honoretur, & fide dignus habeatur? Quibus artibus id conſecutus eſt ab illo? His ipſis, quas iam docet Cicero. ut ſint hæc uerba eiuſmodi ferè, quaſi diceret: Si diligenter cogitaris, inuenies te iam callere artem parandæ gloriæ. Quo minus eſt quod deſperes.*

Gloriam rẽ expetendam eſſe.

Parandæ gloriæ ratio.

Quibus rebus pariuntur à ſingulis.) *Alij, Parantur legunt. Obſeruetur loquendi modus: párere uel parare aliquid ab aliquo, id eſt, impetrare, conſequi, adipiſci. Ad rem ipſam quod attinet, ſciendum eſt, hic politicos uiros potius inſtrui, quàm eos qui priuatam uitam degunt. Quare Cicero, ut antè monui, priuatæ uitæ rationem ad publicam gloriam accommodat. Eſt autem operæprecium, obſeruare τὴν μεταχείρισιν καὶ ἐργασίαν τοῦ λόγου. Nam primùm proponit, qua de re acturus ſit: deinde eam partitur: mox partes omnes ordine tractat, eâdem adhibita methodo propoſitionum & partitionum. Habent enim pleraqꝫ διαιρέσεις ſuas ὑποδιαιρέσεις, & hæ ſuas ὑποδιαιρέσεις. Hæc ratio cum & perelegãs ſit, & magnam lucem afferat orationi, multũq́ꝫ*

Hominẽ politicum à Cicerone potiſsimùm inſtitui.

Ciceroniana diſpoſitio.

iuuet memoriam, eſt adoleſcentibus imitanda: qui multa plerunque temerè congerunt, eaq́ue ſic permiſcent, ut ipſi ſæpè ignorent quot res, & quas & quomodo tractarint. Eam confuſionem cùm præcepta dicendi, tum bonorum autorum exempla, imitatione adhibita, corrigunt & tollunt.

Fuci & umbræ loco ueri corporis.

Sed eſt alius quoq;.) *Conciliandæ beneuolentiæ firmiſſima & optima ratio eſt, ipſa uirtus. Sed quia huius ſplendorem non omnes perſpiciunt, nec magni faciunt: fucis quibuſdam perſtringi poſſunt imperitorum oculi, cuiuſmodi ſunt Aedilitia munera, magnifici apparatus, & id genus alia: de quibus & pòſt dicetur, & antè quoq; dictum eſt aliquid, cum doceret, qualem uiri magni & honorati domum eſſe oporteret. Eſt igitur hæc occupatio quædam, contra eorum importuuitatem, qui largitionibus omnia confici putant.*

CICERO.

Ac primùm de illis tribus, quæ antè dixi, beneuolentiæ præcepta uideamus, quæ quidem beneficijs capitur maximè: ſecundo autem loco, benefica uoluntate bèneuolentia mouetur, etiamſi res fortè non ſuppetit: Vehementer autem amor multitudinis commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſticiæ, fidei, omniumq́ earum uirtutum quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem.

Gloria.

Ac primùm.) *Gloria conſtat tribus rebus: Beneuolentia, fide, honore ſeu admiratione. Gloriæ cauſa efficiens eſt,* VIRTVS: *Forma, hæ tres partes: Materia, beneficia, uoluntas benefica, comitas orationis. Finis, conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos adiungere.*

Quæ quidem bèneficijs.) *Tractatio primi membri, de captatione beneuolentiæ. Enumerat autem tres effectrices eius cauſas, beneficia, beneficam uoluntatem, famam uirtutis.*

Facultas diuitum.

Voluntas pauperum.

Etiamſi res fortè non ſuppedit.) *Nam (quod nemo ignorat) ad conficiendam rem quamlibet, non tantum uoluntas, ſed etiam facultas requiritur. Facultas autem ſæpè magnos ingenij, animi & corporis neruos, & multa externarum rerum ſubſidia requirit: quæ paucis ſuppetunt. Pauperum igitur uoluntas laudanda eſt. eorum uerò qui diuitijs abundant, uoluntas tum demum probari poteſt, cum re ipſa & facto beneficum animum declararint. Nullius tamen opes tantæ ſunt, quæ cupiditates omnium explere poſſint.*

Ipſa fama & opinione liberalitatis.) *Iſta uerò fama & opinio excitari qui poteſt, niſi multis beneſeceris? Oportet igitur corpus, hoc eſt, ipſam liberalitatem antecedere. Tum demum umbra, hoc eſt fama & opinio ſequetur.*

Fama

Fama & opinione.) *Sermo peruulgatus de aliquo efficit, ut homines talem aliquem eſſe opinentur, qualis eſſe dicitur. Sed falluntur ſæpè artificijs impoſtorum & mendacium hominum.*

Manſuetudinem morum, ac facilitatem.) *Hæ ſunt σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη, quæ & Iſocratico Nicocli maximè probantur, & τὸ ἐπιθυμητικὸν maximè moderantur. Manſuetudinem morum τὸ ἦθος καὶ τὸ ἠθικὸν Græci ἰδίως dicunt. Sunt igitur magis ἠθικαὶ ἀρεταὶ in hoc uocis uſu, Iuſticia & modeſtia, cum ſuis partibus aut ſpeciebus. Prudentia uerò, & Fortitudo, quarum altera τὸ ἡγεμονικὸν, altera τὸ θυμοειδὲς moderatur, ſunt magis παθητικαὶ, & proniores ad iniuriam alijs faciendã, niſi à Iuſticia & Temperantia cohibeantur.*

Virtutes leniores & acriores.

CICERO.

Etenim illud ipſum quod decorum honeſtumq́ꝫ diximus, quia per ſe nobis placet, animoſq́ꝫ omnium natura & ſpecie ſua commouet, maximeq́ꝫ quaſi perlucet ex ijs quas commemoraui uirtutibus: idcirco illos in quibus eas uirtutes eſſe remur, à natura ipſa diligere cogimur. Atqꝫ hæ quidem cauſæ ſunt diligendi grauiſsimæ. Poſſunt enim præterea nonnullæ eſſe leuiores.

Etenim illud ipſum quod decorum.) *Aetiologia, cur fama & opinio uirtutis beneuolentiam hominum conciliet. Hoc eò fit, inquit, ὅτι τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετόν ἐστι. Quemadmodum pulchra ſpectacula oculos, ſuaues ſoni aures, palatum cibi dulces: ſic uirtutes animos hominum alliciunt, & conciliant. Ipſa natura cogit, uiros uirtute excellẽtes amare. In Lælio ſcribit, Nihil eſſe amabilius uirtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligẽdum: quippe cum propter uirtutem & probitatem eos etiam quos nunquam uidimus, quodammodo diligamus. Ariſtoteles 2. Rhetoricorũ, cauſas diligendi, ut & cæterorum affectuum, accuratè perſequitur: quem locũ quia prolixior eſt, ſtudioſis inquirendum relinquo. Qui igitur (ut ad Ciceronem redeamus) amicos expetit, is det operam, ut uirtute alijs præſtet.*

Virtus amoris illecebra.

Atqꝫ hæ quidem cauſæ.) *Occupatio quædam eſt, ne quid prætermiſiſſe uideatur. Valet enim in amore & beneuolẽtia hominum ſæpè natura multum. Vnde fit, ut cum quidam gratiæ cauſa nihil faciant, tamẽ grata ſint quæ faciunt omnia. Alij, quicquid agant, ſpreti & neglecti iacent. Valet & fortuna multum: ut de Menandro & Philemone Comico paulò antè diximus. Multum etiam huc facit formæ dignitas, nobilitas, opulentia, magnificentia ſtructurarum, & alia fortaſſe, quæ Cicero ſcrupuloſè enumerare noluit, ne Lectorum ingenijs diffidere uideretur.*

Cauſæ diligendi leuiores.

CICE-

runt, ſpectatoresq́ſe ocioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis?

Necuerò ulla uis.) *Sententia eſt: Tyrannos quantumuis cautos & potentes ac ſæuos, exitium uitare non poſſe. Cautiſsimus fuit Alexander Pheræus, ſed nihilominus periÿt. Sæuiſsimus fuit Phalaris: ſed tamen lapidibus obrutus eſt.*

Cicero quouis modo à tyrãnide deterret.

Vniuerſiq́ſe ad Pyrrhum.) *Factum id fortaſsis eſt, non tam ob interfectum ab illo Alexandrum Macedoniæ regem, quàm ob largitiones Pyrrhi. Sed Cicero exemplum hoc, ut & Romanæ Reipub. ἀπροσδιονύσως propemodum ad ſuum inſtitutum quaſi ui pertrahere uidetur. Sed ſpectandum eſt boni & calamitoſi ſenis conſilium, qui hac digreſsione & ſuos affectus ad omnem æquitatem ac reipublicæ ſalutem propenſos declarat: & propoſitis ſuperiorum temporum delictis & peccatis, poſteritati conſultum cupit. Fruſtrà ille quidem, quantumuis prudenter & piè. Cur uero?*

* inamabilis.

Fata obſtant, triſtiq́; palus innabilis unda,*
Scilicet & nouies Styx circumfuſa coheret.

CICERO.

Externa libentius in tali re, quàm domeſtica recordor. Veruntamen quàm diu imperium populi Romani beneficijs tenebatur, non iniurijs, bella aut pro ſocijs aut de imperio gerebantur: exitus erant bellorum aut mites, aut neceſſarij.

Externa libentius in tali re.) *A peregrinis exemplis calamitoſæ tyrannidis ad Romana tranſit, ſed cum occupatione quadam, laudationem maiorum ſui ſeculi reprehenſioni præponendo, ne patriæ cladibus atque infamia delectari uideatur. Delicatæ enim ſunt hominum aures: & ut ſuis laudibus audiendis auidè inhiant, ſic à commemoratione rei malè geſtæ, ſuiq́; dedecoris uehementer abhorrent. Sic Virgilianus Aeneas excidium patriæ inuitus refert: & apud Ouidium Achelous præfatur,*

—— Quis enim ſua prælia uictus
Commemorare uelit? ——

Eſt & oratorum hæc conſuetudo, ut probra ab inimicis ſibi obiecta, callidè diſsimulent ac tegant.

Aut mites, aut neceſſarij.) *Virgilius utrunq; hoc uerſu complectitur:*

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Exitus bellorum.

Mites exitus bellorum ſunt, cum deuicti populi aut in ciuitatem, aut in fidem & clientelam recipiuntur, modico tributo impoſito. Neceſſarij, cum excinduntur urbes, & captiui ſub corona ueneũt. Sic Campani, Fregellani, Numantini, Carthaginenſes. Corinthÿ aſperius tractati ſunt, partim ob ſuperbiam, perfidiam & crudelitatem: partim quòd Romani ſe illis ſaluis incolumes eſſe

mes eſſe poſſe diffideret. Nūc Turcica tyrānis abſq; diſcrimine ſæuit in omnes, uel cædib. quæ quidē leniſſima pœna eſt: uel cōtumelioſa et impia ſeruitute.

CICERO.

Regum, populorum, nationum portus erat & refugium, Senatus. Noſtri autem magiſtratus imperatoresq́ꝫ ex una hac re maximam laudem capere ſtudebant, ſi prouincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium orbis terrę uerius, quàm Imperium poterat nominari.

Regum, populorum.) *Sic Macchabæi, cum à Syriæ regibus urgerentur, Romanorum opem implorarunt. Sic Hieron, Ptolemæus, Ariobarzanes Deiotarus, Macedones, Græci, &c. Romanorum opibus ſe defenderunt.*

Imperium nihil eſt niſi patrocinium.

Patrocinium urbis.) *Patroni ſunt poſt manumiſſionem ſeruorum ij, qui domini fuerant: hoc eſt, defenſores in iudicio, & omnibus alijs periculis. Sic patroni dicuntur, qui in foro defendunt reos. Præclara eſt hæc ſententia. Nam omne legitimum imperium nihil aliud eſt niſi patrocinium: id eſt, ad conſeruationem iuris & æquitatis comparatum. À quo ſcopo cum receditur, fit tyrannis.*

CICERO.

Senſim hanc conſuetudinem & diſciplinam iam antea minuebamus: poſt uerò Syllæ uictoriam, penitus amiſimus. Deſitum eſt enim uideri quicquam in ſocios iniquum, cum extitiſſet etiam in ciues tanta crudelitas. Ergo in illo ſecuta eſt honeſtam cauſam, non honeſta uictoria. Eſt enim auſus dicere, haſta poſita, cum bona in foro uēderet, & bonorum uirorum, & locupletum, & certè ciuium, Prædam ſuam ſe uendere.

Cupiditati imperij prætexitur defenſio ſociorum.

Senſim hanc conſuetudinem.) *Non obſcurum eſt ex hiſtorijs, Romanos per ſpeciem defenſionis ſociorum & ſupplicum, id egiſſe diſſimulanter, ut aucta potentia ſua, rerum potirentur: itaq; factum eſt. Eſt hoc philautiæ ingenium, ut ſibi melius eſſe malit quàm alteri, & ſuapte cauſa plæraque faciat. Sed imperij cupiditas mollioribus principijs prætexi ſolet, donec ui opprimantur ij qui parêre ultrò recuſarunt. Cœperunt autem Romani tum maximè inſoleſcere, cum exciſa Carthagine, Perſeoq; capto, iuſtos aduerſarios habere deſierunt. Tum enim ſinguli prætores & proconſules luxu & faſtu plus quàm regio prouincias exhauſerunt: ne quid de publicanorum priuatorumq́ue ciuium auaricia dicatur. Veriſſimè igitur ſcripſit Demoſthenes:* ὅτι τὸ παρὰ τὴν ἀξίαν εὖ πράττειν, πολλάκις ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς

ἀνοήτοις γίγνεται. Quod quaſi interpretatus Mimus ille Publianus:

Fortuna (inquit) quem nimium fouet, ſtultum facit.

Nec ſtultum tantùm ſed inſolentem etiam, & iniuſtum. Exempla plura quàm uellem, & mihi commodum eſt, ſunt in promptu.

Optima ſunt igitur mediocria: ſumma periclis
Obuia: contemptum ſordida uita parit.

Sed hæc petantur ex hiſtorijs, ac Liuij & Saluſtij proœmijs.

CICERO.

Secutus eſt, qui in cauſa impia, uictoria etiam fœdiore, non ſolùm ſingulorum ciuium bona publicaret, ſed uniuerſas quoque prouincias regionesque uno calamitatis iure comprehenderet. Itaque uexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperij, portari in triumpho Maſſiliã uidimus: & ex ea urbe triumphari, ſine qua nunquã noſtri imperatores ex tranſalpinis bellis triumpharunt. Multa præterea commemorarem nefaria in ſocios, ſi hoc uno Sol quicquam uidiſſet indignius.

Tyrannis infeſtus Cicero.

Secutus eſt qui in cauſa impia.) *Vbique per occaſionem tyrannidem C. Iulij Cæſaris Cicero inſectatur, cùm ut alios à ſimili conatu deterreat: tum ut eorum animos leniat, qui necem eius iniquis ferebant animis. Indulſit interim fortaſſis etiam dolori non iniuſto, nec ſine augurio ſecutæ Reipublicæ cladis, ſuique interitus: non minus uerus uates, quàm Alexander Pheræus.*

In cauſa impia.) *Cæſar hoc negabat, & populi beneficium ſibi defendendum eſſe affirmabat. Impetrarat ille quidem, ſed malis artibus & largitionibus, ut in conſularibus comitijs ſui abſentis ratio haberetur. Sed huius controuerſiæ diſceptatio non eſt huius loci, nec id noſtra ſcilicet intereſt. Sed Nemeſis intolerabilem illam ambitionem & auariciam, atque Deorum & hominum contemptum, ferre diutius non potuit.*

Rauarum intemperias coharcet ciconia.

Victoria etiam fœdiore.) *Impia cauſa eſt, propter priuatam ambitionem opprimere leges, & patriæ, libertatem. Turpis autem cauſæ honeſta eſſe uictoria qui poteſt? Nihilo certè magis, quàm ſi latro in ſylus & ſolitudine interficiat uiatorem imbecilliorem. Honeſtæ autem cauſæ uictoria poteſt eſſe inhoneſta, ſi quis ea crudeliter, auarè libidinoſeque utatur. Neque uerò hoc dico, uictoriæ honeſtatem pendêre ex moderatione uictoriæ (ſucceſſus enim cauſam non mutat: & latronem, maleficio & ſcelere partæ opes, non honeſtiorem, id eſt meliorem uirum efficiunt) ſed illud dico, ut honeſtæ cauſæ uictoriam dedecorat crudelitas, libido, auaricia: ſic minus turpem inhoneſtæ cauſa uictoriam facit moderatio, continentia, clementia: non quin omnis meretrix mala ſit, ſed minus mala Thais quàm Bacchis. Quæ liberalitas eſt*

eius,

eius, qui hominibus innocentibus ſpoliatis, noſodocheum extruit? Non nego rectius eſſe hoc, id eſt minus prauum, quàm ſi eaſdem opes ad luxum atque libidinem contuliſſet. Minus igitur turpis eſt fortaſſe: honeſtus autem tum fuiſſet, ſi de ſuo, ſine cuiuſquam iniuria, fuiſſet liberalis.

Vno calamitatis iure.) *Quaſi dicat: Nihil iuris habuit. Cæſar, cur mulctaret prouincias: ſed ius illud in armis fuit. Alij, uno calamitatis genere, legunt: quod & ipſum ferri poteſt, ut ſignificet, pari calamitate omnes prouincias fuiſſe afflictas. Nam ad explendam militarem auariciam maxima pecunia Cæſari fuit opus, quæ ſine maxima uexatione prouinciarum cogi non potuit.*

CICERO.

Iure igitur plectimur. Niſi enim multorum impunita ſcelera tuliſſemus: nunquam ad unum tanta perueniſſet licentia. A' quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbos uenit hæreditas.

Iure igitur plectimur.) *Commemorationi calamitoſi ſtatus Reipublicæ, ſubiungit confeſſionem culpæ, & cauſam exponit calamitatis. Cum (inquit) leges non obſeruantur, & potentum cupiditatibus indulgetur: tyranni ſolent exiſtere. Quare apud Ariſtophanem monet quidam,* σκύμνον λέοντος ἐν πόλει μὴ τρέφειν, ἢ τοῖς νόμοις πειθαρχεῖν ἀναγκάζειν. *Quæ autem potentum graſſationes Romæ fuerint, quæ libidines, uel ex Clodianis facinoribus atq; intemperijs patêre poteſt.* Tyranni unde exiſtant

CICERO.

Nec uerò unquam bellorum ciuilium ſemen & cauſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt, quam P. Sylla cum uibraſſet, dictatore propinquo ſuo: idem ſexto & triceſimo anno póſt à ſceleratiore haſta eâdem nõ receſsit. Alter autem, qui in illa dictatura ſcriba fuerat, in hac fuit quæſtor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus præmijs propoſitis, nunquam defutura bella ciuilia. Itaq; parietes urbis modò ſtant & manent, ĳq; ipſi iam extrema ſcelera metuentes: rem uerò publicam penitùs amiſimus.

Nec uerò unquam.) *Diuinatio de effectu, ex cauſis antecedentibus. Præclarum hoc eſt diuinandi genus, cum cauſa poſita colligitur effectus. Sic Ouidius:* Diuinatio è cauſis de effectu.

Augurium ratio eſt & coniectura futuri:
Hac diuinaui, noticiamq; tuli.

Sic me-

portaſſent. Neq; enim exteræ nationes & prouinciæ Romanis plus nocuerũt, quàm ipſi ſibi. Vnde Horatius ait:

Suis & ipſa Roma uiribus ruit.

Et Liuius eò perueniſſe rem Romanam affirmat, ut iam magnitudine laboret ſua: alludens opinor ad Hippocraticum illud, ὅτι αἱ ἄκραι τῶν εὐεξιῶν σφαλεραί, ὥσπερ αἱ τῶν ἀθλητῶν. Lucanus poeta in fata cauſam horum malorum confert, his uerſibus:

Inuida fatorum ſeries, ſummisq; negatum
Stare diu, nimioq; graues ſub pondere lapſus.

Alluſit fortaſsis ad Herodoti dictũ, qui ſcripſit, τὸ θεῖον πᾶν φθονερὸν ὄν, numen eſſe inuidium. non quòd tam fœdus affectus in Deum cadat: ſed quòd animaduerſum eſt, felicitatem raro eſſe ſolidam & diuturnam. Quod fit uel (ut philoſophi cenſent) propter materiæ inſtabiliatem (nam quæ ſub Luna ſunt, caduca, fragilia, mutabilia ſunt) uel (quæ uera Theologorum ſententia eſt: neq; enim Deus immeritos punit) propter peccata hominum, qui petulantia ſua pœnas ſibi accerſunt. Etſi non ignoro, etiam hanc cauſam eludi ab impijs, fideliſsimos Saguntinos ante fœdifragos Carthaginenſes perijſſe dictitantibus. Sed nos τὸ ὡς ἐπὶ πλεῖστον ſpectare debemus: cætera diuinæ prouidentiæ committere, cuius nos arcanis conſilijs non adhibemur. Nominis inuidia.

Quæ ſi populo Romano.) *Argumentatur à minori ad maius: hoc eſt, minus uériſimile eſſe, Romanos potentiſsimos affligi, quàm unum hominem, cuius paruæ ſint opes. Si quis inuertere mauult, & dicere, à maiori ad minus eum argumentari, fortaſſe nihil prohibet: Romani enim maiores & potentiores ſunt ſingulis. Sed id non ſpectatur hoc loco.*

CICERO.

Quod cum perſpicuum ſit, beneuolentiæ uim eſſe magnam, metus imbecillem: ſequitur ut diſſeramus, quibus rebus poſsimus facilimè eam, quam uolumus, adipiſci cum honore & fide, charitatem.

Quod cum perſpicuum ſit.) *Propoſitio eſt: Dabimus præcepta capiendæ beneuolentiæ. cui præpoſuit comparationem metus & beneuolentiæ.*

Cum honore & fide charitatem.) *Tres has partes ſtatuit eſſe perfectæ gloriæ. Nec enim tantum de Beneuolentia hic agitur: ſed de perfecta gloria, cuius una pars eſt Beneuolentia. Gloria porrò fundamento uirtutis innixa, comitem etiam Fortunam habere debet (alioqui enim uirtus ſuo præmio fraudaretur) eademq; omnia ea continere uidetur, quæ ſunt homini politico neceſſaria. Nam pecunia ex ærario, non è priuatis loculis ad gerendam Rempublicam eſt depromenda.* Gloriæ uis.

CICERO.

Sed ea non pariter omnes egemus. Nam ad cuiuſque uitam inſtituendam accommodandum eſt, à multis'ne opus ſit, an ſatis ſit à paucis diligi?

Homini politico plurib. opus, quàm priuato.

Sed ea non pariter omnes.) *Quemadmodũ ſuperiore libro dixit, philoſophos animi tranquillitatem facilius conſeruare poſſe, quòd minus multa in eorum uita pateant, quæ fortuna feriat: ita nunc, homini politico & in magiſtratibus conſtituto maiore plurium beneuolentia opus eſſe dicit. Docilitatis enim cauſa priuatorum & principum diſcrimen conſtituit. Qui rem familiarem adminiſtrat, eorum ſtudijs contentus eſſe poteſt, ſine quibus munere ſuo fungi non poteſt, qui pauciores ſunt. Quanquam his quoq; interdum ea occurrunt, ut plurimorum auxilio ſit opus. Qui uerò Reipub. præeſt, quæ omnes ciues complectitur: ei omnium etiam ciuium, aut magnæ certè partis ſtudijs & beneuolentia eſt opus, quò rectius patriæ conſulere poſsit. Sed hoc nemini mortalium unquam contigiſſe uidetur. Magna fuit gratia Pompeij. Sed tamen is quoq; ſuos æmulos & aduerſarios habuit. Danda igitur eſt cuiq; opera, ut officio ipſe fungatur, neq; ſua culpa quenquam à ſe alienet: (hoc enim penes ipſum eſt:) euentus autem committendus Deo. Sunt enim nonnunquam ita peruerſi homines, ut nihil minus ferre poſsint quàm neceſſariam & honeſtam diſciplinam: quæ magiſtratui in primis tuenda eſt. Quod cum facit, improborum ſermones, odia, inſidias, uitare nullo modo poteſt.*

Officio fungendũ: Euentus boni conſulendus.

Nam ad cuiuſq; uitam inſtituendam.) *Rectius legi uidetur, Ad cuiuſq; uitæ inſtitutum, ſiue publicum ſiue priuatum, quæ Græcè eſt προαίρεσις καὶ ἐπιτήδευμα.*

An ſatis ſit à paucis diligi.) *Quo cuiuſq; res anguſtiores & contractiores ſunt (non loquor iam de egeſtate aut mendicitate, ſed de fortunis mediocribus) eo paucioribus præſidijs eſt opus. Quo ampliores & illuſtriores, eo plurium opera deſideratur: id quod in magnis & paruis familijs cernimus.*

CICERO.

Certum igitur hoc ſit, idq; & primum & maximè neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & noſtra † mirantium.

V. L. curantium.

Certum igitur hoc ſit.) *Propoſitio: Amicitia eſt opus.*

Habere.) *ὅτι ἔχειν δεῖ.*

Et id quod & primum.) *Rectius legitur: Hoc ſit, idq; & primum.*

Familiaritates habere fidas.) *Græci uno uocabulo προσφιλίαν appellant, cum qua ἡ πολυφιλία rarò coniungitur.*

Et.

Et noſtra mirantium.) *Id eſt: Qui præclarè de rebus noſtris ſentiant, noſq; magnifaciant. Alij legunt, Curantium: quod & ipſum ferri poteſt. Sed eſt illud ἐμφατικώτερον.*

CICERO.

Hæc enim eſt una res prorſus, ut non differat multum inter ſummos & mediocres uiros, eaq; utriſque propemodum comparanda. Honore & gloria & beneuolentia ciuium fortaſſe non æquè omnes egent. Sed tamen ſi cui hæc ſuppetunt, adiuuant aliquantum, tum ad cætera, tum ad amicitias comparandas. Sed de amicitia † eo libro dictum eſt, qui inſcribitur Lælius. Nunc dicamus de gloria, quanquam ea quoq; de re duo ſunt noſtri libri. Sed attingamus, quandoquidem ea in rebus maioribus adminiſtrandis adiuuat plurimum.

V. L. alio libro.

Hæc enim eſt una res prorſus.) *Correctio quædam eſt diſtinctionis magiſtratuum & priuatorū. Ad uerba quod attinet, ſi pro Eſt una res, legeretur, efficit una res: planior uideretur oratio.*

Vtriſq; propemodum.) *Scilicet, ex æquo. Mediocres, inquit, uiri amicos & familiares fidos non minus comparare debent, quàm uiri politici.*

Honore & gloria.) *συνδρομὴ, cōceſſio. His politici carere uix poſſunt, ac ne uix quidem, niſi ea conditione ſint, qua Bibulus in conſulatu ſuo fuit. de quo epigramma extat:*

Non Bibulo quicquam nuper, ſed Cæſare geſtum eſt:
Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

Homines quidem priuati honore & gloria carere poſſunt. Sunt enim τῶν ἐπεισάκτων ἐπιθυμιῶν: id eſt, ex numero earum cupiditatum, quas non natura inſeruit, ſed uanitas excogitauit. Niſi fortè eam gloriam intelligamus, qua quiſq; in ſuo uitæ genere, officio ſuo ſatisfacere exiſtimatur: hoc eſt, habere & uoluntatem & facultatem efficiendi id, quod ab ipſo poſtulatur. Hac enim gloria etiam opificibus & ſeruis eſt opus. Ea gloria poſtulat peritiam & ſtudium ſuæ artis, uitæ integritatem, ciuilitatem morum, moderationem animi atq; linguæ, ſeueritatem humanitate temperatam. Gloria doctoris eſt, eſſe eruditum, διδακτικὸν, φιλόπονον, in loco & humanum & ſeuerum. Gloria diſcipuli, eſſe aſſiduum, modeſtum, obſeruantem præceptoris. Gloria ſerui, προθύμως, πιστῶς, ἐπιμελῶς ὑπηρετεῖν: id eſt, alacriter, fideliter, diligenter inſeruire domino. Sic Medicus, Iuriſconſultus, Theologus ſuam habet gloriam.

Gloria priuatorum hominum quibus rebus cōtineatur?

Gloria Doctoris, Diſcipuli, Serui.

gloriam. κενοδοξία uerò καὶ ὑπόκρισις excludendæ. Honos aliàs præmium Honos. *ſignificat: unde illud, Honos alit artes. aliàs, ſed plurali numero fere, magiſtratum: ut apud Seruium Sulpitium, Honores ordinatim in Repub. petere. aliàs ſignificationē externã ſiue obſeruantiæ, ſiue præclari de aliquo iudicij: quæ ſignificatio & gloriam & potentiam & diuitias comitatur.*

Sed tamen ſi cui hæc ſuppetunt.) *Quod modò conceſſit, nunc nonnihil corrigit: & cum priuatis etiam communicat, quod magiſtratuum quaſi proprium uidetur: ut oſtendat, quanta honoris & gloriæ ſit utilitas: & quãto in hoc genere meliore conditione ſint magiſtratus, quàm homines priuati. Nam ſplendor ille publici muneris, & iuuandi nocendiq; facultas, multos ad amicitiam, aut certè amicitiæ ſimulationem allicere ſolet. Rectè quidem dicitur: Vbi amici, ibi opes. Sed non minus & uerum & bellum τὸ ἀντίστροφον: Vbi opes, ibi amici, ſi non ueri (nam hæc rara eſt auis) at hiſtriones amicitiæ.* Vbi opes, ibi amici.

Lælius. Sed de amicitia.) *ἀνάδειξις, qua monet, libellum de Amicitia hoc loco aſciſcendum eſſe: ut diſcamus, quo pacto familiaritates fidas amantium nos amicorum, & noſtra mirantium, comparare poſſimus. Et quidem prudenter Typographi cum hoc Opere Lælium, Catonem, Paradoxa, Somnium Scipionis coniungunt, ut unà in Scholis proponi, & à pueris edi ſci poſſint.*

Ciceronis de ſuis libris diuinatio. Nunc dicamus de gloria.) *Propoſitio huius loci, ſed cum occupatione. Dicam de gloria comparanda. Videtur Cicero quaſi diuinaſſe, quid de ſuis libris futurum eſſet. Nam librorũ de Gloria ſummam hîc exponit, qui interciderunt. De Amicitia minus dicit, quòd is libellus ad poſteritatem permanſit. Philoſophiam in Proœmijs paſſim celebrat. πολιτικὰ παραγγέλματα & in his libris & in Epiſtolis ſæpe admiſcet: quo minor ſit Hortenſij & librorum de Republica iactura, & leuius deſiderium. Locus hic illud etiam admonere poteſt: Nonnulla quæ ad officij præceptiones pertinerēt, in his libris ideo prætermiſſa uideri, quòd alibi ea ex profeſſo aut tractarit, aut tractare uoluerit copioſius.*

CICERO.

Summa igitur & perfecta gloria conſtat ex tribus his: Si diligit multitudo: Si fidem habet: Si cum admiratione quadam, honore nos dignos putat.

Gloriæ deſcriptiones. Summa igitur & perfecta gloria.) *Enumerat partes loco definitionis, quas Græcè ſic breuiter efferre liceat. εὐδοξία δεῖ, τὸ φιλεῖσθαί τε, καὶ πιστεύεσθαι, καὶ θαυμάζεσθαι, καὶ τιμᾶσθαι ὑπὸ τῶν πολλῶν: uel, ſi tripertita Ciceronis ratio magis placet, μετὰ θαυμασμοῦ θεραπεύεσθαι. Suprà dixit, ſtudia hominũ conciliari amore, ſpe, fide: quæ à gloria ſeiungi non poſſunt. Nam largitio quidem & metus τυραννικώτερα ſunt. Solet aũt uariè deſcribere gloriam alijs in locis: quas deſcriptiones in promptu habere, utile eſt, non tantum ad hunc locum intelligendum, ſed & ad degendæ uitæ rationem.*

Excellit

Excellit gloria is maximè, qui uirtute plurimùm præſtat: hoc eſt, uirtus eſt cauſa efficiens gloriæ.

Vera gloria fructus ueræ uirtutis, uirtutem tanquam umbra comitatur.

Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude.

Gloria eſt illuſtris ac peruulgata multorum & magnorum uel in ſuos ciues, uel in patriam, uel in omne genus hominum, meritorum fama.

Gloria eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta uox benè iudicantium de excellenti uirtute.

Extrema hæc deſcriptio, mihi omnium optima uidetur, quod & fundamentum uirtutis habet: & ſtultos atque improbos excludens, ſolos uiros bonos & prudentes admittit. Non igitur gloria eſt, ſi quis à ſtultis aut improbis hominibus celebretur: neque ignominia eſt, ſi ab ijſdem contemnatur & uituperetur. Cum autem plures mali & ſtulti ſint, quàm boni & ſapientes: facilè intelligitur, gloriam non requirere totius populi ſuffragia: ſed contentam eſſe paucis illam quidem, ſed ijſdem excellentibus uiris.

CICERO.

Hęc autem, ſi eſt ſimpliciter breuiterq; dicendum, quibus rebus pariuntur à ſingulis, ijſdem ferè à multitudine. Sed eſt alius quoq; quidam aditus ad multitudinem: ut in uniuerſorum animos tanquam influere poſsimus.

Hæc autem, ſi eſt ſimpliciter.) *Gloria floret is, quem diligit multitudo: cui fidem habet: quem admiratur, & honore dignum iudicat. Hæc cum præclara ſint: quis tam abiecto ſit animo, quin ea conſequi cupiat? Sed ſtatim occurrit: Cupio quidem parare gloriam, modò poſſem. Cicero igitur iam* πανυκαταληπτικῶς *uiam monſtrat, quæ ducit ad gloriam, & à primis uelut elementis incipit: ut oſtendat, non tantam eius rei eſſe difficultatem, quanta uideatur. Quis enim eſt qui non unum aliquem ſibi ita conciliarit, ut ab eo & diligatur, & honoretur, & fide dignus habeatur? Quibus artibus id conſecutus eſt ab illo? His ipſis, quas iam docet Cicero. ut ſint hæc uerba eiuſmodi ferè, quaſi diceret: Si diligenter cogitaris, inuenies te iam callere artem parandæ gloriæ. Quo minus eſt quod deſperes.*

Gloriam rē expetendam eſſe.

Parandæ gloriæ ratio.

Quibus rebus pariuntur à ſingulis.) *Alij, Parantur legunt. Obſeruetur loquendi modus: părere uel parare aliquid ab aliquo, id eſt, impetrare, conſequi, adipiſci. Ad rem ipſam quod attinet, ſciendum eſt, hic politicos uiros potius inſtrui, quàm eos qui priuatam uitam degunt. Quare Cicero, ut antè monui, priuatæ uitæ rationem ad publicam gloriam accommodat. Eſt autem operæprecium, obſeruare* τὴν μεταχείρησιν καὶ ἐργασίαν τοῦ λόγου. *Nam primùm proponit, qua de re acturus ſit: deinde eam partitur: mox partes omnes ordine tractat, eâdem adhibita methodo propoſitionum & partitionum. Habent enim pleræq; διαιρέσεις ſuas ὑποδιαιρέσεις, & hæ ſuas ἐπιδιαιρέσεις. Hæc ratio cum & perelegans ſit, & magnam lucem afferat orationi, multùmq;*

Hominē politicum à Cicerone potiſsimùm inſtitui.

Ciceroniana diſpoſitio.

iuuet memoriam, eſt adoleſcentibus imitanda: qui multa plerunque temerè congerunt, eaque ſic permiſcent, ut ipſi ſæpè ignorent quot res, & quas & quomodo tractarint. Eam confuſionem cùm præcepta dicendi, tum bonorum autorum exempla, imitatione adhibita, corrigunt & tollunt.

Fuci & umbræ loco ueri corporis.

Sed eſt alius quoq;.) *Conciliandæ beneuolentiæ firmiſſima & optima ratio eſt, ipſa uirtus. Sed quia huius ſplendorem non omnes perſpiciunt, nec magni faciunt: fucis quibuſdam perſtringi poſſunt imperitorum oculi, cuiuſmodi ſunt Aedilitia munera, magnifici apparatus, & id genus alia: de quibus & pòſt dicetur, & antè quoq; dictum eſt aliquid, cum doceret, qualem uiri magni & honorati domum eſſe oporteret. Eſt igitur hæc occupatio quædam, contra eorum importunitatem, qui largitionibus omnia confici putant.*

CICERO.

Ac primùm de illis tribus, quæ antè dixi, beneuolentiæ præcepta uideamus, quæ quidem beneficijs capitur maximè: ſecundo autem loco, benefica uoluntate beneuolentia mouetur, etiamſi res fortè non ſuppetit: Vehementer autem amor multitudinis commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſticiæ, fidei, omniumq́; earum uirtutum quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem.

Gloria.

Ac primùm.) *Gloria conſtat tribus rebus: Beneuolentia, fide, honore ſeu admiratione. Gloriæ cauſa efficiens eſt,* V I R T V S: *Forma, hæ tres partes: Materia, beneficia, uoluntas benefica, comitas orationis. Finis, conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos adiungere.*

Quæ quidem beneficijs.) *Tractatio primi membri, de captatione beneuolentiæ. Enumerat autem tres effectrices eius cauſas, beneficia, beneficam uoluntatem, famam uirtutis.*

Facultas diuitum.

Voluntas pauperum.

Etiamſi res fortè non ſuppedit.) *Nam (quod nemo ignorat) ad conficiendam rem quamlibet, non tantum uoluntas, ſed etiam facultas requiritur. Facultas autem ſæpè magnos ingenÿ, animi & corporis neruos, & multa externarum rerum ſubſidia requirit: quæ paucis ſuppetunt. Pauperum igitur uoluntas laudanda eſt. eorum uerò qui diuitÿs abundant, uoluntas tum demum probari poteſt, cum re ipſa & facto beneficum animum declararint. Nullius tamen opes tantæ ſunt, quæ cupiditates omnium explere poſſint.*

Ipſa fama & opinione liberalitatis.) *Iſta uerò fama & opinio excitari qui poteſt, niſi multis beneſeceris? Oportet igitur corpus, hoc eſt, ipſam liberalitatem antecedere. Tum demum umbra, hoc eſt fama & opinio ſequetur.*

Fama

Fama & opinione.) *Sermo perulgatus de aliquo efficit, ut homines talem aliquem eſſe opinentur, qualis eſſe dicitur. Sed falluntur ſæpè artificijs impoſtorum & mendacium hominum.*

Manſuetudinem morum, ac facilitatem.) *Hæ ſunt σωφροσύνη καὶ δικαιοσύνη, quæ & Iſocratico Nicocli maximè probantur, & τὸ ἐπιθυμητικὸν maximè moderantur. Manſuetudinem morum τὸ ἦθος καὶ τὸ ἠθικὸν Græci εἰδικῶς dicunt. Sunt igitur magis ἠθικαὶ ἀρεταὶ in hoc uocis uſu, Iuſticia & modeſtia, cum ſuis partibus aut ſpeciebus. Prudentia uerò, & Fortitudo, quarum altera τὸ ἡγεμονικὸν, altera τὸ θυμοειδὲς moderatur, ſunt magis παθητικαὶ, & proniores ad iniuriam alijs faciendã, niſi à Iuſticia & Temperantia cohibeantur.* Virtutes leniores & acriores.

CICERO.

Etenim illud ipſum quod decorum honeſtumq; diximus, quia per ſe nobis placet, animosq; omnium natura & ſpecie ſua commouet, maximeq; quaſi perlucet ex ijs quas commemoraui uirtutibus: idcirco illos in quibus eas uirtutes eſſe remur, à natura ipſa diligere cogimur. Atq; hæ quidem cauſæ ſunt diligendi grauiſsimæ. Poſſunt enim prætera nonnullæ eſſe leuiores.

Etenim illud ipſum quod decorum.) *Aetiologia, cur fama & opinio uirtutis beneuolentiam hominum conciliet. Hoc eò fit, inquit, ὅτι τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετόν ἐστι. Quemadmodum pulchra ſpectacula oculos, ſuaues ſoni aures, palatum cibi dulces: ſic uirtutes animos hominum alliciunt, & conciliant. Ipſa natura cogit, uiros uirtute excellẽtes amare. In Lælio ſcribit, Nihil eſſe amabilius uirtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligẽdum: quippe cum propter uirtutem & probitatem eos etiam quos nunquam uidimus, quodammodo diligamus. Ariſtoteles 2. Rhetoricorũ, cauſas diligendi, ut & cæterorum affectuum, accuratè perſequitur: quem locũ quia prolixior eſt, ſtudioſis inquirendum relinquo. Qui igitur (ut ad Ciceronem redeamus) amicos expetit, is det operam, ut uirtute alijs præſtet.* Virtus amoris illecebra.

Atq; hæ quidem cauſæ.) *Occupatio quædam eſt, ne quid prætermiſiſſe uideatur. Valet enim in amore & beneuolẽtia hominum ſæpè natura multum. Vnde fit, ut cum quidam gratiæ cauſa nihil faciant, tamẽ grata ſint quæ faciunt omnia. Alij, quicquid agant, ſpreti & neglecti iacent. Valet & fortuna multum: ut de Menandro & Philemone Comico paulò antè diximus. Multum etiam huc facit formæ dignitas, nobilitas, opulentia, magnificentia ſtructurarum, & alia fortaſſe, quæ Cicero ſcrupuloſè enumerare noluit, ne Lectorum ingenijs diffidere uideretur.* Cauſæ diligendi leuiores.

CICERO.

Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici poteſt: ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſticia prudentiam. Nam & ijs fidem habemus, quos plus intelligere quàm nos arbitramur, quosq; & futura proſpicere credimus: & cum res agatur, in diſcrimenq; uentum ſit, expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe. Hanc enim omnes exiſtimant utilem ueramq; prudentiam. Iuſtis autem & fidis hominibus, id eſt bonis, ita fides habetur, ut nulla ſit in his fraudis iniuriæq; ſuſpicio. Itaq; his ſalutem noſtram, his fortunas, his liberos rectiſsimè cõmitti arbitramur.

Fides autem ut habeatur.) *Primum membrum parandæ gloriæ eſt, beneuolẽtia: alterum, fides: tertium, admiratio & honos: quæ omnia tria cauſam efficientem, uirtutem habent, ſeu honeſtatem: ſic tamen, ut alià uirtus aliud membrum gloriæ magis attingat. Effectum uerò & uim uirtutis declarat experientia, cuius teſtimonio hic Cicero utitur: ut ſint hæc αὐτόπτιστα potius, quàm ἀκροατῶς λεγόμενα.*

Adoleſcentibus haud temerè magnis in rebus haberi fidẽ.

Coniunctam cum iuſticia prudentiam.) *Id eſt, ſi & uoluntatem, quæ à Iuſticia pendet, & facultatem bene merendi, quam prudentia ſuppeditat, exiſtimabimur adepti. Quam exiſtimationem non ſola ingenij bonitas cõferet, etſi multũ illa quidẽ poteſt: ſed opus eſt etiã eruditione, uſu rerũ, et matura ætate. Quare adoleſcentibus haud temerè magnis in rebus fides habetur.*

Et candidè de alijs iudicandum, & quod ipſe efficere poſſis, alijs non committendum.

Plus intelligere quàm nos.) *Qui uelit ingenio cedere, rarus erit. Sed Φιλαυτία hæc ſeponenda eſt, & modeſtè tenuitas noſtri ingenij agnoſcenda, & de aliorum excellentia candidè iudicandũ: faciendaq; contentio inter nos & eos, quorum conſilio atque opera uſuri ſumus. Nam qui ipſe rem qua de agitur, & intelligit, & expedire poteſt: is alijs moleſtus eſſe & fidere non debet, quòd ſuæ cuiq; res & notiores & maiori curæ ſunt, quàm alienæ.*

Diuinatio politica.

Futura proſpicere.) *Habuerunt ueteres multa diuinationum genera: ut augurium, aruſpicinam, ſortes, oracula. Sed politicorum uirorum diuinatio poſita eſt in ſagacitate ingenij, & diligenti temporum & hominum conſideratione. Multum hic facit etiam noticia hiſtoriarum: cùm, quid quolibet ſtatu Reipub. breui ſecutum ſit, obſeruatur. Cuiuſmodi eſt, frugalitatem, induſtriam, æquitatem ſequi ſolent incrementa Reipub. luxuriam, ignauiam, ſuperbiam, decrementa, ſeditiones, bella, &c. Hæc igitur diuinatio è rebus præſentibus colligit, quid futurum ſit. Multum in hoc genere poſſet Aſtrologia, multaque obſeruatis eclipſibus, congreſſibus planetarum, & annuis cõuerſionibus præuidere ac præmonere poſſet: niſi & neglıgẽtia principum*

Aſtrologiam miſerè tractari.

cipum minus comperti eſſent ſtellarum motus, & (præter hanc calamitatē) diuina illa ars ſingulis ferè annis ab imperitis & audacibus hominibus uulgi ludibrijs exponeretur.

Difficultates uirum oſtendunt.

Cum res agatur, in diſcrimenq́ uentum ſit.) *Vt tranquillo mari & uentis ſecundis nauim ſaluā in portum perducere, non magni ingenij, nec ſingularis artis eſt: ſic rebus tranquillis non magna poſtulatur prudentia ad res tuendas. Peritum gubernatorem aduerſa tempeſtas, & decumani fluctus: uirū prudentem res intricatæ atq; arduæ declarant. Nam in pace atque ocio multi non ineptè de rebus diſſerunt: qui ijdem in difficultatibus & periculis aut obmuteſcerent, aut turpiter ſe darent. Non igitur ſine cauſa addit Cicero:* Cum res agatur, in diſcrimenq́ uentum ſit. *Hoc idem ualent uerba Iſocratis noſtri,* τὸ μὲν τῶν καιρῶν θεωρεῖν τοὺς συμβουλεύοντας: τοὺς δὲ καθόλου λέγοντας καὶ μηδὲν γινώσκοντας τῶν δεόντων, ἀποδοκιμάζειν.

Expedire rem.) *ſcilicet intricatam & perplexam.*

Tarda ingenia rebus gerēdis inepta.

Conſilium ex tempore capere poſſe.) *Hanc ſiue uirtutem ſiue facultatem, Græci uidentur appellare* ἀγχίνοιαν, ὅτι ἄγχι ἐστὶν ὁ νόος, *quòd mens quaſi in propinquo atq; in promptu ſit: ſicut manus ſtatim præſtò ſunt, cum aliquid apprehendendum eſt. Vis hæc eſt calidi cerebri, & multi uſus rerum. Tardi, hoc eſt quorum cerebrum eſt frigidius & craſſius, quiq́; exercitati nō ſunt, hac facultate deſtituuntur, & ad res magnas gerendas inepti habentur: cum ſint, ut ait Ariſtophanes,* προμηθεῖς μετὰ τὰ πράγματα: *hoc eſt, cùm tū demum uideant quid agendum fuiſſet, cum eſt amiſſa rei gerenda occaſio.*

Hanc enim omnes exiſtimant.) *Intelligatur hoc* κατ᾽ ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, *quaſi diceret: ocioſam illam philoſophorum ſapientiam, atq; umbratilem, qui cum res agatur, in diſcrimenq́; uentum ſit, nec expedire rem, neque conſiliū ex tempore capere poſſunt, nemo magni facit, præter eos qui in Scholis garriunt atq; auſcultant. Hæc uerò* πρακτικὴ φρόνησις, *conſenſu omnium probatur: eaq́; de cauſa adoleſcens in ea comparanda debet eſſe occupatus.*

Iuſtis autem, & fidis.) *Qui cum noſtra ætate perpauci ſint, & fides etiam mercatoria labaſcat (cuius non ita pridem conſtantia & certitudo prouerbio celebrata fuit)* νᾶφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. *Quod Cicero interpretatur: Neruos atq; artus eſſe ſapientiæ, non credere. Nam & tibi, ut ſis uir optimus, pauci fidem habebunt: ſed pleriq;, ex ingenij ſui peruerſitate, te quoq; æſtimabunt.*

Vt nulla ſit in his fraudis.) *Prudentia ſiue calliditas ſuſpicione non caret. Timendum eis, ne ſibi potius quàm alijs cōſulant. Ea uerò ſuſpicio in fidos & iuſtos homines non cadit: etſi eos labi, falli, errare, decipi poſſe, ſuſpicari licet. Ita nec prudentia ſine iuſticia, nec iuſticia ſine prudentia ſatis habet autoritatis. &* —*Alterius ſic*

Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Sed nos potius Ciceronem audiamus.

CICERO.

Harum igitur duarum, ad fidem faciendã iuſticia plus pollet: quippe cum ea ſine prudentia ſatis habeat autoritatis. Prudẽtia ſine Iuſticia nihil ualet ad faciendam fidẽ. Quo enim quis uerſutior & callidior eſt: hoc inuiſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ iuſticia coniuncta, quantum uolet, habebit ad faciendam fidem uirium. Iuſticia ſine prudentia multũ poterit: ſine iuſticia nihil ualebit prudentia.

Iuſticia prudentiæ antefertur.

Harum igitur duarum.) *Simplici narratione declarauit effectrices fidei cauſas eſſe, opinionẽ prudentiæ & iuſticiæ. Nunc has ipſas ita inter ſeſe confert, ut prudentiæ iuſticiam anteponat. Intelligenda eſt autem non ea iuſticia, qua quis nemini nocet, quæ ſæpè à ſtupore ingenij proficiſcitur (multi enim nemini nocent, non quòd nolint, ſed quòd nõ poſsint) ſed ea Iuſticia hîc celebratur, quæ cum mediocri prudentia coniuncta eſt. Vt huius loci ſenſus ſit: uirum bonum, etſi minus acutum, non tamen planè hebetem (cuius enim quis uſus uel in deliberationibus uel in rebus gerendis eſſe poſsit?) anteferri uel callidiſsimo, de cuius probitate dubitetur. Prudentiæ uerò & calliditatis diſcrimen ſuperiore libro expoſitum, hic repetatur, quarum cum uis ſit eadem in perſpicientia rerum, diuerſa ſit uoluntas.*

CICERO.

Sed ne quis ſit admiratus, cur, cum inter omnes philoſophos conſtet, à meq́ ipſo ſæpe diſputatum ſit, qui unã haberet, omnes habere uirtutes: nunc ita ſeiungam, quaſi poſsit quiſquam, qui non idem prudẽs ſit, iuſtus eſſe: alia eſt illa, cum ueritas ipſa limatur in diſputatione ſubtilitas: alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrẽ ut uulgus, ita nos hoc loco loquimur: ut alios fortes, alios bonos uiros, alios prudentes dicamus. Popularibus enim uerbis eſt agendum, cum loquamur de opinione populari: idq́ eodẽ modo fecit Panætius. Sed ad propoſitum reuertamur.

Ciceronem aliàs populariter, aliàs philoſophicè loqui.

Sed ne quis ſit admiratus.) *Tempeſtiua occupatione, leuitatis & inconſtantiæ crimen refutat, ne aliàs aliud ſenſiſſe ac docuiſſe uideatur. Hæc una πολυκατάληψις Ciceronem, ſi dextrè accipiatur, à multis argutorum hominum cauillationibus uindicabit. Eadem ſe ratione ij etiam qui re-*

ligionis

ligionis myſteria populo explicant, aliàs non quidem aliud (id enim ueritas non ſinit) ſed idem aliter differentes, excuſare queant. Alia enim rudibus conueniunt, alia probè iam inſtitutis: alia improbis, qui metu minisq́; ſuppliciorum cohercentur: alia probis, & conſpectu ſcelerum ſuorum territis. Sed quid illi agant in tanta uarietate auditorum? Maximæ partis uidetur habenda ratio, quæ cum & rudis ſit & petulans, docenda & caſtiganda eſt, & diuini iudicij expectatione perterrefacienda, ni reſipuerit. Quod dum agent, non incommodabunt ijs qui peccata ſua & agnouerunt, & impietatem cordis ſui emendare cupiunt. His enim Euangelij oleum, non Legis uinum paratum eſt à Chriſto. Peccatores omnes ſumus: ſed alij uolentes, alij nolentes. Hi igitur conſolandi ſunt, & cohortandi: illi excitandi ad pœnitentiam. Et hoc eſt ὀρθοτομεῖν τὸ ῥῆμα θεοῦ, quum unicuique auditori quod ſuum eſt tribuitur: id quod fiet, hac diſtinctione adhibita.

Qui unam haberet, omnes habere uirtutes.) *Ideo hic & perfectiſſima forma uiri boni & ſapientis ſtatuitur, quæ in Deo & ſanctis angelis ineſt, in humana autem imbecillitate nunquam conſpicietur. Sed & hac de re ſuprà ſatis dictum eſt.* Vir exquiſitè bonus & ſapiens.

Alia eſt illa cum ueritas.) *Diſtinctione auditorum, inconſtantiæ crimen diluit: qua, ut alibi dicit, leuatur autoritas. Scripti ſunt hi libri de Officijs in uſum ciuium Romanorum, eorũ etiam qui Græcis diſciplinis minus eruditi fuerunt. Quare craſſa (quod aiunt) minerua pleraque tractantur, quo facilius intelligi poſſint, & memoriæ mandari. Ac rectè quidẽ: Μέτρον γάρ ἐστι τοῦ λόγου οὐχ ὁ λέγων, ἀλλ' ὁ ἀκούων. hoc eſt: Omnis dicendi docendiq́; ratio ad captum auditorum atque utilitatem, non ad inanem delectationem aut oſtentationem oratoris aut doctoris eſt referenda.* Auditorũ dicenti habenda ratio.

CICERO.

Erat igitur ex tribus quæ ad gloriam pertinerent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum, honore ab his digni iudicaremur.

Honore ab his digni iudicaremur) *Honos intelligatur, non is modò qui ſignificationem habet præclari de aliquo iudicij, cuiuſmodi in geſtibus quibuſdam cernitur: ut cum aſſurgitur, aperitur caput, flectuntur genua, deceditur de uia, princeps in conſeſſibus locus aſſignatur, cum aliquis deducitur & reducitur officij cauſa, quum honorificis uerbis & magnificis titulis ſalutatur: (hæc enim honoris nomine uulgò accipiuntur) ſed etiam magiſtratus, qui ſæpe (ut paulo antè dixi) honores appellantur, & præmia atque ornamenta omnia uirtutis, potentiæ, nobilitatis: ut ſtatuæ, pyramides, arcus triumphales, coronæ, immunitates, agri, pecuniaria & alia dona: item ouationes, ſupplicationes, triumphi, ludorum uaria genera, complura denique alia, quæ hic enumerare longum fuerit.* Honores.

CICERO.

Admirantur igitur cõmuniter illi quidem, omnia quæ magna & præter opinionem ſuam animaduerterunt: ſeparatim autem, in ſingulis ſi perſpiciunt, nec opinata quidem bona.

Admirabilia.

Admirantur.) *Quo quiſq; ſapientior eſt, eo pauciora mirari ſolet: quòd multarum rerum cauſas intelligit, & ex hiſtorijs humanos caſus atque affectus cognitos habet. Aſtrologus non miratur Solis aut Lunæ eclipſin, non Phyſicus tonitrua & fulmina, non Medicus morbũ ex intemperantia hominis aut aeris intemperie ortum: non uir ſapiens diuitiarum & potentiæ choragium. Hinc Horatius exclamat:*

Nil admirari, propè res eſt una, Numici,
Solaq́;, quæ poßit facere & ſeruare beatum.

Tollit enim admirationem cognitio rerum, & animi magnitudo: quibus præſidijs & facultatibus cùm uulgus hominum careat, facile apud eos excitatur admiratio.

Magna & præter opinionem ſuam.) *Quid maius eſt rapidißima cœli conuerſione, & reditu ab ortu in occaſum, ad alterum ortum, uiginti quatuor horarum ſpacio? Quid ortu & occaſu Solis ac reliquorũ ſiderum, quid uicibus noctium & dierum, quid incrementis Lunæ & decremẽtis, & uultu toties mutato, admirabilius? Quàm diuerſa terræ facies? Quàm contraria habitudo aeris eſt hyberno atq; æſtiuo tempore? Quid tam incredibile, quàm fluminibus perennem ſuppetere aquam, nec eorum influxu tamen mare augeri: idq́; cum terra ſit altius, non redundare, terramq́; undis omnem obruere? Maxima ſunt hæc per ſeſe, & omni admiratione maiora, nec tamen mirabilia habentur uulgò, non quòd non ignotæ ſint cauſæ: ſed quòd aut quotidiana ſunt, aut certè minus rara. Homo autem eruditus, cauſasq́; rerum perſpiciendi cupidus, nec tamen ſatis aſſequens, hæc magis admiratur, quàm ullum fortunæ ſplendorem, aut caſum inſolitum, aut excellentem ullius hominis uirtutem: quam, quatacunq; ſit, inchoatam, imperfectam, mutilam eſſe, & à uero ſcopo abeſſe longißimè, ac nihil potius eſſe (ſi cum ipſa idea conferatur) intelligit. Vt autem uulgus res naturales, & quæ in uita fortunaq́; hominum uerſantur: ſic homo doctus conditorem rerum omnium & cauſam effectricem Deũ eo magis admiratur, quo minus intelligit: & re ipſa quæ intelligit, quantulacunq; ſunt, eo magis admiratur, quo magis intelligit. Neq; uerò me oblitũ eſſe mei, mihiq́; repugnare me quiſquã exiſtimet. Memini enim dixiſſe me, admirationẽ cognitione cauſarum & magnitudine animi tolli. Cæterùm huius uerbi uis mihi uidetur eſſe triplex. Miramur enim & inſolita et ignota, et magnifica, licet notißima. Ita poteſt in eundem cadere & cognitio & admiratio magna rei, ſed diuerſa ratione & cauſa: ut & non miretur id quod intelligit, & quia id magnificentißimum eſſe uidet, ſupra modum admiretur, & penè obſtupeſcat.*

obſtupeſcat. id quod accidiſſe uidetur D. Paulo, cum exclamaret: O altitudo ſapientiæ & bonitatis Dei. quam niſi eximio ipſius Dei beneficio ex aliqua parte cognouiſſet, admiratus tantopere non fuiſſet.

Admirantur ij.) *ſcilicet, homines indocti, & puſillis animis præditi.*

Præter opinionem ſuam.) *τὰ παράδοξα, uel τὰ παρὰ προσδοκίαν. Sapienti autem nihil eſt adeò nouum: nec ille ſæpius dicere ſolet, Non putaram.*

Nec opinata quidem bona.) *Accidit enim (ut Plautus quodam loco ait) ut ſumma ingenia ad tempus in obſcuro deliteſcāt, propterea quòd ab oſtentatione abhorrent, & uirtuti ampliſſimum theatrum conſcientiam eſſe iudicant. Fit igitur illud quod Poeta ait,*

Quod latet ignotum eſt, ignoti nulla cupido.

Horum igitur uirtus & ſapientia per occaſionem aliquam perſpecta, tanto habetur admirabilior & gratior, quanto minus expectata fuerat. Bona enim hic animi potiſſimùm, id eſt uirtutes, intelligenda ſunt.

CICERO.

Itaq; eos uiros ſuſpiciunt, maximiſq; efferūt laudibus, in quibus exiſtimāt ſe excellentes quaſdam & ſingulares uirtutes perſpicere. Deſpiciunt autē eos & contemnunt, in quibus nihil uirtutis, nihil animi, nihil neruorū putant.

Se excellentes quaſdam & ſingulares uirtutes.) *Cum, autore Ariſtotele, omnis uirtus μεσότης ſit, collocata inter ἔλλειψιν καὶ ὑπερβολήν: mirum uideri queat, uirtutis excellentiam commendari. Sed hæc eſt huius excellentiæ ratio, ut tum demùm cernatur, cum ab ἐλλείψει καὶ ὑπερβολῆ longiſſimè receſſerit, et ad μεσότητα proximè acceſſerit. Eſt enim ut centrū in circulo, ſic excellentia uirtutis in medio conſtituta: à quo ſi receſſerint, & illud centrū, & hæc deſinet eſſe uirtus. Habebitur autem uirtus, & eo quidem maior ab imperitis, quo minus uel in hanc uel in illam partem à medio receſſerit.*

Virtutis excellentia in mediocritate poſita, ut centrum in circulo.

Singulares.) *Virtutes omnes celebratis iſtis quatuor honeſti partibus, quas uulgò Cardinales uocant, continentur. Singulares igitur intellige, raras, et cum paucis communes: hoc eſt, eas quæ ab extremis, id eſt uitijs, longiſſimè (ut modò dictum eſt) recedunt, & ad mediocritatem proximè accedūt. Singularis abſtinentia fuit Xenocratis, cum 50 talentis oblatis, 30 minas ægrè ſibi obtrudi paſſus eſt. Singularis Epaminondæ magnitudo animi, cum & pecuniam & honores & uitam præ amore patriæ deſpexit. Singularis Africani continentia, cum nobiliſſimam & formoſiſſimam captiuam ſponſo reſtituit inuiolatam: etſi prudentia non minor, in conciliandis ſibi ea ratione Hiſpanorum animis. Vt & Alexandri Magni, cum αἱ περσίδων κόραι τὰς ἀλγηδόνας τῶν ὀφθαλμῶν ad ſtuprum non impulerunt. Metiri enim pleriq; uirtutes ſolent magnitudine rerum, & raritate, quæ aut deſpiciuntur, aut appetuntur: itemq; factorum illuſtrium cauſis. Oppetere mortem in acie, non tā præclarum habetur, quàm fugere turpe & ignominioſum. Sed Codrus &*

Singulares uirtutes.

Virtutum æſtimatio.

Decij, quia cum incolumes eſſe potuiſſent, ultrò ſe pro ſalute patriæ deuouerunt, immortalibus laudibus celebrantur.

Deſpiciunt autem eos.) *Antitheſi ſententiam hanc illuſtrat, quæ quidem multum facit ad excutiendum adoleſcentiæ torporem. Facilius enim eſt negligere gloriã, quàm ferre ignominiã: ſpernere uoluptates, quàm perpeti dolores: non appetere diuitias, quàm æquo animo ferre inopiam.*

Adoleſcentes laborẽt, ne ſint deſpiciendi.

Deſpiciunt autem eos, & contemnunt.) *Nemo ferè tã abiecto animo eſt, qui deſpici & contemni ſe æquo animo patiatur: quiq; ſui contemptũ non quauis ratione ulciſci cupiat, ſi poßit. Quod ſi cogitaret adoleſcentia: non ita ſomno, ludis, nugis, ignauo ocio indulgeret. His enim rebus omnino fiet, ut deſpiciatur & contemnatur. Paucis contingunt præclara ingenia, quæ paruo labore multum proficiant. Tardiores plerique ſunt, nec niſi aßiduitate diligentiæ, magnis laboribus, multis lucubrationibus, ex inſcitiæ ſalebris eluctãtur. Vnde Horatius:*

Multa tulit fecitq; puer, ſudauit & alſit,
Abſtinuit Venere & Baccho, qui Pythia cantat.

Nec minus eleganter Hermolaus Barbarus ſcripſit:

Venter, pluma, uenus, laudem fugienda ſequenti.

Hæc igitur perpetuò cogitent pueri & adoleſcentes. Omnino enim deſpicientur & contemnentur, atq; adeò benè res cadet ſi non etiam magiſtratui pœnas dederint, ſi fuerint ſomnolenti, ignaui, delicati, guloſi, flagitioſi.

Nobilitas & diuitiæ non uindicant à contemptu.

Neminem in hac re multum iuuat uel nobilitas generis, uel affluẽtia diuitiarum, uel elegantia formæ, aliæ ue corporis dotes, aut fortunæ munera. Diuites & potentes, timentur illi quidem: ſed ſine uirtute & induſtria nec amantur, nec ſuſpiciuntur, à prudentibus quidem & bonis: ac longè alia ſunt occulta de ijs hominum iudicia, quàm aperti ſermones, & externi geſtus. Imò iſti per ſpeciem honoris & obſeruantiæ ſunt callidis hominibus & riſui, & prædæ. Neq; uerò ſtulti modò ſunt homines ignaui, delicati, flagitioſi, honorem poſtulantes: ſed etiam iniqui. Neq; enim ſcientiam tantum, ſed & honorem Dij uendidere laboribus.

In quibus nihil uirtutis.) *Rudiores facilius intelligunt ſi dicas, qui neque prudentes, neque iuſti, neq; fortes, neq; temperantes ſunt. Vulgus enim uirtutis & ſapientiæ nomen deridet potius, quàm intelligit aut miratur. Sed ſi acceſſerit enumeratio & exempla illuſtria: nonnihil ſtupor eius diſcutitur, excitata utriuſq; rei admiratione.*

Nihil animi.) *timidos, ignauos, degeneres.*

Nihil neruorum.) *pigros, ocioſos, qui neq; corporis neq; animi laborem ferre poſſunt: qui honeſtum conſilium fuga, laboris & periculi metu perſequi non audent. de quibus Agatho Comicus uerè ſcripſit:*

φαῦλοι βροτῶν γὰρ, τῷ πονεῖν ἡσσώμενοι,
θανεῖν ἐρῶσι:

Id eſt, Ignaui homines pertæſi laborum, mortem optant.

Et Home-

Et Homericus Achilles ignauiam Agamemnoni exprobrat, his uerbis: τοῦτο δὲ κὴρ τοι εἴδεται εἶν: Mortis id inſtar tibi eſſe uidetur, cùm dimicandum eſt, aut alij militiæ labores tolerandi.

CICERO.

Non enim omnes eos contemnunt, de quibus malè exiſtimant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putãt, & ad faciendam iniuriam inſtructos: eos haud contemnunt quidem, ſed de ijs malè exiſtimant.

Non enim omnes eos contemnunt.) *Antitheſin ſeu collationẽ improbitatis & ignauiæ inſtituit, & utriuſq; uitij effectus deſcribit. Ignauia (inquit) cõtemptum, improbitas odium & diffidentiam parit. Fieri igitur poteſt ut homo improbus contemptum effugiat, quia timetur. Hinc uulgò dicunt noſtrates, Non coli diuos, niſi ſigna & miracula ediderint: &, Diabolo binos cæreos accendi ſolere, Deo ſingulos. Et, olim tria deorum genera (ut antè dixi) colebantur: ſummi ſiue cœleſtes, à quibus beneficia mortales ſperarent: medioxumi ſiue heroes, quos ob merita uenerabãtur: infimi ſiue inferi, ne nocerent. Sic igitur homo callidus & impius ſæpe metu & ſimulatione amicitiæ colitur: ignauus uerò nullo modo uitare poteſt, quo minus deſpiciatur. Quod cum certiſſimũ ſit, ignauiã uelis et remis, manibus pedibusq; (quod aiunt) fugienda eſt, & amplectendus honeſtus labor.* Improbi timentur potius quàm deſpiciuntur.

Sed de ijs malè exiſtimant.) *Id eſt, tum improbos eos eſſe, ut ſunt, ita etiam iudicant: tum fidem illis non habent, cauent eorum commercia, nihil ſibi cum ijs eſſe rei uolunt.*

CICERO.

Quamobrem (ut antè dixi) contemnuntur ij, qui nec ſibi nec alteri proſunt, ut dicitur: in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. Admiratione uerò quadam afficiũtur ij, qui anteire cæteros uirtute putantur: &, cùm omni carere dedecore, tum uerò ijs uitijs quibus alij non facilè poſſunt obſiſtere.

Qui nec ſibi nec alteri proſunt.) *Hos dicit Horatius, fruges conſumere natos: & Græcus poeta, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, Telluris inutile pondus. Diuus autem Paulus pronunciat, eos qui nihil operis faciant, ne eſſe quidem debere. Suprà autem diximus, calumniam hic à uulgo hominum fieri ſtudioſis hominibus & eruditis, qui multo maiores & grauiores animorum labores ſuſtineant, quàm multitudo labores corporum.* Ignauiæ crimen non cadere in eruditos.

In quibus nullus labor.) *Hi μισόπονοι uno uerbo dicuntur à Græcis. Contraria uirtus φιλοπονία, plurimùm ualet in quolibet uitæ genere: ſine qua nihil, in ſtudijs literarum præſertim, proficitur.* φιλοπονία. Tolerantia laborum.

Nulla

Nulla induſtria.) *Siue diligentiam intelligas, ſiue ingenij dexteritatem (ſunt enim qui hanc uocem ab intus ſtruendo fieri putent) parũ refert. Nam utrâq; certè re ad obeunda negocia eſt opus.*

Iniuriæ & negligẽtiæ pernicies.

Nulla cura.) *Vitium hoc* ἀμέλεια καὶ ὀλιγωρία καὶ ἀκηδία, *pernicies eſt rerum omnium. Quicquid enim negligitur aut parum curatur, quamuis per ſe optimum & pulcherrimum, breui ſpacio temporis interit: ut cùm in ueſtibus & ædificijs, tum uerò, ac multò quidem magis, in puerorum ingenijs cernitur.*

Admiratione afficiuntur.) θαυμάζονται, *in admiratione ſunt.*

Anteire cæteros uirtute.) *Superare alios prudentia, iuſticia, &c. Species enim (ut dixi) notiores ſunt quam genus: ut & indiuidua, ſpecie. Præclarum hoc eſt:* αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Et cum omni carere dedecore.) *Genus & ſpeciem, ſiue* τὸ καθόλου καὶ τὸ καθέκαστον *coniungit, & enumerationem ſubijcit, ut fiat uberior oratio. Virtus autem requiritur nullis contaminata uitijs, ne uulgaribus illis quidem quibus pleriq; ſcatent, quæq; ita apud omnes inualuere, ut propè iam uitia nõ habeantur. Virtus inquam pura puta & ſanctitas requiritur, qualis Pomponij Attici & Ariſtidis Iuſti fuiſſe perhibetur. Nam in Alcibiade, Alexandro Magno, Hannibale & pleriſq; alijs, ingentia uitia cum magnis uirtutibus certauerunt. Vnde Plato:* αἱ μεγάλαι, *inquit,* φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι καὶ τὰς κακίας.

CICERO.

Nam & uoluptates, blandiſsimæ dominæ, ſæpe maiores partes animi à uirtute detorquent: & dolorum cum admouentur faces, præter modum pleriq; exterrentur. Vita, mors, diuitię, paupertas, omnes homines uehementiſsimè permouent.

Voluptatum nigra cauda.

Nam & uoluptates.) *Fatetur & Ariſtoteles, uoluptati non facilè reſiſti,* ὅτι οὐκ ἀδέκαστοι αὐτὴν κρίνομεν: *quòd eius illecebris deliniti, non uerè de ea iudicemus: nec intelligamus, eam uirginem supernè formoſam eſſe, ſed in turpem piſcem deſinere,* καὶ τῶν μελανούρων ἐᾶν: *id eſt, habere nigram caudã, quod genus Pythagoras guſtare uetuit. Per eam caudam autem intelligitur, boni principij malus exitus.*

Voluptatum tyrannis.

Blandiſsimæ dominæ.) *Initio quidem illæ ueluti ſcorta blandiuntur: ſed cum animos occuparint, dominantur, & tyrannidem exercent: ut in amatoribus, ebrioſis, aleatoribus, & id genus alijs corruptiſſimis hominibus in dies cernitur: qui, ut Phædria Terentianus, prudentes ſciẽtes, uiui uidentesq;, quamuis ſe miſeros ſentiant & tædeat, pereunt, nec tamen pernicioſum illud iugum ſuarum uoluptatum ulla ratione excutere poſſunt. Eſt &* παιδεία, *ubi aſſueueris, blandiſſima domina: ſed ea maiores animi partes à uirtute non detorquet, ſed potius ad eam traducit. Huius dominæ iugum & pulcherrimũ*

Eruditio blãdiſsima domina.

&

& optimum, & iucundiſsimum eſt animo liberali, & ſuæ ſalutis ſtudioſo.

Maiores animi partes.) *τὰ κρείττω μέρη τῆς ψυχῆς uidetur appellare τὸ ἡγεμονικὸν, καὶ τὸ θυμοειδές. Nam τὸ ἐπιθυμητικὸν omnium infima & abiectiſsima animi pars eſt. τὸ θυμοειδὲς uerò paulò propinquius τῷ ἡγεμονικῷ, ac facilius cum eo conſpirat. Ratio igitur ad uirtutem impellit, appetitus ad uoluptatem. Ac niſi uigilaueris, τὰ ἄνω κάτω στρέφεται, & mancipium domi natum arripit, ac ſæuiſsimam tyrannidem inuadit: ſicut olim Tyrij ſerui, dominis occiſis, feciſſe perhibentur. idemq́; & in Italia & Sicilia ſæpius tentatum, & in noſtra Germania perquàm infeliciter annis abhinc 37. Vtinam uerò ſuperbia & auaritia principum & nobilium intolerabilis, maiori malo non aliquando præbeat occaſionē. Arcus enim nimiùm contentus rumpitur. Vigilandū igitur, & cautè moderateq́; agendum, ne ij per quos proceres cæteris præſtant, uiribus ſuis utantur ad eos præcipitandos, quos ſanguine & ſudore ſuo in tam ſublimi dignitatis faſtigio collocarunt. Demus autem, nihil tale eſſe metuendum. Quantæ uerò immanitatis eſt, propter luxum & faſtum paucorum, bellandiq́; temeritatem, infinitæ multitudini uix quicquam præter miſerrimam ſpiritum relinqui? Cogitemus quid Deo reſponderi poſsit, ſi quando is ſine reſpectu perſonarum, uillicationis noſtræ rationem exegerit: qui oues non tondeamus, ſed deglubamus. Verùm hæc odioſa atq́; inania relinquamus: ne leporis concionantis leonibus, præmium feramus. Et merentur hæc impietas & flagitia populi, cuius maiores animi partes à uirtute ſunt detortæ, & in ſentinam uitiorum demerſæ.*

Seruilia bella æquitate & moderatione præcauenda.

Cogitandus dominus cœleſtis.

Dolorum cum admouentur faces.) *Videtur alludere ad conflagrationē Herculis, aut ad carnificinā. Neq́; enim ullus cruciatus eſt igni grauior.*

CICERO.

Quæ qui in utranq; partem excelſo animo, magnoq́; deſpiciunt, cumq́; aliqua his ampla & honeſta res obiecta eſt, totos ad ſe cōuertit & rapit: tum quis non admiretur ſplendorem pulchritudinemq́; uirtutis?

Quæ qui in utranq; partem.) *Deſpicientia hæc uitæ & diuitiarum, ita probatur, ſi turpitudinis fugiendæ & honeſtatis retinendæ cauſa ſuſcepta fuerit. Eſt & mors & paupertas fugienda, quatenus honeſtas ſinit. Nam cum ipſa natura quodlibet animal ad ſui conſeruationem informarit & armarit, ipſi naturæ repugnant, qui ſine grauiſsima cauſa ultrò in perniciem ruunt: eas'ue res negligunt, aut abijciunt, ſine quibus commodè uiui non poteſt.*

Deſpicientia quatenus probanda.

Excelſo animo, magnoq́;, &c.) *Id eſt: tali, qui uirtutem rebus omnibus anteponat. Magnitudo enim & celſitudo animi in ſtudio, amore, admiratione uirtutis & ſapientiæ potiſsimùm cernitur. uulgus autem excelſum & magnum animum ijs tribuit, qui diuitias, honores, uanam gloriam indefeſſo ſtudio conſectantur.*

Ampla & honeſta res.

Ampla & honeſta res.) *Alterum ἐπίθετον neceſſariò accedit. Philippo Macedoni opprimendæ Græciæ occaſio propter inteſtinas diſſenſiones ciuitatum, ampla quidē res fuit, ſed honeſta non fuit. Quòd ſi idem, quod ei conſulit Iſocrates, diſſentientes ciuitates inter ſe reconciliare, & Perſis exitio Græciæ imminentibus bellum inferre ſtuduiſſet: obiecta fuiſſet ei res & ampliſſima, & honeſtiſſima: id eſt, gerendam ſuſcepiſſet. Sed de Philippo ſuo loco diximus. Ciceroni autem hoc in opprimenda Catilinæ coniuratione, & Demoſtheni in oppugnando Philippo Macedone (quanquam infelix huius conatus fuit) contigit. Videtur hic Cicero ſuas laudes (quas nec homo inimicus atq; maledicus, & uir non melior quàm hiſtoricus, inficiari potuit) tacitè, ſed uerè prædicare, καὶ ἑαυτὸν,, ut Græci dicunt, αὐλεῖν.*

Cicero ſuæ uirtutis prædicator.

Ampliſsima & honeſtiſsima res uirtutis & doctrinæ ſtudium.

Ampla & honeſta res obiecta eſt.) *Eruditionis & uirtutis ſtudio quid amplius? quid honeſtius? Addo etiam quid utilius & glorioſius, ſi uera utilitas & uera gloria ſpectetur? Quàm uerò paucos è ſtudioſis (profeſſionis enim nomen hoc, non amoris & diligentiæ ſignificatio eſſe cœpit) hæc totos ad ſe conuertunt & rapiūt? Studia literarum in pleriſq; Germaniæ locis ſunt puericiæ & adoleſcentiæ πάρεργον, nugæ, ludi, aut (ſi res optimè ceciderit) domeſticæ occupationes, ἔργον ſunt. Hinc ita cum Scholis agitur, ut agitur.*

Vt uirtutis ſplendor maximus, ita ſumma eſt uitiorū deformitas.

Splendorem pulchritudinemq; uirtutis.) *Sumamus contrarium. Si nugæ, ludi, libidines, futiles & ſuperuacaneæ occupationes aliquem totum ad ſe conuertunt & rapiunt: tum quis non deteſtetur caliginem & deformitatem uitiorum?*

CICERO.

Ergo & hæc animi deſpicientia admirabilitatem magnam facit: & maximè iuſticia, ex qua una uirtute uiri boni nominantur, mirifica quædam res multitudini uidetur, nec iniuria. Nemo enim iuſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem timet: aut qui ea quæ his ſunt contraria, æquitati anteponit. Maximè que admirantur eum, qui pecunia non mouetur. Quod in quo uiro perſpectum ſit, hunc † dignum ſpectatu arbitrantur.

V. L. igni ſpectatum.

Et maximè iuſticia.) *Cum huius laudes antè ſæpè commemoratæ ſint: non erimus hic longiores. Sed cùm hæc ipſa diligenter expendenda, & animis infigenda: tum ſuperiora etiam repetenda eſſe cenſemus.*

Nexus uirtutum.

Nemo enim iuſtus eſſe poteſt.) *Attingitur hic perpetuus nexus & neceſſaria coniunctio uirtutum omnium. Qua de re & ipſa ſuprà dictum eſt.*

Qui egeſtatem timet.) *Stoicam ἀπάθειαν hoc ſapit. Nam certè ſani*

omnes

omnes hæc timent:& quantum poſſunt, cauent. Eſtq́; is timor naturæ & rationi conſentaneus. Sed cum eò uſq; progreditur hic metus, ut honeſtas deſeratur, & turpitudo ſuſcipiatur, tum demum in uitio eſt.

Cauẽdę quidem res aduerſæ, ſed nõ cum turpitudine fugiendæ.

Qui pecunia non mouetur.) *Cum uita ciuilis pecunia carere non poſſit: ſtulticiæ fuerit, contemnere pecuniam, & mendicare malle quàm habere quod poſſis ſoluere. Qui igitur pecunia ita non mouetur, ut eam æquitati anteponat: is demum laude dignus eſt.*

Pecunia non ſpernenda ſed iuſticiæ non præferenda.

Quod in quo uiro perſpectum ſit.) *Aetate Ciceronis tantæ corruptelæ auariciæ fuerunt, ut in quibuſdam orationibus apertè in corruptelas iudicum inuehatur: id quod noſtris moribus uix quiſquam ſine capitis periculo tentare audeat. Quo igitur rarior fuit abſtinentia & integritas, eo fuit admirabilior.*

Roma uenalis, ſi ſit emptor.

Dignum ſpectatu.) *Alij, Igni ſpectatum. Vtraq; lectio bona eſt.*

CICERO.

Itaq; tria illa, quę propoſita ſunt ad gloriam, omnia iuſticia conficit: & beneuolentiam, quòd prodeſſe uult plurimis: & ob eandem cauſam, fidem & admirationẽ, quòd eas res ſpernit, & negligit, ad quas plerique inflammati auiditate rapiuntur.

Itaq; tria illa.) *Laudes iuſticiæ ſumuntur ab effectibus, cum diſtributione & commemoratione exemplorum. Conſiderandæ autem cauſæ ſunt huius laudationis, quæ eò pertinet, ut ſuos ciues luxu, auaricia & ambitione corruptos, ad ſtudium æquitatis traducat. De prudentia parcius loquitur, quòd ea naturæ munus eſſe potiſſimum uideatur: & plerique freti ingenijs & uſu rerum, doctrinæ ſubſidia non magnopere ſibi requirenda putent.*

Laudum iuſticiæ finis.

Quòd prodeſſe uult plurimis.) *Iuſticiæ ſuperiore libro adiunctam eſſe dixit beneficentiam, quam eandem uel benignitatem, uel liberalitatem liceat appellare.*

Et ob eandem cauſam fidem.) *Nam qui de ſuo largitur alijs, idq́; non temeritate quadam, ſed iudicio facit: cur raperet de alieno, aut quenquam falleret?*

Et admirationem, quòd eas res ſpernit.) *Hoc Iuſticia commune cũ magnanimitate habet. Sed hoc intereſſe uidetur, quòd iuſticia res fortuitas contemnit, quatenus iniuſtæ ſunt: quas eaſdem magnitudo animi ob id ipſum aſpernatur, quòd uanæ, fragiles, caducæq́; ſunt, & cum ſplẽdore uirtutis nulla ex parte comparandæ.*

Aliter iuſticia, magnanimitas aliter res fortuitas cõtemnit.

Inflammati auiditate rapiuntur.) *Magna uerborum uis, quibus auariciæ importunitas & uehementia depingitur.*

CICERO.

Ac mea quidem ſententia, omnis ratio & inſtitutio uitæ adiumenta hominum deſiderat: in primiſq; ut habeas, quibus cum poſsis familiares conferre ſermones. Quod eſt difficile, niſi ſpeciem præ te boni uiri feras.

V. L. ut habeat quibus cum poſsit.

Ac mea quidem ſententia, omnis.) *Deterret à truculentia tyrannica, quæ eiuſmodi eſt, ut nec diligat quenquam, nec ab ullo diligatur. Hinc in Tragœdijs exclamant tyranni:*

φίλων ἔρημος, ὦ τάλας, ἀπόλλυμαι.

Et commendatur iuſticia, ut ueræ amicitiæ effectrix.

Niſi ſpeciem præ te uiri boni.) *Hac ſpecie atque opinione homines callidi contenti,* δοκεῖν ἄριστοι μᾶλλον βούλονται, ἢ εἶναι. *Sententia Ciceronis perſpicua eſt: Neceſſe eſſe, ut, qui aliorum amicitiam expetat, aut uir ſit bonus, aut ſpeciem præ ſe boni uiri ferat.*

CICERO.

Ergo etiam ſolitario homini, & in agro uitam agenti, opinio iuſticiæ neceſſaria eſt: eoq; etiam magis, quòd ſi eam non habebunt, iniuſti habebuntur: nullis præſidijs ſepti, multis afficientur iniurijs.

Solitarius homo.

Ergo etiam ſolitario homini.) *Suprà, ei uirtuti quam & communitatem & conſociationem hominum inter ipſos appellauit, ſubiecit, ut modò attigimus, iuſticiam & beneficentiam. Hic autem, ne ſolitarios quidem iuſticia uacare patitur. Intelligitur autem hoc loco ſolitarius, non is qui* ἀναχωρητὴς ἢ ἐρημίτης *monaſtico more appellatur, (nam is quidem omni humano præſidio deſtitutus, à Deo pendet) ſed is qui Græcè* μονώτης *dictus, uel* ὁ τὸν μονήρη βίον ἀσπαζόμενος, *cum ſua familia in agro degit, re ſua familiari contentus. Vulgus autem hominum, in alijs non uiolandis non tam iuſticia quàm uiribus cuiuſq; mouetur. Nam illud quidem ſingulare eſt, quòd prædones Scipionem Linterni admiratione uirtutis non ſpoliare, ſed ſpectare uoluerunt.*

Tutiſsimus, non qui optimus, ſed qui firmiſsimus.

CICERO.

Atq; his etiam qui uendunt, emunt, conducunt, locãt, contrahendiſq; negocijs implicantur: iuſticia ad rem gerendam neceſſaria eſt.

Mercatoria fides.

Atq; his etiam qui uendunt.) *Mercatoria fides, noſtrate prouerbio quondam celebrata fuit: quòd ea ſublata, commercia omnia tolleretur. Sed ea quoq; cùm principum exemplo, tum quorundam luxu atq; inertia labaſcit, ac*

magna

magna Rebuſpublicis detrimenta minatur. Ciuitas enim, atq; ideò ſocietas humani generis, ſine fide conſtare non poteſt.

CICERO.

Cuius tanta uis eſt, ut nec illi quidem qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſsint ſine ulla particula iuſticiæ uiuere. Nam qui eorum cuipiam, qui unà latrocinantur, furatur aliquid, aut clàm eripit: is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. Ille autem qui archipirata dicitur, niſi æqualiter prædam diſpertiat: aut occidetur à ſocijs, aut relinquetur. Quin etiam leges latronum eſſe dicuntur, quibus pareant, quas obſeruent. Itaq; propter æquabilem prædæ partitionem & Bargulus Illyricus latro, de quo eſt apud Theopompum, magnas opes habuit: & multo maiores Viriatus Luſitanus, cui quidem exercitus noſtri imperatoresq́; ceſſerunt: quem C. Lælius, is qui ſapiens uſurpatur, prætor fregit & comminuit, ferocitatemq́; eius ita repreſsit, ut facile bellum reliquis traderet.

Cuius tanta uis eſt.) *παράδοξον ſubiungit. Quid enim admirabilius eſt, quàm eundem & latrocinari & colere iuſticiam, cum ipſum latrociniũ maximè cum iuſticia pugnet? Explicatio facilis eſt, Colunt iuſticiam inter ſeſe, ſed iniurij & iniuſti ſunt alijs. Sic propolæ plerunq; ex æquo & bono inter ſeſe agunt, & fidem colunt, ſed emptores minus callidos audacter decipiunt & expilant. Quia lupus lupinam non eſt, ut nec canis caninam.* Iuſticia latronum.

Sine ulla.) *ἄνευ οἷόν ποτε μοίρας δικαιοσύνης: Videtur poni pro Aliqua, uel qualicunq;: quaſi dicat, ut iuſti non ſint, tamen aliquam iuſticiæ ſpeciem præ ſe ferunt.*

Quinetiam leges latronum.) *Scribit Thucydides, ante bellum Troianum, latrocinium non fuiſſe infame, ſed periculoſum potius. Hinc apud Homerum hoſpites rogantur, an prædones ſint,*

παρθέμενοι κεφαλὰς, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες;

Et ſi qui humaniores eſſent, eos neq; bouem aratorem rapuiſſe aut furatos eſſe, neq; noctu homines inuaſiſſe, neq; cædibus graſſatos eſſe: & hoc fuit νομίμως καὶ καλῶς τὸ ἄγειν, ut explicat interpres.

CICERO.

Cum igitur tanta uis iuſticiæ ſit, ut ea etiam latronum

opes firmet atq; augeat: quantam eius uim inter leges & iudicia & inſtituta reipublicæ fore putamus?

Cum igitur tanta uis iuſticiæ.) *Exemplis latronum admonitus, argumentum à comparatis ſubijcit, epiphonematis ſpecie.*

CICERO.

Mihi quidem non apud Medos ſolùm (ut ait Herodotus) † ſed etiam apud maiores noſtros, * fruendæ iuſticiæ cauſa, uidentur olim bene morati reges conſtituti. Nam cum premeretur † initiò multitudo ab ijs qui maiores opes habebant: ad unum aliquem confugiebant, uirtute præſtantem. Qui cum prohiberet iniuria tenuiores: æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis pari iure retinebat.

V. L. Sed etiam apud. Et, ſeruandæ iuſticiæ &, inops multitudo.

Effectus iuſticiæ.

Mihi quidem non apud Medos ſolum.) *Iuſticia, inquit, & gloriã parit, & amicitiam tuetur, & in ſolitudine defendit, & commercia contractusq; moderatur, & latronum opes firmat, et legum atq; regũ autor extitit.*

Naturalis principatus.

Fruendæ iuſticiæ cauſa.) τοῦ ἀπολαῦσαι τῆς δικαιοσύνης. *Alij, Seruandæ, legunt,* τοῦ διαφυλάξαι τὰ δίκαια.

Bene morati reges.) *Non, inquit, genus aut ſucceſſio eiuſdem familiæ ſpectabatur: ſed ij ad regnum uocabantur, qui uirtute & ſapientia præſtabãt reliquis.*

Inops multitudo preſſa.

Cum premeretur initiò multitudo.) *Alij legunt, Inops multitudo: quod magis placet.*

Premeretur.) *Id cùm alijs rationibus factum eſt, ut pulſatione, conuicijs, ludibrijs, rapinis: tum uerò fœnore & uſura, ut etiam libertatis iacturam facerent, ut apud Romanos nexi ob æs alienum.*

Ignauos & decoctores urbibus eſſe pellendos.

Inops multitudo.) *Maxima populi pars ubiq; ferè inops eſt, partim malo ſuo fato, partim inſigni culpa. Quos fortuna aut ualetudo afflixit: hi digni ſunt adiumentis hominum. Qui uerò per ignauiam, luxum, petulantiam ad egeſtatem rediguntur, ſupplicio digniores ſunt quàm miſericordia, & traducendi aut in latomias, aut ad triremes, aut damnandi ad metalla, ut & ſentina iſta ciuitatum exhauriatur: & alij alieno malo edocti, frugalitatem colant, laborẽ non fugiant. Omnino enim ueriſimile eſt, ſi exempla in eos edantur, qui per ignauiam luxumq; ſua dilapidarũt, maiorem eorũ fore paucitatẽ.*

Summos cum infimis pari iure retinere.) *Ad eam rem uiribus & potentia erit opus. Hinc orta ſunt uectigàlia, tributa, exactiones, in quibus ipſis multæ uidentur eſſe iniuriæ.*

CICERO.

Eademq́ꝫ conſtituendarum legum fuit cauſa, quæ regum. Ius enim ſemper quæſitum eſt æquabile. neqꝫ enim aliter eſſet ius. Id ſi ab uno iuſto & bono uiro conſequebantur, eo erant contenti. Cum id minus contingeret, leges ſunt inuentæ, quæ cum omnibus ſemper una atqꝫ eadem uoce loquerentur.

Ius quæſitum eſt æquabile.) *quod æquet pauperem diuiti in contractibus & iudicijs, obſeruata proportione Arithmetica: ut quod diues uno floreno emit, tantidem emat etiam pauper: eandem pœnam luat diues quam pauper, ſi par ſit utriuſqꝫ delictū. In honoribus aūt & dignitatibus, æquabilitas hæc locum habere non poteſt: ſed ei mandandi ſunt magiſtratus, ei deferendi honores, qui uirtute & ſapientia potius, quàm qui opibus et potentia præſtat cæteris. Hic enim locum habet proportio Geometrica, in qua non numerus, ſed pondus & dignitas ſpectatur.*

Aequalitas in contractibus & iudicijs, nō in iudicio dignitatis locum habet.

Semper una atqꝫ eâdem uoce.) *Hæ regnū à tyrannide, Ariſtocratiā ab Oligarchia, Democratiā ab Ochlocratia diſtinguūt. Homo uix poteſt moderari affectibus: & in iudicando ſæpe odiū, inuidiā, miſericordiā adhibet: et perſonæ, aliquādo & ſuiipſius rationē habet: ſpe, metu, precio mouetur. Leges aūt rem ipſam tantū ſpectant. Vnde Ariſtot. 3. Polit. præclarè ſcribit:* κρεῖττον ᾧ μὴ πρόσεστι τὸ παθητικὸν ὅλως, ἢ ᾧ συμφυές. τῷ μὲν οὖν νόμῳ τοῦτ' οὐχ ὑπάρχει· ψυχὴν δ' ἀνθρωπίνην ἀνάγκη, τοῦτ' ἔχειν πᾶσαν. *Et pòſt:* ὁ μὲν οὖν τὸν νόμον κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τοὺς νόμους. ὁ δ' ἄνθρωπον κελεύων, προστίθησι καὶ θηρίον. ἥ τε ἐπιθυμία τοιοῦτον, καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει, καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας. διόπερ ἄνευ ὀρέξεως νοῦς ὁ νόμος ἐστί. *Id eſt: Præſtātius id eſt quod omni affectu caret, quàm quod affectus habet innatos. Ac illud quidē legi cōtigit: animus aūt nullus affectu carere poteſt. Qui igitur Legē iubet imperare, Deum iubere uidetur, & leges. Qui uerò iubet hominem, feram quoqꝫ adiungit. Huiuſmodi enim eſt Appetitus: & Iracundia principes peruertit, & optimū quemqꝫ uirum. Itaqꝫ Mens appetitus expers eſt Lex. Sed quia idem dicit,* ὅτι ἐν ὁποιᾳοῦν τέχνῃ τὸ κατὰ γράμματα ἄρχειν, ἠλίθιον: *& quia tanta negociorum uarietas incidit, ut nullis comprehendi literis queat: rurſus à legibus ad homines reditur, qui leges eadem uoce loqui non diutius patiuntur. id quod Iuriſcōſultorum teſtantur infiniti propè Commentarij, & ex commentarijs lites immortales. Hæc eſt conditio rerum humanarum.*

Legum æquitas.

CICERO.

Ergo hoc quidem perſpicuū eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de iuſticia magna eſſet opinio multitudinis. Adiuncto uerò hoc, ut ijdem etiam prudentes habe-

habcrentur: nihil erat, quod homines his autoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur.

Adiuncto uerò hoc, ut ijdem.) *Cur in commendanda iuſticia copioſior, quàm prudentia, fuerit, modò dictum eſt. Ne tamē ſapientiæ ſtudium negligatur, in fine huius laudationis, prudentiæ quoq; multum tribuit: ut quæ quaſi conduplicatam gloriam pariat, aut certè dimidiatam Iuſticiæ laudem compleat & abſoluat. Ariſtoteles quidem tantum prudentiæ tribuit, ut eam dicat ſolam eſſe uirtutem magiſtratus.*

Fortitudo facilè degenerat in ferociam.

Nihil erat quod homines.) *Eo quòd (ut modò dictum eſt) ijdem & uoluntatem benefaciendi, & facultatem haberent. Fortitudinis de induſtria nulla fit hîc mentio, quòd ea facilimè in ſuperbiam & ferocitatem degenerat, ad quas Romani proceres naturæ nutu ferebantur, aut certè diuturna imperij & opulentiæ aſſuetudine: quæ res moderata etiam ingenia corrumpunt, nec ſui tantum ignoratione, ſed aliorum etiam omnium deſpicientia complere ſolent.*

CICERO.

Omni igitur ratione colenda & retinenda iuſticia eſt, tum ipſa propter ſeſe (nam aliter iuſticia non eſſet) tum propter amplificationem honoris & gloriæ.

Tum ipſa propter ſeſe.) *Hoc enim axioma doctrinam morum continet: Honeſtum per ſeſe expetendum, etiam detracta omni utilitate.*

Virtus uoluntaria eſt, & uerū ſibi ſcopum proponit.

Nam aliter iuſticia non eſſet.) *Quaſi dicat: ſed aucupium quoddam honoris & pecuniæ, aut cauponatio quædam. Vt enim quod rectè fit, tum demum laudatur, cum eſt uoluntarium: ita etiam probari nō poteſt, niſi eo quo debet fine fiat, ex quo actiones æſtimantur. Finis autem uirtutis eſt primus & præcipuus, parêre Deo & naturæ. Deinde accedunt & alij fines minus principales, iucundiſſima cōſcientia rectè factorum, gloria, diuitiæ, amicitiæ, & id genus alia. Quæ tamen ſic expetūtur à uiris bonis, ut ſi contingere nequeunt, uel quia inuidi multi, uel quia inimici potētes, uel quia ingrati uniuerſi, ſuis uirtutem præmijs ſpoliant: non tamen ideo à uirtute recedant, aut ad iniurias & malas artes conuertantur.*

CICERO.

Sed ut pecuniæ non ſolum quærendæ ratio eſt, ſed etiam collocandæ, quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet, nec ſolùm neceſſarios, ſed etiam liberales: ſic gloria quærenda & collocanda ratione eſt.

Non minor eſt uirtus, quàm quærere, parta tueri.

Sed ut pecuniæ quærendæ.) *Oeconomica ſimilitudine adhibita monet, non ſatis eſſe paraſſe gloriam, ſed in ea quoq; perpetuò conſeruanda & augenda eſſe elaborandum: nec imitandos pſeudophiloſophos, & ignauos ſacrificulos,*

crificulos, qui ſplendidos titulos & opima ſacerdotia nacti, neq; literas neq; religionem curant: ſed rident potius & cõtemnunt, beato illo ocio ad luxum atq; libidinem abutentes. Sed quid fit? Quorundam uitia totũ ordinem infamant, atq; in inuidiã adducunt. Quare ſeueriorẽ eſſe diſciplinam oportebat.

Quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet.) *πάρεργως etiam œconomicũ hoc præceptum obſeruetur. Nam qui nullos certos habet reditus, ſed de præſente pecunia tantũ ſumptus facit: is ſuum peculium facilè & breui tempore exhauriet, quantumuis diues: quanto magis pauper? Sed ut pecunia ſumptus & perpetuos & liberales ſuppeditet: optima ea ratio eſſe uidetur, ut & bene parta ſit, & parcè prudenterq; diſpenſetur, & pauperibus ſubueniatur, & Deo gratiæ agantur. Nam qui res ſuas aliter adminiſtrant, quid tandem aſſequantur, non eſt obſcurum.*

Quærendæ.) *Quomodo pecunia quærẽda ſit, ſuprà dictum eſt: ubi docuit, qui quæſtus liberales, qui ſordidi habendi eſſent. In quo rideri eum ab auaris & ſordidis, quis miretur?*

Sed etiam collocandæ.) *Vberrimi ſunt & ampliſſimi reditus uſuræ & fœnoris, ſed ijdem olim famoſi fuerunt: rarò diuturni (eſt enim uolatica illa pecunia, non minus quàm Ciceronis Academia) hodie incerti atq; periculoſi eſſe cœperunt. Itaq; fundorum & prædiorum reditus ſunt omnium & honeſtiſſimi & tutiſſimi: quamuis tenuiores, & pluribus permiſti moleſtijs & laboribus. Eſt enim rixandum cum uicinis auaris: audiendæ clientium querelæ: ferenda furta ſeruorum: reſiſtendum aulicis harpyis: ne quid de tempeſtatum iniurijs & bellicis graſſationibus, quæ ruri degentibus infeſtiſſimæ ſunt, addamus. Pauperum uerò reditus ſunt bonæ artes, ſiue liberales ſiue mechanicæ: ut prouerbium teſtatur, τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει. & noſtrates dicunt, Artificij aureum eſſe fundum.*

Reditus certiſſimi.

Pauperum reditus.

Nec ſolùm neceſſarios.) *ad tuendam uitam, & frugaliter alendam familiam.*

Liberales.) *Vt & ipſi lautius uiuamus, & benignitate in alios uti poſſimus. Sed hæc liberalitatis appetitio facilè degenerat in auariciam, neq; rarò cum iniuria coniungitur. Nam quia, ut ante dixit, delectant magnifici apparatus, & uitæ cultus cum ſplendore & elegantia: his rebus effectum eſt, ut infinita eſſet pecuniæ cupiditas. Itaq; præſtaret, magnificentiæ frugalitatem anteponi: præſertim cum luxus non plus habeat felicitatis & ſuauitatis, ſed plus ſumptuum & occupationum. Sed ad rem redeamus, & de gloria ita collocanda: ut & perpetuò retineatur & augeatur, dicamus.*

Liberalitas facilè declinat ad auariciam.

CICERO.

Quanquam præclarè Socrates, hanc uiam ad gloriam proximam & quaſi cõpendiariam dicebat eſſe; ſi quis id ageret, ut qualis haberi uellet, talis eſſet.

Mm Quan-

Eſſe uirũ bonum difficile eſt, ſi natura ſit improba.

Quanquam præclarè Socrates.) *Occupatio quædam eſt, qua difficultatis opinio tollitur. quaſi dicat: Res hæc pauciſsimis uerbis abſolui poteſt,*

Εἰ μὴ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλεις,
Βαθεῖαν αὔλακα διὰ φρενῶν καρπούμενος,
ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Etſi hoc ipſum, eſſe talem, ut animus tuus tanquam ager fœcundus & fertilis probè ſubactus, conceptis uirtutum ſeminibus, ſegetem honeſtorum conſiliorum proferat: difficilimum eſſe uidetur, niſi naturæ bonitas ſuffragetur. Tum demum enim accidit illud, ὅτι τὰς ἐμφύτους, ὀρθῶς τε παγείσας φρένας, οὐδεὶς ἐπαίρει καιρὸς ἐξαμαρτάνειν. *id eſt: Ingenium à natura tributum, & rectè firmatum, nulla ut ad delinquendum impellat occaſio.*

Si quis id ageret.) *Conſeruandæ exiſtimationis, ut & parandæ, prima eſt & optima ratio, uera uirtute eſſe præditum, nõ ſimulata. Iſocrates uerbis nonnihil mutatis idem ferè dixit: fore hominem celeberrimum & laudatiſſimum, ſi ipſe ea non faceret, quæ facta ab alijs reprehenderet.* κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου. *qua figura & Horatius uſus, ait:*

Virtus eſt, uitium fugere: & ſapientia prima,
Stulticia caruiſſe. —

Repurgãdus priuſquàm conſerendus ager.

Ea eſt enim humani ingenij ratio, quæ agri, quæ prius ſentibus & noxijs herbis repurgatur, quàm bono ſemine cõſeratur: ſic animis prauæ opiniones & uitioſæ cupiditates in primis eripiendæ, & omne animi deſiderium ad uirtutem & ſapientiam traducendũ. Quod utinam οἱ τὰς δημηγόρους τιμὰς ζηλοῦντες *conſiderarent, nec abſentibus ſæpius quàm præſentibus concionarentur.*

Boni & docti haberi uolumus.

Vt qualis haberi uellet.) *Quis uerò ſe non haberi uellet uirum bonum & doctum? Vt autem ſis bonus, iniurijs & flagitijs abſtinendum: ut doctus, lucubrandum, & ſobriè uiuendum. Nam haberi uelle formoſum, diuitem, robuſtum, & alijs dotibus præditum: quibus ut potiamur, nõ in nobis omnino ſitum eſt: ineptorum hominum fuerit, cum eæ res tum etiam cùm à natura & fortuna tributæ fuerint, nihil ueræ laudis habeant.*

CICERO.

Quòd ſi qui ſimulatione, & inani oſtentatione, ficto non modò ſermone, ſed etiam uultu, ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur: uehemẽter errant. Vera gloria radices agit, atq; etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam floſculi, decidunt; nec ſimulatum poteſt quicquam eſſe diuturnum.

Cauendũ ne ſimulatione fallamus, aut fallamur.

Quòd ſi qui ſimulatione.) *Antitheſi apophthegma Socratis illuſtrat, memorabili illa quidem, & diligẽter cogitanda. Vitiũ enim hoc ſimulationis noſtra ætate latiſſimè patet, & in magnis urbib. ac principũ aulis dominatur. Nam monaſteriorũ et collegiorũ fuci atq; offuciæ hac ætate uix ſtupidiſſimos* quoſq;

quoſq; fallere poſſunt. Paraſiti uerò & adulatores atq; miniſtri, quod ſciunt, neſciunt. Adoleſcens igitur bonus ueræ uirtuti dabit operam: & in eo perpetuò elaborabit, ut in uirum prudentem & bonum euadat: idemq; cauebit, ne aliorum ſimulatione decipiatur.

Ficta omnia.) *Aſſcribere libet, propter utriuſq; linguæ ſtudioſos adoleſcentes, non diſſimilem Demoſthenis noſtri ſententiam, ſi* δύναμιν *in* δόξαν *mutes: quæ eſt huiuſmodi·* ὅταν ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τις ἰσχύσῃ, ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσεν. οὐ γὰρ ἔστιν, οὐκ ἔστιν, ἀδικοῦντα καὶ ἐπιορκοῦντα καὶ ψευδόμενον δύναμιν βεβαίαν κτήσασθαι: ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα εἰς μὲν ἅπαξ καὶ βραχὺν χρόνον ἀντέχει, καὶ σφόδρα γε ἤνθησεν ἐπὶ ταῖς ἐλπίσιν, ἂν τύχῃ: τῷ χρόνῳ δὲ φωρᾶται, καὶ περὶ αὐτὰ καταρρεῖ. Simulatio nō diuturna.

CICERO.

Teſtes ſunt permulti in utranq; partem: ſed breuitatis cauſa, familia erimus contenti una. Tiberius enim Gracchus, P. F. tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. At eius filij, nec uiui † probabantur à bonis, & mortui nomen obtinent iure cæſorum. Qui igitur adipiſci ueram iuſticiæ gloriam uolet, iuſticiæ fungatur officijs. Ea quæ eſſent, dictum eſt in ſuperiore libro.

V. L. probantur boni: &, numerum obtinent.

Nec uiui probantur.) *Notum eſt Africani minoris dictum, de cæde illorum:* ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι. *Id eſt,*

Conſimili pereat fato, qui talia tentat.

Memoria rerum.) *Nam in Somnio Scipionis cœlum appellat æternam domum: terras eluuionibus atq; exuſtionibus obnoxias facit, quibus etiã hominum & populorum memoria deleatur.*

CICERO.

Sed ut facilimè quales ſimus, tales eſſe uideamur (etſi in eo ipſo uis maxima eſt, ut ſimus ij qui haberi uelimus) tamen quædam præcepta danda ſunt.

Sed ut facilimè.) *Virtus ædificij fundamento comparari poteſt: quod* Virtus omnis commendationis fundamentum. *etſi totam ſtructuram ſuſtinet, tamen in terra deliteſcit. Hæc cauſa Ciceroni eſt, ut doceat, quomodo hoc fundamentum uirtutis quaſi retegi, & uulgo etiam conſpici poſſit.*

Etſi in eo ipſo uis.) *Aſſcribamus & hic memorabilem eiuſdem autoris ſimilitudinem:* ὥσπερ οἰκίας οἶμαι καὶ πλοίου καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ: οὕτω καὶ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις ἀληθεῖς καὶ δικαίας εἶναι προσήκει.

Nam ſi quis ab ineunte ætate cauſam habet celebritatis & nominis, aut à patre acceptam (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigiſſe) aut aliquo caſu atq; fortuna: in hunc oculi omnium conijciuntur, atq; in eo quid agat, quemadmodum uiuat, inquiritur: & tanquam in clariſſima luce uerſetur, ita nullum obſcurum poteſt nec dictum eius eſſe, nec factum.

Nobiles. Obſcuri. Nam ſi quis ab ineunte ætate.) *Diuiſione perſonarum ſeu diſtributione quadam in primis utitur. Hi (inquit) qui gloriam expetunt, aut nobiles ſunt, aut obſcuri. Nobilibus non laborandum eſt ut innoteſcant (nam noti antè ſunt omnibus) ſed id agendum, ut in optimam partem cognoſcantur: hoc eſt, ne à uirtute maiorum ſuorum degenerent. ſed eam ut aut ſuperare, aut æquare certè ſtudeant, ἐφάμιλλοι γιγνόμενοι τοῖς τῶν πατέρων ἀξιώμασι.*

Aut à patre acceptam.) *Eoq; uel diuite & magnifico, uel nobili & honorato: uel rebus geſtis, ingenio, eloquentia doctrina ue claro.*

Quod tibi mi Cicero.) *Habet hæc parentheſis uim adhortationis: quaſi diceret, turpiſſimum tibi fuerit, προδότῃ τῆς τύχης γενομένῳ, meam uirtutem non imitari. ſicut ſuperiore libro dixit: Licet mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hæreditas huius gloriæ, & factorum imitatio pertinet..*

Ciceronis. nomen. Mi Cicero.) *Cicer uile legumen eſt. Quo nomine cum Cicero adoleſcens ab æqualibus rideretur, dixit ſe nomen Ciceronum Lentulis & Scauris celebrius effecturum. Videtur igitur hîc de induſtria maluiſſe dicere, Mi Cicero, quàm ut in Proœmio, Marce fili.*

Contigiſſe.) *Cernunt enim filij hæreditatem parentum: nec patrimonia tantùm, ſed etiam amicitias, inimicitias. gloriam, ignominiam, & reliqua.*

τύχη. Aut aliquo caſu atq; fortuna.) *Ariſtoteles τὴν τύχην humanis actionibus & conſilijs tribuit: ut ſi quis agrum fodiens, theſaurum inueniat: aut feram petens, hominem occidat.*

αὐτόματον. *τὸ αὐτόματον, qui caſus Latinè dicitur, rebus inanimatis: ut ſi tegula delapſa prætereuntem feriat. Sed Cicero, cuius minus ſubtilis & magis popularis eſt oratio, caſum atque fortunam τῶν συνωνυμίαν coniungit, ut uocabulorum conduplicatione gaudere ſolet.*

Nobiles Caſu, Virtute. *Habent autem cauſam celebritatis & nominis caſu atq; fortuna, qui nec uirtute nec induſtria ſua inclaruerunt: cuiuſmodi ſit, ſi tenuis fortunæ puer à claro uiro adoptetur, aut in familiam ab eo receptus magni fiat, eaq; re multis innoteſcat. Nam Papyrius Prætextatus non tantùm caſu atq; fortuna eſt nobilitatus, ſed etiam ſuapte prudentia, cum ea quæ in Senatu audierat, callido mendacio curioſam matrem celauit..*

In

In hunc oculi omnium.) *Eſt παράλειψις quædam, in hanc ſententiam: Adoleſcentes maiorum uirtute clari & celebres, nihil egent his præceptis, ſuaq́; uirtute ultrò innoteſcunt: contraq́; ſine magna infamia improbi & ue cordes eſſe non poterunt. In eandem ſententiam Iſocrates quoque ſcribit:* τοῖς σπουδαίοις οὐχ οἷόν τε τῆς ἀρετῆς ἀμελεῖν, ἢ πολλοὺς ἔχειν ἀνάγκη τοὺς ἐπιπλήττοντας. *& Iuuenalis:*

Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Ita nullum obſcurum.) *Tacitè monet, claris hominibus ſummo ſtudio cauendum eſſe, ne quid ineptè loquantur, aut perperam agant: quòd in libera ciuitate liberæ etiam linguæ eſſe ſoleant: nec infamia caueri poſſit, niſi & prudenter dicendo, & honeſtè uiuendo. Etſi noſtra ætate ea morũ corruptela eſt, ut nec honeſtas nec turpitudo magnoperè curetur: cum ſumma turpitudo ducatur, non habere quod numeres.*

Vos ô patricius ſanguis, quos uiuere fas eſt Occipiti cæco, poſticæ occurrite ſannæ.

CICERO.

Quorum autem prima ætas, propter humilitatem & obſcuritatem in hominum ignoratione uerſatur: hi ſimul ac iuuenes eſſe cœperunt, magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudijs debent contendere. Quod eo firmiore animo facient, quia non modò non inuidetur illi ætati, uerùm etiam fauetur.

Quorum autem prima ætas.) *Hæc eſt maxima ex parte hominũ ſtudioſorum cõditio. Pauci enim diuites & nobiles ſeriò dant operam literis, & conſtanter. Quo igitur maiores difficultates eis obijciuntur, eo alacriores & paratiores eſſe debent ad perferendos labores & ærumnas. Si enim*

Pauperibus magna eſt opus induſtria.

Haud facilè emergunt, quorum uirtutibus obſtat
Res anguſta domi: —— *ut uerè ait Satyricus, & egomet meis ærumnis perpetuis teſtari poſſum: quid ijs expectandum erit, qui ignauiam & alia uitia cum re anguſta domi coniunxerint?*

Simul ac iuuenes cœperunt.) *Confirmato ſcilicet iam iudicio, & animi corporisq́; uiribus auctis. Aſtrologi pueriliam decimoquarto, adoleſcentiam uigeſimoprimo ætatis anno terminant, indeq́; iuuentutem auſpicantur: alij uerò ab anno uigeſimoquinto. Sed parum refert, nec certus quaſi limes cuiuſquam prudentiæ præſcribi poteſt. Inuenies enim, qui anno decimoquarto, ingenio & conſilio uincat alium annos uigintiquinq; natum, aut plures: ut ſunt plurima naturarum diſcrimina. Teneatur igitur hoc, tum eſſe magna ſpectanda, cum iudicium nonnihil confirmatum ſit, & natura rerum humanarum aliqua ex parte ſpectata.*

Alij maturius, tardius alij ſapiunt.

Magna ſpectare.) *Magna hic appellat gloriam: de hac enim agitur. Id eſt, iuuenis gloriæ ſtudioſus eſſe debet, cuius fundamentum uirtus eſt: ut ſæpe iam diximus, nec tamen ſatis unquam inculcari poteſt. Sed cum non cuiuis*

Magna.

Non quemuis ad res magnas eſſe natum.

hominii contingat adire Corinthum, ut prouerbio dicitur: ea repetenda hic ſunt, quæ autor ſuperiore Libro de conſtituendo uitæ genere præcepit: uidendumq́; non tantùm quàm honeſta res ſit, ſed illud etiam, ut habeas efficiendi facultatem. Nemo enim eſt, quin diues, honoratus & clarus eſſe uelit. Sed hæc contingunt paucis, quia & animi uiribus & neruis ingenij pleriq; deſtituuntur: nec grauiſſimos labores, quibus hæc paranda ſunt, ſuſtinere poſſunt aut uolunt.

Paruus magna ſine maximis laboribus nõ temerè conſequetur.

Coniecturam igitur quiſq; ex ingenio & animo ſuo, itemq́; ex habitudine corporis, fortunæq́; ſuæ conditione (ut ſuprà quoque diligenter monuimus) capere debet: rectè ne, id eſt, aliqua cum ſpe, ſpectare magna poſſit, an ſecus? Si is eſt qui ad altiora peruenire queat, implorata ope diuina, non niſi maximis laboribus ea ſe conſequi poſſe ſperet. Rectè enim Euripides:

μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν.

Et Pindarus, eo melius, quòd cum humana induſtria diuinam etiam opem coniunxit: πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἦλθον οἵ τε πόνων ἐγεύσαντο, σὺν δὲ θεοῦ τύχᾳ.

Magna ſpectare.) *Habemus exemplum Virgilij & Ciceronis, de quo antè dictum eſt. Ille autem*

—Tentanda (inquit) uia eſt, qua me quoq; poſſim
Tollere humo, uictorq́; uirûm uolitare per ora.
Item alio loco:
—Breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt uitæ: ſed famam extendere factis,
Hoc uirtutis opus.—

Cauenda audacia, κακοζηλία.

Spectant igitur magna non tam ij qui diuitias, honores, potentiam appetunt, quàm qui res reipublicæ ſalutares, gerendas ſuſcipiunt. Sed hoc loco diligenter cauenda eſt audacia, ſine pennis uolare inſtituens: & κακοζηλία, *hoc eſt inepta eorum imitatio, quibus nulla ratione par eſſe poſſis. Antequam igitur magna ſpectes,* γνῶθι σεαυτόν. *Quòd ſi magnis rebus te imparem eſſe ſenſeris, æquo animo in ea fortuna acquieſcito, quæ tibi diuinitùs attributa eſt.*

Expectandus Deus ad maiora te uocans.

Nullum enim uitæ genus, nulla functio tam humilis & abiecta eſt, quin ex ea laudem capere poſſis, ſi officium ex animo facere ſtudeas: & dum te Deus ad altiora euehat, ſine querelis & indignatione expectes: ita paratus, ut eius erga te liberalitati gratias agas, etiamſi te in illa uitæ humilitate & obſcuritate perpetuò deliteſcere uoluerit. Præclarè Euripides, ἴση χάρις, *inquit,* μεγάλοισι χαίρειν, σμικρὰ δ' ἡδέως ἔχειν. *Et Horatius:*

Viuitur & paruo benè.

Reſpublica, Res militaris, Eloquentia, Iuriſprudentia. Pauperi ſtudioſo magna res eſt laureola doctorũ.

Magna ſpectare.) *Adminiſtratio Reipublicæ, ſiue in pace ſiue in bello, ſola ferè magna Romæ habebatur: ob eamq́; & Eloquentia & Iuriſprudentia & ſcientia rei militaris, atq; id genus alia expetebantur. Sed hæc nihil ad nos: quia propter humilitatem & obſcuritatem plerique nullam capeſcendæ reipublicæ facultatẽ habemus, niſi mercenariã operam locemus alijs. Sunt igitur homini pauperi & ſtudioſo magna, atq; adeò maxima, inſignia & or-*

& ornamenta eruditionis, & laureola Doctoris, ut uocant: ſiue Theologia, ſiue Iuriſprudentia, ſiue Medicina placeat. Nam Philoſophiæ quidem ea ratio eſt ut ſit perpaucorum hominum, atq; eorum qui uel ipſi habent unde uiuant: uel paruo contenti, honores & diuitias aſpernantur. Philoſophia.

Ad ea rectis ſtudijs.) *Ea ſtudia quæ ſint, ordine enumerat. Primùm rem militarem: deinde leniores uirtutes, ut modeſtiam, φιλοστοργίαν, poſtea conſuetudinem præſtantium uirorum, deniq; eloquentiam, quæ in ſermonem & contentionem diuiditur, ipſaq; contentio in accuſationem & defenſionem: quòd & conciones rariores ſint, & ſenatoriæ orationes plerunq; grauitate & breuitate contentæ, flumen eloquentiæ minus admittant. Nam exornatio, quæ in laudationem & uituperationem tribuitur, acceſſio potius quædam eſt deliberatiui & iudicialis generis, aut προγύμνασμα adoleſcentiæ accommodatum, quàm eiuſmodi cauſæ genus, quod per ſe frequenter uſurpetur.* Recta ſtudia: Militia, τὸ αἰδεῖν, Familiaritas, Eloquentia, Sermo, Contentio, Accuſatio, Defenſio, Exornatio.

Rectis ſtudijs.) *Excluditur inanis oſtentatio, ſimulatio, malæ artes, & omnia praua aucupia: cuiuſmodi eorum uel in primis ſunt, qui fucoſis titulis eruditionis, & falſis ſine eruditione ornati: hoc eſt, imperiti utriuſque linguæ, rudes bonarum artium & philoſophiæ, ignari ſacrarum literarum & hiſtoriarum: tamen ſe imperito populo & indoctis principibus pro uiris eruditis uenditant, in hoc unum intenti, ut auariciam & ambitionem ſuam uel cum pernicie plurimorum, ac Reipublicæ interitu expleant. Quemadmodum autem interim ab eis grauiſſima & Reipublicæ & Eccleſiæ negocia tractentur, non eſt obſcurum. Vt emergas, quod antè dictum eſt, ſtudio, labore, lucubrationibus, uigilijs eſt opus. Dij enim non ſcientiam tantùm, ut ueterum quidam dixit, ſed & alia omnia bona uendidêre laboribus:* Honores nō ſunt inhoneſtè ambiēdi.

Ignauæq; mouent numina nulla preces.

Significat & uerbum Contendere, ſingulare ſtudium, animi alacritatem, tolerantiam laborum & moleſtiarum. Neque uerò ullum aut ſtultius aut nocentius hominum genus eſt, ijs qui magna ſpectant, ſeque magni fieri & magnificis præmijs atque honoribus ornari uolunt: cum nullus ſit in ijs labor, nulla induſtria, nulli nerui. Ignauum hoc pecus, & fucis multo deterius, nihil niſi inuidet, obtrectat, obſiſtit (quantum poteſt) induſtriæ aliorum, & perturbat omnia. Ambitio ignaua.

Quod eo firmiore animo.) *Subiungit locum facultatis, & adoleſcentes ingenioſos atque induſtrios à deſperatione reuocat. Si (inquit) generoſus alicuius animus, honeſtumque ſtudium rectà & impigrè ad magna contendentis perſpectum fuerit: non deerunt boni uiri, quorum ope ad maiora prouehatur.* Virtuti patronos non deſore.

Non modò non inuidetur.) *Nam matura ætate uiri, aut prouecta, nihil ſibi periculi ab eis eſſe putant, ne ſua fama illorum induſtria obſcuretur: etſi hoc non raro fit noſtra ætate, τῶν μαθητῶν εἰς τοὺς διδασκάλους ἐκλακτιζόντων,* Diſcipuli & clientes ingrati.

ζόντων, καθάπερ τὰ πωλάρια τῶν μητρώων. Cuius impietatis metu, Alciatum negat Cardanus ſuæ profeßionis homines euexiſſe. Vnde utrum hic μικροψυχότερος, an illi ἀχαριστότεροι fuerint, dubitare queas.

Verùm etiam fatetur.) *Putant enim è republica eſſe, ut generoſa indoles adiuuetur. Deinde cultu & obſeruantia adoleſcentum & delectantur, & ornantur ſenes. Atq; adeò ipſa adoleſcentia habet ἐπαφρόδιτόν τι φύσει, & gratioſum quiddam. Verùm ut adoleſcentibus fauetur: ſic paribus inuidetur & obſtatur, ne altius poßint euolare.*

Hi ſunt inuidiæ nimirum, credite, mores.

CICERO.

Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt. In qua multi apud maiores noſtros extiterunt: ſemper enim ferè bella gerebantur.

Mercenaria militia homine Christiano parum digna.

Aula. Sacerdotiũ. Metalla. Mercatura. Hæreditas.

Prima igitur eſt.) *Id eſt, obſcurus adoleſcẽs per rem militarem illuſtrari poteſt. Hæc ratio comparandæ gloriæ Chriſtiano parum digna eſt, perſertim ſi mercenaria ſit militia, & non pro aris & focis pugnetur. Facetè enim Eraſmus, & uerè, mercenarium militem lanio comparat. Vt enim hic pecudes, ita ille homines ſpe quæſtus iugulat. Sed & de re bellica ſuperiore libro ſatis eſt dictum. Aulica autem uita (à qua ſacerdotalem non excludo) complures extollit: quæ qualis ſit, experti norunt: & ita pleriq; norunt, ut ſe miſeros aut eſſe adhuc, aut certè fuiſſe fateantur. Mercatura plurimos & beauit, & afflixit. Quod idem & de metallis intelligendum. Felicißimi autem illi uidentur, ad quos peruênit res non parta labore, ſed relicta. Rem autem gloria comitatur, qua de hic agitur: etſi ea non ex opibus ſolis petenda eſt, ſed ex rectè factis etiam, & quidem multo magis, uerius certè quidem. Sed quæ noſtri ſeculi iudicia ſint, uidemus: πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.*

Et genus & formam REGINA PECVNIA *donat.*

Extiterunt.) *clari euaſerunt. Græcè eſſe uidetur ἐπιπολάζειν, id eſt, emergere atq; eminere.*

CICERO.

Tua autem ætas incidit in id bellum, cuius altera pars ſceleris nimiũ habuit, altera felicitatis parũ. Quo tamen in bello cum te Pompeius alæ alteri præfeciſſet, magnam laudem & à ſummo uiro, & ab exercitu conſequebare, equitando, iaculando, omnia militari labore tolerando. Atq; ea quidem tua laus pariter cum Republica cecidit. Mihi autem hæc oratio ſuſcepta non de te eſt, ſed de genere toto. Quamobrem ad ea quæ reſtant, pergamus.

Tua au-

Tua autem ætas incidit.) *Opportuna digreſſiuncula filium laudat, ac potius ſpecie laudationis ad uirtutem incitat: addita etiam commiſeratione publici ſtatus, & ἐκδιώξα.*

Cuius altera pars.) *Lucanus de bello ciuili Pompeiano eleganter ſcribit:*

Bellum Pompeianum.

Victrix cauſa Dijs placuit, ſed uicta Catoni.

Non de te eſt, ſed de genere toto.) *Magnam orationis ubertatē conciliat accommodatio θέσεως πρὸς ὑπόθεσιν, & cōtrà ὑποθέσεως πρὸς θέσιν. Θέσις huius loci eſt, Res militaris illuſtrat adoleſcentes: ὑπόθεσις eſt, res militaris illuſtrauit Ciceronem filium. Qua de re Cicero copioſiſſimè & diſertiſſimè in Oratorijs partitionibus egit.*

θέσις uel ὑπόθεσις.

CICERO.

Vt igitur in reliquis rebus multò maiora ſunt opera animi quàm corporis: ſic eæ res quas perſequimur ingenio ac ratione, † gratiores ſunt quàm illæ quas uiribus.

V. L. grauiores.

Vt igitur in reliquis.) *Tacitè ipſe etiā Cicero à re militari dehortatur, collatione corporis atq; animi. Res militaris, inquit, robur & neruos corporis potiſſimùm deſiderat, quod cum beſtijs commune habemus. Magis igitur in ijs ſtudijs elaborandum eſt, quæ uiribus ingenij conſtant. Animo quidem imperterrito etiam militi eſt opus, conſilio maximo duci & imperatori: ſed imperatoribus eſſe paucis contingit, & conferuntur hæc ad interitum hominum. Sed ea de re hic non agit Cicero, ſed de ingenij dotibus.*

Animi dotes corporis operibus præferuntur.

Gratiores ſunt.) *Etſi generalem Cicero diuiſionem inſtituit rerum quæ uiribus corporis et quæ ingenij induſtria peraguntur: tamē uerba hæc ad militiam in primis accommodari poſſunt. Neq; enim bella ſine cladibus & pernicie multorum geri poſſunt, quæ non gratæ, ſed deteſtabiles ſunt, ſi ſpectentur ij quibus nocetur. Apud eos autem qui defenduntur, accepti beneficij gratia eo minuitur, quòd ab ipſis defenſoribus uariè ac ſæpe hoſtiliter uexari ſolent. Modeſtia uerò, beneficentia, iuſticia, ſunt gratæ & iucundæ omnibus bonis.*

Grauiores.) *Si cui hæc lectio placet, interpretetur, ingenij ac rationis opera plus habēt cōſtantiæ ac dignitatis, quàm ea quæ uiriū arbitrio gerūtur.*

CICERO.

Prima igitur commendatio proficiſcitur à modeſtia, tum pietate in parentes, tum in ſuos beneuolentia. Facilimè autem & in optimam partem cognoſcūtur adoleſcentes, qui ſe ad claros & ſapientes uiros, bene conſulentes Reipublicæ, cōtulerunt. Quibus cum ſi frequentes ſunt, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimiles, quos ſibijpſi delegerunt ad imitandum. P. Rutilij adoleſcentiā

Nn ad

ad opinionem & innocentię & iuris ſcientię, P. Mutij cõmendauit domus.

Militia.

Prima igitur commendatio proficiſcitur.) *Re militari κατ' ἀνδρείαν, idq́; non ἁπλῶς, ſed propter reipublicæ tempora improbata, parandæ gloriæ rationes alias tradit, modeſtiam, quæ σωφροσύνη Græcè dicitur: & εὐταξίαν καὶ εὐκοσμίαν continet. Deinde φιλοστοργίαν, quæ Latinè generali uerbo aliàs pietas, aliàs charitas & obſeruãtia dicitur. Prudentiæ nulla fit mentio, fortaſſe quòd uix in eam ætatẽ cadere poſſe uideatur: etſi fortaſſis ab eloquentia excludi non debet.*

Modeſtia. Pietas. Prudentia.

Paterna domus & cognatorum.

Facilimè autem & in optimam partem.) *Primus ad nobilitatẽ gradus eſt in ipſa paterna domo, & familijs cognatorum: in quibus cum & multi ſerui atq; ancillæ ſint, & multi etiam alieni et hoſpites eò ueniant: fieri nequit, ut generoſi adoleſcentis modeſtia & pietas in ſuos, non multis innoteſcat. Proximus à patrijs laribus gradus eſt, conſuetudo præſtantium, in Republica præſertim, uirorũ, ad quos Romæ faciles erant aditus, ſecus quàm apud nos, ubi adoleſcens ad magnum uirum ne admittitur quidem, niſi ambitioſiſſimis commendationibus inſtructus: & perfrictæ frontis habetur, qui ſe ultrò ingerit. Imitamur enim hac in re ſiue Solonẽ, qui Scytham Anacharſin, ſiue Antiſthenem, qui Diogenem Sinopenſem (alij enim aliter narrant) in eius diſciplinam ſe tradere cupientem, etiam baculo ſublato abigere uoluit, donec uel Anacharſidis uel Diogenis conſtantia & patientia uictus eſt, ne uerbera quidem & plagas recuſantis, modò doceretur. Quod ſi Anacharſides aut Diogenes eſſent, id eſt adoleſcentes qui inflammati auiditate ad diſcendum raperentur: fortaſſis Solones & Antiſthenes eis non deeſſent, hoc eſt, uiri prudentes & eruditi, quorum familiaritate & præceptis & erudirentur, & nobilitarentur. Sed ut noſtrum inſtitutum teneamus, & à Repub. ad ſcholam ueniamus, non parua ſtudioſi adoleſcentis commendatio eſt, apud imperitos præſertim, excellentes præceptores longo tempore audiuiſſe. Sed ſi eruditio eius, hominum expectationi minus reſponderit: tanto turpior habebitur, quòd aut ob ſtuporem ingenij, aut propter ignauiam ſingularem nihil profecerit.*

Conſuetudo præſtantium uirorum.

Solon. Anacharſis. Antiſthenes. Diogenes.

Studioſi adoleſcentis cõmendatio.

Magiſtratus quàm philoſophiæ maior celebritas in uulgus.

Bene conſulentes Reipublicæ.) *Excluduntur homines factioſi & ſeditioſi (ut apud nos οἱ ἀντιπεριφέροντες αἱρετικοὶ λεγόμενοι) cuiuſmodi Gracchi fuerunt & Catilina, & id genus alij. Illud etiam innuitur, etſi magna ſit Philoſophorum quoque, hoc eſt eruditorum claritas: eam tamen minus ualere ad famam popularem. Hi enim in Scholis & apud doctos clari ſunt. Qui autem Rempublicam adminiſtrant, à toto populo cognoſcuntur.*

CICERO.

Nam L. quidem Craſſus, cum eſſet admodum adoleſcens, non aliunde mutuatus eſt, ſed ſibi ipſe peperit maxi-

mam

mam laudem ex illa accuſatione nobili & glorioſa: & qua ætate qui exercentur, laude affici ſolent (ut de Demoſthene accepimus) ea ætate L. Craſſus oſtendit, id ſe in foro optimè iam præmeditatum facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.

Nam L. quidem Craſſus.) *Infirmiora (inquit) ingenia quaſi alienis adminiculis indigent, ut emergant. Sed naturæ excellẽtes ſuapte ui & robore inclareſcunt. Cuius rei exemplum in Craſſo oratore propoſitum eſt: qui cum (ut in Bruto ſcribit) C. Carbonem eloquentiſſimum hominem admodum adoleſcens accuſaſſet, ſummam ingenij non laudem modò, ſed etiam admirationem eſt conſecutus.* Craſſus. Carbo.

Vt de Demoſthene accepimus.) *Hic mirabili induſtria naturæ ſuæ prauitatem & imbecillitatem correxit. Ad eas igitur exercitationes eius alludere hic uidetur, cum & in ſubterraneo conclaui ſemiraſo capite meditatus eſt, & geſtum ad ſpeculum ingens formauit, & ſtrictum gladium de lacunari ſupra humerum ſuſpendit: cum Satyro hiſtrioni ſe erudiendum tradidit: quum lapillis linguæ ſubiectis balbutiem emendare ſtuduit: cum imbecillitatem ſpiritus arduo aſcenſu ingrediendo, & recitando aliquid, correxit: cum ad fluctuum murmur uentorumq; turbines declamitans, concionis procellas, hoc eſt tumultuantẽ & obſtrepentem populum atq; exibilantem contemnere didicit. Hæc igitur, & id genus alia hic intelligi poſſunt. Verba enim Ciceronis ambigua ſunt, propter collocationem. Sed rectius mihi uidetur, ut accuſatio P. Craſſi cum tutorijs orationibus Demoſthenis, quæ πρὸς ἄφοβον inſcriptæ adhuc extant, comparetur, legaturq;. Vt & de Demoſthene accepimus, qui ſcilicet ea ætate tutores accuſauit, qua qui exercentur, laude affici ſolent.* Demoſthenis penè incredibiles exercitationes.

CICERO.

Sed cum duplex ſit ratio orationis, quarum in altera ſit ſermo, in altera contentio: nõ eſt id dubium, quin contentio orationis plurimũ poſsit, & maiorem uim habeat ad gloriam. Eſt ea enim, quam eloquentiam dicimus. Sed tamen difficile dictu eſt, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasq; ſermonis. Extant epiſtolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrũ, & Antigoni ad Philippum filium, trium prudentiſsimorum (ſic enim accepimus) quibus præcipiunt, ut ratione benigna multitudinis animos ad beneuolẽtiam alliciant, militesq; blandè appellando, ſermone deliniant.

Eloquentia. Sed cum duplex ſit ratio orationis.) *Tertia cõmendatio ad gloriam ab eloquentia proficiſcitur: quæ cum Romæ tantũ ualeret, ut ea de cauſa Romulus Arpinas Cicero regnare in foro diceretur, paulo uberius hunc locum tractat, ut & ſuperiore libro fecit.*

Sermo. Non eſt id dubium.) *Etſi contentio plus ualet (inquit) tamen ſermo etiam facit ad gloriam.*

Comitas, affabilitasq́ ſermonis.) *Græcè uel ἡ φιλοπροσηγορία, καὶ εὐπροσηγορία, uel ὁ ὁμιλητικὸς τρόπος dici poteſt, & uidetur genitiuus Sermonis pleonaſmo quodam accedere. Laudatur apud Euripidem Capanei ἀψευδὲς ἦθος, εὐπροσήγορον στόμα: id eſt, Animi candor, & ſermonis affabilitas.*

CICERO.

Quæ autem in multitudine cum contentione habetur oratio: ea ſæpe uniuerſam excitat gloriam. Magna enim eſt admiratio copioſe ſapienterq́ dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam & ſapere plus quàm cæteros arbitrantur. Sin uerò ineſt in oratione miſta modeſtiæ grauitas, nil admirabilius fieri poteſt, eo'que magis ſi ea ſunt in adoleſcente.

Ea ſæpe uniuerſam excitat gloriam.) *Id eſt, ſummam & perfectã, ad quam nihil poſſit accedere. Sic enim Cicero, Vniuerſus & Omnis eleganter uſurpare ſolet.*

Vniuerſus. Omnis.

Intelligere etiam & ſapere plus quàm cæteros.) *Si oratio rationis quoddam flumen eſt, ut philoſophis placet: ſapiens eius oratio eſſe non poteſt, qui animo nõ ſapit: niſi fortè diuino quodã afflatu, aut temere fortuitoq́; ſtulto prudens aliquod dictum exciderit. Sed in prolixa oratione hic ſibi conſtare nullo modo poteſt, & ſubinde miſcet abſurda, aliena, & inter ſeſe pugnantia. Cæterùm ſapientiæ uocabulum hic ambiguum eſt, & non τὸ καθ' ὅλου, ſed τὸ καθ' ἕκαστον intelligendum. Quiſque enim ſapienter ea de re dicere poteſt, quam probè intelligit: ut ruſticus de agricultura, imperator de re militari. De omnibus autem rebus ſapienter & copioſe dicere, non eſt niſi & ſummi philoſophi, & perfecti oratoris, atq; adeò Dei potius quàm hominis. Teneatur igitur in eloquentia præceptum Horatij:*

Sapientia. Eloquentia. Sapiẽs in ſua quiſq; arte.

Sumite materiam ueſtris, qui dicitis, æquam
Viribus: & uerſate diu, quid ferre recuſent,
Quid ualeant humeri.

Modeſtia. Grauitas. Miſta modeſtiæ grauitas.) *Non impedio, quo minus modeſtia pro ſermone, grauitas pro cõtentione accipiatur, ut fecit Omnibonus. Sed malo hæc*

referre

referre πρὸς τὸ ἦθος τοῦ λέγοντος, καὶ τὴν ὑπόκρισιν: id eſt, ad mores oratoris & actionem. Modeſtia pudorem & uerecundiam in uerbis, & ſententijs, & motu geſtuq; corporis complectitur: grauitas, pondus ſententiarum & autoritatem orationis. aut ſi breuius perſtringere libet, τὸ ἠθικὸν καὶ παθητικόν.

Si ea ſunt in adoleſcente.) *cuius propria laus eſt modeſtia. Nam grauitas à conſtanti & prouecta ætate expectatur.*

CICERO.

Sed cum ſint plurima cauſarum genera, quæ eloquentiam deſiderant, multi'que in noſtra Republica adoleſcentes, & apud Iudices & apud Senatum dicendo laudem aſſecuti ſint: maxima admiratio eſt in iudicijs. Quorum ratio duplex eſt. nam ex accuſatione & defenſione conſtat. Quarum etſi laudabilior eſt defenſio: tamen etiam accuſatio probata perſæpe eſt. Dixi paulò antè de Craſſo: idem fecit adoleſcens M. Antonius: Etiam P. Sulpitij eloquentiam accuſatio illuſtrauit, cum ſeditioſum & inutilem ciuem C. Norbanum in iudiciū uocauit. Sed hoc quidem non eſt ſæpe faciendum, nec unquam niſi aut Reipublicæ cauſa, ut duo Luculli: aut patrocinij, ut nos pro Siculis, pro Sardis: pro M. Albutio Iulius Cæſar. In accuſando etiam M. Aquilio, L. Fuſij cognita induſtria eſt. Semel igitur, non ſæpe certè. Sin erit cui faciendum ſit ſæpius, Reipublicæ tribuat hoc muneris: cuius inimicos ulciſci ſæpè, non eſt reprehendendum. Modus tamen adſit. Duri enim hominis, uel potius uix hominis uidetur, periculum capitis inferre multis. Id enim tum periculoſum ipſi eſt, tum ſordidum ad famam, committere ut accuſator nominetur. Quod contigit M. Bruto ſummo genere nato, illius filio, qui Iuris ciuilis in primis peritus fuit.

Plurima genera cauſarū.) *quæ à Græcis ὑποθέσεις propriè dicūtur. τὸ διαλεκτικὸν ἢ διαλογιστικὸν, καὶ ἐξεταστικὸν καὶ μεθοδικὸν εἶδος, ad Dialecticos potius quàm ad oratores pertinet: quos Dialecticā non minus quàm Grāmaticam ignorare, turpe eſt. Reliqua tria cauſarum genera attributa oratoribus, multas habent ὑποδιαιρέσεις, quæ accuratè ab Eraſmo in libello de Cōſcribendis epiſtolis enumerantur. Poſſit etiam multitudo cauſarū de materijs* Genera cauſarum.

CICERO.

Atq; etiam hoc præceptum officij diligenter tenẽdum eſt, ne quem unquam innocentem † iudicio capitis arceſſas. Id enim ſine ſcelere fieri nullo pacto poteſt. Nã quid eſt tam inhumanum, quàm eloquentiam ad ſalutem hominum & conſeruationem datam, ad bonorum peſtem, perniciemq; conuertere?

V. L. In iudicium.

Atq; etiam hoc præceptum.) *Primùm, Rarò accuſandum eſt. 2. Reipublicæ cauſa hoc faciendum. 3. Nemo innocens accuſandus.*

Iudicio capitis.) *Calumniæ fœditatem auget periculi magnitudo. Sed non, ſi hoc turpiſſimum eſt & crudeliſſimum: propterea turpe non eſt, leuioribus in rebus innocentes criminari. Faceſſat omne mendacium, omnis calumnia: nec ſit miniſtra libidinis* ELOQVENTIA, *ſed ueritatis & æquitatis propugnatrix.*

Nam quid eſt tam inhumanum.) *Aetiologia ab iniuſto, & à fine eloquentiæ. Homo enim ſociabile animal eſt, ut ait Ariſtoteles: ſocietatis autem & coeundæ & conſeruandæ inſtrumentum quoddam eſt ſermo. Hic ſtudioſus adoleſcens occaſionem habet exercendi ſtyli, & deteſtandi maledicos, obtrectatores, ſuſurrones, uaniloquos, omnia deniq; linguæ uitia: quæ quidem execanda eſſet ijs, qui ea tam flagitioſe abutuntur. Extrui & aliud præceptũ hinc poteſt: Nihil eſſe nec dicendum, nec agendum, niſi quod alijs, quãtum res ſinit, proſit. Quicquid enim nobis à Natura, hoc eſt à Deo datum eſt, id eſt datum haud dubiè & ad colendum Deum, & ad homines adiuuãdos. Quæ omnium optima & ueriſſima ratio eſt, ſuis quoq; priuatis commodis & in hac & in altera uita rectiſſimè conſulendi. Qui enim Deo paret, unus imperat & dominatur: utcunque ſeditione interim & miſerrimi diaboli, & ſtultiſſimorum homuncionum exagitetur, atque interdum etiam occidatur. Quæ cædes quid eſt aliud homini pio, niſi ueræ uitæ ianua, & expeditior uia ad felicitatem?*

Inſectandi maledici.

Vtilitas aliorum ſpectãda.

Qui Deo paret, imperat.

CICERO.

Nec tamen ut hoc fugiendũ eſt, ita habendũ eſt † religioni, nocentem aliquando & nefarium, impiumq; defendere. Vult hoc multitudo, patitur conſuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis eſt, ſemper in cauſis uerũ ſequi: patroni, nonnunquã ueriſimile, etiãſi minus ſit uerũ, defendere. Quod ſcribere (præſertim cũ de philoſophia ſcriberẽ) nõ auderẽ, niſi idẽ placeret grauiſsimo Stoicorum Panætio.

V. L. religioni contrarium.

Nec ta-

animis infixa eſſe debet. μηδενὶ πονηρῷ πράγματι μήτε παρίστασο μήτε συναγόρευε. δόξεις γὰρ καὶ αὐτὸς τοιαῦτα πράττειν, οἷάπερ ἂν τοῖς ἄλλοις πράττουσι βοηθῇς.

Cum de Philoſophia ſcriberem.) *quæ ſcilicet non popularem conſuetudinem, ſed ueritatem, & rectæ rationis iudicium ſpectat.*

CICERO.

Maximè autem & gloria paritur, & gratia defenſionibus: eoq́ maior, ſi quando accidit, ut ei ſubueniatur, qui potentis alicuius opibus circumueniri urgeriq́ uideatur: ut nos & ſæpe aliàs, & adoleſcentes contra L. Syllæ dominantis opes, pro S. Roſcio Amerino fecimus: quæ, ut ſcis, extat oratio.

Maximè autem & gloria paritur.) *Altera pars forenſis eloquentiæ, Defenſio, quam ſuprà etiam accuſationi antepoſuit. Addit autē appendicem ſeu circumſtantiam perſonarum, amplificandi cauſa, & ſeipſum per occaſionem celebrat.*

Maximè autem & gloria paritur.) *Quia alia ratio eſt noſtrorū temporum, & noſtri loci atq; ordinis, quàm fuit procerum Romanorum: ſtudioſus adoleſcens laudem in Academijs præſertim, & gloriam parare ſibi poterit, purè & expeditè Latinè aut Græcè loquendo, declamando, diſputando, priuatim docendo, aut edendis etiam per occaſionē libellis, Græcè Latinéue, oratione ſoluta aut uerſu conſcriptis. Sed poſtremum hoc non temerè faciendum eſt, nec ſine cenſura & comprobatione præceptorum, aut eruditorum hominum, qui nihil temerè probent: ſed iugulent, & loco moueant omnia, quæ non iniquis etiam cenſoribus probari queant.* Studioſæ adoleſcentiæ rationes innoteſcendi.

CICERO.

Sed expoſitis adoleſcentum officijs, quæ ualeāt ad gloriam adipiſcendam: deinceps de beneficentia ac liberalitate dicendū eſt. Nam aut opera benignè fit indigentibus, aut pecunia. Facilior eſt hæc poſterior, locupleti præſertim: ſed illa lautior ac ſplendidior, & uiro forti, claro'que dignior.

Sed expoſitis adoleſcentū officijs.) ἡ λογογραφικὴ ἀνάγκη καὶ οἰκονομία τοῦ λόγου, *cùm intelligentiam, tum memoriam plurimū adiuuat. Itaq; cum & propter diuerſas prælectiones, & complura & feriarum & aliarum occupationum interualla lentè progrediamur, & ſtudia domeſtica aut nulla ſint, aut ualde frigida, paucią; memoria ualeant: faciendum eſſe uiſum eſt, ut præcipuas huius ſecundi libri de Officijs partes, ut & in ſuperiore fecimus, compendio exponeremus, & certo quaſi numero complecteremur.* ἀνακεφαλαίωσις.

1. *Secundus hic liber tractat res ad uitam degendam utiles, quas eaſdem honeſtas quoq; eſſe oportet.*

2. *Nihil eſt utilius beneuolentia,& ſtudijs hominum.*

3. *Adiunguntur ſtudia hominum uel beneuolentia & amore, uel honore & admiratione uirtutis,uel fide & prudentia,uel metu potentiæ, uel ſpe emolumentorum,uel precio & mercede.*

4. *Hæc omnia uno gloriæ nomine comprehendi poſſunt.*

5. *Repudiatur metus,precium & merces, ſpes emolumenti.*

6. *Relinquuntur efficientes gloriæ cauſæ,honos,& admiratio uirtutis, fides,beneuolentia,quæ tria ordine tractantur.*

7. *Beneuolentia capitur beneficijs,benefica uoluntate, lenioribus uirtutibus,largitionibus,quæ quidem improbantur.*

8. *Fidem conciliat Iuſticia & prudentia,quæ & imperia & leges pepererunt.*

9. *Admiratio & honos uirtutis paratur magnitudine animi, ſiue deſpicientia rerum humanarum(cuiuſmodi ſunt,uoluptates,pecunia,dolores: & his contraria)ſolius uirtutis admiratione,& iuſticia.*

10. *Virtute præditum eſſe non eſt ſatis,niſi ea uirtus etiam conſpiciatur:id quod fit uel re militari,uel modeſtia & pietate, uel conſuetudine præſtantiū uirorum,uel eloquentia:quæ cum multiplex ſit, in foro tamen maximè conſpicitur.*

11. *Redit ad beneficentiam initiò breuius tractatam: eamq́; diuidit in pecuniam,operam,& largitionem. Cum autem poſtremæ huius maxima eſſe uis putetur:in ea tractanda potiſſimùm immoratur.*

Procemij partes. *Hæc ſumma eſt totius Libri ſecūdi,excepto Procemio,quòd duas præcipuas partes continet. 1. Defenſionem & laudationem ſtudij philoſophici:quarum illa ἀποδεικτικὴ eſt,& ad perſonam uiri politici refertur: hæc δεικτικὴ,atq; ad rem ipſam & homines uniuerſos pertinet. 2. Defenſionem Academicæ philoſophiæ,quæ eſt uniuerſæ Philoſophiæ ſiue pars,ſiue ſpecies (Ciceronē enim ſecuti,uocabula iſta artium & aliarum rerum non curioſe diſtinguimus) nō*

Vna uera Philoſophia. *quòd multiplex ſit Philoſophia (quæ eſt unica:ſicut & ipſa ueritas unica eſt in quolibet rerum genere,cuius indagationē Philoſophia profitetur) ſed quòd uitio hominum diſtincta,& in plures partes & ſectas diſtracta eſt,quarum ſibi quælibet inuentionem & explicationem ueritatis uendicat. Sic & Theologorum ſectæ noſtrata ætate,de autoritate & explicatione ſacrarum literarum inter ſeſe contendunt & digladiantur: inter quos alij Biblia ſola probant,alij etiam inſtituta & ritus maiorum,& decreta pōtificum ualere uolunt, καὶ τὰ τῆς ἱερατικῆς εὐσχημοσύνης τε καὶ ἐξουσίας. In fine libri breuiter attingitur curatio ualetudinis,& rei familiaris,adiuncta utilitatum comparatione.*

Extremi libri Secundi ſumma. *Quemadmodum autem ſingulæ partes memoriæ mandandæ ſint, adhibito artificio Dialectico & Rhetorico, libri ſuperioris Procemio utcunque delineauimus. Etſi profectò ſæpe relegendo, & meditando, libros hos totos mandare memoriæ,fuerit, ut ibi quoque diximus, omnium utiliſſimum.*

Sed expoſitis adoleſcentum.) *Quia locus de Beneficentia non minimam, ac potius maximam uim habet ad gloriam comparandam, & ſtudia hominum alliciendà: de integro eum & copioſe quidem tractat, à bimembri partitione exorſus. Liberalitatis (inquit) duo inſtrumenta ſunt: pecunia, & opera. Opera diuidi poteſt in laborem corporis, & animi induſtriam. Poſsis & pecuniam diuidere in nomiſma, & res alias: cuiuſmodi ſunt, ueſtes, libri, arma, epulæ, fundi, & reliqua id genus, quæ pòſt ipſe copioſius enumerabit. Partitioni ſubÿcit ἀντεξέτασιν, id eſt contentionem: atq; operam largitioni pecuniariæ anteponit. αἰτιολογία eſt ſumpta à cauſa efficiente, uidelicet uirtute: à difficultate, à conſtantia, ab æquitate. Primus locus à cauſa efficiente, habet occupationem quandam. Obÿci enim poteſt, Etiam pecuniaria largitio à uirtute proficiſcitur. Reſpondet Cicero conceſsione quadam, eiq; addit locum ἐκ τοῦ πλεονάζοντος. Proficiſcitur quidem etiam pecunia ab animo liberali, ſed diuitiæ plus in ea ualent quàm uoluntas aut uirtus. Vt opera autem proſis, non tantùm liberalem eſſe te neceſſe eſt, ſed etiam prudentem: ut conſilio iuuare poſsis, & fortem: ut labore & ſocietate periculorum. Sic cum opera benignè fit, tres uirtutes, ac potius omnes, (fortitudo enim ſine iuſticia conſiſtere non poteſt) prudentia, liberalitas & fortitudo concurrunt. Pecuniæ uerò largitio unam liberalitatem cauſam effectricem habet. Deinde eam & egeſtas & iniuria ſequitur, ut facilimè in uitium degeneret, ac uirtus eſſe deſinat. Opera uerò contrarios habet effectus: atque ipſa actione non tantùm conſeruatur, ſed etiam augetur.*

Beneficentiæ diuiſio.

Labor corporis Animi induſtria.

Pecunia.

Res aliæ.

Operæ & pecuniæ contentio.

CICERO.

Quanquam enim in utroq; ineſt gratificandi liberalis uoluntas: tamen altera ex arca, altera ex uirtute depromitur: largitioq; quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur: qua quo in plures uſus ſis, eo minus in multos uti poſsis. At qui opera, id eſt uirtute & induſtria benefici & liberales erunt, primùm quo pluribus profuerint, eo plures ad benignè faciendum adiutores habebunt. Deinde conſuetudine beneficentiæ paratiores erunt, & tanquam exercitatiores ad benè de multis promerendum. Præclarè in epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat, quod largitione beneuolentiam Macedonum conſectetur: † Quod te (malùm) inquit rationis in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, ut Macedones non

te regem ſuum, ſed † miniſtrum, & præbitorem putent? Quo quid ſordidius regi? Melius etiam, quòd largitionem corruptelam dixit eſſe. Fit enim deterior, qui accipit, atq; ad id ſemper expectandum paratior. Hoc ille filio. Sed præceptum putemus omnibus.

V. L. Quæ te (malùm) inquit, ratio. Miniſtrum & diribitorem.

Præclarè in epiſtola quadam.) *Iudicium ſuum de beneficentia, quæ opera atque induſtria benignè facit alijs, autoritate regis & potentiſſimi & prudentiſſimi confirmat.*

Largitionis corruptela.

Fit enim deterior.) *Eſt hoc* ἀπροσδόκητον, *ſiue* παράδοξον καὶ παρὰ προσδοκίαν. *Largitionis enim finis eſt plerunq;, ut meliores ij fiant, hoc eſt, amiciores et fideliores nobis, qui accipiunt. Quomodo autẽ fit deterior? Quia*

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Aucta igitur auaricia, niſi ſubinde largiaris, tergiuerſatur, ceſſat, fit inimicus: & ſi alius præbitor contigerit, te uel prodere non dubitat, ut interdum faciunt milites mercenarij.

Hoc ille filio.) προκαταληπτικὸν *eſt: quaſi dicat, Si largitio regem opulentiſſimum non decet, quanto minus decebit tenuioris fortunæ homines? Cætera partim in cõtentione operæ & pecuniæ ſunt explicata, partim per ſe perſpicua. Nobis autem propoſitũ eſt non omnia perſequi, ſed in locis tantùm adoleſcentiæ neceſſarijs atq; utilibus immorari. Huc accedit, quòd ſi qua certis in locis prætermiſſa uidebuntur: ea uel antè tractata ſunt, uel in aliud tempus differuntur.*

CICERO.

Quamobrem id quidem non eſt dubium, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera & induſtria, & honeſtior ſit, & latius pateat, & poſsit prodeſſe pluribus. Nonnunquam tamen eſt largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum eſt, & ſæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum: ſed diligenter, atq; moderatè. Multi enim patrimonia effuderũt inconſultè largiendo.

Quamobrem quidem non eſt dubium.) *Cõcluſio* τῆς ἀντεξετάσεως *benignitatis quæ fit opera, & eius quæ fit pecunia, repetitis nonnullis argumentis, ſed breuiter, ut in breui loco, & breuiore epilogo.*

Opera prodeſſe quiuis poteſt.

Et latius pateat, & poſsit prodeſſe.) *Synonymiam eſſe puto Ciceroni familiarem. Cur patet latius? Quia prodeſſe pluribus poteſt. Metaphora ſumpta eſt à ianuis aut feneſtris. Sic in epiſtola quadam ad Appium: Liberalitas*

(inquit).

(inquit) tua, ut hominis nobiliſſimi, latius in prouincia patuit: mea fuit anguſtior. Non improbo tamen, ſi eam benignitatem, quæ conſtat ex opera, ideo latius patêre dici exiſtimes, quòd eo beneficiẽtiæ genere plures uti poſſint, quàm illo altero. Nam opes quidem paucorum ſunt, opera uerò quis eſt quin aliquando prodeſſe poſſit? Adoleſcentem quidem alacritas & dexteritas honeſtè inſeruiendi & gratificandi quibuſuis, non parum commendat, pauperem præſertim.

Nonnunquam eſt tamen largiendum.) *Quidam ita inepti ſunt, ut ſi aurum argento præferas, aut Philoſophiæ Theologiam: argentum & Philoſophiam contemnenda cenſeant. Quod ne, ſecus quàm decet, de largitione pecuniaria etiam exiſtimaretur: correctionem quandam contentioni adhibet, & quomodo ſit etiam ex arca largiendum docet. Pecuniæ autem nomine intelligantur eæ res omnes, quæ pecunia, id eſt nomiſmate ſeu nummis æſtimari ſolent,* ἐν ᾗ ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. *Nummus enim cum per ſe nullius ſit precij (neque enim uel ſitim & famem ſedat, uel frigus & æſtum depellit, uel à morbis liberat) ſponſoris uice fungitur, dum alter ea re egeat, qua nos abundamus, & econtrariò: ut eſt argutè ſcriptum ab Ariſtotele.*

Et hoc faciendum, & illud non prætermittendũ

Nummus ſponſor.

Nonnunquam tamen.) *Circumſtantijs, quas uocant, hic locus explicatur, ut Ariſtoteles lib. tertio Ethicorum ad Nicomachum hæc recenſet:* τίς; τί; περὶ τί; ἢ ἐν τίνι; τίνι ὀργάνῳ; ἕνεκα τίνος; πῶς; πότε; ἄχρι πόσου πράττει. *Item libro quarto:* ὁ ἐλευθέριος δώσει τοῦ καλοῦ ἕνεκα, καὶ ὀρθῶς, οἷς δεῖ, καὶ ὅσα, καὶ ὅτε, καὶ ἡδέως, καὶ ἀλύπως. *Id eſt: Quis? qui? circa quid? aut in quo? quo inſtrumento? qua gratia? quomodo? quando? quouſque agat? Et: Liberalis dabit honeſtatis cauſa, & rectè, quibus decet, & quantum, & quando, & libenter, & citra moleſtiam. Sed quia ſuperiore libro de Liberalitate dictum, quantum ſatis eſt: his omiſſis, pergamus ad reliqua.*

Sæpe idoneis hominibus.) *id eſt, dignis auxilio, quòd nõ ſuapte culpa, ſed fortunæ iniquitate ſunt afflicti. Neq; enim ſemper uirtus & induſtria calamitatem & egeſtatem propulſare poteſt.*

Idonei homines.

Sed diligenter.) *Conſideratis ſcilicet ijs conditionibus, quas ponit Ariſtoteles: niſi quis* τὸ *Diligenter, intelligere malit pro, ſingulari ſtudio, & ultrò, etiamſi non ſis rogatus. Quod Iſocrates dicit:* αὐτεπάγγελτον βοηθεῖν ἐν τοῖς καιροῖς, καὶ μὴ περιμένειν τὰς παρὰ τῶν φίλων δεήσεις.

Largiri diligenter.

Atq; moderatè.) *id eſt* ἄχρι πόσου, *ut & illius neceſſitas & tua facultas conſideretur. Vnus enim non omnium, ac ſæpe ne unius quidem inopiam ſubleuare poteſt. Hinc apud Græcos inſtituti fuerunt* ἔρανοι: *hoc eſt, ſi quis aliquo caſu afflictus egebat, amici eius de communi ſententia ſtipem illi pro ſuis quiſque facultatibus conferebant. Hinc ſunt loquendi formæ,* ἐρανίζεσθαι, & ἐράνους εἰσφέρειν: *hoc eſt, conferre ſtipem, largiri aliquid de re ſua familiari egenti amico. Similis ferè noſtra ætate eſt eleemoſynæ ratio, niſi quòd cum ea probrum quoddam mendicitatis eſt coniunctum, quo Græcorum* ἔρανοι *caruerunt.*

Vnus beare omnes nequit.

ἔρανοι.

Largitionis incōmoda.

Patrimonia effuderunt.) *Aetiologia ab inutili, ſeu noxio. Effectus (inquit) profuſionis eſt: & conſequens, aut egeſtas, aut mendicitas, aut rapina, aut furtum, aut ſycophantia, aliæq́; malæ artes, à quibus uir bonus & liberalis uehementer abhorret.*

CICERO.

Quid autem eſt ſtultius, quàm quod libenter facias, curare ut id diutius facere non poſsis? Atq; etiam ſequuntur largitionem rapinæ. Quum enim dando egere cœperunt, alienis bonis manus afferre coguntur. Ita cum beneuolentiæ comparandæ cauſa benefici eſſe uelint, non tanta ſtudia aſſequuntur eorum quibus dederunt: quanta odia eorum quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire nō poſsit: nec ita reſeranda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isq; referatꝰ † ad facultates. Omnino meminiſſe debemus, id quod à noſtris hominibus ſæpiſsimè uſurpatum, iam in prouerbij cōſuetudinem uenit: LARGITIONEM FVNDVM NON HABERE. Etenim quis poteſt eſſe modus, cum & ij dem qui cōſueuerunt, & illud idem alij deſiderent?

V. L. ad facultatem.

Actio fini repugnans.

Quid autem eſt ſtultius.) *Alia ætiologia, ab abſurdo, καὶ ἐκ τοῦ ὀλιγωρίας. Profuſio (inquit) non eſt diuturna, & pugnat cum inſtituto illius qui ſe uult liberalem perhiberi. Quod eſt ſtulticiæ, ea facere quæ conatum tuum impediant potius, quàm promoueant: non ſecus ac ſi quis ignem, quem uelit eſſe maximum, non ſarmentis & lignis foueat atque augeat, ſed infuſa aqua reſtinguat.*

Modus eſt pulcherrima uirtus.

Quamobrem nec ita claudenda eſt.) *Concluſio loci de largitione pecuniaria, in qua monet τὸ μέσον ſeruandú eſſe, uitatis extremis, quæ τὰ ἄκρα Græci dicunt, tenacitate & profuſione: addito etiam argumento ab authoritate maiorum, quod ad locum facultatis referri poteſt, ſiue τοῦ δυνατοῦ. Sententia enim eſt: Profuſos non diu eſſe largos.*

Largitione nō explētur homines.

Largitionem fundum non habere.) *hoc eſt: Inane eſſe eorum ſtudium, qui beneuolentiam hominum, qui dando expleri nequeant, largitione conſectentur. Quod perinde ſit, ac ſi quis aut cribro aquam hauriat, aut pertuſum dolium implere ſtudeat. Sententia eſt: Largitionibus facilius effundi patrimonia, quàm beneuolentiam hominum comparari.*

CICE-

CICERO.

Omnino duo ſunt genera largorum, quorũ alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis & uiſcerationibus, & gladiatorũ muneribus, ludorum, uenationumq́ apparatu pecunias profundũt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam ſint relicturi omnino. Liberales autem, qui ſuis facultatib. aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienum ſuſcipiunt † amicorum, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur uel in † re quærenda, uel augenda.

V. L. amicorum cauſa. &, quærenda re.

Omnino duo ſunt genera largorum.) *Virtus (ut ait Horatius) eſt medium uitiorum utrinq; redactum. id eſt, duo uitia cum qualibet uirtute pugnant, quorum alterum excedit modum, alterum intra modum reſiſtit: ueluti, ſi ſagittarius alius ultra metam conijciat ſagittas, alius uerò ſagittis ſuis nõ pertingat ad metã uſq;. Is uerò artifex habebitur, qui collimarit, & in ipſum ſcopum ſagittas cõiecerit, quod eſt uirtutis. In hoc igitur loco uirtus, hoc eſt μεσότης, eſt liberalitas, benignitas ſeu beneficentia (quanquam hîc de largitione pecuniaria potiſſimùm agitur) ἄκρα ſeu uitia ſunt, ἀσωτία μὲν ὑπερβολὴ, γλισχρότης δὲ ἔλλειψις. Cicero autem τὴν ἔλλειψιν minus attingit quòd planè abhorret à liberalitate: occupatior in deterrenda profuſione, ad quam factum Romanum propenſiorem eſſe uidebat. Eſt autem Prudentiæ in docẽdo, ſemper & ea uitia potiſſimùm exagitare, quibus plurimos conſtrictos eſſe uideas: & eas uirtutes exaggerare, à quibus pleriq; abhorrent.*

Medio tutiſſimus ibis.

Prudẽtia doctoris, auditorum utilitati ſeruit.

Duo ſunt genera largorum.) *Quos Cicero hic largos appellat, Ariſtoteles προετικοὺς χρημάτων nominat: ut utrunq; ſit τὸ μέσον, ac uel rectè, uel perperam fieri poſſit: ut largus aliàs laudari, aliàs uituperari queat.*

προετικοὶ χρημάτων.

Quarum memoriam aut breuem.) *Quia de paranda gloria loquitur, ludere operam illos innuit, qui huiuſmodi rebus occupentur, & facere iacturam ſine ullo ſuo fructu. Sic Iſocrates Nicoclem ſuum monet: τὴν μεγαλοπρέπειαν ἐνδείκνυσθαι ἐν μηδεμιᾷ τῶν πολυτελειῶν, τῶν εὐθὺς ἀφανιζομένων.*

[illegible]

Qui ſuis facultatibus.) *Hi τὸ καλοῦ ἕνεκα, & non διὰ φιλοδοξίαν largiuntur, etſi gloria conſequitur.*

Aut captos à prædonibus.) *Quæ hîc à Cicerone præcipiuntur, magnum uſum in iudicijs etiam habuerunt apud Athenienſes, adeò ut Demoſthenes cùm alibi, tum in nobiliſſima illa oratione περὶ στεφάνου, huiuſmodi liberalitatis officia ſua, productis etiam teſtibus, commemoret. Nam anteacta uita reos uel ſubleuabat, uel maiore inuidia onerabat.*

Beneficentia reos Athenis ſubleuabat.

Aes alienum ſuſcipiunt amicorum.) *Pleriq; codices addunt Cauſa:*

ſed.

ſed rectius, ut mihi quidem uidetur, in editione Lutetiana particula hæc omittitur: ut ſit, Suſcipere æs alienum amici, εἰς ἑαυτὸν ἀναδέχεσθαι τὸ ὀφειλόμενον, id eſt, ſe debitorem profiteri, & diſſoluere debitum pro amico. Cauſa amicorum ſuſcipere æs alienũ, minus aliquanto fuerit: mutuò ſcilicet accipere, quod mutuò des amicis, itaq; uerſuram facere.

In filiarum collocatione adiuuant.) *Hoc Demoſthenes dicit συνεκδοῦναι τὰς θυγατέρας, non tantùm deligendo genero, ſed etiam dotis partem conferendo.*

CICERO.

Itaq; miror quid in mentem uenerit Theophraſto, in eo libro quem de diuitijs ſcripſit. In quo multa præclarè, illud abſurdè. Eſt enim multus in laudanda magnificẽtia & apparatione popularium munerum: taliumq; ſumptuum facultatem, fructum diuitiarum putat. Mihi autẽ ille fructus liberalitatis, cuius exempla pauca poſui, multo & maior uidetur, & certior.

Reprehẽſio modeſta.

Itaq; miror.) *Veris liberalitatis officijs expoſitis, occupatione quadam reprehendit Theophraſtum: & illius autoritati, Ariſtotelis, qui præceptor illius fuit, autoritatem opponit, ut ſit reprehenſio uerecundior. Quod in primis curandum eſt, præſertim ſi de claris uiris agitur, ad uitandum crimen temeritatis, maledicentiæ, & arrogantiæ. Sed tamen in hoc genere didaſcalico ſeruandum illud, quod præclarè ſcribit Ariſtoteles: ὅτι ἀμφοῖν φίλοιν ὄντοιν, ὅσιον προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν, ἄλλως τε φιλοσόφους ὄντας.*

Illud abſurdè: eſt enim multus.) *Διακόπτει τὴν περίοδον, imitatione Iſocratica.*

Fructum diuitiarum.) *Quaſi nulla alia ſit utilitas diuitiarum, quàm ſi ad pompam, & inanem oſtentationem ac delectationẽ conferantur. Sed fortaßis indulſit Theophraſtus ſuæ gentis moribus, quæ fuit, φιλοθεάμων τε καὶ φιλήκοος. Indicat & Ariſtoteles aurium atq; oculorum uoluptates minimè illiberales. Fuit in hoc genere maxima profuſio populi Athenienſis, quem ſcribit Demoſthenes plus pecuniæ in Panathenæa ſua inſumpſiſſe, quàm in bellicum apparatũ. Quod quantæ uecordiæ fuerit, utinam ij cogitarent, qui libenter id exemplum imitantur.*

Profuſio in ſpectacula.

Fructus potentiæ, facultas iuuandi.

Fructum diuitiarum.) *Verus diuitiarum & poteſtatis fructus eſt, habere facultatem iuuandi quàm plurimos. Qui uerò ſuas opes ad luxum conferunt, aut ad iniuriam aliorum: hi mali ſunt œconomi, & aliquando graues Deo rationes reddent.*

Multo & maior.) *Quia uirtuti propior, imò proprius uirtutis.*

Et certior.) *Propter grati animi memoriam, eorum quibus bene feceris.*

CICE-

CICERO.

Quanto Ariſtoteles grauius & uerius nos reprehendit, qui has effuſiones pecuniarum non admiremur, quæ fiunt ad multitudinem deliniẽdam. At hi qui ab hoſtibus obſidentur, ſi emere aquæ ſextariũ mina cogerentur, hoc primò, † auditu incredibile nobis uideri, omnesq́ mirari. Sed cum attenderimus, ueniam neceſsitati dare. In his immanibus iacturis, infinitisq́ ſumptibus, nihil nos magnopere mirari: cum præſertim neq; neceſsitati ſubueniatur, nec dignitas augeatur, ipſaq́ illa delinitio multitudinis ad breue tempus exiguumq́ duratura ſit, eaq́ à leuiſſimo quoq; † animo. In quo tamen ipſo unà cum ſatietate memoria quoq; moriatur uoluptatis. Bene etiam colligitur, hæc pueris & mulierculis, & ſeruis, & ſeruorum ſimillimis liberis eſſe grata. Graui uerò homini, & ea quę fiunt iudicio certo ponderanti, probari poſſe nullo modo.

V. L. τὸ auditu, & τὸ animo, pleriq; codices omittunt.

Nihil nos magnopere mirari.) *De admiratione, & cauſis eius antè dictum eſt. Raræ ſunt huiuſmodi obſidiones, cuiuſmodi in ueteri Teſtamento Samaritana fuit, ubi fimus columbinus magno uenijt. Et in Romana hiſtoria, Saguntina fames memoratur. Nihil autem atrocius cogitari poteſt fame Hieroſolymitana, quæ à Ioſepho deſcribitur. Mira igitur uidentur talia, quia rara ſunt. Pecuniariæ autem profuſiones cum quotidianæ ferè eſſent apud Græcos, minus habebant admirationis. Sententia Ariſtotelis eſt: non eſſe mirandum, ſi quis pecuniam perdere malit, quàm uitam, ſi utranq; ſimul retinere non poſsit. Illud uerò eſſe mirum, pecuniam ſine ullo fructu profundi, cum & magnis laboribus paretur, & alioqui magnifieri uulgò ſoleat.*

Obſidiones horrendæ.

Effuſio pecuniæ.

Cum præſertim neq; neceſsitati.) *Eſt ἀνακεφαλαίωσις argumentorum, quæ contra profuſionem partim allata ſunt. partim afferri poſſunt. Tollit enim omnes cauſas, quæ ad eam inuitare poſſunt. Quicquid enim agimus, aut quia neceſſe eſt, atq; utile: aut quia honeſtum, & dignum nobis: aut quia ſuaue & iucundum, ſuſcipimus.*

Cauſæ agendi.

Eaq́ à leuiſsimo.) *Duratura à leuiſſimo animo, conſtructio ualde inſolens eſt, & lectio ſuſpecta. Si legeretur, In leuiſſimo, uel, Apud leuiſſimum: facilius ferri poſſet. Sed cum de ſententia conſtet, minus eſt de uerbis laborandũ. Vult enim hoc, leuiſſimum quenq; & expetere, & meminiſſe talia, quamuis non diu. Qui autem leuis eſt, ab eo gratia ſtabilis expectari non poteſt.*

Bene etiam colligitur.) *Vt ſpectacula iſta in contemptum abducat, ea*

genera hominum producit, in quorum numero nemo cordatus ſe haberi uelit, non magis quàm

Aedificare caſas, ploſtello iungere mures.
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Rectè apud Homerum Minerua Telemachum obiurgat:

—οὐδέ τι σε χρὴ
Νηπιάας ὀχέειν· ἐπεὶ οὐκ ἔτι τηλίκος ἐσσί.

Non puer es, nec te puerilibus omnia nugis Metiri fas eſt.—

Ea quæ fiunt iudicio certo ponderanti.) *Præclara uerba ſunt, & infigenda memoriæ, atq; etiã frontib. omniũ librorũ maiuſculis literis inſcribenda:* OMNIA QVAE FIVNT CERTO IVDICIO PONDERATO. *Multum intereſt inter* τὰ δέοντα καὶ τὰ γιγνόμενα. τὰ δέοντα *referamus ad noſtrã perſonã, ut nuſquã, quoad eius fieri poßit, uel latum digitũ ab officio declinemus:* τὰ γιγνόμενα *prodeſſe nobis queũt ad patientiã & tolerantiã, ut cogitemus, ſolere ita fieri, quãuis malè fiat: neq; nos ſtulticiã & improbitatẽ hominũ, quicquid agamus, unquã eſſe correcturos. Ferendũ igitur eſſe, nõ culpandũ, quod mutari nõ poßit.* ἀντίθεσις *hæc leuißimorũ & grauißimorum hominum magnam uim habet apud liberale ingenium, ad contemnendas nugas, & ad rerum honeſtarum ſtudium excitandum.*

τὰ γινόμενα. τὰ δέοντα.

CICERO.

Quanquã intelligo in noſtra ciuitate inueteraſſe † iam bonis temporibus, ut ſplendor ædilitatum ab optimis uiris poſtuletur.

·V. L. etiam bonis.

Paulatim corrigendi errores.

Quanquã intelligo.) *Nõ id modò ſpectandũ eſt, quid fieri debeat: ſed etiã quid poßit. Cicero igitur cõceßione quadã hic, ſeu correctione indulget tyrannidi cõſuetudinis, remiſſa nõnihil philoſophica ſeueritate. Eſſet ſanè præſtabilius, errores corrigere, & uitioſos mores abolere. Sed hoc neq; ſubitò, neq; ab uno, etiam potentißimo fieri poteſt: paulatim nonnihil detrahi, et alia meliora ſubſtitui poſſunt, donec prauitas illa ultrò exoleſcat.*

Bona tempora.

Inueteraſſe iã bonis tẽporib.) *Malim, Etiã bonis tẽporib. Et bona tempora intelligo, cũ honeſta diſciplina floreret, nec ea morũ corruptela in ciuitatẽ inundaſſet, de qua Liuius in ſuo Proœmio grauiter diſerteq; cõqueritur. Bene longũ, ſanè dicimus: ſed bonũ tẽpus pro longo tẽpore, ſine autore ego dicere nolim. Sentẽtia eſſe uidetur, ueterẽ cõſuetudinẽ huiuſmodi largitionũ propagatam eſſe ad hanc uſq; ætatem. Quæ ſi in illa ſeueritate diſciplinæ tolerata fuerit: nullo modo poſſe in hac corruptela morum profligari. Conniuendum igitur eſſe, quia neceſſe ſit, non quia rectè fiat.*

Vulgus emolumento magis quàm uirtute mouetur.

Ab optimis uiris.) *Quia optimi ſunt, ultrò deferendi eis erãt magiſtratus, imò rogandi potius erãt, atq; etiam cogendi, ut præeſſent Reipublicæ: tantum abeſt ut huiuſmodi largitiones ab eis poſtulandæ fuerint. Sed populus,*

bellua

bellua multorũ capitum, libidinẽ ſuam, non rationis iudicium ſequitur: ferè non defert magiſtratũ niſi ijs, quorũ magnæ opes ſunt, et nota magnificentia.

CICERO.

Itaq; P. Craſſus cùm cognomine Diues, tum copijs, functus eſt ædilitio munere maximo: & paulo pòſt L. Craſſus, cũ omniũ hominũ moderatiſs. Q. Mutio magnificentiſsima ædilitate functus eſt. Deinde C. Claudius Appij filius: multi pòſt, Lucullus, Hortenſius, Syllanus. Omnes aũt P. Lentulus, me conſule, uicit ſuperiores. Magnificentiſsima uerò noſtri Pompeij munera ſecundo cõſulatu.

Itaq; P. Craſſus.) *Exempla ſplendidarũ ædilitatum cõmemorat, illis temporibus nota, ſcitu nobis minimè neceſſaria. Hiſtoriæ regũ & gentiũ tenendæ ſunt homini erudito: nec hæ omnes, ſed præcipuæ, maximeq; illuſtres. cuiuſmodi ſunt, Hebræorũ, Græcorum, Perſarum, Romanorũ, quibus noſtra ætate Turcicæ etiã & Hiſpanicæ annumerari poſſunt. Nam qui præcipuas tenet, ne reliquas quidem ignorabit omnino: quòd maxima illa imperia totum penè terrarum orbem peruagantur. Acta uerò priuatorum hominũ cum uenia ignorari poſſunt. Atq; adeò, ſi uerum fatendum eſt, ſæpe Grammaticorum curioſitatem rideo, qui tantum operæ conferant in res obſcuras atq; difficiles, eaſdemq; nõ neceſſarias. Quid enim ad me Craſſi, Mutij, Claudij, aliorumq; ædilitates? Nihilo certè plus quàm pompa bacchanaliũ, noſtra ætate celebrata. Series temporũ diligenter obſeruanda eſt in hiſtorijs: eaq; de cauſa iudices & reges Hebræorum, ἄρχοντες Athenienſium, Conſules & Cæſares Romanorum, diligẽter notandi ſunt: ſed de priuatorũ hominum negocijs minus eſt laborandum. Vnde Quintilianus inter Grammatici uirtutes numerat, quædam ignorare: id eſt, non eſſe curioſiorem. Φιλομάθεια uirtus eſt: ἀμέλεια, μισολογία, ἀφιλοσοφία ſunt ἐλλείψεις: πολυπραγμοσύνη uerò, περιεργία, λεπτολογία, ſunt ὑπερβολαί. Fateor ſanè, apud Ciceronẽ & alios multa loca nõ intelligi, quòd acta priuatorũ hominum ignorantur. Sed non neceſſe eſt omnia intelligi. Diſcamus ex ijs locis puritatem & proprietatem Latini ſermonis: de obſcura hiſtoria nõ laboremus, cum ea nihil ad nos attineat. Quanquã ſagax ingenium ex contextu orationis & collatione aliorum eiuſdem autoris locorum multa diuinare poteſt, quæ à ſcopo non multum aberrent. Atq; etiã multa & uaria lectio, ſi memoria ualeas, multa declarat, de quibus minus exercitati, nec uerſati in bonis autoribus, deſperandum eſſe cenſeant.*

Hiſtorias nõ omnes ſcire neceſſe eſt.

Priuatorum hominũ negocia quid ad philoſophum?

Sagacitas.

Lectio. Memoria.

Cum omnium hominum moderatiſsimo.) *quaſi diceret: Plus ualuit inueterata cõſuetudo ciuitatis, quàm mores & uitæ inſtitutum tanti uiri: qui & ipſe coactus eſt ἀσκεῖν τὸν ἐπιχώριον τρόπον, id eſt, tenere ſe more ſui ſeculi. Itaq; grauiter conqueſtus eſt Adrianus pontifex, multum referre, in quæ tempora cuiuſq; uirtus incidiſſet.*

Tempori ſeruitudum

CICERO.

In quibus omnibus quid mihi placeat, uides. Vitanda tamẽ eſt ſuſpicio auariciæ. Nam Mamerco homini ditiſsimo, prætermiſsio ædilitatis, conſulatus repulſam attulit. Quare etſi poſtulatur à populo, bonis uiris ſi non deſiderantibus, attamen approbantibus: faciendum eſt, modò pro facultatibus, ut nos ipſi fecimus: &, ſi quando aliqua res maior atq; utilior populari largitione acquiritur: ut Oreſti nuper prandia in ſemitis decimæ nomine magno honori fuerunt. Ne Marco quidem Seio uitio datum eſt, quòd in caritate annonæ aſſe modium populo dedit. Magna enim ſe & inueterata inuidia, nec turpi iactura, quàndo erat ædilis, nec maxima liberauit.

In quibus omnibus quid mihi placeat.) *Modum ad facultates accommodatum placere ſibi dixit, eaq; officia, quibus & hominum neceſsitatibus ſubueniatur, & conſtans ac duratura gloria & gratia comparatur.*

Vitanda tamen eſt.) *τὴν ὑπερβολὴν hactenus improbauit. Nunc etiã τὴν ἔλλειψιν repudiat, quæ Græcè γλισχρότης, Latinè tenacitas dicitur. Nam auaricia (ſi etymon ſpectes) in appetendis potius quàm conſeruandis diuitijs occupata eſſe uidetur. Fieri autem poteſt, ut non auarus ſit is, ſed ſua re contentus, qui nihil temerè de ſuo largitur.*

Nam Mamerco.) *Lib. 3. de Legibus: Sunto, inquit, ædiles curatores urbis, annonæ, ludorumq; ſolennium: olliſq; ad honoris amplioris gradũ is primus aſcenſus eſto.*

Bonis uiris ſi non deſiderantibus.) *Illi quidẽ multa non deſiderant, eademq; non improbant potius quàm approbant, propter tyrannidẽ conſuetudinis, cui reſiſtere difficile eſt: ac ſequuntur in eo legum exemplum, quæ ipſa quoq; multa permittunt, quæ non approbant.*

Magiſtratus expetẽdi, ut reipub. prodeſſe poſsis.

Aliqua res maior aut utilior.) *Vt ſi quis ſe auariciæ ſuſpicione & inueterata inuidia hoc modo liberet: ſi populo innoteſcat: ſi ad altiores dignitates quaſi aditũ ſibi paret, quo magis & reipub. & ciuibus ſuis prodeſſe poſsit. Hoc enim unico fine dignitates & magiſtratus rectè expetuntur.*

Herculana decuma.

Prętextus religionis, auręq; popularis captatio.

Prandia in ſemitis decumæ nomine.) *Superſtitioſa conſuetudo atq; opinio hic obſeruetur. Qui enim maiores opes expetebãt, decimam ſuæ rei familiaris partẽ Herculi conſecrabant: fore ſperantes, ut maximo cum fœnore reciperẽt, quod largiti eſſent. Plautus decumã uocat Herculanam partẽ. Fieri aũt poteſt, ut aliud ſimularint, aliud egerint. Prætextus fuit religio & incrementũ diuitiarũ. Vera aũt cauſa fortaſsis & ſcopus, captatio auræ popularis. Sæpius antè à me dictũ eſt, ſed & nunc propter utilitatẽ repetatur: apud calli-*

dos

dos homines longè alias eſſe προφάσεις, alias αἰτίας. Quare diligenter cogitandum, non tam quid dicatur aut fiat, quàm cur dicatur & fiat.

Fiſtula dulce canit, uolucrem dum decipit auceps.

Sic Lacedæmonij, ſic Athenienſes, ſic Philippus Macedo, Græciæ libertatem oppreſſerunt, beneficijs & pollicitationibus inescatæ.

Nec turpi iactura.) *Nã ſi extra ædilitatem id feciſſet: fortaſſe nec cauſam probabilem largitionis habuiſſet, & in ſuſpicionem ambitus aut etiam affectati regni ueniſſet, ut Sp. Melio olim accidit.*

CICERO.

Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quòd gladiatoribus emptis Reipublicæ cauſa, quæ ſalute noſtra continebatur, omnes P. Clodij conatus fureresq; compreſsit. Cauſa igitur largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut utile. In his autẽ ipſis mediocritas regula optima eſt.

Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni.) *Cicero propter περιαυτολογίαν καὶ φιλοδοξίαν à multis reprehenditur. Libenter enim arripit occaſiones, res geſtas ſuas commemorandi. Sed quæ hic de Milone ſcribit, à grato animo potius, quàm ab ambitione profecta uidentur. Voluit enim hominum de ſe bene meritorum memoriam ad poſteros quoq; propagare. Cæterùm Milo Ciceroni & Reipub. melius conſuluit, quàm ſibimet ipſi: tanto ære alieno cõflato, ut eius magnitudo uix uerbis exprimi poſſet: & Clodio interfecto in exilium miſſus, ut piſces Maſſilienſes ederet.* Cicero uiros de ſe bene meritos celebrat.

Quæ noſtra ſalute.) *Multum ſibi tribuit: Reipublicæ ſalutem, ſua ſalute cõtineri, aſſerendo. Et quidem Romã patrẽ patriæ Ciceronẽ libera dixit.*

CICERO.

L. quidem Philippus, Q. Fabij filius, magno uir ingenio, in primiſq; clarus, gloriari ſolebat, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſsima. Dicebat idem Cotta, Curio. Nobis quoq; licet in hoc quodam modo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis ſuffragijs adepti ſumus, noſtro quidem anno, quod contigit eorum nemini quos modò nominaui, ſanè exiguus ſumptus ædilitatis fuit.

L. quidem Philippus.) *Indulſit hactenus nonnihil conſuetudini, exẽplis ad eam accommodatis, adductis in medium. Nunc eorum exempla profert, quorum tanta ſiue uirtus ſiue felicitas fuerit, ut contempta conſuetudine, ſuapte induſtria quod uellent, conſequerentur.*

Quæ haberentur ampliſsima.) *Vt Præturam, Cenſuram, Cõſulatum. Nam Dictatura quamuis ſummæ poteſtatis, magiſtratus extra ordinarius*

fuit, nec niſi periculoſiſſimis Reip. temporibus creari ſolitus, ſemeſtri ſpacio circumſcriptus. Iulius autem Cæſar primus Dictator perpetuus factus eſt, quòd id nomen minus inuidioſum putaret quàm Regis, cùm re ipſa nihil interesset. Idem etiam L. Syllam deriſit, quod ultrò dictatura ſe abdicaſſet, cauillatus, eum neſciſſe literas.

Noſtro quidem anno.) *Magiſtratibus Romanorum certi anni ætatis, & certa interualla, aliâs alia præſcripta fuerunt. Qua de re conſulatur eruditum opus Nicolai Gruchij, de Comitijs Romanorum.*

CICERO.

Atque etiam illæ impenſæ meliores ſunt, muri, naualia, portus, aquarum ductus, omniaque quæ ad uſum Reipub. pertinent. Quanquam quod præſens tanquam † in manũ datur, iucundius eſt: tamen hæc in poſterum gratiora.

V. L. in manu.

Atque illæ etiam impenſæ meliores.) *Suprà, quas in res largitio pecuniaria cum laude conferetur, expoſuit. Sed ibi de priuatis hominibus eſt locutus. Hic de honeſtis ſumptibus ad Rempub. pertinentibus agit. Apud Athenienſes etiam trierarchiæ magni æſtimabantur. Appiam familiam apud Romanos etiam uia Apia illuſtrauit, illius ſiue ſumptibus ſiue procuratione lapidibus ſtrata.*

Liberalitas, Publica, Priuata.

In manu datur.) *Malim, ut Pariſienſis codex habet, In manũ. Apud Terentium eſt, Præ manu dare. Sententia eſt, plebem & priuatæ utilitatis & cõmodi præſentis ſtudioſiorem eſſe quàm publicæ aut rerum futurarum. Sed eos famæ ſuæ melius conſulere, qui Reipub. quàm qui priuatim proſint.*

CICERO.

Theatra, porticus, noua templa, uerecũdius reprehendo, propter Pompeium: ſed doctiſsimi non probant, ut & hic ipſe Panætius, quem multùm in his libris ſum ſecutus, non interpretatus: & Phalereus Demetrius, qui Periclem principem Græciæ uituperabat, quòd tantam pecuniam in præclara illa Propylæa † coniecerit. Sed de hoc genere toto in his Libris quos de Republica ſcripſi, diligenter eſt diſputatum.

V. L. proiecit. Alij, coniecit. Fortaſsis, conieciſſet.

Theatra porticus, noua templa.) *Hæc cum ad oſtentationem potius & magnificentiam pertineant, quàm ad uſum & neceſsitatem Reip. (ſatis enim ueterum templorum eſt, modò illa ſarta tecta conſeruentur) minus illa quidẽ probantur, ſed non ſine occupatione reprehendũtur, propter autoritatẽ & ami-*

& amicitiam quæ Pompeio cum Cicerone conſtituta fuit. Reſpondit Pompeius ſuo nomini. Fuit enim pōpæ ſtudioſior, & (ut Plutarchus de eo ſcribit) nemo magis gloriam quàm ipſe expetiuit, nemo res cæteras magis contempſit. — *Pompeius.*

Coniecit.) *Alij Coniecerit, alij Conieciſſet, legunt. Obſeruetur methodus & prudentia Ciceronis: facto Pompeij opponit iudicia Philoſophorum. In Pericle autem non modò ſuperuacanei ſumptus, ſed etiam improbum conſiliū concitati belli Peloponeſiaci, quo Athenæ tandem cōciderunt, eſt reprehendendum. Notum enim eſt, eum de referendis rationibus ſolicitum, Alcibiadis monitu id egiſſe, ne rationes referendæ eſſent.* — *Pericles.*

Sed de hoc genere.) [illegible]ξις *eſt, qua Lectorem ad aliud ſuū Opus legendum deducit. Etſi enim in his libris de Officijs, non tantum priuati cuiuſque mores informantur, ſed etiam Reipub. gerendæ ſcientia attingitur: tamen quæ ad gubernationem ciuitatis pertinerent, uberius alijs libris expoſita fuerunt. Itaq; Ariſtoteles doctrinam morum tribus operibus eſt perſecutus, & à ſingulis hominibus ad priuatas familias, à familijs ad ciuitates & regna progreſſus. Inſcriptiones eorū Operū ſunt,* ἠθικὰ, οἰκονομικὰ, πολιτικά: *quibus etiam* τὰ ῥητορικὰ *ſubijcit,* μόριον δήπουθεν τῆς πολιτικῆς. — *Ciceronis & Ariſtotelis libri.*

Diligenter eſt diſputatū.) *Sed opus illud negligenter aſſeruatū. Quod ſi extaret: infinita Ciceronis loca rectius intelligerentur, & maximum lumen toti Romanæ hiſtoriæ inferretur. Neq; enim (ut D. Auguſtinus teſtatur) tam optimæ Reipublicæ formam ſpectauit, quàm id egit, ut ſuam Rempub. celebraret, optimeq; conſtitutam perhiberi uellet. Quo nomine etiam ſunt qui librorum illorum ſiue iacturam ſiue occultationem (iactant enim nonnulli & hos, & integrum Liuium, & Diodorum Siculum, & multa præclara alia opera, ab Fuclionibus quibuſdam in Italia et alibi aſſeruari) æquioribus animis ferendam eſſe cenſeant, quod* πολιτεῖαι *Platonis multo plus habeant eruditionis & philoſophicæ doctrinæ. Idq; cōijci ex libris Ciceronis de Legibus, qui pertenues ſint & ieiuni, ſi cum Platonicis conferantur. Sed, ut dixi, cùm propter hiſtorias Romanas, tum ob genus orationis ſplendidum & illuſtre, optabile eſſet, illud Opus extare. Deinde collatio quoq; cum opere Platonico periucunda eſſet, atq; utilis. Accedit & illud, quod Plato Rempub. optare potius, aut ſomniare, quam conſtituere uidetur. Cicero autem ea deſcripſit, quæ in uita mortalium uerſari poſſunt, uerſataq; ſunt: niſi quod probabile eſt, cum & uitia diſſimulaſſe, aut leuiter improbaſſe, & uirtutes Romanorū ſupra ſuæ ri fidē amplificaſſe: idq; imitatione Xenoph. cuius ipſe Cyri* παιδείαν *non ad fidē hiſtoriæ, ſed ad exemplū iuſti & moderati imperij ſcriptā eſſe perhibet.* — *Libri Ciceronis de Rep.* — *Platonica & Ciceroniana Reſpublica.*

CICERO.

Tota igitur ratio talium largitionum genere uitioſa eſt, temporibus neceſſaria: & † tamen ipſa etiam ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda eſt.

V. L. tum ipſa, &c.

Tota

Tota igitur ratio.) *Concluſio uitioſæ largitionis, cum repetitione.*

Genere uitioſa eſt.) *Hoc Græci dicunt ἁπλῶς καὶ καθ' αὑτό: id eſt, per ſe.*

Temporibus neceſſaria.) *Hoc græci dicunt τοῖς καιροῖς, uel διά καιρούς τινας, uel, ut uulgò dicunt, propter aliquas circumſtantias: quarum omniũ loco Cicero Tempus & tempora dicere ſolet. recentiores Græcorum Rhetores aliquando τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους: id eſt, ea quæ ab initio negocij uſq; ad eiuſdem exitum conſideranda ſunt, appellant: etſi rectius ſic dici uideretur à ſummo genere per ſpecies intermedias, ad indiuiduũ uſq; & minutiſſimas ipſius indiuidui partes progreſſio, aut tam ſimplicium quam coniunctarũ quæſtionum è locis ſuis accurata tractatio: quibus in locis circumſtantiæ non poſtremum obtinent locum. Sed hæc è ſuis artibus petantur.*

CICERO.

In illo autem altero genere largiendi, quod à liberalitate proficiſcitur, non uno modo in diſparibus cauſis affecti eſſe debemus? Alia cauſa eſt eius qui calamitate premitur: & eius qui res meliores quærit, nullis ſuis rebus aduerſis. Propenſior benignitas eſſe debet in calamitoſos, niſi fortè erunt digni calamitate. In ijs tamen qui ſe adiuuari uolent, non ut ne affligantur, ſed ut ad altiorẽ gradum aſcendant, reſtricti omnino eſſe nullo modo debemus, ſed in deligendis idoneis iudicium & diligentiam adhibere. Nam præclarè Ennius; Benefacta malè locata, malefacta arbitror.

In diſparib. cauſis non uno modo affecti eſſe debemus.

In illo autem altero genere.) *Fecit duo genera largorum, quorum alteri prodigi ſint, de quibus hactenus egit: alteri liberales, quorum officia nũc exponit. Eſt autem & hic ὑποδιαίρεσις ſumpta à ſubiecto, ſiue à perſonis eorũ quibus benignè fit. Alteri, inquit, egent, alteri res meliores quærunt.*

Non uno modo in diſparibus cauſis.) *Scilicet largitionis. Sententia hæc ad omnia negocia transferenda eſt. Præceptũ ipſum nihil habet, opinor, obſcuritatis: nec opus eſt exemplis doctrinæ perſpicuæ.*

Qui calamitate premitur.) *Vt ſi captus ſit, ſi oppreſſus ære alieno, ſi naufragium rei ſamiliaris fecerit. Apud Athenienſes etiam ij habebantur ignominioſi, qui æs alienum Reip. debitum non diſſoluiſſent.*

Res meliores quærit.) *Hoc dixit Iſocrates ζητεῖν τὰ βελτίω. Res autẽ meliores intelligendæ ſunt, incrementa uel diuitiarũ, uel dignitatis: ut ſi quis emat prædium fructuoſum, ſi è ruſtico fiat urbanus, è mercenario opifex, è plebeio doctor, eques aut patricius.*

Pro-

Propenſior benignitas.) *Rectè omnino. Nam hæc uera cauſa eſt largiendi, ut ſubueniatur neceßitati.*

Digni calamitate.

Niſi fortè erunt digni.) *Digni calamitate ſunt, qui & ſua culpa eam ſibi accerſiuerunt, & nullam de ſe ſpem præbent emendationis. Quos autem probabile eſt. ſe ad frugem meliorem recepturos: hi digni ſunt qui eripiantur è calamitatibus, in eoq; non liberalitatis tantùm, ſed etiam clementiæ laus uerſatur. Multi enim non tam malicia quàm imprudentia labuntur: quos erigere proſtratos & iacentes, humanitatis eſt: cõculcare pedibus, immanitatis. Vix enim quiſquã reperietur, cui non ut Crœſo apud Herodotum, ita ipſi etiam τὰ παθήματα μαθήματα γέγονε. Felicior tamen*

Eſt is, quem faciunt aliena pericula cautum.

Auxilio digni.

Reſtricti omnino nullo modo.) *Quicquid hic de largitione pecuniaria præcipitur, ad homines locupletes & pecunioſos referatur. Qui enim ipſi rerum ſuarum ſatagunt, & ſuo labore quærere coguntur, unde iuuant: ab his impudentiæ fuerit multum poſtulare: iniquitatis, eos reprehendere, ſi ſint ad largiendum reſtrictiores, niſi fortè res eorum ita conſtitutæ fuerint, ut non facilè egere poßint. Alterum autem illud benignitatis genus, quod ex opera atq; induſtria conſtat, commune eſt & diuitum & tenuiorũ, atq; adeò pauperum magis proprium, ut largitio diuitum.*

Largitio diuitũ propria uirtus.

Opera omnes iuuare poſſunt.

In deligendis idoneis.) *Repetantur hic ea, quæ ſuperiore libro de gradibus hominum diſputata ſunt.*

Iudicium & diligentiam.) *Eodem loco illos reprehendit, qui multa faciunt temeritate quadam, ſine modo & iudicio in omnes. Diligentia autem in eo uerſatur, ne præcipitetur iudicium. Multi enim probitatem aſtutè ſimulant, donec id quod uoluere conſecuti fuerint, ac tum demum eorum erumpit improbitas. Eòdem pertinet etiam iudicium, (perinde enim accipio, ac ſi iudicium diligens ſcripſiſſet) ut ingenia hominum & mores ſagacibus coniecturis explorentur. Quod quidẽ in adoleſcentibus factu difficile eſt, propter ætatis illius imbecillitatem, inconſtantiam, & multas deprauationis occaſiones. Videmus enim eos qui ſub præceptoribus modeſtißimè uixerunt, & diligentem literis operam nauarunt, ſimulac in Academias uentũ, & mutare, ac potius aperire ingenia, & in omni uiuere prauitate: adeò ut uix centeſimus quiſque ad frugem perueniat, & in uirum bonum, eruditum, Reipub. & Eccleſiæ utilẽ euadat. Hinc fit, ut & magiſtratus, & homines priuati locupletes, tam ancicipitem aleam fouendi adoleſcentes, qui ſe ſtudioſos profitentur, non temerè ſibi iaciendam eſſe cenſeant.*

Multi cũ notorum facti ſunt compotes, ſe aperiunt.

De adoleſcẽtibus iudicare, difficile.

Studioſus ſuo nomini reſpondens rara auis.

Benefacta malè locata.) *Vt medici nõ omnes in uiſceribus abditos morbos coniecturis indagare poſſunt: ita prudentes etiam uiros tenebræ & latebræ humani ingenij ſæpe fallunt. Cum autem à nemine poſtulandum ſit, niſi quoad ſciat & poßit: recta uoluntas probanda eſt, & benefaciendi ſtudium, tametſi euentus alius fuerit quàm ſperabatur.*

Quis omn'a nouit, Deceptus nunquam?

Male locata.) *Id eſt, collata in homines improbos & ingratos. Neq; hos tantum, ſed etiam ſtupidos & ignauos, qui nec uellent ſi poſſent, nec poſſent ſi uellent, uel ſibi uel alijs prodeſſe. Hic, ut Poeta monet, σκάπτοιτο δ'ἀκίλλω. Quos enim idoneos homines dixit, hi ſunt ingenioſi, alacres, probi, omnis officij ſtudioſi, quorum in re & publica & priuata, induſtria uigere poteſt. Hæc, ſi quis fortè probus eſt ac diligens, & culpa ſolius ingenij minus proficit: ad ſuam contumeliam pertinere minimè arbitretur. Neq; enim ingenium ſibi quiſquam fingere poteſt, ſed quale à Deo accepit, tali eſt utendum. Illud potius admoneatur, ut conſideret non tam quid uelit, quàm quid poſſit, & quid è re ſua maximè futurum ſit. Præſtat agricolam eſſe, aut opificem mediocrem, aut ſcribam mercenarium, aut ſi quid aliud eſt eius generis, quàm hærere in Scholis nullo cum fructu, & nihil aliud eſſe niſi telluris inutile pondus. Non è quouis ligno, ut prouerbio dicitur, fit Mercurius: non omnes diſcendis literis ſunt idonei. Qui igitur ijs ſunt ingenijs, ut adhibita maxima diligentia, nihil aut parum admodum proficiant: hi omnino perſuaſum habere debent, grandiore præſertim ætate, ſe ad aliud uitæ genus à Deo eſſe deſtinatos, in cuius iudicio & uoluntate æquis animis eſt acquieſcendum. Quod de ingenijs dictum eſt, etiam de fortuna intelligatur: quæ cum ſæpe homines ingenioſos & induſtrios deſtituat, nec aliorum opibus ſubleuet: his quoque cogitandum eſt, nolle Deum altius ipſos euolare. Aequo igitur animo ſit Pædagogus, aut ludimagiſter, qui Doctor, uti uocant, & princeps in Repub. in Eccleſia aut Academia eſſe nequit. Sed his non eſt temerè neque properè deſperandum: Multas enim habet fortuna uiciſſitudines: & quos diu afflixit, tandem aliquando beare ſolet. Pareant igitur Iſocrati, στέργειν μὲν τὰ παρόντα, ζητεῖν δὲ τὰ βελτίω. Is autem ſua ſorte contentus eſſe intelligatur, non modò qui æquo animo fert tenuitatem fortunæ ſuæ: ſed qui etiam Spartam ſuam, quantumuis humilem & obſcuram, ornat: qui bona fide inſeruit ſuis dominis: qui nihil prætermittit quod munus eius poſtulat, quamuis maligna gratia laboribus ipſius referatur. Sic στέργειν τὰ παρόντα boni uiri eſt, & hoc omnino antecedere oportet. Illud induſtrij & generoſi animi, aſpirare ad altiora: hoc eſt, quicquid uacui temporis datur, id conferre ad eas res quæ ad altiorem gradum euehere poſſunt: cuiuſmodi ſunt, ſi ludimagiſter, defunctus bona fide Scholaſticis laboribus, ſucciſiuis horis uel Theologiæ, uel Iuriſprudentiæ, uel Medicinæ, uel alteri alicui honeſto negocio det operam. Verùm hoc difficile eſt. Requiritur enim ſumma uitæ frugalitas, maxima uigilantia, ſingularis tolerantia laborum. Sic rectè & feliciter quæruntur res meliores: non autem neglectu officij, deſidia, inani oſtentatione, & malis artibus, quæ plerunque fruſtrari ſolent. Contrà autem induſtria, & patientia laborum, maxima ex parte felix eſt, & omnium bonorum ſuffragijs tandem ſubleuatur: ſicut & ſacræ literæ teſtantur, Fore ut anima ſedulorum ſaginetur.*

Idonei homines quibus benefiat.

Hebetiores non inſectandi, ſed cōſilio iuuandi.

Diuinum decretum aliquādo ex ingenijs & facultatibus conijciendum.

Fortunæ iniquitas plus ad ſpē relinquit, quàm Naturæ malignitas.

Sua ſorte cō tentum eſſe.

Res quærere meliores.

Neglectu officij aſpirare ad altiora, improbum.

CICE-

CICERO.

Quod autem tributũ eſt bono uiro & grato, in eo cùm ex ipſo fructus eſt, tum etiam ex cęteris. Temeritate enim remota, gratiſsima eſt liberalitas: eoq́ eã ſtudioſius plerique laudant, quòd ſummi cuiuſque bonitas commune †perfugium eſt omnium.

V. L. profugium.

Quod autem tributum eſt bono uiro.) *Homo improbus & ingratus agro ſterili, aut nihil niſi ſpinas & tribulos gignenti conferri poteſt. Vir uerò probus & gratus agro fœcundo & fructuoſo, qui magno fœnore id quod accepit, reddit. unde Iſocrates:* καλὸς, *inquit,* θησαυρὸς παρ' ἀνδρὶ σπουδαίῳ χάρις ὀφειλομένη. *Sed cauendum hic eſt, ne (quod facile fit) liberalitas incipiat eſſe negociatio & mercatura: ut ideò tantum largiamur, quòd id nobis utile fore ſperamus. Etſi enim is liberalitatis fructus non aſpernandus eſt: tamen præcipuè ſpectari non debet. Vera cauſa & finis liberalitatis eſt, parêre Deo & naturæ in adiuuandis ijs, qui ope noſtra indigent ac digni ſunt. Quo fine prætermiſſo, perijt omnis liberalitas: & quæſtus eſſe incipit, non benignitas. Repetatur igitur quod ſuprà etiam dictum eſt: Superiore libro doceri uirtutes gratuitas, ut Deo & naturæ pareatur: tametſi eæ uirtutes aut ignorentur ab omnibus, aut contemnantur, aut etiam maleficijs & ſupplicijs penſentur: ſicut Palamedi & Socrati accidit, quibus uirtus inuidiam, inuidia exitium attulit. Hic autem id agit, ut fructus uberrimos uirtutum percipiamus. Virtutis igitur præcipuus & ſummus finis eſt, parêre Deo & naturæ: quam obedientiam conſcientia recti ſequitur, fructus ampliſsimus, & omnibus humanis præmijs anteferendus. Alter finis eſt, neq; principalis neq; perpetuus, uirtute gloriam, gratiam, opes, honores, uitæ tranquillitatem & commoditatem acquirere. Quod cum ſit, gratiæ ſunt agendæ Deo, & ſingularis eius erga nos prædicanda liberalitas. Cum nõ ſit: ampliſſimum uirtuti & theatrum & præmium eſt conſcientia, & præmij diuini certa expectatio. Cuius quidem ea ratio eſt, ut uiri eruditi ob hoc ipſum immortalitatem animorum certiſſimam iudicent, quòd in huius uitæ perturbatione neq; improbi omnes, pœnas luant ſuorum ſcelerum, nec fructum capiant uirtutis ſuæ uiri boni. Quid uerò poſſet eſſe alienius τῆς δικαιοκρισίας τοῦ θεοῦ, quàm ſi id fiat quod apud Homerũ Achilles grauiter conqueritur:*

ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός,
κάτθαν' ὁμῶς ὅ τ' ἄεργος ἀνὴρ, ὅ τε πολλὰ ἐοργώς.
Vnus honos fortiq; uiro, timidoq; repoſtus:
Strenuus atq; piger fato moriuntur eodem.

Epictetus, cætera præclarus ſcriptor, & acerrimus reprehenſor uitiorum, laudatorque uirtutis uehementiſſimus, hac in parte non ſatis probat

Liberalitas non eſſe poteſt negociatio.

Virtutis eiuſdem non idem finis.

Verus uirtutis finis.

Virtus anceps utilitatum.

Præmij diuini expectatio.

Epictetus alicubi Epicuro non diſſimilis.

ſuam ſententiam, quòd poſt obitũ, Epicureo more propemodũ, bonorũ præmia & improborum ſupplicia, atq; adeò diſcrimen uirtutis & uitÿ tollere uidetur, contentus ÿs pœnisquas infligunt improbis prauæ cupiditates & turbulenti affectus: ÿs item præmÿs, quæ ex animi tranquillitate & conſcientia rectè factorum percipiuntur. Sed ei, ut Stoico, & hominem in genium quendam & quaſi deum transformanti, qui ſe uno contentus ſit, nec externa præmia requirat, ita uenia danda eſt, ut Chriſtianæ religionis decreta illius magniloquentiæ præferantur.

Temeritate enim remota.) *Imò nulla uirtus cum temeritate conſiſtere poteſt, cum ſit προαίρεσις, hoc eſt, rectum iudicium cum recta uoluntate. Sententia Ciceronis perſpicua eſt: Nullam eſſe uirtutem, quæ ita demulceat & deliniat hominum animos, atq; ad aucupandam eorum gratiam tantũ ualeat, quantũ liberalitas, ſi temeraria nõ ſit, ſed cautiones illas ſuperiores adhibeat.*

Studioſius laudant.) *Tum ex officio (rectè enim facta incorruptus animus non laudare non poteſt) tum ad excitandam & augendam diuitum liberalitatem, in qua ſibi quoq; præſidÿ aliquid repoſitum ſperant.*

Summi cuiuſq; bonitas.) *Sic Ouidius etiam:*

Regia (crede mihi) res eſt, ſuccurrere lapſis.

Et D. Paulus hac de cauſa reges εὐεργέτας appellari dicit. Eſſent hæc uerba omnium Principum atrÿs, aureis literis inſcribenda, ut officÿ ſui perpetuò admonerentur.

CICERO.

Danda igitur opera eſt, ut his beneficÿs quàm plurimis afficiamus, quorum liberis poſteriſq; prodatur memoria, ut his ingratis eſſe non liceat. Omnes enim immemores beneficÿ oderunt: eamq; iniuriam in † deterrenda liberalitate ſibi etiam fieri, eumq; qui faciat, communem hoſtem tenuiorum putant.

V. L. deterenda. Alÿ, deterrendo à liberalitate.

Quorum liberis poſteriſq;.) *Eſt'ne hoc beneficium non fœnerari, ſed natura impelli ut benefici liberaleſq; ſimus? Sed ſæpe iam dictum eſt, hoc Secundo libro præcepta uirtutum referre Ciceronem ad emolumenta: & à fine primario proprioq;, qui eſt ut Naturæ pareatur, ad utilitatem priuatam detorquere: quod & ipſum Natura non modò non repugnante, ſed uehementer etiam probante & flagitante fieri poteſt, ſi certo modo & ratione id fiat. Ex hoc igitur beneficiorum genere ſunt prædia & caſtella, quæ Principes & Reges in nobiles & alios de ſe benemeritos contulerunt, quæ barbara uoce Feuda appellantur, ut qui ÿs fruuntur Feudatarÿ ſiue uaſalli, qui Latinè fortaſsis clientes ſeu beneficiarÿ rectius dicerentur. Etſi hæc ſeruitus potius*

quàm

quàm liberalitas dici poteſt. Nam iureiurando aſtricti aut militare, aut alia quædam officia præſtare, aut certam pecuniam péndere coguntur. Poteſt & eripi aliquibus de cauſis beneficium, nec ſemper ad fœminei ſexus poſteros propagatur.

Vt his ingratis eſſe nō liceat.) *ſcilicet infamiæ metu, & publici odij.*

In deterrenda liberalitate.) *Res pro perſona poſita: pro, in deterrendis hominibus à liberalitate. Alij legunt Deterenda, à uerbo Detero, non Deterreo. Tum erit, in imminuenda liberalitate. Sicut apud Horatiū eſt, Culpa ingenij laudes alicuius detérere.*

Gratiæ referēdæ ſtudiū.

Sibi etiam fieri.) *Quaſi dicat: Non tantùm ei qui beneficium contulit. Superiore libro dixit, Nullum officium referenda gratia magis eſſe neceſſarium. Etſi autem hic de collocando beneficio, non de referenda gratia agitur: tamen utrunq; coniungendum eſt, ac ſtatuendum, magis hoc præceptū ad eos pertinere, qui accipiunt, quàm qui dant beneficium.*

Admiratio diuitiarum undeſ

Communem hoſtem.) *Quia ingratus unus miſeris omnibus nocet. Nō poſſunt autem tenuiores ſine ope potentum ſuis rebus conſulere. Hinc orta eſt admiratio, & tantus honos diuitiarum, propter & benefaciendi & nocendi facultatem: quamuis utriuſq; rei uoluntas abfuerit, de qua tamen non omnibus conſtare poteſt.*

CICERO.

Atq; hæc benignitas etiam Reipublicæ utilis eſt, redimi è ſeruitute captos, locupletari tenuiores. Quod quidē uulgò ſolitum fieri ab ordine noſtro, in oratione Craſsi ſcriptum copioſè uidemus.

Liberalitas & publicè & priuatim utilis.

Atq; hæc benignitas.) *Quemadmodum in alijs rebus, ſalus Reipublicæ, dignitas atq; utilitas, priuatorum hominū rationibus anteponitur: ſic fit etiam in liberalitate, quæ maior eſt collata in Remp. quàm in hominem priuatum. Eadem uerò conduplicatur, cum ſimul & Reipub. & priuatis hominibus commodatur. quod fit & eo beneficiorū genere, quæ hic à Cicerone commemorantur, & pluribus alijs rationibus, ut ſunt receptacula atque hoſpitia pauperum, peregrinorum, ægrotorum, ſenum, pupillorum, ſtudioſorum, & id genus alia. Quæ cum bono & pio conſilio inſtituuntur, & locupletantur moribundorum teſtamentis: aliàs procuratorum auaricia, aliàs improbitate eorū qui hæc beneficia acceperunt, à fine propoſito longè recedunt. Sed non quia mala fiunt, bona facienda non ſunt: ſed tanto magis uigilandum, ne bonarum rerum peſſima fiat conſuetudo.*

Redimi è ſeruitute.) *ſcilicet, Ne eorum uxores & liberi egeant: ne deſint qui pugnent pro patria. Humanitatis etiam eſt, ciues eripi è tyrannide hoſtium.*

Opum inæqualitas.

Locupletari tenuiores.) *Ad eā rem magnis opibus eſt opus, in ea præſertim ciuitate, in qua ſumma eſt opum inæqualitas: quā Lycurgus è Spartana*

Repub. tollere conatus eſt, ex æquo diuiſis agris, & ſyßitijs etiam inſtitutis.

Intempeſtiua & temeraria coniugia.

Multitudinem autem egentium augent intempeſtiua & temeraria coniugia. Homines adoleſcentes, imperiti rerum, inopes, nullius bonæ artis gnari, nullis ſubſidijs inſtructi, uxores ducunt, & mendici mendicos procreant, quos nullius opes explere poſſunt. Matrimonium diuinitùs inſtitutum eſt, & ſummis ornandum laudibus. Sed nulla res tam bona eſt, quin abuſu deprauari poßit. Quem tollere, magiſtratuum intereſt, intereſt & eorum qui populum docent. Adhortanda eſt adoleſcentia ad pietatem, obedientiam & obſeruantiam parentibus præſtandam: incitanda ad laborem, ad frugalitatem, ad continentiã, ad uitandas omnes nequitiæ occaſiones. nõ autem oleum camino, quod aiunt, addendum: & plauſtrum ſponte pronũ, ſacrarum literarum oraculis aliò fortaſſe pertinentibus, percellendum, ut præceps ad libidinem feratur.

Matura ætas quomodo expectanda.

Quæ ſi fierent, poſſent & adoleſcentes & puellæ, maturam ætatem, & rei familiari gubernandæ idoneam expectare: & cùm alia probra, tum mendicitatem honeſto labore cauere. Conſuleretur etiam ualetudini, quæ intempeſtiua libidine uehementer debilitatur. Liberi etiam ita procreati, plerunque & minores & imbecilliores fiunt: nec corporibus tantum, ſed ingenijs etiam & uirtute minus ualent, ijs ſimiles ſcilicet à quibus procreati ſunt, fatui fatuis. Neque uerò ea ratio eſt libidinis, quæ cibi & potionis. Pleriq; turpitudine omni abſtinere poſſunt ad maturam uſq; ætatem: modò uelint, & non ipſi ſibi ſuo iumento (quod aiunt) malum accerſant. Atq; adeò ſi quis euentum iſtiuſmodi coniugiorum conſideret: pleraq; plus habẽt turpitudinis, quàm uita cœlebs. Nam alij in militiam profugiunt, alij nequiora faciunt, & eum quæſtum inſtituũt qui honeſtè nominari nõ poteſt. Plus ſatis enim eſt, id intelligi cuiuſmodi ſit. Nimium profectò laxata eſt honeſta diſciplina: quæ niſi arctioribus uinculis aſtricta fuerit, & aliqua ſaltem ex parte reuocata & concionatorum & magiſtratuum ſeueritate, Rempublicã tandem euertet. Sed hæc nihil ad nos, qui pueros docemus. Illud tamen noſtri muneris eſt, admonere adoleſcentes, ut à pernicioſa iſta temeritate ſibi caueant: & uel Heſiodum ſequantur, qui tum demum contrahere matrimonium ſuadet, cum & domum habueris, & bouem aratorẽ hoc eſt, cum certo in loco honeſtè conſiſtere, & honeſta arte ſe & familiam alere poßis. Verſus Heſiodi eſt huiuſmodi:

Matrimoniũ requirit domum, bouem aratorem, uxorem.

πρῶτα δόμον, μετέπειτα γυναῖκα, καὶ βοῦν ἀροτῆρα.

Etſi autem inuerſus uidetur ordo, idq; propter uerſum: tamen nõ dubium eſt, eum & domicilium & artificiũ uelle coniungi atq; antecedere, ut neceſſitas poſtulat (quis enim uacuæ domus fuerit uſus) ac tum demum coniugium ſequi. Caueant igitur ſtudioſi adoleſcentes ſtultorũ exempla, quamuis frequentißima: & ſciant, Deo ſobrietatem, continentiam, caſtitatem, non minus, atque adeò magis etiam, ea præſertim ætate, probari quàm coniugium, quod nemo reprehendit niſi inſanus & impius. Sed quò quæq; res melior eſt, eo deterior eius eſt abuſus. Religione nihil eſt diuinius: calumnia religionis nihil deteſtabilius.

Locupletari

Locupletari tenuiores.) *Quibus rationibus id incolumi patrimonio fieri poſſit, Iſocrates in oratione Areopagitica indicauit. Recenſet aũt tres potiſſimùm rationes: locationem agrorum, quos colant tenuiores, mediocri precio numerato: ablegationem ad mercaturam, ſuppeditationem pecuniæ ad alia opificia exercenda. Noſtro tempore pauperes & inopes potentioribus, uel bello uel pace mercede inſeruiunt. Nam largiri pecuniam, pro qua nihil recipias, ea ratio huiuſmodi eſt, ut locupletes ad egeſtatem facilè redigat. Sunt tamen homines quidam ἄθλιοι φύσει, ut ait Ariſtophanes, quibus benefieri nõ poteſt quicquid agas, ſiue propter ſtulticiã, ſiue propter ignauiã, ſiue propter profuſionem eorum & improbitatem. Quare & hîc, ut ſuprà monuit, delectu eſt opus.* Locupletatio tenuiorum.

Vulgò ſolitum fieri.) *id eſt: Pleroſq; patricios & ſenatores redemiſſe è ſeruitute captos, locupletaſſe tenuiores. Licet fidẽ habere Ciceroni, aut Craſſo potius. Videntur tamẽ hæc adhortandi gratia potius, quàm ad hiſtoriæ fidem ſcribi. Exaggerantur enim uirtutes & facta maiorum imitationis ergò, ut plurimis exemplis Demoſthenis & Iſocratis declaratur: quæ ita uerbis ornantur, ut tanta perfectio in hominem cadere non uideatur.* Verba re magnificentiora.

CICERO.

†Hanc ergo cõſuetudinem benignitatis largitioni munerum antepono: hæc eſt grauium hominum, atque magnorum: illa quaſi aſſentatorum populi, multitudinis leuitatem uoluptate quaſi titillantium.

V. L. Hanc ego.

Hanc ergo conſuetudinem.) *Perſeuerat in collatione inutilis profuſionis & fructuoſæ benignitatis, ut ad hanc extimulet, ab illa reuocet ſuos ciues. Profuſio (inquit) eſt leuitatis & aſſentationis: qua quid magno uiro poſſit eſſe turpius?* Profuſio eſt leuitatis.

CICERO.

Conuenit autem tum in dando munificum eſſe, tum in exigendo non acerbum: in omni'que re contrahenda, uendendo, emendo, conducendo, locando, in uicinitatibus & confiniјs æquum & facilem, multa multis de iure ſuo concedentem: à litibus uerò quantum liceat, & neſcio an paulo plus etiam quàm liceat, abhorrentem. Eſt enim non modò liberale, paulum nonnunquam de ſuo iure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum.

Conue-

Dare. Accipere.

Conuenit autem tum in dando.) *Duæ quaſi partes ſunt liberalitatis, ἥ δόσις τε καὶ ἡ λῆψις χρημάτων. De priore parte hactenus locutus, nūc trāſit ad alteram, quæ ab Athenienſibus oratoribus ualde cōmendatur, apud quos τὸ ἀδωροδόκητον καὶ ἀδέκαστον, non in poſtremis laudibus numeratur. Atq; etiam Plutarchus queritur, Demoſtheni defuiſſe abſtinentiā, quod ille dicit, τὸ καθαρῶς ἕκαστα πράττειν.*

In dando munificum eſſe.) *alacriter dare cum decet, & quantū, & quibus dare decet.*

Acerbitas exigendi.

In exigendo non acerbum.) *ſcilicet eo quod tibi debetur, ſiue ſit officium referendæ gratiæ, ſiue credita pecunia. Acerbitas autem ea intelligenda eſt, cum is qui debet, non eſt ſoluendo, ſiue inopia, ſiue alia calamitate impeditus. De exigendo autem ære alieno, poſtea cōmemorabit fœneratoris Alphij ſententiam, qui etiam optima nomina non appellando mala fieri dixit: quod ſcilicet propter lenitatem & incuriam creditorum, ipſi quoq; fiant negligentiores, & ita æs alienum cumulent, donec tandem bonis cedere cogantur. Eadem ratio eſt etiam diſcipulorum, à quibus niſi penſum quotidianum exigatur, ſecuri fiunt, & multa cumulant, quæ poſtea ſtudio reſarcire non poſſunt.*

In uicinitatibus.) *Ad ædificia, præſertim urbana, hoc pertinere uidetur. Sicut confinia, ad uillas & agros.*

De iure ſuo concedentem.) *Vt ſcilicet malis regredi quàm progredi, ut libro primo & tertio de Neapolitanis & Nolanis dicitur: ut malis ἀδικεῖσθαι καὶ πλεονεκτεῖσθαι, quàm ἀδικεῖν καὶ πλεονεκτεῖν. ut ualeat Heſiodiū illud, πλέον ἥμισυ παντός. Nam ſi bene beateq; uiuere, tranquillitatē animi requirit: tranquillus autem animus in rixis & diſsidijs perpetuis eſſe nequit: quis homo cordatus & moderatus, non de ſuo iure paululum concedere, quàm lites perſequi malit?*

Tranſigere præſtat, quàm ſine fructu litigare.

A' litibus uerò.) *Idq; non tantum quia honeſtum eſt, & liberale, & ad conſeruandas amicitias ualet: ſed etiam, quia plus plerunq; forenſibus hominibus, ut cauſidicis, ſcribis, & id genus alijs pendendum eſt, quàm quanti lis ipſa eſt. Commemoratur lepida admodū hiſtoria de duobus amicis, qui ob diuiſionem hæreditatis in iudicium uenerint. Quorum alter & moleſtiarum & ſumptuum pertæſus, alterum adierit, eiq; hanc conditionem tulerit, ut controuerſam pecuniam ex æquo partirentur, & priſtinam amicitiam colerent. Id enim multo ſatius eſſe, cōdonare aliquid amico, quàm rabulis forenſibus eſſe prædæ, qui ſuæ auariciæ cauſa lites prorogare & facere immortales ſtuderent.*

Quantum liceat.) *Tantum utiq; licet, quantum ſine inſigni rei familiaris aut famæ detrimento concedi poteſt.*

Aequitas ſummo iure utilior.

An paulo plus etiam quàm liceat.) *Licet cuiq; omnes ſuas opes, ſi uelit, effundere. Neq; enim hic de iure Feudorum, ut uocant, agimus, de quo nihil concedi, patroni non minus, ac plus etiam intereſt, quàm clientis.*

Eſt

Eſt igitur ſententia hæc accipienda μετὰ προσδιορισμοῦ. quaſi diceret: Præſtat facere damnum, quàm perdere amicum, litigare, perpetuis curis angi, deglubi à ſycophantis. Sic enim rectè appellantur ij, qui titulo Iuriſcõſultorum & aduocatorum nihil aliud ſunt, niſi litiũ ſeminaria, & perturbatores quietis & concordiæ, quiq; ex alienis incommodis ſua captant commoda, non ferè ſecus ac mercenarij milites. Quoties autem de certo hominum & diſciplinæ genere loquor: nemo, ut opinor, ea eſt maleuolentia, ut me tantæ inſaniæ condemnet: quaſi artes honeſtiſſimas, quibus uiri optimi & ſapientiſſimi ad ſalutem & dignitatem reipublicæ, abſque cuiuſquam iniuria utuntur, uituperem. Quæ enim iſta mens, uel quæ potius dementia eſſet? Cæterùm cum bonarum rerum abuſus ſit peſſimus & frequens: fides mea poſtulat, ut meos auditores, quorum alij Theologi, alij Iuriſconſulti, alij Medici fortaſſe futuri ſunt, alij aliam reipublicæ partem tractabunt, maturè præmoneam, ne exempla potius quàm officium ſequantur.

Qui uitia hominũ reprehendit, artiũ dignitati & bonorum uirorum autoritati nihil detrahit.

Eſt enim non modò.) *Aetiologiæ ab honeſto, attexit alteram ab utili. Addit autem, Interdum, non ſine cauſa. Perſonarum enim quibus cum res eſt, ratio haberi debet. Impudentibus & auaris quo plus conceſſeris, eo plus ereptum ibunt: &, ut Mimographus ait, Veterem ferendo iniuriam, inuitabis nouam. Quod uerò homini uerecundo & æquo conceſſum fuerit, plerunque cum fœnore recipitur, aut alijs officijs longè potioribus cõpenſatur.*

CICERO.

Habenda autem eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt: ſed ita, ut illiberalitatis auariciæ'que abſit ſuſpicio. Poſſe enim liberalitate uti, non ſpoliantem ſe patrimonio, nimirum eſt pecuniæ fructus maximus.

Habenda eſt autem ratio.) *Vt ab auaricia, ſic etiam à negligentia dehortatur, & modum ſeruandum eſſe monet, ne dum, ut ait Comicus, nimium nos bonos dici uolumus, noſtrapte culpa faciamus ut malos eſſe expediat, & noſtra amittamus, nimia (ſi ſic dicere liceat) liberalitate ad egeſtatem redacti. Quod idem adoleſcentes parum cauti ferè, diligenter cauebunt, ne ocio, ignauia, conuiuijs frequentioribus, ueſtitu ſplendidiore, amore turpi, coniugijs intempeſtiuis, alea, luxu, nummos dilapident, iactura pecuniæ cum dedecore coniuncta. Iſocrates præclarè coniungit τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ ἀκριβές: &, τὸ εὐδαιμονεῖν καὶ τὸ διαρκεῖν.*

Quam quidem dilabi ſinere.) *Paulatim imminui, donec nihil ſuperſit præter æs alienum & miſeriam. Fit in re familiari idem ferè quod in ſtudijs. Qui enim diſcendo exercendoq; ſe non indies longius progrediuntur, uix tuentur ea quæ didicerunt, ſed dediſcunt potius. Sic cui indies aliquid de ſuo decedit, ac non potius honeſtis laboribus & artibus aliquid accedit: is paulatim ad egeſtatem redigitur.*

Flagitioſum eſt.) *Boni patrisfamilias magna laus eſt, contraq́; mali magnum probrum: nec probrum tantum, ſed etiam damnum, priuatim & publicè. Qui enim habent unde honeſtè uiuant: plerunque pacis, ocij, concordiæ, honeſtæ diſciplinæ ſunt amantiores. Homines uerò egeni & inopes non pauci ad malas artes conuertuntur, & ſeditionibus perturbant & familias & reſpublicas.*

Meliores plerúq; ciues qui rem habent.

Non ſpoliantem ſe patrimonio.) *Primùm obſeruetur Græciſmus: pro Non ſpoliando: uel, Sic ut quis ſe non ſpoliet: uel, Vt te nõ ſpolies. Non multo pòſt ſimiles accuſatiui ſequuntur: Licet opera prodeſſe multis, beneficia petentem, commendantem iudicibus, magiſtratibus, uigilantem pro re alterius, eos ipſos qui aut conſulunt aut defendunt rogantem. Huiuſmodi enim participiorum accuſatiuis Græci loco gerundiorum, ut uocant Grammatici, in DO utuntur. Latino enim more dicendum fuiſſet, petendo, uigilando, commendando, rogando. Deinde ad rem ipſam quod attinet, ita licet uti liberalitate, non ſpoliantem ſe patrimonio, ſi quis ea ſit frugalitate & parſimonia, ut de annuis reditibus aliquid ſuperſit, quod in alios conferre queat. Hanc rem præclarè docet Eccleſiaſticus, his uerbis: Fontes tui penes te ſint, & tu eorum dominus eſto: riuuli uerò tui promanent foràs.*

Participia p gerundijs.

Parſimonia facultatem præbet liberalitati.

Non ſpoliantem.) *Pauperibus cum nullum patrimonium ſit, opera danda eſt, ut induſtria ac labore ſibi patrimonium parent, ut D. Paulus præcipit. Fiet autem id, inuocato diuino numine in primis, & aſſiduo honeſtoq́; labore, ut monet Doricum prouerbium, τῶ χεῖρε ποτιφέροντα δεῖ ἐπικαλεῖσθαι τὼς θεώς. Addendum eſt & Megarenſium illud, τὸ φείδεσθαι καὶ κερδαίνειν. Adoleſcentia eo plerunque laborat uitio, ut quicquid acceperit, temerè profundat: haudquaquam reputans, quanto parentum labore, aut aliorum etiam, id partum fuerit, aut quantis ærumnis aliquando ipſi factam iacturam reſarcire cogantur. Caueant igitur ſtudioſi, quum in Academias uentum fuerit, ne uel ſympoſiis crebrò interſint, uel luxurioſius ueſtiant, uel libris minus neceſſarijs bibliothecam ſuam onerent potius quàm ornent, ut poſtea pluris uectura conſtet. Emantur libri maximè neceſſarij: ijq́ue non eodem anno omnes, ſed aliàs alij. Maximè autem neceſſarios libros intelligo, cùm eos qui à præceptoribus proponuntur, qui relictis alijs omnibus, cognoſcendi & ediſcendi ſunt: tum illos etiam, quibus ad priuata ſtudia eſt opus: cuiuſmodi ſunt, Dictionaria Græca & Latina, Biblia, quæ omnibus ſtudioſis nota certè eſſe debent: methodi omnium bonarum artium, de quibus alibi dictum eſt. Licet etiam interdum libellum emere, quamuis minus neceſſarium, ingenio tamen tuo allubeſcentem. Sed hoc ita pauperes demum ſibi conceſſum eſſe exiſtiment, ſi quid genio alia in re defraudato comparſerint. Hoc præceptum qui neglexerit, ipſe ſibi eam mulctam irrogabit, ut aut turpiter egeat, aut mendicando (quo, caueri ſi poſſit, nihil turpius, nihil ingenio liberali indignius) & ſibi & alijs ſit moleſtus.*

Precatio. Labor. Induſtria. Parſimonia.

Adoleſcentia incautior.

Bibliotheca ſtudioſi adoleſcentis.

Nimirum eſt pecuniæ fructus maximus.) *Græcè χρήματα dicuntur*

tur, πρὸς τὸ χρῆσθαι: ut ſcilicet ad noſtros, & eorum quos iuuare debeamus, uſus conferatur.

Fructus maximus.) *Aliter ſentiebat Plautinus Euclio, qui aulam auri paſſim defodiebat. Mercatores eum pecuniæ fructum maximum iudicant, ſi quàm maximas uſuras exigere poſſint. Nullæ enim merces & citius & facilius locupletant, dum fides ſeruatur: qua ſemel amiſſa, & ſors & uſuræ pereunt. Proceres uerò prædia coemunt, & in eo elaborant ut ad altiorem dignitatis gradū aſcendant. Quibus ſtudijs & liberalitatis uſus multum imminuitur, & ſeruitus in immenſum augetur: & latrocinijs, ſeditionibus, bellis non neceſſarijs occaſio præbetur. Quis enim tandem alet tot milites, equites, Barones, Comites, Principes? & quidem tanto cum faſtu & luxu: niſi multæ ueteres familiæ funditus deleantur. Sed hæc nihil ad noſtrum auditorium, etſi ab hoc Ciceronis loco non aliena.* Multitudo nobilium populo grauis.

CICERO.

Rectè etiā à Theophraſto laudata eſt hoſpitalitas. Eſt enim (ut mihi uidetur) ualde decorum, patêre domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus: idq́ etiam Reipublicæ eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra nō egêre. Eſt etiam uehementer utile ijs, qui honeſtè poſſe multa uolūt, per hoſpites apud externos populos ualere opib. & gratia. Theophraſtus quidem ſcribit, † Cimonem Athenis etiam in ſuos Curiales Laciadas hoſpitalem fuiſſe. Ita enim inſtituiſſe, & uillicis imperaſſe, ut omnia præberentur, quicunq; Laciades in uillam ſuam diuertiſſet.

V. L. Cimonem Athenienſem in.

Rectè etiam à Theophraſto.) *Conſulantur hoc loco ea, quæ ſuprà de domo uiri honorati ſcripta ſunt. Φιλοξενίας apud ueteres tantum ualuit, ut & Iouem Opt. Maximum hoſpitum præſidem facerent, & uiolatio hoſpitij inter maxima crimina numeraretur. Commendat aūt Cicero hoſpitalitatē primùm ab honeſtate & decoro, deinde ab utilitate. Hoſpitalitas (inquit) publicè honeſta, priuatimq; utilis eſt. οἱ ἄξενοι ſemper malè audierūt. In ſacris literis aūt aliquādo angeli hoſpitio excepti memorantur. Sed ſæpe uoluntatē excipiēdi hoſpites minuūt ipſorū uitia, ſordes, intemperiæ, capacitas, ingratitudo.* Hoſpitalitas.

Qui honeſtè poſſe multa uolunt.) *Honeſtè, inquit: id eſt, ſine uiolentia & tyrannide, ſine malis artibus: cuiuſmodi ſit, ſi quis manu nebulonum mercenariorum opes ſuas firmet. Cicero hoſpitium ſæpenumero grauiſſimæ commendationis loco commemorat. Deinde quibus adminiſtrandæ erant prouinciæ, quibus gerenda bella, quibus mercatura exercenda, quibus*

prædia in exteris regionibus paranda erant: his maximo adiumento, interdũ etiam ſaluti, erant hoſpites. Admonet me locus hic admonitionũ per ſe utiliſſimæ, niſi uitio quodam corrumperetur ipſa res, non minus honeſta quàm utilis. Sed ego de uſu dicam, abuſum pro ſua quiſq; prudẽtia caueat. Conueniũt in Academijs omnium ordinum & nationum homines: quorum optimis & probatiſſimis quibuſq; innoteſcere, & charum eſſe, quanti referat, experti norunt. Sed ſi id non niſi crapulæ & libidinis ſocietate ac turpibus obſequijs cõtingere poſſit, οἴκοι βέλτερον εἶν, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι.

Athenienſiũ municipia.

In ſuos curiales Laciadas.) *Theſeus, autore Plutarcho, homines ex alijs Atticæ pagis atq; oppidulis, commigrare Athenas non tam autoritate impulit, quàm ui compulit. Eos autem pagos atq; oppida δήμους appellabant, id eſt populos. Hinc δημότης popularis, ſeu, ut Cicero hic uertit, curialis. Quanquam φράτορας magis propriè ſic dici putant. Athenienſes igitur ciues, ut fundos ſuos in pagis atq; oppidis retinebant, ita etiam cognomina ſibi inde aſciſcebant. Hinc alius τοῦ δήμου παιανιεύς, alius ἀχαρνεύς, alius aliter appellabatur, à ſuo municipio, cùm diſcriminis, tum ueteris patriæ cauſa, ut hodie nobilitas pleraq; à caſtellis et pagis ſuis cognominatur. Cimon igitur à municipio ſuo, quod λάκιον fuit, λακιάδης dictus eſt, & populares ſeu curiales eius λακιάδαι.*

CICERO.

Quæ autem opera, non largitione beneficia dantur: hæc tum in uniuerſam Rempublicam, tum in ſingulos ciues conferuntur. Nam in iure cauere, conſilio iuuare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quàm plurimis: uehementer & ad opes augendas pertinet, & gratiam.

Beneficia quæ opera dantur.

Quæ autem opera, non largitione.) *Tranſit à largitione pecuniaria ad eam quæ ex opera conſtat atq; induſtria: quam à perſonis, in quas ea benignitas confertur, diuidit.*

Iuriſprudentia. Eloquentia. Commendatio. Militia.

Nam in iure cauere.) *Vt perſonas quibus benignè fit, aut publicas, id eſt, ipſam ciuitatem, aut priuatas facit: ita ipſam benefaciendi rationem triplicem conſtituit, Iuriſprudentiam, Eloquentiam, Commendationem apud eloquentes & iuriſperitos ac magiſtratus. De re militari ſuprà locutus eſt, ſed breuiter, propter Reipublicæ tempora, quibus barbari milites autoritate & gratia plus ualebant, quàm amantes patriæ ciues.*

Cauendæ in primis iniuſtæ lites.

In iure cauere.) *Prima cautio eſſe debebat, ſi rectè uiueretur, ne quis iniuſtam litem moueret: hoc eſt, ne aut iniquum peteret ab alio, aut æquum à ſe petenti negaret. In hoc maxima debebat eſſe Iuriſconſulti, quem Iuſticiæ ſacerdotem appellant, & uigilantia & autoritas. Deinde quia multæ controuerſiæ incidunt, quæ ex alterius partis narratione, quantumuis accurata, cognoſci & dijudicari non poſſunt: monendus & rogandus erat*

erat conſultor à Iuriſconſulto, ut, ſi ulla ratione fieri poſſet, cum aduerſario tranſigeret. Quod ſi & ipſum non obtineri poſſet: tum demum ad hæc ueniendum erat quæ hic recenſentur.

In iure cauere.) *ne actionem perperam inſtituat, & cauſa cadat: ne calliditate aduerſarij circumueniatur.*

Conſilio iuuare.) *Generale hoc eſt: & ad illud etiam quod dixi referri poteſt, de litibus omittendis, & tranſactione cum aduerſario. Accommodari etiam poteſt ad conſilia emptionum, uenditionum, ædificationum, coniugiorum, omnium deniq; contractuum & actionum, quæ in uita ciuili uerſantur. Iuriſprudentia enim uerè prudentes facit in ijs rebus adminiſtrandis, quæ uitæ neceſſitati ſeruiunt. Hinc illud prouerbium manauit, Iuriſconſulti domum eſſe oraculum totius ciuitatis.*

Iuriſprudentiæ maximus in uita ciuili uſus.

Et ad opes augendas, & ad gratiam.) *Memor eſt inſtituti ſui. Agit enim hic, ut ſæpiſſimè iam dictum eſt, non tam de officio uirtutis, quàm de effectu & fructu eius.*

CICERO.

Itaq; cum multa præclara maiorum, tum quàm optimè conſtituti iuris ciuilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio atq; interpretatio. Quam quidem ante hanc cõfuſionem temporum in poſſeſsione ſua Principes retinuerunt. Nunc, ut honores, ut omnis dignitatis gradus: ſic huius ſcientię ſplendor deletus eſt. Idq; eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cum is eſſet, qui omnes ſuperiores, quibus honore par eſſet, ſcientia facilè uiciſſet. Hæc igitur opera grata multis, & ad beneficijs aſtringendos homines accommodata.

Summo ſemper in honore.) *αἰτιολογία ab autoritate maiorum, ſiue experientia. Is autem honos iure optimo ijs Iuriſconſultis defertur, qui, ut præcipit Iſocrates, τὰς μὲν ἀμφισβητήσεις ὡς ἐλαχίστας, τὰς δὲ διαλύσεις ὡς ταχίστας ποιῶσι: id eſt, qui dant operam, ut & controuerſiæ quàm pauciſſimæ exiſtant: &, ſi quæ extiterint, quàm primùm tranſigantur.*

In poſſeſsione ſua principes retinuerunt.) *Id eſt, Iuriſprudentiæ ita ſtudioſi fuerunt uiri nobiles, ut id ſtudium eorum eſſe proprium uideretur, non autem uulgo etiam & plebeijs hominibus cõmune. Ac debebat ſanè hominibus mercenarijs, quales (niſi natura ſit optima, et diſciplina ſanctiſſima) pleroſq; paupertas facit, ad hanc ſcientiam, ac potius exercitationem, quam πρᾶξιν uocant, nõ patêre aditus. Multo enim haud dubiè tranquillius & ſapientius uiueretur. Nũc ij qui pecuniæ cauſa τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν ſtudent, ut ſit unde ipſi uiuant, perturbant omnia. Niſi enim eſurire malint, & contempti atq; abiecti eſſe: potentum prauis cupiditatibus ſubſeruire coguntur, adeò*

Famelici rabulę ſeminaria litium.

tur, adeò ut qui hoc facere noluerit, quouis literatore nihilo ſit gratioſior aut honoratior, in hac corruptela morũ & litigandi libidine. Quare etiã atq; etiã conſiderandũ eſt ei qui Deũ timet, quiq; honeſtatem amat, quo fine Iuriſprudentiæ ſtudium ſuſcipiat. Nam ſi id propoſitum ſibi habet, ut iuris nõ tantùm cognitionem conſequatur, ſed & obſeruationem omnis iuris & æquitatis in primis ſpectandam eſſe putet: non debet ſibi magnas opes, honores, gratiam, clientelas polliceri. Hæc enim ad eos ferè deferuntur, qui à nullis calumnijs abhorrent: ſed ibi ius eſſe putant, ubi ſit maxima merces. Neq; tamen eſt quod deſperent honeſta ingenia, quæ frugali uictu contentum eſſe in bona conſcientia præſtare putant, quàm omnibus copijs circumfluere, offenſo Deo, & animo ſcelerum ſuorum conſcio ſubinde exagitante. Licet in Academijs ius interpretari: licet conſilia ſcribere, quæ ab excellenter eruditis petũtur: licet honeſtas cauſas defendere, manifeſtè iniquas repudiantem: licet inſeruire benè moratæ reipublicæ, aut amanti honeſtatis principi. Deniq; qui in ſuo doctrinæ genere excellit, qualecũq; id ſit: is & dijs & hominibus ſuffragantibus, ut aiunt, facilè & animi tranquillitatem tuebitur, & à contemptu atq; inopia ſine ullis artibus ſeſe uindicabit. Intendendi ſunt igitur nerui & animi & ingenij, exercendæ etiam omnes uires corporis, nullis laboribus, nullis uigilijs parcendũ eſt, ut uerè is ſis quẽ te perhiberi uelis. Multi enim Iuriſconſulti, multi Theologi, multi Medici multi Philoſophi, in omni deniq; artium & uitæ genere multi ſunt artifices & profeſſores non re, ſed nomine. Qui cùm re ipſa deſtituantur, id eſt, artis ſuæ cognitione, ad multa callida aucupia, ad oſtentationem inanem, ad fraudes, ad mendacia confugere uelut in aſylum coguntur. Qui autem ij ſunt, qui dicuntur, diu latère non poſſunt: ſed cognita eorum induſtria, fieri non poteſt quin aliquo numero ſint, nec quicquam deſiderent quod ad piè & frugaliter, hoc eſt benè beateq; uiuendum requiratur.

Iuriſprudentiæ ſtudioſo quæ conſideranda.

[illegible] (marginal note beside "parcendũ eſt")

Splendor deletus eſt.) *Bifariam hoc poteſt intelligi, uel quòd interpretatio iuris ad plebeios homines deuoluta ſit: uel (quod probabilius uidetur) quòd ſileant leges inter arma, & ut Iſocrates ait, ἰσχυρότατος νόμος ſit ὁ τρόπος τοῦ τυράννου.*

Idq; eo indignius.) *Exaggeratio à qualitate perſonæ. Cæſari, qui hic perſtringitur, maximus ingenij atq; animi uigor à Plinio tribuitur. Neq; uerò ab ullo magis celebratur propter eaſdem dotes, quàm ab ipſo Cicerone, quem in eius odium & inſectationem una, ut exiſtimo, reipublicæ libertas oppreſſa concitauit.*

Potentiã Cæſar prætulit æquitati.

Cum is eſſet qui.) *ſcilicet, Dictator ſeu tyrannus, cum potiretur rerum C. Iulius Cæſar, ſummus non tantum imperator, ſed orator etiã, & omni doctrinæ genere perpolitus.*

Quibus honore par eſſet.) *Sed maluit Cæſar in cõtempto oppidulo eſſe primus, quàm Romæ ſecundus. Hunc affectum Græci propria uoce τὸ φιλόπρωτον appellant.*

Scientia facilè uiciſſet.) *ſcilicet, Si tam ſtudioſus fuiſſet iuris, quàm imperij*

perij & tyrannidis. Sed fruſtra hæc queruntur & optant uiri docti. Silent leges inter arma, & naturale eſt tyrannidis & philoſophiæ diſsidium: id quod Platonis & Dionyſij congreſſus declarauit. Nam cum Plato multa de æquitate diſſeruiſſet, Dionyſius pertæſus eius orationis, οἱ λόγοι σοῦ, inquit, ὦ πλάτων γεροντιῶσι. Cui reſpondit Philoſophus: οἱ δὲ λόγοι σοῦ, ὦ διονύσιε, τυραννιῶσι. Ita uterq; contempſit & auerſatus eſt alterum. Dionyſius enim philoſophiam Platonicam anilia delyramenta, Plato Dionyſij dominatum tyrannidem appellauit. Tyrannidis & Philoſophiæ diſsidium.

CICERO.

Atq; huic arti finitima eſt dicendi grauior facultas, & gratior & ornatior. Quid enim eloquentia laudabilius & præſtabilius uel admiratione audientium, uel ſpe indigentium, uel eorum qui defenſi ſunt gratia? Huic quoq; ergo à maioribus noſtris eſt in tota dignitate principatus datus.

Atq; huic arti finitima.) *Noſtra ætate non finitima, ſed planè coniuncta cum Iuriſprudentia ut eloquentia ſit, neceſſe eſt. Nam qui non idem & Orator & Iurisconſultus fuerit, parum proficiet. Neq; enim cauſas tantùm agunt Iuriſconſulti, ſed maximis etiam legationibus funguntur. Olim autem Iuriſconſulti oratoribus leges & firmamenta cauſæ ſuppeditabant, ac ueluti materiam comparabant: hi quaſi domum inde extruebant.* Idem & Iuriſconſultus & orator.

Et gratior & ornatior.) *Gratior, quia cauſæ uictoria pendet ſæpè ab Eloquentia: Ornatior, quia leges & reſponſa Iuriſconſultorum breuia & horridiuſcula ſunt, ac minus habent delectationis.*

Quid enim Eloquentia.) *Breuis digreſsiuncula in laudationem facultatis ab ipſo adamatæ. Qualis etiam lib. de Oratore extat his uerbis: Quid eſt autem tam admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum exiſtere unum, qui id quod omnibus natura ſit datum, uel ſolus, uel cum paucis facere poſsit? aut tam iucundum cognitu atq; auditu, quàm ſapientibus ſententijs grauibusq; uerbis ornata oratio & perpolita? aut tam potens, tamq; magnificum, quàm populi motus, iudicum religiones, ſenatus grauitatem, unius oratione conuerti? Quid tam porrò regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? & lib. 3. In quo igitur homines exhorreſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem Deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui diſtinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illum inatè & rebus & uerbis dicit.*

Eloquentia laudabilius.) *Reſpondere ex tempore poſſet, magis eſſe laudabiles uirtutes & eruditionem. Nam Eloquentia τῶν μέσων ἐστι, eaq; non minus malè quàm benè uti licet. Sed Cicero de eo loquitur Oratore, qui ſit & uir bonus, & dicendi peritus, & omnium optimarum artium cognitione inſtructus. Huius igitur Eloquentia cum & uirtutes & eruditionem complectatur, maximè laudabilis eſt, eademq; præſtabilis, quia multas affert utilitates, & in illuſtri dignitatis gradu collocat.*

Vel ad-

Vel admiratione audientium.) *Laudes hæ ſumuntur ab effectibus. Quæ homines admirari ſoleant, ſuprà dictum eſt. Eloquentia igitur præclariſsima res habetur: eoq; præclarior quo rarior: & quaſi diuinum quoddam bonum, ijs uiribus præditum, ut in quamuis partem animos rapiat auditorũ. Atq; hæc quidem dicuntur populariter, & ex conſuetudine. Nemo autẽ Philoſophus, imò nemo uir bonus eum probabit, cuius oratione & iudicium religionis & ſenatus grauitas conuertatur: id eſt, qui efficiat ut & iudices neglecta religione iuriſiurandi uel ſontem abſoluant, uel innocentem cõdemnẽt, & ut ſenatus ſuæ dignitatis ac publicæ utilitatis obliuiſcatur. Populi quidẽ aut ad ſeditionem concitati, aut in prauas opiniones corruptosq; mores prolapſi, motus conuertere ad obedientiam, ad ueras ſententias, ad uitam probatam, egregium facinus fuerit, omniq; laude digniſsimum. In quo utinam ita elaborent oratores ſacri, ut erit illis ſui muneris reddenda ratio.*

Vel ſpe indigentium.) *Putant enim homines, ſe diſerti patroni ope & ſalutem & fortunas ſuas conſeruaturos, & pœnas ſumpturos de inimicis. Ita regnum quoddam obtinet Eloquentia: id quod Ciceroni tributum fuit, cum in iudicijs & foro regnare diceretur. Non mirum igitur fuit, moleſtè eum grauiterq; tuliſſe, eo ſe regno tyrannide Cæſaris eſſe deiectum.*

Vel eorum qui defenſi ſunt gratia.) *Siquidẽ boni uiri fuerint, & grati. Nam ipſe quidem Cicero cædis ſuæ miniſtrum habuit Popilium tribunum militum, quem parricidij reum defenderat.*

CICERO.

Diſerti igitur hominis, & facilè laborantis, quodq; in patrijs eſt moribus, multorum cauſas & non grauatè & gratuitò defendentis, beneficia & patrocinia latè patent.

Oratoris nõ una uirtus.

Diſerti igitur hominis.) *Oratoris officiũ accuratius deſcribit, quẽ non tantùm diſertum, ſed & facilem & induſtrium & liberalem eſſe oporteat.*

Facilè laborantis.) *qui labores & moleſtias non reformidet, ſed ocio & quieti anteponat.*

Et non grauatè.) *Ne multis & ambitioſis precibus & pollicitationibus ſit opus, quod Iſocrates τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαρίζεσθαι dicit.*

Et gratuitò.) *Mercenaria enim opera in Romana republica ſeruilis & ſordida habebatur. Cicero ea re ſingularem & laudem & gratiam eſt conſecutus, quòd contempſit pecuniam, & Reipublicæ priuatisq; hominibus gratuitò inſeruijt. Sic tamen, ut donis clientium & teſtamentis amicorum magnas opes conſequeretur.*

Latè patent.) *Quia plurimi ſunt, quibus patrocinio & defenſione ſit opus.*

CICERO.

Admonebat me res, ut hoc quoq; loco intermiſsionẽ eloquen-

eloquentiæ, ne dicam interitum deplorarem: niſi uererer, ne de me ipſo aliquid uiderer queri.

Admonebat me res.) *Alia digreßiuncula ſuperiori non diſsimilis. Præcipit hic Cicero τὰ δέοντα, & cum ijs confert τὰ γινόμενα. Cum autem peßimè conſtituta eſſet eo tempore Reſpublica, pro ſuo in patriã amore facere non potuit, quin haſce præceptiones crebris querelis quaſi conſpergeret. Non tam fortaßis, ut animi ſui dolori indulgeret (etſi id quoq; fert humanitas) quàm quòd aliquando fore putabat, ut aliqui præſtantes uiri his querelis admoniti, de erigenda & in integrum reſtituenda Republica cogitarent. Quod & Iſocrates ſpectandum eſſe in Panegyrico monet, in hanc ferè ſententiam: Decuerat, inquit, Græciæ Principes, ſi exiſtimationem ſuam tueri uoluiſſent, relictis rebus omnibus bellum aduerſus Barbaros decernere. Aut enim profeciſſent aliquid: aut ſi diem ſuum prius obijſſent, orationes ſuas tanquam oracula poſteris reliquiſſent.*

Querelas Ciceronis ad poſteros admonendos pertinere.

Intermiſsionẽ, ne dicam interitum.) *Iuriſprudentia & eloquentia, ut dictũ eſt, in liberis ciuitatibus florẽt: in tyrãnide uerò aut iacent, aut planè profligantur. Vſus eſt autem occupatiuncula, ne non tam Rempublicã, quàm ſuum illud forenſe regnũ deplorare uideretur: hoc eſt, affectum potius quàm iudicium ſequi, & ſuam uicem dolere magis quàm Reipublicæ: id quod φιλαῦτος μᾶλλον ἢ φιλόπατριδος fuerit, nec quicquam laudis mereatur. Atq; hoc de autore noſtro & Attico nõ obſcurè ſcribit Brutus, in prolixa illa, & omnino cædem tyranni adhuc ſpirante epiſtola.*

CICERO.

Sed tamẽ uidemus, quibus extinctis oratoribus, quàm in paucis ſpes, quàm in paucioribus facultas, quàm in multis ſit audacia.

Quàm in paucis ſpes.) *Scilicet, eloquentiæ ſit. Innuit opinor, Rhetorũ Scholas frigere, aut ipſa etiam ingenia tantæ rei minus idonea ſupereſſe, ut hoc ad tirones & diſcipulos eloquentiæ referatur: ſicut id quod mox ſequitur, Quàm in paucioribus facultas, ad eos qui oratores habebantur. quaſi dicat, Et diſcipuli eloquentiæ & oratores perpauci ſunt.*

Quàm in multis ſit audacia.) *Eos intelligo, non qui quoduis facinus in quocunq; genere improbitatis temerè ſuſcipiant (quanquã de his quoq; poteſt accipi) ſed eos qui temerè ad dicendũ proſiliũt, non conſiderata eloquẽtiæ amplitudine & difficultate, nec à natura, nec ab arte, nec ab uſu & exercitatione ſatis parati atq; inſtructi. Quod genus hominũ noſtra ætate pleraq; eruditorũ loca in Scholis, in Eccleſia, in Republica occupauit. Itaq; ridentur & cõtemnuntur, & tantũ non pedibus conculcantur, qui contra eos uel hiſcere audent. Quare & nos deſinamus, ne fruſtrà nos fatigando, nihil niſi odiũ quærẽtes, extremæ ſtulticiæ crimẽ ſubeamus. Meminerint tamẽ adoleſcẽtes honeſtæ indolis, ὅτι οὐ δεῖ ἀσκεῖν τὸν ὠδιχώελον τρόπον, ἀλλὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, μᾶλλον*

Ignauum fuci pecus, à præſepibus arcent, Hyblæas petulanter apes.

δὲ τὸν θεὸν ἡγεμόνα ποιεῖσθαι τοῦ βίου, καὶ σύμμαχον. id eſt, Neminem debere tenere ſe praui ſui ſeculi more: ſed rectam rationem, ac potius ipſum Deum, uitæ ducem & ſocium eſſe decernendum.

CICERO.

Cum autem omnes non poſſint, ne multi quidem, aut iuriſperiti eſſe, aut diſerti: licet tamen opera prodeſſe multis beneficia petentem, commendantem iudicibus & magiſtratibus, uigilantem pro re alterius, hos ipſos qui aut conſulunt aut defendunt, rogantem. Quod qui faciunt, plurimum gratiæ conſequuntur, latiſsimeq́ eorum manat induſtria.

Nemini prætermittendæ beneficentiæ relictus locus, aut negata occaſio.

Cum autem omnes non poſsint.) *Ciceroni propoſitũ eſt, uniuerſum hominum genus ad beneficentiam excitare, & omnes præcidere excuſationes. Grauiſſima autem habetur excuſatio ἡ ἀδυναμία. Neq: enim à quoquam petendum eſt id, quod præſtare non poſsit. Quò minus autem uel Iuriſconſulti uel Oratores uel Imperatores euadant, alÿ ingenÿ & naturæ imbecillitate, alÿ fortunæ tenuitate impediuntur. Monſtrat igitur his etiam & benè merendi de multis, & colligendæ gratiæ popularis rationẽ. Nequis autem miretur, Ciceronem rem militarem, Iuriſprudentiã & eloquentiã potiſſimùm recenſere: cum aliæ infinitæ artes & rationes ſint, quibus uitæ mortalium inſeruire, multisq́; prodeſſe liceat: illud tenendum eſt, præceptiones huius operis pleraſq́; referri ad ordinem equeſtrem & patricium, quos ſordidæ, ut appellantur, artes, minus decerent.*

Sordidæ artes à Cicerone prætermiſſæ.

Beneficia petentem.) *Nemo, ut ſuprà etiam dictum, ita eſt inops & deſertus ab amicis, quin apud aliquos ſaltem gratia ualeat. Ea gratia utendum Cicero monet ad iuuandos alios. Nam petere ab ignoto aut minus amico, aliàs ſtulticiæ, aliàs impudentiæ tribuitur.*

Petitio ne ſit impudens.

Petentem.) *Petẽda ſunt honeſta, neceſſaria, & factu ÿs, à quibus petuntur, nõ difficilima. Alioqui impudẽti petitioni parata erit nõ iniuſta repulſa.*

Commendantem iudicibus.) *Cauſæ æquitas debet reos iudicibus cõmendare, non autẽ ſtudia amicorum. Quæ ſi Romæ plus ualuerunt, ut fortaſſe ualuerunt (nam eiuſmodi querelæ extant in Ciceronis orationibus) malè cõſtitutæ Reipublicæ id ſignum fuit. Sed morem rogandi iudicis, eo Libro qui ſequitur, uidebimus.*

Vigilantem pro re alterius.) *Ne ſcilicet aliquid detrimenti capiat, ne benè gerendæ rei occaſionem amittat.*

CICERO.

Iam illud non ſunt admonendi (eſt enim in promptu) cum lios iuuare uelint, ne quos offendant. Sæpe enim aut eos lædunt quos nõn debẽt, aut eos quos nõ expedit.

Si im-

Si imprudentes, negligentiæ eſt: ſi ſcientes, temeritatis.

Iam illud non ſunt admonendi.) *Beneficos iuſsit eſſe omnes. Ita autem uita humana comparata eſt, ut quemadmodum alterius felicitas, alterius eſt calamitas: ita etiam dum alterum adiuues, alterum offendas: quod in iudicijs potiſsimùm contingit, & in petendis magiſtratibus atq; honoribus. Huiuſmodi offenſas, quantum fieri poſsit, uitandas eſſe monet. Eatenus autem uitari poſſunt, dum officio defuiſſe non uidearis. Nam officium ſemper ſpectandum eſt, ſiue gratia ſiue offenſa id conſequatur. Id autem officium intelligatur, quod ſine ſcelere prætermitti non poſsit. Nam ad leuiora quadam conniuere, fortaſſe nihil prohibet. Eſt enim opera danda, ut nō tantùm officioſi, ſed etiam ſalui & incolumes eſſe poſsimus.* Offenſæ cauendæ. Aequitas & cautio.

Quos nō debent.) *Vt eos qui iuſticiæ ſtudēt, nec cuiquā nocēt. Hi enim omnium minimè lædendi, aut offendendi ſunt ulla ratione. Autor autē noſter amicos, aut alia quapiam neceſsitudine coniunctos hîc intelligere uidetur.* Non lædendi.

Aut quos non expedit.) *ut potentes, & ad ultionem paratos.*

Si imprudentes.) *Egregium dilemma. Non illud tantùm (inquit) ſpectandum eſt, quem iuues: ſed etiam quem iuuando illo ſis offenſurus. Sunt igitur omnia diligenter conſideranda, nec temerè cuiquam promittenda opera noſtra: ſæpè etiam, ſi graues & iuſtæ cauſæ ſint, neganda. Quod, qui æquiores ſunt: non moleſtè ferunt. Iniqui autem minus curandi ſunt. Neque enim fieri poteſt, ut quiſquam omnibus ſatisfaciat, ut omnes habeat amicos, ut offendat neminem. Nam id Deo quoq; (ſi dicere fas ſit) eſt negatum.* οὔτε γὰρ ὁ ζεὺς οὔθ' ὕων πάντας ἀνδάνει, οὔτ' ἀνέχων. Nemo poteſt omnibus ſatiſfacere.

Si ſcientes.) *Hos Græci* φιλαπεχθήμονας *appellant, qui delectantur odijs & inimicitijs hominum: quod Demoſthenes non modò non iucundum, ſed & ualdè periculoſum eſſe ait: quòd nemo ferè tam ſit humilis & contemptus, quin per occaſionem ulciſci poſsit inimicum. & adhuc in Italia & alibi inimicitiæ traduntur poſteris, ut familiæ inter ſe diſsideant, & mutuis inſidijs graſſentur, donec alterutra deleta fuerit.* Inimicitias non temerè ſuſcipiendas eſſe.

CICERO.

Vtendum etiam eſt excuſatione aduerſus eos, quos inuitus offendas, quacunq; poſsis: quare id quod feceris, neceſſe fuerit, nec aliter facere potueris: certiſq; operis & officijs erit, quod uiolatum eſt, compenſandum.

Vtendum etiam eſt excuſatione.) *Hanc excuſationem utiq; antecedere debet diligens officij ratio, & ea cura, ut, ſi fieri poſſit, excuſatione nō ſit opus. Sin omnino ea opus fore prouideas, propter iniquitatē hominū, ſuam cupiditatem æquitati anteponētium: in id danda erit opera, ut ea excuſatio ita grauis & uera ſit, ut qui eam non acceperit, ipſe iniquum eſſe ſeſe, niſi impudentiſsimus fuerit, fateatur.* Excuſationē antecedat officij conſideratio.

Quare id, quod feceris, neceſſe fuerit.) *Neceſsitas hæc cū honeſtate con-*

Neceſsitas aut cum honeſtate coniũcta, aut ab ea nõ abhorrens.

te coniuncta eſſe debet. Complectitur igitur ea & rationem officij, & cauendæ turpitudinis ſtudium: ut præclarè diſſerit in Philippicis Demoſthenes. Incidit tamen interdum alia quoq; neceſsitas, non quidem adeò deuincta cum honeſtate, ſed tamẽ nõ nimis ab ea recedẽs: ut ſi quis conſeruãdæ ſalutis cauſa, aut propter defenſionẽ uxoris & liberûm, aliũ offendat. Hic enim et in ſimilibus caſibus locũ habere uidetur metus, qui in uirũ conſtantẽ cadere dicitur.

Nec aliter facere potueris.) *Tacitè monet, plures eſſe rationes defugiẽdæ neceſsitatis illius. Eas igitur diligenter circumſpiciendas eſſe, atq; medicorum imitandam conſuetudinem (ut ſuprà dixit) qui ad urendum & ſecãdum non ueniant, niſi omnibus alijs remedijs deſtituti.*

Offenſę compenſatio.

Certisq; operis & officijs.) *Hæc ſpeciatim deſcribere ſuperuacaneum fuerit. Cõmunis enim ſenſus docet, ijs operis atq; officijs quẽq; facilimè recõciliari, quibus maximè uel egeat uel delectetur. Egẽt autẽ & delectãtur alijs rebus alij. Conſiderãdæ igitur ſunt cõditiones & hominũ mores, atq; etiã offenſæ ratio, ut ſi quem accuſando læſeris, eũ defendendo places, & ſi qua ſunt huius generis alia. In uniuerſum autem* τὸ προθύμως τε καὶ πιστῶς καὶ ἐπιμελῶς ὑπουργεῖν *magnam uim habet, cum tempus poſtulat.*

CICERO.

Sed cum in hominibus iuuandis aut mores ſpectari, aut fortuna ſoleat, dictu quidem eſt procliue: itaq; uulgo loquuntur, ſeſe in beneficijs collocandis mores hominum, non fortunam ſequi.

Honeſtas & utilitas impellũt ad benefaciendũ.

Sed cum in hominibus iuuandis.) *Attingitur hic cauſa impellẽs ad benefaciendum, eam duplicem facit: honeſtatem, cùm mores ſpectantur: priuatam utilitatem, cum fortuna & conditio eorũ, quibus benefit. Quanta autem honeſtatis uis ſit, eo declarat, quòd ij etiam qui priuati commodi rationẽ habeant, illam ſequi ſeſe, quamuis falſò, profiteantur. Hæc igitur quaſi confeſsio aduerſariorum, cauſam Ciceronis uehementer confirmat, honeſtatem utilitati anteponentis. Voluptatis & delectationis, cùm alibi, tũ hic ratio nõ habetur, quòd ea non tam à conſilio pendet, cuius hic capiendi ratio præſcribitur, quam ab affectibus & temeritate.*

CICERO.

Honeſta oratio eſt. Sed quis eſt tandem, qui inopis & optimi uiri cauſę non anteponat in opera danda, gratiam fortunati & potentis?

Honeſta oratio eſt.) *Inficiatio. q. d.* ἄλλο μὲν ἐστὶ τὸ λεγόμενον καὶ τὸ δίκαιον, ἄλλο δὲ τὸ γιγνόμενον. *& ut Græcũ prouerbiũ habet,* ὁ μὲν λόγος εὔμορφος, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος. *Quod cum ita ſit, cauenda eſt obiurgatio Solonis, qui Athenienſibus obijcit:*

εἰς γὰρ γλῶσσαν ὁρᾶτε, καὶ εἰς ἔπη αἰόλου ἀνδρός,
εἰς ἔργον δ' οὐδὲν γιγνόμενον βλέπετε.

Vos.

Vos cata lingua uiri, uos dulcia uerba morantur:
Inſidias nemo, quas ſtruit ille, uidet.

Gratiā fortunati.) *Nec gratia tantum hic ſpectatur, ſed offenſæ metus & ſæpius, & quidem uehementius mouet. Nam catulis iſtis leonum (ut uocat Ariſtophanes) capitale facinus uidetur, quicquam ipſis, quamuis iniquū petentibus, denegare. Magna igitur conſtantia animi eſt opus. Nam alioqui huic præcepto Ciceronis non obtemperabitur. Ac uidetur ille contentionem hanc inſtituiſſe, non tam ut id quod proponit obtineret, quàm ut homines in alteram partem propenſiores, ad mediocritatem reuocaret: & id ſaltem efficeret, ne boni atq; inopes uiri penitus negligerentur. Fortaſsis illud etiam ſpectauit, ſi ad nutum potentiorum ab omnibus omnia fiant, periculoſum eſſe, ne Ariſtocratia in Oligarchiā atq; adeò tyrannidem degeneret. Quæ quamuis Romam tum oppreſſerat: non ſuorum tamen temporum & ſuæ ciuitatis tantum rationem ſibi habendam eſſe Cicero duxit, ſed & poſteritati atq; alijs rebuſpublicis eſſe conſulendum.*

Diuites nihil ſibi negandū eſſe cenſent.

Vel poſteris conſulendū, ſi noſtræ ætati non licet.

CICERO.

A' quo enim expeditior & celerior remuneratio fore uidetur: in eum ferè eſt uoluntas noſtra propenſior.

A' quo enim expeditior.) *τὸ κακῶς γινόμενον expoſuit: nunc addit ætiologiam, nihilo ipſo facto honeſtiorem. Quales enim cauſæ factorum ſunt, talia etiam ipſa facta cenſentur. Vulgaris beneficentiæ omnino ea ratio eſt, quæ muliebrium munerum à Plauto eſſe perhibetur. Imitantur enim hamos & prædam, non officium ſpectant.*

Munera uulgaria imitantur hamos.

In eos ferè eſt uoluntas noſtra.) *In reprehendendo ciuilitatis eſt, & ad offenſam cauendam pertinet, ſe quoq; uitio quod reprehenditur, obnoxiū confiteri: quod fit plurali numero uſurpato. contraque in laudando augetur beneuolentia, ſi noſtra perſona diſsimuletur. Vlpianus dicit prius illud, παραμυθεῖσθαι τὸ πάθος τῷ κοινῷ τῆς φύσεως. Alterum autem illud, etiam cum uerè fit, neſcio quid arrogantiæ præ ſe ferre uidetur. Quanto magis, ſi falſo? Quàm enim ridiculus eſt recaluaſter ille acuto capite, claudus, gibboſus, ſtrabus, loquaculus, Therſites inquam, cum in expugnatarum urbium & prædæ captæ commemoratione, ſe quoq; inter ſtrenuos bellatores recenſet?*

Communicatio uituperationis, nō laudationis probatur.

CICERO.

Sed animaduertendum eſt diligentius, quæ natura rerum ſit. Nimirū enim inops ille, ſi bonus eſt uir, etiamſi referre gratiam non poteſt, habere certè poteſt.

Sed animaduertendum eſt diligentius.) *Nunc accedit ad τὸ δέον, tractatq; locum ſanè difficilem, καὶ τῶν ἀδοξότατον: Præferendum eſſe uirum bonum & inopem diuiti & inſolenti: aut, ſi diues quoq; uir bonus ſit, illi non poſtponendum. Et quia uidet homines honeſtate parum moueri: in eo laborat, ut perſuadeat, benefacere bono & inopi, non modò honeſtius, ſed utilius etiam eſſe.*

Quæ natura rerum ſit.) *καταχρηστικῶς dictum uidetur: pro, quid fieri ſoleat: aut, quid homines facere conſueuerint: quo pacto diuites & inopes bemeritis referre gratiam ſoleant. Niſi fortè hoc dicit: Naturam poſtulare, ut inopi potius quàm locupleti bene fiat. idq́; libro ſuperiore præceptum: in collocando beneficio, & in referenda gratia (ſi cætera paria ſint) hoc maximè officij eſſe, ut quiſque maximè opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari.*

Nimirum enim inops ille.) *Propoſitio huius loci eſt, quam diximus, Inopes potius quàm diuites iuuandos. Statim autem occurrit, contrà eſſe faciendum. Ratio τῆς ἀντιφορᾶς eſt, quòd diues referre gratiam poſſit, inops nō poſſit. Cicero primùm negat id quod obijcitur, inopem non poſſe referre gratiam. Vtitur autem arguta potius quàm uera ſententia: & quæ uſu bonorū autorum diſtinguuntur, locutiones commiſcet: idemq́ue facit habere gratiam, quod referre. aut certè hoc ſignificare uidetur: Relatā ſibi ab inope gratiam putandum eſſe, qui habuerit, ſicut qui retulit, gratiam habere creditur. Hic enim, ſi id quod maius eſt præſtitit, nec id quod minus eſt, neglexiſſe uidetur. Vnde in Comœdia ſeruulus: Abi ſis inſciens: cuius tu fidem perſpexeris in pecunia, uerere uerba ei credere? ubi quid mihi lucri eſt te fallere? Vtcunq; ſit, non reprehendendum uidetur hoc dictum. Nam cùm animo nihil habeat homo præſtantius: qui animum ſuum alicui uelut obſtringit, ſummum certè precium quod habet, perſoluit. Deinde falſo dicitur, non poſſe referre gratiam inopes. Etſi enim fundos & nummos dare non poſſunt, tamen prædicanda uirtute eius qui benefecit, laudes illius illuſtrare poſſunt. Sæpe etiam incidunt tempora, ut potētiſſimus rex ab homine uiliſſimo, aut in periculo capitis conſeruetur, aut maximis beneficijs afficiatur. id quod Aeſopi apologus de mure & leone, atq; etiam complures hiſtoriæ declarant.*

Etſi inopes referre, ſi uelint, poſſe gratiam.

Referre gratiam non poteſt.) *Intelligatur ὑπερβολικῶς: & conferatur cum eo quod anteceſſit. quaſi dixiſſet: Etſi ab inope æquè expedita & celeris remuneratio eſſe non poteſt atq; à diuite.*

CICERO.

Commodè autem, quicunque dixit, Pecuniam qui habeat, non reddidiſſe: &, qui reddiderit, non habere. Gratiam autem, & qui reddiderit, habere: & qui habeat, retuliſſe.

Commodè autem, quicunq; dixit.) *χρείᾳ ſententiam ſuam confirmat. Eſt autem diſſimile in eo dicto, & ἀντιμεταβολὴ quædam ſanè elegans, quæ uernaculo noſtro ſermone non poteſt exprimi: propterea quòd huiuſmodi ambiguam locutionem in hoc genere (quod ego quidem ſciam) non habemus. Similem locū ex oratione pro Cn. Plancio aſcribere libet. Diſſimilis eſt, (inquit) pecuniæ debitio, & gratiæ. Nam qui pecuniam diſſoluit, ſtatim non habet id quod reddidit. Qui autem debet, is retinet alienum. Gratiam autem & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipſo quod habet, refert.*

Etſi

Etſi autem hoc ſchema Iuliano Antonio apud Gellium cum uenia legendum uidetur: Ciceroni tamen ita placuit, ut eodem etiam in oratione ad Quirites poſt reditũ fuerit uſus. Quem locum aſſcribam idcirco, ut aliud Iuliano, aliud Ciceroni placuiſſe appareat: neq; noſtræ ætatis ſcriptores iniqua de ſe aliorum iudicia minus moleſtè ferant. Ibi igitur: In officio, inquit, perſoluendo diſsimilis ratio pecuniæ debitæ eſt: propterea quòd pecuniam qui retinet, non diſſoluit: qui reddidit, nõ habet. Gratiã & qui retulit habet, et qui habet diſſoluit.

CICERO.

At qui ſe locupletes, honoratos & beatos putant: hi ne obligari quidem beneficio uolunt. Quinetiam beneficiũ ſe dediſſe arbitrãtur, cum ipſi quamuis aliquod magnum acceperint. Aequè enim à ſe aut poſtulari aut expectari aliquid ſuſpicãtur. Patrocinio uerò ſe uſos, aut clientes appellari, mortis inſtar putant.

At qui ſe locupletes.) *Antitheſis facultatis & uoluntatis: Inopi, inquit, non deeſt facultas referẽdæ gratiæ. ſiquidem habere idem ualet, quod referre gratiam. Pòſt autem, uoluntatem ei etiam ſuppetere, declarabitur. Diues uerò etſi poteſt, et quidem multo melius, tamen non uult referre, ac potius habere gratiam. Cum autem animus potius ſpectetur quàm ipſa res & factum: ingratus habendus erit diues ille, quamuis longè plus reddiderit quàm acceperit.* Diues ingratus.

Et beatos putant.) *Innuit, eos opinionis errore decipi Neq; enim quenquã eſſe beatum: ſed ut Solon monuit,* δεῖν τέλος ὁρᾶν μακροῦ βίου. *id eſt, Longæ uitæ finem eſſe ſpectandum.* Nemo beatus.

Ne obligari quidem.) *Rectè enim Mimographus, Beneficium accipere (inquit) libertatem uendere eſt. Sanè magnus & generoſus animus libentiſsimè alijs bene facit, & perinuitus accipit beneficium, ut libertatem ſuam tueatur. Verè enim dicit Ariſtoteles,* ὅτι ὑπερέχειν δοκεῖ ὁ εὐεργετῶν: *id eſt ſuperiorẽ uidere, qui beneficiũ conferat. Sed hac magnanimitas non ſemper habet locum, & facilè degenerat in ſuperbiam, & ingrati animi crimen.* Dare quàm accipere, beatius.

Beneficium ſe dediſſe arbitrantur.) *Eo ſcilicet, quòd eius qui ſit inferior, uti opera non recuſarint, eumq; ſua quaſi amicitia dignati fuerint.*

Aequè etiam à ſe.) *Id eſt, Putant perinde eſſe ac ſi retuliſſent gratiam, quòd omnino relaturi ſint. Verbum ſuſpicantur, non conuenit uerbo poſtulari: ſed alteri tantum, expectari ut in Catone: Suſpicor iiſdem rebus te, quibus me ipſum, interdum grauius commoueri. Tales* ἀνυπολογίαι: *aut' ſi hoc durius uidebitur) figuræ, obſeruandæ ſunt in bonis autoribus: nec, niſi cum neceſſe fuerit, imitandæ.* ἀνυπολογία ἢ ἀσυνταξία.

Patricinio uerò ſe uſos.) *Pertinet hoc cùm ad ſuperbiam, tum ad ingrati animi crimen augendum. Perinde enim hîc agit Cicero, ac ſi aduerſariũ* ὑπερηφανία. ἀχαριστία.

in

in iudicio in odium atq; inuidiam iudicis adducere ſtudeat. Iudex intelligatur is, qui benefacere cupit: aduerſarius, diues: is qui defenditur, homo inops: patronus ſiue orator, Cicero. Verè illud hoc eſt, quod Græcè dicitur κατηγορικῶς λέγειν. Etſi autem iſta animi elatio plerunq; diuitias comitatur, nihil tamen prohibet diuitem etiam eſſe uirum bonum, modeſtum & gratum, qui nō referat tantum gratiam, ſed & habeat & agat: ſicut Cicero ipſe teſtatur, C. Iulium Cæſarem omnia ipſius etiam minima facta illuſtri gratia excepiſſe. contraq; non rarò, ingratiſſimos experiaris omnium pauperrimos. Falſa igitur argumentatio eſt: Quidam diuites ſunt ingrati, ergo omnes ſunt ingrati. Falſa et illa: Quidam pauperes grati ſunt, ergo omnes ſunt grati. Spectatur tamen hîc τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, id eſt, id quod plerunq; fit. quod humana prudentia, è præteritis atq; præſentibus futura diuinans, ſequi neceſſe habet.

Nihil obſtare, quo minus idem & diues ſit, & tur bonus.

CICERO.

At uerò ille tenuis, † cum quid factum ſit, ſeſe ſpectatū, non fortunam putans, non modò illi qui eſt meritus, ſed etiam illis à quibus expectat (eget enim multis) gratum ſe uideri ſtudet. † Neq; uerò uerbis auget ſuum munus (ſi quo fortè fungitur) ſed etiam extenuat.

V. L. cum, quicquid factum ſit, ſeſe ſpectatum, non fortunam putet. &, Neq; enim. Alij, Neq; etiam: & ſuprà, Aeque etiam à ſe. Videntur particulæ Et, Enim, Etiam, ſæpe librariorum incuria permiſceri.

At uerò ille tenuis.) *Altera ἀντιθέτως pars, in qua illud urget, & latius patêre gratiam inopum quàm diuitum, & nihil habere moleſtiæ, & plus ineſſe commoditatis.*

Eget enim multis.) *Hoc adoleſcentibus diligenter conſiderandum eſt. Egent enim & ipſi multis, antequam ad uirilem ætatem perueniunt. Studeant igitur, ſe & eſſe & uideri modeſtos, bonos, gratos, ſtudioſos uirtutis & ſapientiæ. Ita enim facilimè conſequentur quæ uolunt, & diuinitùs etiam adiuuabuntur. Ad rem ipſam quod attinet, uidentur diuites pluribus egere quàm pauperes, propter opes eorum ampliſſimas, & negocia latè patentia. Vt enim tenuibus res deeſt: ita locupletibus ſupereſt, atq; etiam deeſt, niſi fideles eis homines contigerint, & prudentes.*

Adoleſcentes ſe uideri bonos & gratos ſtudeant.

Diuites non paucioribus egere, quàm pauperes.

Gratum ſe uideri ſtudet.) *Id eſt, oſtendit gratum animum, quò alios ad ſimilem beneficentiam inuitet. Verecundū enim petitionis genus eſt, ſignificanda egeſtate ſua, aliorum in ſe collata beneficia prædicare.*

CICERO.

Videndumq; illud eſt, quòd ſi opulētum fortunatūq; defenderis: in illo uno, aut fortè in liberis eius manet gratia.

tia. Sin aũt inopẽ, probũ tamẽ & modeſtũ: omnes nõ improbi humiles (quæ magna in populo multitudo eſt) præſidiũ ſibi paratũ uident. Quamobrẽ melius apud bonos, quàm apud fortunatos, beneficium collocari puto.

In illo uno.) *Diuites, ut dixi, deprimit, & inopes extollit, Oratorio more cauſæ ſeruiens. Quaſi uerò diues ille ſit ἀπὸ δρυὸς, ἢ ἀπὸ πέτρης: & non habeat cognatos, amicos, affines, qui quod in illum collatum fuerit, ſibi etiam præſtitum putent? Sed tamen hi ipſi pauciſſimi ſunt, ſi cũ illa inopum multitudine conferantur. Et cum ſcopus Ciceronis, uerus, honeſtus, & Chriſtianæ religioni maximè conſentaneus ſit, hæc omnis eius diſputatio in optimam partẽ accipienda & probanda eſt. Studet autem τὸ φίλαυτον εἰς τὸ φιλόκαλον, τὸ τ᾽ἴδιον εἰς τὸ φιλόθεόν τε καὶ φιλάλληλον, ἢ φιλάνθρωπον καὶ κοινωνικὸν μεθαρμόσασθαι: id eſt, efficere ut ſui amor conuertatur in amorem honeſtatis & humanitatis, ac ſocietatis humanæ.*

Non improbi humiles, quæ magna in populo multitudo eſt.) *Vtinã & noſtræ ætatis ratio eſſet eadẽ. Nã humiles quidẽ fortuna & opibus ſunt plurimi: quàm probi aũt ĩidẽ ſint, neſcio: niſi fortè nõ ſit improbitas, ignauia, luxus, maledicentia, blaſphemia, inuidentia, inſidiæ, fraudes, impoſturæ, malæ artes, perfidia, et id genus alia plurima uitia: à quibus licet nulla ætas immunis fuerit, ea tamen in dies creſcere, Euangelÿ profeſſione eſt indigniſſimũ.*

CICERO.

Danda omnino opera eſt, ut omni generi ſatisfacere poſſimus. Sed ſi res in contentionem ueniet: nimirũ Themiſtocles autor eſt adhibendus. Qui cum conſuleretur, utrum bono uiro pauperi, † an minus probato diuiti, filiã collocaret? Ego, inquit, malo uirum qui pecunia egeat, quàm pecuniam quæ uiro.

V. L. aut minus.

Danda omnino opera eſt.) *Ea ſcilicet de cauſa, ut omne genus hominum nos diligat & colat: (nunc enim nõ tam de officio, quàm de fructu uirtutis loquitur) & ut nemo ſit qui nos oderit & contemnat. Sed hoc optare licet, ſperare non licet: conſequi autem multo minus, propter diuerſiſſima hominum ingenia, & imbecillitatem atq; improbitatem humanam.*

Si res in contentionem ueniet.) *Id eſt: Si quæratur, ſint'ne diuitiæ probitati præferendæ an contrà? nec diſplicet illa etiã expoſitio: Si fortè uſu ueniat, ut uel diuiti uel inopi, uiro tamen bono ſit inſeruiendum.*

Virum qui pecunia egeat.) *Vir intelligatur homo prudens atq; induſtrius, qui quod deeſt, labore & ingenÿ dexteritate facilè parare queat. Vide-* Vir pecunia egens.

Tt mus

mus enim multos prudẽtia & diligẽtia et opes et honores parare: eaſdẽq; alios ſtulticia & temeritate ſua diſsipare atq; amittere.

Pecunia uiro egens.

Pecuniam quæ uiro.) *Cui (ut Horatij uerba inuertamus) dij diuitias quidem dederint, ſed artem fruendi non dederint: qui ſit corpus ſine pectore, et mente careat. Intelligatur igitur pecunia uiro egens, de diuite uel ſtulto uel luxurioſo. Quod genus facilè ad egeſtatẽ redigitur, ut quotidiana exẽpla docẽt.*

CICERO.

Sed corrupti mores deprauatiq; ſunt admiratione diuitiarũ. Quarũ magnitudo quid ad unũquenq; noſtrûm pertinet? Illum fortaſſe adiuuat, qui habet: ne id quidem ſemper. Sed fac iuuare. Potentior ſanè ſit, honeſtior uerò quo modo? Quòd ſi etiam bonus erit uir: ne impediãt diuitiæ, quò minus iuuetur: modò ne adiuuent: ſitq; omne iudicium, non quàm locuples, ſed qualis quiſq; ſit.

Admiratio diuitiarum unde orta?

Sed corrupti mores.) *Opportunam digreſsiunculam ſubiungit Themiſtocleæ ſentẽtiæ: quaſi diceret, Nos longè aliter ſentimus quàm Themiſtocles: malumus pecuniam ſine uiro, quàm uirum ſine pecunia.*

Admiratione diuitiarum.) *Admirationis huius cauſæ ſunt, uitæ neceſsitates, copia uoluptatũ, et efficiẽdi pleraq; facultas quæ uelis. Nõ enim abs re, etſi nõ omnino uerè, pecuniæ obedire dicũtur omnia. Generalẽ hãc eſſe ſententiam exiſtimo. ſed ad inſtitutũ huius loci accõmodari nihil uetat. quaſi dicat Cicero: Benefacere nos, & rectè quidẽ, diuitib. etiã ipſis, bonis uiris, interdum nõ tam uirtutis eorũ, quàm diuitiarũ admiratione, quæ uel ſolæ ſpectari ſoleãt. Quàm aũt paupertas, quãuis ornata uirtute & ſapiẽtia, cõtempta, ſpreta & abiecta ſit: quanti fiãt diuitiæ quouis modo partæ, uel ex eo conijcias, quòd hodie ferè omnes, probi improbi, docti indocti, ſacri profani, ſummi infimi, ſenes iuuenes, opibus inhiant. Quid ni enim? cũ beent ſcilicet: cum (ut paucis cõplectar) nihil nõ poſsint? Pluris opes nũc ſunt quàm priſci temporis annis, Dum Germana fides nobilitata fuit. Nunc ea lapſa ruit: peregrinis moribus urbes Luxuriant. uirtus unica, diuitiæ.*

Corrupti deprauatiq; ſunt.) *Cur uero? Nam (ut ait Demoſthenes) δεῖ δὴ χρημάτων ad uitæ ſuſtentationẽ, & honeſtatis ciuilis. Sed Cicero nõ de moderatis opibus, ijsq; bene partis, quas nemo ſanus, opinor, uituperat aut cõtemnit: ac nõ potius & expetit, & ubi cõtigerũt, accuratè cõſeruat: ſed de magnitudine diuitiarũ loquitur, quæ poſſeſſores poti⁹ obruũt, quàm erigũt, quæq; ad beneficentiã nõ cõferuntur. Illi igitur primũ malè iudicãt, quòd beatitudinem in opib. collocãt. Quis enim paulò cordatior ignorat, plus in ijs ſplendoris eſſe quàm felicitatis? Nũ à morte eripiũt? Pauperes ne an diuites ſæpius ægrotãt? Nũ aſini auriculas Midæ abſtulerũt? Nũ uirtutẽ et probitatẽ illaudato Neroni cõtulerũt? Nũ Stoicorũ doctiſsimũ Senecã diſcipuli et alũni metu liberarũt?*

An non

An non plurimos per luxum atq; libidinem euerterunt? Non inſidijs & cædibus obiecerunt? Non reiecta uirtute & ſapientia pleroſq; ſuperbia & animi libidine æſtuantes, aut auaricia inflammatos, in omne flagitiorum & ſcelerum & calamitatum genus coniecerunt? Itá ne cæciſumus, ut hæc in ipſo meridie non uideamus? Reprehenſionis altera cauſa Ciceroni eſt, quòd plerique ijs ſic abutuntur, ut iam dixi: pauci autem, Quos æquus amauit

Iuppiter, atq; ardens euexit ad æthera uirtus,

Dijs geniti, rectè ijs utuntur, eás ue conferunt in res honeſtiſsimas & utiliſsimas: ut ſcilicet ſuam ſuorumq; ualetudinē curent diligentius: ut liberos ſuos ad omnia uitæ Chriſtianæ & ciuilis officia liberali doctrina erudiant: ut religionem & bonas literas ſuis opibus ſuſtentent: ut indigna paupertate oppreſsis ſuccurrant: ut patriæ aut laboranti ſubueniant, aut florentem propugnaculis muniant, magnificis horreis, armamentarijs, xenodochijs, noſodochijs, gerocomijs, orphanotrophijs, ſcholis exornent? Pauci omnino in hoc genere magnificentiā Fuggeranā imitantur: cuius cùm in hac uerè Auguſta urbe, tum alibi æterna monimenta extant. Hæc igitur eſt corruptela illa & deprauatio tum iudiciorum, tum morum.

Quid ad unumquemq; noſtrûm pertinet.) *Se quoq; inter pauperes recenſet: ac planè pauper fuit Cicero, cum Craſsis, Lucullis, imò etiam cum Publicanis collatus.*

Pertinet.) *id eſt: Quid fructus adfert opulentia aliorum? quaſi dicat: Nihilo melius nobiſcū agitur, etiamſi Craſsi opes ſint maximæ: nihil ille in nos confert. Cauſa tamen cur diuites colantur, hæc eſſe uidetur: quòd ut non proſint, aut profuerint, tamen uulgò ſperant eos aliquando profuturos eſſe: data ſcilicet occaſione, ut interdum fit. Deinde metuunt ne noceant, niſi colantur: id quod illis in procliui, atque adeò in more poſitum eſt. Mouentur etiam plerique multitudinis exemplo, cui reſiſtere difficile eſt.*

Illum fortaſſe adiuuat.) *Cautè loquitur, adhibita dubitandi particula. Nam ſi ita fit, ut plerunq; fit, ut ſit* ὁ πλοῦτος, *ſecundum Iſocratem,* τῆς κακίας μᾶλλον ἢ καλοκαγαθίας ὑπηρέτης, ἐξουσίαν μὲν τῇ ῥᾳθυμίᾳ παρασκευάζων, ἐπὶ δὲ τὰς ἡδονὰς τοὺς νέους παρακαλῶν: *non tam certè adiuuant diuitiæ, quàm nocent. Quid enim ignauo ocio turpius? quid uoluptatū ſtudio pernicioſius?*

Ne id quidem ſemper.) *Neq; enim diuites omnia quæ uolunt, conſequi poſſunt: in libera præſertim, & bene morata republica. Deinde (repetenda enim hæc ſunt) diuitiæ magnam inuidiam, multas inſidias, ingentia pericula, &, quod omnium grauiſsimum eſt, ſentinam quandam flagitiorum non rarò ſecum trahunt. Pauci enim rectè ſciunt aut uolunt uti opibus ſuis: quarum idem eſt ingenium, quod marini imperij ſcribit eſſe Iſocrates, quod nemo unquam tenuerit, quin corruptus eo fuerit, factuſque deterior. Cum enim natura procliues ad malum ſimus, peccandi pleriſque non tam uoluntas deeſt, quàm facultas: eam uerò diuitiæ ſuppeditant. Nam quod in Verrinis ait, Omnia pecunia effici poſſe: id nōn ad naturam re-*

 rum

rum (*falſiſsimum enim eſſet*) *ſed ad corruptos hominum mores eſt referendum. Nam cui diuitiæ per ſe uel ſanitatem, uel uirtutem, uel ſapientiam, uel animi tranquillitatem, uel* (*quæ cum primis in ijs quæritur*) *felicitatem unquam contulerunt? Bono quidem uiro & ſapienti luculentum ſunt inſtrumentum, cùm ſuis ſuorumq́ue, tum aliorum quoque plurimorum commodis conſulendi.*

Virtutẽ & ſapientiã ſine ſtudio diuitiæ non conferunt.

Honeſtior uerò quomodo?) *Virtus enim & ſapientia diuitijs neque parantur, neque augentur: opus eſt naturæ bonitate, opus eſt recta inſtitutione: requiritur diligentiæ aſsiduitas, & iugis exercitatio. Ocium quidem & ſumptus rectæ inſtitutioni diuitiæ ſuppeditant, ſed per ſe probum & ſapientem reddunt neminem: atq; ne honeſtum quidem, niſi καταχρηστικῶς honeſtum pro honorato accipiamus. Imò pleroſque faciunt ſuperbiores, crudeliores, ignauiores, luxurioſiores, & deorum & hominum, in primis uerò bonorum uirorum, contemptores: ijsq́ue de cauſis cùm inuiſos, tum inſidijs opportunos, ſæpe etiam calamitoſos. Sæpe quidem recordor patris mei, qui negabat ſe, quamuis poſſet, ſuis liberis magnas opes relicturum. Se à fratribus patrimonio ſpoliatum, & penè infantem parentibus orbatum: ipſa urgente inopia, magis fuiſſe induſtrium, & ad res meliores perueniſſe, quàm plures æquales ſuos, patrimonij fiducia ſegniores. Nos quoque, liberos ſuos, ſi probi, pij, modeſti, induſtrij, laborioſi eſſemus, facilè & contemptum & inopiam euitaturos. Sin improbi, petulantes, ſegnes, inertes, degeneres: nos ea ipſa hæreditate, quæ tanta eſſet ut eius ſubſidio maiora conſequi liceret, fore indignos. Etſi autem ἀχρηματία ſæpius meos conatus non inhoneſtos impedijt: quis ſcit tamen, an diuitiæ meum quoq; ingenium, corruptum delicijs, à glorioſo labore auocaſſent? Hoc commemoro, ut parentes magis cogitent de liberis rectè & liberaliter à prima ætate inſtituendis, quàm per fas & nefas locupletandis.*

Modò ne adiuuent.) *Ægrè hoc ab hominibus impetrabitur, ut ſi cætera paria ſint, uir bonus diues inopi uiro bono non præferatur. Sicut enim*

Gratior eſt pulchro ueniens è corpore uirtus:

Ita etiam ea lanx in danda opera præponderabit, cui aurum acceſſerit. Verùm hic Cicero non id agit, ut exponat quid fieri ſoleat, ſed quid fieri debeat: idq́ue Stoica ſeueritate, uel Chriſtiana potius religione. Eſt enim æquũ hoc, & omnino rationi conſentaneum. Quo enim pluribus nominibus homo inops miſer eſt, & ope noſtra eget quàm diues: hoc neceſſe magis, honeſtumq́; eſt, illi nos potius, quàm huic, ſuccurrere. Sunt autem coniuncta ferè cum inopia, incommoda malaq́; plurima.

CICERO.

Extremum autem præceptum in beneficijs, opera'que danda eſt, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid per iniuriam. Fundamentum enim perpetuæ commendationis.

dationis & famæ eſt iuſticia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.

V. L. pro iniuria.

Extremum autem præceptum eſt.) *Beneficentiam cum iniuria cuiuſquam non oportere coniungi, uel ex eo clarum eſt, quòd beneficentia ſine iuſticia nihilo magis quàm fortitudo conſtare poteſt.*

Fundamenta enim.) *Inſtituti ſui meminit Cicero. Quicquid enim hîc de beneficentia præcipit, id eò refert, ut gloria comparetur, qua hominum ſtudia prompta & parata ad noſtras utilitates adiungantur. Notetur hîc amplitudo Iuſticiæ, ſine qua reliquarum uirtutum nulla, munus & nomen ſuum tueri poteſt. Nam prudentia ſine ea degenerat in calliditatem, fortitudo & beneficentia fit iniuria & rapina: atque ipſa etiam temperantia, ſi ad alium finem referatur, fit dilutior. ut ſi quis abſtineat uoluptatibus, non quia honeſtum ſit, & iuſtum, ſed ut admirationi ſit alijs, ut uitet incommoda ualetudinis & infamiæ. Neq; uerò ego dico, exiſtimationem tuendam & augendam non eſſe, aut non conſulendum ualetudini (inſanirem enim, ſi hæc negarem) ſed illud dico, eos qui hæc præcipuè ſpectant, non autem Dei, non naturæ humanæ, non conſcientiæ quæ potius rationem habeant: aberrare à ſcopo, & deprauatum habere mentis oculum ac diſtortum.*

Fundamentũ uirtutum omnium eſt Iuſticia.

CICERO.

Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum eſt, quæ ad ſingulos ſpectant: deinceps de ijs quæ ad uniuerſos, quæ'que ad Rempublicam pertinent, diſputandum eſt.

Sed quoniam de eo genere beneficiorum.) *Hactenus eam beneficentiam tractauit, quam docendi cauſa ἰδιωτικὴν appellemus licet, quòd de ſuis quiſq; facultatibus largiatur: nunc ſubiungit etiam τὴν πολιτικὴν, cum ij qui in magiſtratu ſunt, ex ærario & uedigalibus ac prouentibus Reipub. aliquid diſtribuunt. Obſeruandæ autem ſunt Ciceronianæ diuiſiones. Inter alias rationes parandæ gloriæ, quæ ſit magnarum utilitatum conficiens, benignitatem uel inprimis commemorat. Eam diuidit 1. in largitionem pecuniariam, & operã atq; induſtriam. 2. largitionem facit publicã & priuatam, 3. operam atque induſtriam diſtinguit perſonis, quibus benignè fit. 4. redit ad largitionem: & ut principiò priuatam, ita poſtremo loco publicam tractat. Coniunxit enim paßim in hoc Opere τὰ πολιτικὰ μετὰ τῶν ἠθικῶν.*

Ciceronis ordo & diſpoſitio.

Quæ ad ſingulos ſpectant.) *Id eſt, Quæ depromuntur è cuiuſque re familiari. Sic ferè malo intelligere, quàm, quæ in priuatos homines conferuntur, etſi utrunq; rectè coniungitur. Priuati enim homines aliquid & in ſingulos & in Rempub. conferre poſſunt.*

Quæ ad uniuerſos.) *Cum (ut dixi) magiſtratus, qui totius populi perſonam ſuſtinent, aliquid ex ærario depromunt.*

CICERO.

Eorum autem ipſorum partim eiuſmodi ſunt, ut ad uuerſos ciues pertineant, partim ſingulos ut attingāt, quæ ſunt etiam gratiora.

Vniuerſi. Singuli.

Partim ſingulos ut attingant.) *Nomen hoc rectè intelligatur, ut & Grammatici de diſtributiuis numeralibus præcipiunt. Sed quos uniuerſos, quos ſingulos hîc dicat, exemplis declaretur. Aedificia publica, & armamentarij inſtructio, copia annonæ, etſi qua alia ſunt eius generis, pertinent ad uniuerſos: nec tamen ſinguli inde quicquam niſi in articulo neceſſitatis, aut certis temporibus, priuati emolumēti percipiunt, ut arma & propugnacula belli temporibus, ptochodochea in morbis & egeſtate, templa & theatra in ludis & feſtiuitatibus, cuiq; ſeorſum uſui ſunt, modo uelit uti. Ad ſingulos uerò pertinent, cum uiritim diuiduntur agri, aut pecunia diſtribuitur. Hæc rem familiarem cuiuſq; ſeorſim ſtatim augent, & penum inſtruūt. Teſtamenta quoque huius generis exempla ſuppeditant, ut cum pauperum collegio certa pecunia legatur, quo uel plures in id recipi, uel qui recepti ſunt, honeſtius ali poſſint. Hæc ad uniuerſos pertinet. Cum uerò ſingulis eius collegij uel pecunia uel uinum uel ueſtis diſtribuitur: ea liberalitas, quia ſingulos attingit, gratior eſt. Quis enim (iſtorum præſertim) curat, quid fiat de poſteris? modò ipſi ſaginentur.*

Mendici non ferendi.

Singulos aut attingant.) *Hanc interpretationem maximè probo: ſed nihil uetat, etiam tres populi Romani ordines, Plebeium, Equeſtrem, & Patricium intelligi: deinde uaria etiam ſtudiorū genera adiungi in his ipſis ordinibus, cuiuſmodi ſunt ſacerdotes, docti, agricolæ, opifices, mercatores, milites, operarij, mendici, ſi tamen in ulla bene conſtituta repub. hoc hominum genus tolerandum eſt. Nam ſi ætate aut ualetudine eò miſeriæ redacti ſunt, recipi debent in γηροκομεῖα ϗ νοσοδοχεῖα. Si liberis abundant, nec habent ἀφορμὴν (ut Græci uocant) faciendi ſui operis, è publico iuuandi ſunt, curandúq; ut nec ipſis nec liberis deſit quod agant, ut fit in Galliæ quibuſdam ciuitatibus. Robuſti autem & ignaui mendici, & luxu perditi, exterminādi ſunt, nec ullo modo ferendi. Qui enim non laborat, non edat: ut D. Paulus iubet. Ac præclarè Athenis inſtitutum fuit, ut eſſent δίκαι τῆς ἀργίας: id eſt, ut homo ignauus in iudicium traheretur, ac oſtēdere cogeretur, quibus rationibus uitam toleraret. Nam qui nec rem habet, nec honeſti aliquid operis facit, eum neceſſe eſt malis artibus uti, & maleficio ac ſcelere paſci. Inter malas enim artes mendicitatem inprimis numero, quæ quantam flagitiorum & ſcelerum ſentinam ſecum trahat, non eſt ignotum. In agris enim pleriq; furantur, helluantur, latrocinantur: in beatis urbibus libidinum ſunt miniſtri, eoque minus inuiſi. Sed hæc hactenus.*

Quæ

Quæ ſunt etiam gratiora.) *Crebræ apud Demoſthenem & alios Oratores, quibus reſpub. chara fuit, querelæ extant, Rempublicam à nemine ſeriò curari, ſed pleroſque tantum priuati emolumenti ducere rationem. Quod quidem non modò non honeſtum, ſed & ſtultum eſt, ac pernicioſum. Priuati enim homines florere non poſſunt, niſi incolumi & florente Repub. Neq; uerò illa diu eſſe incolumis & florere poteſt, niſi ſeriò ab omnibus, aut certè ab optimis quibuſq; curetur.*

CICERO.

Danda eſt opera omnino, utriſq;, nec minus ut etiam ſingulis conſulatur. Sed ita, ut ea res aut proſit, aut certè ne obſit Reipublicæ. † C. Gracchi frumentaria magna largitio fuit. Exhauriebat igitur ærarium. Modica M. Octauij, & reipublicę tolerabilis, & plebi neceſſaria. Ergo & ciuibus & Reipublicæ ſalutaris.

V. L. C. Helij. Alij, Sp. Melij.

Si poſsit utriſq;.) *Etſi codices, quos mihi uidere contigit, hoc loco conſentiunt: tamen ſuſpicor pro utriſq; legendũ, Vt reipub. nec minus, &c. Nam alioqui ſuperuacanea quædam & inepta ταυτολογία uidebitur.*

C. Helij & Pub. Gracchi.) *Præceptũ de ſingulis, ita iuuãdis ut reipub. non incommodetur, exemplis illuſtrat.*

CICERO.

In primis autem uidendum erit ei qui Rempublicam adminiſtrabit, ut ſuum quiſq; teneat, neq; de bonis priuatorum publicè diminutio fiat. Pernicioſè enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariã ferret (quam tamen antiquari facilè paſſus eſt, & in eo uehementer ſe moderatum præbuit) ſed cùm in agendo multa populariter, tum illud malè, non eſſe in ciuitate duo millia hominum qui rem haberent. Capitalis omnino oratio eſt, ad æquationem bonorum pertinens. Qua peſte quæ poteſt eſſe maior? Hanc enim ob cauſam maximè, ut ſua tenerentur, reſpublicæ ciuitates'que conſtitutæ ſunt. Nam etſi duce natura congregabantur homines: tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant.

In primis autem uidendum.) *Alterum præceptum, de cauendis malis artibus, ob captationem auræ popularis. Primùm monet, non lædendam eſſe*

Rem-

Rempub. quod fit largitionibus frumentarijs, diſtributione pecuniæ, diuiſione publicorum agrorum, & ſimilibus aucupijs. Deinde præcipit, priuatas cuiuſq; opes non eſſe imminuendas: quod maximè fit, aut nouis tabulis, quas Græci uocant χρεῶν ἀποκοπὰς, Solon σεισάχθειαν appellauit: aut æquatione bonorum, διὰ γῆς ἀναδασμῶν. Accedunt deinde tributa, & exactiones, & ſumptuoſa in reſpub. munera, cuiuſmodi fuerunt Athenis χορηγίαι καὶ τριηραρχίαι, quas ἀντιδόσεις ſequebantur. Quibus de rebus & in Iſocrate & in Demoſthene (ſi Commentariolos inchoatos abſoluere licuerit) plura dicemus.

Legem agrariam.) *Id eſt, de publicis agris populo diuidendis.*

Aequationē bonorum nō eſſe diuturnam.

Qua peſte quæ poteſt eſſe maior.) *Euertuntur enim Reſpub. neque ipſa æquatio diuturna eſſe poteſt, propter uarias cauſas & morum & caſuū & liberorum. Spectauit quidem hanc æquationē Plato, & ante Platonem Lycurgus inſtituit, & nunc Anabaptiſtæ reuocare conātur. Sed fruſtrà hæc fiunt, & plus calamitatum inuehunt quàm utilitatum. Illud quidem ciuitatibus prodeſt, & pauperum ignauiam atq; luxum, & πλεονεξίαν diuitum in coemendis prædijs & fundis, & fœneratorum rapacitatem cohercere legibus, ne tenuiores & pecunia & agris & domibus tandem careant. Id quod ſæpe ipſorum quoq; culpa fit: temeritate inquam cōtrahendi matrimonij, mala ſobolis educatione, ignauia, luxu. Quibus malis quantum fieri poteſt, maturè eſt occurrendum, ne ſeditiones exiſtant, aut tota ciuitas odijs atq; inuidia æſtuet, ac plena ſit querelarum: quæ ſi omnino caueri non poſſunt, danda tamen eſt opera ut minuantur.*

Hanc enim ob cauſam.) *A fine rerum publicarum improbat æquationem bonorum: quaſi dicat, Si ad tuendum ſua ciuitates conſtitutæ ſunt, eædem rurſus diſſipabuntur: ſi cui ſua, ui prærepta fuerint, quod fit in æquatione bonorum. Etenim ut ſtellæ aliæ uincunt alias & ſplendore & magnitudine: ita fieri nunquam poterit, ut ex æquo omnes ſint & diuites & honorati. Sed certorum opes immenſæ, ſunt periculoſæ rebus publicis: ut Romæ perſpectum eſt.*

Nam etſi duce natura.) *Ne ſibi ipſi contrarius eſſe uideatur, occupatiunculam addit. Nam in fine ſuperioris libri dixerat, homines non propter utilitates, ſed natura duce conueniſſe.*

CICERO.

Danda etiam opera eſt, ne (quod apud maiores noſtros ſæpe fiebat) propter ærarij tenuitatem, aſſiduitatemq́ꝫ bellorum, tributum ſit conferendum. Idq́ꝫ ne eueniat, multo antè erit prouidendū. Sin qua neceſſitas huius muneris alicui reipublicæ obuenerit (malo enim alteri quàm noſtræ ominari, neqꝫ tamē de noſtra, ſed de omni Repu-

Republica diſputo) danda erit opera, ut omnes intelligant, ſi ſalui eſſe uelint, neceſsitati eſſe parendum.

V. L. Neq; tantùm de noſtra.

Danda etiam opera eſt.) *Tertium præceptum, de cauendis tributis & exactionibus. Cauendi autem ſunt duæ potiſſimùm rationes. parſimonia, & pacis ſtudium.*

Malo enim alteri.) *Et Demoſthenes & Cicero, & omnes ferè Oratores, inuiti faciunt ut ea dicant, quæ ſunt mali ominis, & inuiſa populo.*

Neceſsitati eſſe parendum.) *Præclara exempla huius rei extant apud Demoſthenem, in publicis orationibus, præſertim Olynthiacis & Philippicis.*

CICERO.

Atque etiam omnes qui Rempublicam gubernabunt, conſulere debebunt, ut earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ. Quarum qualis comparatio fieri ſoleat & debeat: non eſt neceſſe diſputare. eſt enim in promptu. Tamen locus attingendus fuit.

Atq; etiam omnes.) *Quartum politicum præceptum, de curanda annonæ copia, & pacis belliq; præſidÿs maturè comparandis.*

Quarum qualis comparatio.) ἀκρίβωσις. *Eſt enim Oeconomi diligentis, noſſe hæc: & nemo ignorat, emptionis idoneum eſſe tempus, cum merces & copioſiſſimæ ſunt, & uiliſſimæ, & ad conſeruationem diuturnam aptiſſimæ.*

CICERO.

Caput autem eſt in omni procuratione negocij & muneris publici, ut auariciæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Vtinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora Fortuna me ſeruaſſet, & tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent. Non eſſem paſſus diutius eos imperare.

Quintum præceptum πολιτικὸν. *Magiſtratus ſit alienus ab auaricia & corruptelis munerum, atq; in primis à peculatu, ne uel interuertat publicam pecuniam, uel commoda Reipub. uendat. Crebra eſt querela apud Oratores Græcos, Demagogos* διχόθεν καρποῦσθαι τὴν πόλιν: *hoc eſt, & peculari & uendere commoda reipublicæ, propter corruptelam munerũ. Præcipit igitur Cicero, magiſtratũ eſſe oportere* ἀδωροδόκητον, καὶ ἀδέκαστον, καὶ ἀφεκτικὸν τῶν ἀλλοτρίων: *ne uel munera capiat contra rempublicam, uel publicam pecuniam interuertat, uel priuatos homines ſpoliet.* Abſtinentia.

Vtinam inquit.) *αἰτιολογία quinti præcepti, ſumpta ab autoritate ſeu chria. Sententia eſt, acceptio munerum uitanda eſt magiſtratui. Quare? Alioqui enim produntur hoſtibus urbes, & imperium amittitur.*

Dona accipere.) *Scilicet ab hoſtibus contra patriam, ut uel negligentius ſalutem ciuitatis tuerentur, uel arcana conſilia hoſtibus proderent. Iugurtha uerò Numidarum Rex Roma egreſſus: O` urbem, inquit, uenalem, & citò perituram, ſi inuenerit emptorem.*

CICERO.

† Næ illi multa ſecula expectanda fuerunt. Modò enim hoc malum in Rempublicam inuaſit. Itaque facilè patior, tunc potius Pontium fuiſſe: ſiquidem in illo tantum fuit roboris. Nondum centum & decem anni ſunt, cùm de pecunijs repetundis à L. Piſone lata eſt lex, nulla antea cũ fuiſſet. At uerò poſtea tot leges, & proximæ quæq; duriores, tot rei damnati: tantũ Italicum bellũ propter iudiciorum metum excitatum: tanta ſublatis legibus & iudicijs expilatio, direptioq; ſociorum, ut imbecillitate aliorum, non noſtra uirtute ualeamus.

V. L. ne illi quidem.

Dubius locus. Ne illi quidem.) *Vnius literæ mutatio, magnam efficit ſententiæ diuerſitatem. Nam ſi legas Næ per diphtongum, affirmatiua erit ſententia, quaſi diceret: Planè irritum atque inane fuit illius uotum. Diu certè illi expectandum fuit. Nuper enim, &c. Et tamen hiſtoria ſeu χρονολογία lectionem eã uix admittit: cum Samnis ille repetundarum legem non diu uideatur anteceſsiſſe. Sed tum, uerbum Inuaſit, ἐμφατικῶς accipiendum erit, ut non neget olim etiam nonnullos fuiſſe auaros, ſed illud malum non ita fuiſſe peruulgatum, uti nũc. Sin legitur, Ne illí quidem: pro Modò, uidetur legendũ eſſe, Mox, ut ſignificet iam tum prolapſos fuiſſe mores ciuitatis. Sequatur quiſq; utram uelit interpretationem: modò illud conſtet, Ciceronem & uetare auariciam, & Romanos accuſare, & monere eos qui rerum potiuntur, ne domi ſuæ alant proditores. Sed quis illam peſtem cauebit, niſi diuinitùs cuſtodiatur?*

Siquidem in illo tantum fuit roboris.) *Quaſi dicat, fortaſsis inanis iactantia illa fuit. Oſtendit hac narratiuncula & patriæ amorem, & hoſtiũ odium. Pertinet hoc πρὸς τὸ πρέπον, καὶ τὸ ἠθικὸν τοῦ λόγου.*

Proximæ.) *Scilicet noſtræ ætati, recentiſsimæ uel nouiſsimæ, ſi ita liceat dicere.*

Tantum Italicum bellum.) *Propter ſtudium iudicia publica ab equitibus ſeueriſsimè iudicantibus, ac ne ſenatui quidem parcentibus, ad patricios transferendi. Qui conatus ut eſſet facilior: Tribunus plebis quidam Latinis*

Romanam

Romanam ciuitatem promiſit, ſi adiumento ad eam rem fuiſſent. Quod cum ille non præſtaret, Latini perfidiam illam armis perſecuti ſunt.

Tanta ſublatis legibus.) *Videntur hæc ad Cæſaris tyrannidem pertinere, & triumuirorum graſſationem.*

Vt imbecillitate aliorum.) *Similis ſententia eſt in Areopagitico Iſocratis, ubi oſtenditur, infirmum eſſe illud præſidiũ, & minimè è Repub. quòd aliorum infirmæ opes, inita conſpiratione facilè augeri & rempublicam opprimere poſſent.*

CICERO.

Laudat Africanum Panætius, quod fuerit abſtinens. † Quid ni laudet? Sed in illo alia maiora. Laus enim abſtinentiæ non hominis eſt ſolùm, ſed etiam temporum illorum. Omni Macedonum Gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus: tantum in ærarium pecuniæ inuexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil in domum ſuam intulit prǽter memoriam nominis ſempiternam. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine euerſa. Quid, qui eius collega in cenſura fuit L. Mummius? nunquid copioſior, cum copioſiſsimam urbem Corinthum funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare, quàm domum ſuam, maluit. Quanquam Italia ornata, domus ipſa uidetur mihi ornatior.

V. L. Quid ni laudetur?

Laudat Africanum.) *Vitioſis exemplis ſuæ ætatis, præclara exempla maiorum opponit, ut præcepta κατ᾽ ἀντίθεσιν illuſtrentur.*

CICERO.

Nullum igitur uitium eſt tetrius (ut eò, unde egreſſa eſt, referat ſe oratio) quàm auaricia, præſertim in principibus & Rempub. gubernantibus. Habere enim quæſtui Rempublicam non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium. Itaq; quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia niſi auaricia perituram: id uidetur non ſolùm Lacedæmonijs, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe.

Nullum igitur.) *Cõcluſio quinti præcepti, ſeu potius reditus ad propoſitũ. Interſerta enim fuit digreſſio, & querela de corrupta ciuitatis diſciplina.*

Habere enim quæſtui.) *Frequens eſt & Romanis & Græcis ſcriptoribus,*

ribus, clauſulis ſeu concluſionibus argumentorum annectere nouas rationes, magis permouendi auditoris cauſa. Quod ad rem ipſam attinet, Romæ nemo cogebatur gerere magiſtratũ: ſed ipſe ambiebat ultrò, & præ ſe ferebat amorem & ſtudium patriæ. Quod ſi quis quæſtus cauſa id à ſe fieri ſignificaſſet, omninò repudiatus fuiſſet, & improbiſſimus habitus.

Itaq; quod Apollo.) *Locum à pernicie auariciæ, oraculo, id eſt diuino, teſtimonio confirmat: & ὑπόθεσιν transfert ad θέσιν.*

CICERO.

Nulla autem re conciliare facilius beneuolentiam multitudinis poſſunt ij qui Reipublicæ præſunt, quàm abſtinentia & continentia.

Nulla autem re.) *Abſtinentiam auariciæ opponit, & continentiam adiungit: quarum hæc ad libidines, illa ad pecuniam pertinere uidetur. Eſt quidem continentiæ nomen generale interdum, ut apud Philolaum:*

— κρατεῖν δ᾽ εἴθιζε τῶνδε,
γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, λαγνείης τε.

Sed hic τὸ εἰδικὸν magis probatur. Obſeruandũ autem eſt, auaritiæ eum tribuiſſe perniciem publicã: abſtinẽtiæ & continentiæ, gloriam priuatã. Cum autem liberalitas, quæ uirtus eſt, duobus uitijs quaſi circumualletur, auaricia & profuſione: poſt tractatam ἔλλειψιν, id eſt auariciam, accedit ad ὑπερβολὴν, id eſt profuſionem: in eaq; uituperanda multus eſt, argumentis utens potiſſimum ab iniquo, priuatim & publicè pernicioſo.

CICERO.

Qui uerò eſſe populares uolunt, ob eamq; cauſam aut agrariam rem tentant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant: labefactant fundamenta Reipublicæ, † concordiã primùm, quæ eſſe non poteſt, cum alijs adimuntur, alijs condonantur pecuniæ: deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuiq; non licet. Id enim eſt propriũ (ut ſuprà dixi) ciuitatis atq; urbis, ut ſit libera, & non ſolicita * ſuæ rei cuiuſq; cuſtodia.

† *V. L. concordiam primùm tollunt.* * *Suæ rei cuiuſcunq;. Alij, & non ſolicitus ſuæ rei quiſq; cuſtodia.*

Inæqualitas poſſeſſionũ. Deinde æquitatem.) *Cõtrouerſus hic locus eſt. Nam ſumma iſta inæqualitas poſſeſſionum, non multum habere uidetur æquitatis. Sed non nunc agitur de conſtituenda ciuitate, ſed de tuenda ea quæ iam conſtituta eſt, & intro-*

introducta bonorum æquatione perturbaretur, aut etiã euerteretur. Tametſi fatendum eſt, extremam inopiam ſummas aliorum diuitias odiſſe, unde etiam diſcordiæ metuendæ ſunt, non minus quàm ex nouis tabulis, & æquatione bonorum: quibus malis occaſionem & cauſam præbere uidetur iſta inæqualitas. Sed nos hæc fatis permittamus: & cum maioribus noſtris, nos tum uictu ros eſſe negemus, cùm æquitas atq; æqualitas conſtituta fuerit: Wann es gleich in der welt zůgeet/ſo wöllen wir nimmer leben.

Id enim eſt proprium.) *τὸ πλικὸν αἴτιον intelligatur. Ad libertatem quod attinet, ea poſita eſt non in ἀναρχίᾳ, aut αὐταρχίᾳ ſed in obediẽtia legũ, & legitimorum magiſtratuum.*

CICERO.

Atq; in hac pernicie Reipublicæ, ne illam quidem conſequuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res erepta eſt, inimicus: cui data eſt, etiam diſsimulat ſe accipere uoluiſſe, & maximè in pecunijs creditis occultat ſuum gaudiũ, ne uideatur non fuiſſe ſoluendo. At uerò ille qui accipit iniuriam, & meminit, & præ ſe fert dolorem ſuum: nec ſi plures ſunt hi quibus improbè datum eſt, quàm illi quibus iniuſtè ademptum eſt, idcirco plus etiam ualent. Nõ enim numero hæc iudicantur, ſed pondere. Quam autem habet æquitatem ut agrum multis annis, aut etiam ſeculis antè poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat: qui autem habuit, amittat? At propter hoc iniuriæ genus, Lacedæmonij Lyſandrum Ephorum expulerunt: Agin regem, quod nunquam antea apud eos acciderat, necauerũt. Ex quo, eo tempore tantæ diſcordiæ ſecutæ ſunt, ut tyranni exiſterent, & optimates exterminarentur, & præclariſsimè cõſtituta reſpublica dilaberetur. Nec uerò ſolum ipſa cecidit, ſed etiam reliquam Græciam euertit contagionibus malorum, quæ à Lacedæmonijs profectæ manarunt latius. Quid? noſtros Gracchos, Tiberij Gracchi ſummi uiri filios, Africani nepotes, nonne agrariæ contentiones perdiderũt? At uerò Aratus Sicyonius iure laudatur, qui cum eius ciuitas quinquaginta annos à tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandeſtino introitu urbe eſt potitus. Cumq; tyrannum † Nicoclém improuiſo

oppreſsiſſet,ſexcentos exules (qui fuerant eius ciuitatis locupletiſsimi) reſtituit,remq́ publicam aduentu ſuo liberauit. Sed cum magnam animaduerteret in bonis & poſſeſsionibus difficultatem,quod & eos quos ipſe reſti tuerat, quorum bona alij poſſederant, egere, iniquiſsimum arbitrabatur: & quinquaginta annorum poſſeſsiones mouere,non nimis æquum putabat,propterea quód tam longo ſpacio multa hæreditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detinebantur ſine iniuria: iudicauit, neq; illis adimi,neq; his non ſatisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cum igitur ſtatuiſſet, opus eſſe ad eam rem conſtituendam pecunia: Alexandriam ſe proficiſci uelle dixit,remq́ integram ad reditum ſuum iuſsit eſſe. Isq́ celeriter ad Ptolemæum ſuum hoſpitem uenit, qui tum regnabat alter poſt Alexandriam conditam. Qui cum expoſuiſſet, patriam ſe liberare uelle: cauſamq́ docuiſſet,à rege opulento uir ſummus facilè impetrauit, ut grandi pecunia adiuuaretur. Quam cum Sicyonem attuliſſet, adhibuit ſibi in conſilium quindecim Principes: cum quibus cauſas cognouit,& eorum qui aliena detinebant,& eorum qui ſua amiſerant. †perfecitq́ æſtimandis poſſeſsionibus,ut perſuaderet,alijs ut pecuniam accipere mallent,& poſſeſsionibus cederent: alijs,ut commodius putarent,numerari ſibi quod tanti eſſet, quàm ſuum recuperare. Itaq́ perfectum eſt,ut omnes conſtituta concordia, ſine querela diſcederent. O' uirum magnum, dignumq́ qui in noſtra Repub. natus eſſet. Sic par eſt agere cum ciuibus, non (ut bis iam uidimus) haſtam in foro ponere,& bona ciuium uoci ſubijcere præconis. At ille Græcus (id quod fuit ſapientis & præſtantis uiri) om nibus conſulendum putauit. Eaq́ eſt ſumma ratio & ſapientia boni ciuis,commoda ciuium defendere,nõ diuellere,atq; omnes æquitate eâdem continere. Habitant gra tis in alieno. Quid ita? Vt cũ ego emerim, ædificauerim, tuear,impendam,tu me inuito fruare meo? † Quid eſt aliud

liud, quàm alijs ſua eripere, alijs dare aliena? Tabulæ uerò nouæ quid habent argumenti, niſi ut emas mea pecunia fundum, & eum tu habeas, ego non habeã pecuniam?

V. L. Nicoclem. alij Nicomedem, alij Methodeum, alij Neoclem.
Præfecitq; æſtimandis poſſeſſionibus, ut perſuaderent.
Quid eſt aliud, alijs ſua eripere.

Atq; in hac pernicie reipub.) *Bonorum æquationem priuatim iniquam, publicè pernicioſam eſſe dixit. Nunc addit, captatores auræ popularis fruſtrari expectatione ſua, & ſtultè ſequi id quod aſſecuturi non ſint.*

Nec ſi plures.) *Occupatio. Apud Liuium maior dicitur pars uincere meliorem. Id Cicero hîc negat: non tam fortaſsis ex animo, quàm ut cauſæ ſeruiat. Nam ut pauperes & fraudatores plerunq; mali & ignaui ſunt, tamen ne diuites quidem, præſertim fœneratores, optimi ſunt omnes. Fortaſsis autem innuit, ubi largitionis iſtius exoleuerit memoria: eos qui fraudati ſint, ulturos eſſe legislatorem illum, non aduerſante populo, cui fuerit adulatus. Quòd ſi bonos ſtatuas eos qui læſi ſunt: Iſocrates autor erit adhibendus, qui apud paucos bonos & ſapientes gloria florere potius eſſe affirmat, quàm apud reliquos uniuerſos.*

Non enim numero hæc iudicantur.) *Præclara ſententia, ad iudicium permultũ faciens. Non quàm multa dicantur aut fiant, refert: ſed quàm uera & bona. Ponderanda ſunt potius teſtimonia & argumenta, quàm numeranda.* **Ponderanda potius quàm numeranda teſtimonia.**

Ex eoq; tempore.) *Exemplum illuſtris reipub. exaggerat ab euentu & diſtributione quadã. Non Spartæ ſolùm (inquit) rei agrariæ tentatio, ſed & alijs multis rebuſpub. pernicioſa fuit. Huic exẽplo græco uarietatis cauſa interponit domeſticum, ac mox elegantem græcam hiſtoriam ſubiungit, de prudentiſsima ratione & æquitatis & concordiæ conſtituendæ, & ueram gloriam adipiſcendi. Egregium ſanè factum Arati illius fuit: ſed habet imitationem difficilem, ne dicam ἀδύνατον: niſi fortuna ſuffragata fuerit, ut & illi. Nam ut ait Ariſtoteles, ἀδύνατον ἢ μὴ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα.*

Ita perfectum eſt.) *Narrationem hanc concludit ἐπιφωνήματι, addita ἀντιθέσει, & loco communi de officio magiſtratus.*

Habitent gratis in alieno.) *Redit ad exaggerationem iniquitatis eorũ aucupiorum, quæ antea uitanda eſſe monuit.*

CICERO.

Quamobrem ne ſit æs alienum quod reipublicæ noceat, prouidendum eſt. Quod multis rationibus caueri poteſt. Si hoc non fuerit: ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res uehemen- **Suſpectus locus.**

uehementius rempublicam continet, quàm fides: quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum.

Quamobrem ne ſit.) *Parænesis utiliſſima, de tollenda cauſa nouarum tabularum, & legum agrariarum: hoc eſt, de cauendo ære alieno, quòd rempub. eſſe quietam non ſinit.*

Aes alienum.) *ſcilicet priuatorum ciuium. Etſi uerum eſt, cauendũ eſſe etiam ciuitati & reipub. ne ſit obærata.*

Reipub. noceat.) *ſcilicet ob ſeditiones eorum qui obærati ſunt, & nouas tabulas, leges agrarias, proſcriptiones, coniurationes, dies noctesque ſomniant.*

Rationes cauendi ne ſit æs alienũ in ciuitate.

Quod multis rationibus.) *Eas rationes à Cicerone expoſitas eſſe, rerumpublicarum multum intereſſet. Ac fecit ille hoc fortaſſis in libris de Republica. Si quid tamen diuinandum eſt, uidentur hæ potiſſimum ad æs alienũ cauendum ualere. 1. Leges ſumptuariæ in ueſtitu & uictu, & ædificijs. 2. Aequa precia, magiſtratuum authoritate conſtituta, rerum omnium neceſſariarum. 3. Vſuræ modicæ & tolerabiles. 4. Profligatio ignauorũ & luxurioſorum. 5. Certus agri & ſupellectilis modus. Hic etiam μονοπώλια improbantur. 6. Leges coniugiorum: ut ætatis & rei familiaris, aut certè quæſtuoſi artificij ratio habeatur: nec cuiuis liberum ſit, malæ frugis mendicis implere ciuitates. 7. Eleemoſyna, qua ſuccurratur pupillis, uiduis, ſenibus, ægrotis, qui ſine ſua culpa egent, nec ipſi ſibi conſulere poſſunt. Hæc, & ſi qua ſunt alia huius generis, in recens conſtitutam ciuitatem facilè introduci poſſent, & maximo cum fructu ciuium obſeruari. Sed ſine magno tumultu in inueteratis ciuitatibus tentari non poſſunt omnia: nec fortaſſe debent. Quædam tamen & poſſent, & fortaſſe deberent introduci.*

Si hoc non fuerit.) *Locus ſuſpectus. Videtur deeſſe uerbum Fit, Euenit, Sequitur, uel aliquod ſimile. Nec ſatis placet, Si hoc non fuerit. Quòd ſi accipias pro, alioqui: commodè ſic legi uideretur, Alioqui locupletes ſuum perdunt, debitores lucrantur alienum.*

Nec enim ulla res.) *Nouæ tabulæ, inquit, & concordiam turbant, & fidem tollunt, & iniquiſſimæ ſunt. Cauendæ igitur. Attexit autẽ exemplum ſui conſulatus, quo Catilinæ coniurationem, ob æs alienum maximè factam, oppreſſit: & rationẽ oſtendit, eiuſmodi conatus cauendi, efficacem illam certe quidem (obtineri ſi poteſt) ſoluendi neceſſitatem.*

Nec enim ulla res uehementius rempub. cõtinet, quàm fides.) *Ergo nulla res uehemẽtius rempub. diſſipat, quàm perfidia: nec ea in cõtractibus tantum, ſed etiam in amicitijs, & arcanis committendis.*

CICERO.

Nunquam uehementius actum eſt, quàm me conſule, ne ſoluere-

ne ſolueretur. Armis & caſtris tentata res eſt ab omni genere hominum, & ordine: quibus ſic reſtiti, ut hoc tantum malum de republica tolleretur. Nunquam nec maius æs alienum fuit: nec melius, nec facilius diſſolutum eſt. Fraudandi enim ſpe ſublata, ſoluendi neceſsitas conſequuta eſt. At uerò hic noſter uictor, nunc quidem uictus, quæ cogitarat, cùm ipſius intererat, tum ea perfecit, quum eius iam nihil intereſſet. Tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipſum eum delectaret peccare, etiamſi cauſa non eſſet. Ab hoc igitur genere largitionis, ut alijs detur, alijs auferatur, aberunt ij qui rempublicam tuebuntur. In primiſque operam dabunt, ut iuris & iudiciorum æquitate ſuum quiſque teneat. Et neque tenuiores propter imbecillitatem circumueniantur, neque locupletibus ad ſua † uel tuenda, uel recuperanda obſit inuidia. Præterea quibuſcunque rebus uel belli, uel domi poterunt, rempublicam augeant imperio, agris, uectigalibus. Hæc magnorum hominum ſunt, hæc apud maiores noſtros factitata. Hæc genera officiorum qui perſequuntur, cum ſumma utilitate reipublicæ ſibi adipiſcentur & gratiam & gloriam.

V. L. uel tenenda.

At uerò hic noſter uictor.) *Honeſto ſuo exemplo tyrannicum Cæſaris factum ſubiungit: non tam, ut opinor, eius inſectandi cauſa, quàm alios à ſimili conatu deterrendi, uel infamiæ poſt obitum metu. Videtur etiam innuere, Cæſarem à coniuratione Catilinæ non fuiſſe alienum, propter æs alienum.*

Ab hoc igitur genere largitionis.) *Concluſio præceptorum de magiſtratus officio. Primùm autem monet quid uitandum ſit: rapina ſcilicet, atque largitio. Deinde quid faciendũ: ut ſcilicet æquitas ſeruetur, & reipub. conſulatur. In fine attexit exemplum maiorum: & fructum rectè factorũ, gloriam & gratiam.*

CICERO.

In his autem utilitatum præceptis Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper eſt mortuus, duo præcepta cenſet eſſe à Panætio prætermiſſa: ualetudinis curationem,

nem, & pecuniæ. Quas res à ſummo philoſopho præteritas arbitror, quòd eſſent faciles: ſunt certè utiles. Sed ualetudo ſuſtentatur noticia ſui corporis: & obſeruatione earum rerum, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe: & continentia in uictu omni, atq; cultu, corporis tuendi cauſa, & prætermittendis uoluptatibus: poſtremò arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent.

In his autem utilitatum præceptis.) *Hactenus cauſas efficientes magnarum utilitatum expoſuit: quæ omnes uno gloriæ uocabulo comprehendi poſſunt. Gloria porrò uitæ politicæ inprimis commodat, & magiſtratibus maximè neceſſaria eſt. Quia uerò plures priuatam uitam degunt, nec gloria tantoperè egent (etſi illa quoque plurimum illis utilitatis affert) rectè uiſus eſt Antipater adiecisse duo illa capita: curationem rei familiaris, & ualetudinis: quæ priuatis æquè ac magiſtratibus utiles & neceſſariæ ſunt. Cicero autem excuſat magis fortaſſe Panætium, quàm ſeipſum: ut qui rebus grauiſſimis expoſitis, minutiora ſibi non perſequenda putauerit.*

Sed ualetudo ſuſtentatur.) *Hoc loco notentur & hæ Græcorum ſententiæ.*

Δημοκρίτου:

Ὑγίειαν εὐχαῖς παρὰ θεῶν αἰτέονται ἄνθρωποι, * τὴν δὲ ταύτην δύναμιν ἐν ἑαυτοῖς ἔχοντες οὐκ ἴσασιν· ἀκρασίᾳ δὲ τἀναντία πρήσσοντες, αὐτοὶ προδόται τῆς ὑγιείης τῇσιν ἐπιθυμίῃσι γίγνονται. *Hoc eſt: Sanitatem homines à dijs immortalibus uotis expetunt, ea facultate ſemetipſos eſſe præditos ignorantes. Ceterùm quum ex intemperantia ea faciant, quæ cum ualetudine pugnant: ſuis cupiditatibus obſequendò, ſanitatem ultrò perdunt.*

* ταύτην δὲ τὴν δύναμιν

Ἱπποκράτους:

πᾶν τὸ πολὺ, πολέμιον τῇ φύσει. καὶ οὐ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδὲ ἄλλο ἀγαθὸν οὐδὲν, ὅταν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ. *Id eſt: Quicquid multum eſt, naturæ eſt inimicum. Neq; ſatietas, neq; fames, nec aliud quicquam eſt bonum, cum naturæ excedit modum.*

Τοῦ αὐτοῦ:

Ὑγιεινότατα ἐστὶ, *Saluberrima ſunt,*
ἀκορίη τροφῆς, *edere & bibere citra ſatietatem.*
ἀοκνίη πόνων, *alacritas laboris abſq; defatigatione.*
σπέρματος οὐσίας συντήρησις, *ſeminis conſeruatio.*

Ciceroni ualetudo poſtulat

πέψιν, *coctionem.*
ἀλυπίαν, *animi alacritatem.*
περίπατον σύμμετρον, *moderatam ambulationem.*
τέρψιν, *delectationem.*
εὐλυσίαν τῆς κοιλίας, *ut aluus ſoluta ſit.*

εὐτύλα

	αὐτύλλου:		*Antylli:*
Παρατηρητέον τὰ	προσφερόμενα.	*Obſeruan da ſunt*	*1. Cibi & potiones.*
	ποιούμενα.		*2. Exercitationes.*
	κενούμενα.		*3. Egeſtiones.*
	ἔξωθεν προσπίπτοντα.		*4. Externa accidetia.*
	βοηθήματα.		*5. Medicamenta.*

ἄδηλον.

οὐκ ἔστ' ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ. *Nil ſanitate uita habet præſtantius.*

Sed ualetudo ſuſtentatur.) *Pauca hic dicuntur: ſed ualde erudita & utilia, ſi obſeruentur.*

Noticia ſui corporis.) *Poteſt intelligi Craſis ſeu temperamẽtum, ex calido, humido, frigido & ſicco, & qui in corporibus humores redundent. Sed hæc cognitio medicorum eſt: illa obſeruatio cuiuſq; non hebetis & negligentis, quæ ratio uictus, quæ exercitationes, qualis aer, et ſimilia, ſibi uel proſint uel obſint. Hac in parte meliore conditione ſunt domini & diuites, quàm ij qui alieno arbitratu uiuere coguntur. Pauperes enim edunt, bibunt, faciunt, non quod & quando libet, atq; expedit: ſed quod habent, quodq; licet. Nec tamen his multo feliciores ſunt diuites pleriq;, qui intemperantia ſua non minus lædunt ualetudinem, quàm pauperes ex inopia, quos excuſat neceſſitas & fortunæ iniquitas, cum diuites nullam habeant defenſionem.*

Continentia.) *Ne modus excedatur cibo, potu, libidine, ueſtitu etiam, & habitatione.*

Et prætermittendis uoluptatibus.) *Hæ cum blandiſſimæ dominæ initiò ſint, tandem magnos plerunq; dolores pariunt, corrumpunt ualetudinem, affligunt animum conſcientia malè factorum, & immaturum obitum accerſunt. Plures enim crapula & intemperantia pereunt, quàm naufragio, gladio, aut incendio. Conferatur huc epilogus ἰσοκράτους ad Demonicum.*

Poſtremò arte eorum.) *Medicamenta quantum fieri poteſt uitanda ſunt: ac ſæpe præſtat aliquid incommodi & doloris perpeti, quàm aſſuefacere ſeſe deglutiendis catapotijs. Pharmaca adoleſcentum ſunt ὀλιγοσιτία, ὀλιγοποσία, γυμνάσια, & ſi opus ſit ἀσιτία ad tempus. Sed ſi his rebus nihil proficitur, tum demum conſulendus eſt, non tantùm doctus & exercitatus, ſed diligens etiam & fidelis Medicus: & quantum fieri poteſt, leuiſſimis, & minimè noxijs medicamentis utendum, nec unquam niſi neceſſariò. Nemo ſtudioſorum ita debet ignauus eſſe, & ſuæ uitæ ac ualetudinis negligens: ut non ſummam aliquam medicinæ teneat. qualis nunc extant Leonardi Fuchſij, Ioannis Fernelij, Laurentij Friſij, Scholæ Salernitanæ, et aliorum: ſi Hippocratem ipſum, & Galenum legere non uacat, etſi propter philoſophiæ cognitionem non legendos minus, quàm ob medicinæ ſcientiam.*

Paucitas cibi & potionis. Exercitationes. Inedia.

Medicinæ cognitio.

Xx 2 CICE-

CICERO.

Res autem familiaris quæri debet his rebus, à quibus abeſt turpitudo: conſeruari autem diligentia & parſimonia: ijſdem etiam rebus augeri. Has res commodiſsimè Xenophon Socraticus perſecutus eſt in eo libro qui Oeconomicus inſcribitur: quem nos iſta ferè ætate cum eſſemus, qua es tu nunc, è Græco in Latinum conuertimus.

Res autem familiaris.) *Hac de re ſuperiore etiam libro dictum eſt, capite de artificijs & quæſtubus. Qui locus cum hoc conferatur.*

CICERO.

Sed utilitatum comparatio (quoniam hic locus erat quartus à Panætio prætermiſſus) ſæpe eſt neceſſaria. Nã & corporis commoda cum externis, & externa cum corporis, & ipſa inter ſe corporis, & externa cum externis cõparari ſolent. Cum externis, corporis, hoc modo: ualere ut malis, quàm diues eſſe. Cũ corporis, externa, hoc modo: diues eſſe potius, quàm maximis corporis uiribus. Ipſa inter ſe corporis comparantur ſic, ut bona ualetudo uoluptati anteponatur, uires celeritati. Externorum autem, ut gloria diuitijs, uectigalia urbana ruſticis. Ex quo genere comparationis illud eſt Catonis ſenis. à quo cum quæreretur, quid maximè in re familiari expediret? reſpondit: Bene paſcere. Quid ſecundum? Satis bene paſcere. Quid tertium? Bene uitire. Quid quartũ? Arare. Et cum ille qui quęſierat, dixiſſet, quid fœnerari? tum Cato: Quid hominem, inquit, occidere? Ex quo, & multis alijs intelligi debet, utilitatum cõparationes ſolere fieri, rectéq; hoc adiunctum eſſe quartum exquirendorum officiorum genus. Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius à quibuſdam optimis uiris ad medium Iani ſedentibus, quàm ab ullis Philoſophis in ſchola diſputatur. Sunt tamen ea cognoſcenda. Pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc Libro diſputandum eſt. Reliqua deinceps perſequemur.

Sed

Sed utilitatum comparatio.) *Altera pars huius libri, quæ nihil habet difficultatis. Nam qui eſt ordo bonorum, idem etiam eſt comparationis utilitatum, ut animi atq; ingenij dotes corpori & fortunis præferantur, corpus diuitijs & ſimilibus rebus. Nam ſingularum etiam partium comparationes inſtitui poſſunt, ut (tametſi hæc ad primum Librum & honeſtatem pertinere uideri queant) probitas animi excellenti ingenio præferatur, pietas fortitudini, ſanitas elegantiæ formæ, & reliqua: in quibus tamen deprauata uulgi iudicia cum præceptis ſapientum non conſentiunt: aut certè ea imbecillitas eſt iudicij, & ea impotentia cupiditatum, ut perniciem ſuam ſaluti anteponant, inuiti aliquo modo, quòd non putant, tanta mala ſecutura eſſe. Ea porrò exempla quibus Cicero utitur, nihil habent obſcuritatis, excepto Catonis dicto: ubi docti legendum putant, non, Bene ueſtire, uel, bene uitiare, ſed potius, Malè paſcere: quæ lectio autoritate Plinij & Columellæ comprobatur, ut rei pecuariæ principatus ubiq; deferatur ob paruum ſcilicet impendium, & magnum emolumentum. De fœneratione homicidio comparata neſcio quid dicam, homo æquè ignarus mercaturæ ac linguæ Hebraicæ. Sed qui eius artis uim cum aliquo ſuo fructu perceptā habent, negociatiouem nō ſine hac pecuniæ collocatione conſtare poſſe negant: eademq; uiduis, pupillis, ſuo patrimonio contentis hominibus conſuli affirmant, ne ſortem ipſam abſumant, cum nec mercatores, nec agricolæ, nec opifices omnes eſſe poſſint: & una ratione tam creditionibus quàm debitoribus commodetur, Chriſtiana charitate non modò non uiolata, ſed etiam conſeruata & aucta, politici quoque magiſtratus autoritate accedente. Quæ ſi ita ſeruentur, ut dicuntur: & pauperes non tantum eleemoſynis, ſed alijs etiam rebus, & pecunia ſine uſura credita iuuentur, ab ijs qui facultatem iuuandi habēt: ego ſanè non uideor habere cauſam, cur ab illis magnopere diſſentiam. Sed hæc Theologis & Iuriſcōſultis ac potius ipſis mercatoribus diſceptāda relinquamus. Alter autem noſtri autoris locus, qui bifariam ſcribitur, ne is quidem uideo quid ſcrupuli nobis inijcere debeat. Siue enim ad medium ianuæ, ſiue Iani legatur, ſententia conſtare poteſt: qua monemur, aut bonos patres familiâs aut negociatores, peritiores eſſe rei familiaris adminiſtrandæ, quàm Philoſophos, eaq; de re conſulendos.*

In comparatione utilitatum, ſequendum eſſe ordinem bonorum.

FINIS ANNOTATIONVM IN SECVNdum librum Officiorum.

HIERONYMI VVOLFII OETINGENSIS PRAEFATIO ANNOTATIONVM IN TERTIVM LIBRVM

M. T. Ciceronis de Officijs.

Non tam de comparatione honeſtatis atq; utilitatis, quàm de uera honeſti cognitione hic agi.

ARGVMENTVM *huius libri ſatis notũ eſt è ſuperioribus: honeſtatem præponendam eſſe opinioni utilitatis. Quod axioma Stoicum fuit ita celebratum, ut quicquam negaretur eſſe utile, quod non idem eſſet honeſtum. Itaque non tam id agitur, quod diximus: quàm illud, ut declaretur, certis exemplis propoſitis, quæ nam honeſta aut inhoneſta ſint? Qua de re non tantùm inter doctos & Iuriſconſultos noſtri temporis controuerſiæ ſunt, ſed olim etiã inter ipſos Stoicos, officiorum magiſtros, acres diſputationes & certamina extiterunt.*

Controuerſiæ de numero & ordine bonorum.

De numero quoq; & ordine bonorum, ijdem Stoici cum alijs philoſophis contenderunt, qui & ipſi alij ab alijs diſſenſerunt.

Epicureos & Cyrenaicos reijci.

Ac de Epicureis & Cyrenaicis & reliquo uulgo & quaſi fece pſeudophiloſophorũ, nihil eſt quod dicamus: cum ijs contentos eſſe liceat, quorum rationes optimo & prudentiſſimo cuiq; maximè probantur, aut certè quàm minimè improbantur.

Academicorum & Peripateticorum ſententia.

Veteres igitur Academici, ut Socrates, Plato, Speuſippus, Xenocrates, & alij: itemq; Peripatetici, ut Ariſtoteles, Theophraſtus, Critolaus, cum reliquis eius diſciplinæ ſectatoribus, tria bonorum genera ſtatuerunt:

Honeſtum.

Honeſtum ſiue uirtutem, quæ bonum eſt animi rationis capacis. hæc bona Plato diuina appellat, propter mentis cum Deo qualemcunque cognationem.

Vtile.

Bonum utile, quod ad uitæ neceſſitates pertinet, & uictum cultumq; corporis, ſine quo id incolume eſſe nequit.

Iucundum.

Adiunxerunt & tertium bonorum genus, quod in delectatione & ſuauitate quadam poneretur, ſine quo ſalui quidem & incolumes eſſe poſſemus, ſed minus tamen beati & abſoluti. & quidem delectatio uel cum honeſtate & utilitate coniuncta eſt, uel ex ijs oritur atq; promanat. Magnam enim utraque uim delectandi habet, eamq; uel cohærentem, uel conſequentem, ut dixi, uel etiam præcedentem. Honeſtus enim animus, quanta cum alacritate res honeſtas aggreditur? Quãta ſuauitate in ijs uerſatur? Quantopere ſe officio eſſe functum gaudet? De utilitate quis dubitat? Quis enim eſt, qui propoſita recuperatione ualetudinis afflictæ, aut dignitatis ac fortunarũ incrementis, non quaſi exultet lætitia? Nec tamen interim nego, per ſe quoq; & exiſtere uoluptatem, & cum damno ac turpitudine ſæpe coniungi. Quod alibi accuratius erit declarandũ.

Stoicorũ exaggeratio . . . & uerba inſulcatia.

His igitur autoribus, ſuffragante etiam conſenſu generis humani, bonum triplex eſt: ἀγαθὸν, καλὸν, χρήσιμον ἡδύ. Stoici autem certo conſilio, de quo antea ſæpius dictum eſt, ſic diſputarunt, quaſi homo mens quædam abſoluta eſſet, & ab omni concretione mortali ſegregata. Itaque corpori aut nihil, aut minimum tribuerunt, ad mentis excellentiam omnia referentes. Quæ igitur corpori ſeruirent, non ἀγαθὰ, ſed προηγμένα: & contraria horum non κακὰ, ſed ἀποπροηγμένα appellarunt. Quorum rationes eiuſmodi profectò ſunt, ut ſine Theologiæ ſuffragio uix, ac ne uix

quidem

quidem probari poſſint. Niſi enim ἡ δικαιοκρισία τοῦ θεοῦ, hoc eſt diuinum præmium & ſupplicium ſpectetur: haud facilè inuenias, qui utilitates & uoluptates aſpernendas, maximosq́; dolores & cruciatus ueritatis & honeſtatis cauſa tolerandos eſſe cenſeat, ſine ullo emolumento. Nam ſi natura ſola ſpectetur, ut faciunt Stoici, id quoque naturale eſſe, ne ipſi quidem negauerint, ut homo incolumitatem corporis ſui & ſuauem affectionem, præſertim ſine cuiuſquam iniuria, deſideret atq; amplectatur, fugiatq́; cõtraria. Sed ſi finis conſideretur: & præmia pijs, ſupplicia improbis, etiam poſt obitum, conſtituta eſſe conſtet, id quod nobis autoritate diuina conſtat: alia iam erit ratio & quaſi facies rerum omnium, & (ut Demoſthenes ait) πρὸς τὸ τελευταῖον ἐκβησόμενον ἕκαστον τῶν πρὸ τοῦ πραχθέντων κριθήσεται: id eſt, nõ actionum initium, ſed exitus ſpectabitur. Si igitur perſuaſum ſit, ſi honeſtatem propter detrimenta, labores, pericula, dolores deſerueris, & huic cõtrariam uoluptatem & utilitatem perſecutus fueris: æternum exitium tibi imminere, & cruciatus non dicendos paratos fore. Sin, ut Deo pareas, humana omnia contempſeris, beatæ immortalitatis te fore compotem: in qua ſententia Prophetas, Apoſtolos, Martyres omnium ætatum fuiſſe certũ eſt: (alioqui enim nullo modo & uoluptates contempſiſſent, & tot acerbitates perpeſſi fuiſſent:) ita demum probabile eſſe uidebitur, ſolam honeſtatem eſſe bonum, ſolamq́; turpitudinem eſſe malum. Nam quatenus utilitas & uoluptas cum honeſtate conſentiunt, & nihil ab ea recedunt, ſed quaſi permiſtæ illi ſunt: ipſæ quoq; uelut relictis patrijs ſedibus, in coloniam honeſtatis tranſeunt, & communi ciuitate fruuntur. Idq́; uel ex eo perſpicitur, quòd Deus, qui nouit quid ſit in homine, ſpe præmiorum etiam, quæ ſuis mãdatis addidit, nos (qui ſapientes non ſumus) ad uirtutis ſtudium excitat, ac ſuppliciorum metu à peccando deterret. Quid ni ergo ea quoque ipſa in officio faciendo reſpiciamus? Iam præmia honeſta, hoc eſt, uirtutis & honeſtarum actionum, quis honeſta neget aut expetenda? Firmum ergo ſit & ualeat τὸ καθ' αὑτὸ αἱρετόν: ſed ita firmum ſit, itaq́; ualeat, ut & uirtutem propter pulchritudinem & præſtãtiam ſuã amemus, nec ab ea (quamuis nos homines parum liberaliter, ſæpe etiam acerbè remunerentur) deficiamus: & præmia, quæ ſacræ literæ etiam uirtutis cultoribus quaſi mercedis loco proponunt, in hac naturæ noſtræ imbecillitate, nec excludamus, nec aſpernemur. Sic tamen illa præmia ſunt expectãda, ut (quod præclarè D. Auguſtinus ait) Deum in nobis ſua munera coronaturum intelligamus. Chriſtus enim ſe ducem autoremq́ue noſtræ ſalutis unicum eſſe: nos autem, ſi omnia fecerimus (quando autem id fiet?) ſeruos eſſe inutiles pronunciat. Itaq; Dauid beatos eſſe eos dicit, quorum peccata ſint remiſſa: & D. Paulus, ut & Seruator ipſe, plurimis in locis eos eſſe iuſtos affirmat, quos Chriſtus iuſtos fecerit, cuius beneficiũ certa fiducia ſit amplectendũ. Quæ doctrina haud quaquã excludit bona (quæ uocant) opera, aut nouã obedientiam: ſed uehementer poſtulat & flagitat, & cœleſtibus præmijs & inferorum ſupplicijs propoſitis. Sed quomodo iſta conſentiunt, Chriſti beneficio beari hominem, & ab

Iuſto dei iudicio fulciri porticũ Stoicorum.

Solum honeſtum expetendum: ſolũ turpe fugiendum eſſe: ſoli Chriſtiani ſtatuunt.

Vtilitatis & uoluptatis cum honeſtate conſenſio.

& ab eodem ſummam ſanctitatem poſtulari? Summa eſt huius doctrinæ cōſenſio, ſi dextrè accipiatur. Quid habet homo quod non acceperit? An' non fides, teſte Apoſtolo, Dei donum eſt? Vera autem FIDES, *id eſt, & cognitio atq; aſſenſio hiſtoriæ Euangelicæ, &* FIDVCIA *meriti Chriſti, quæ fidem hiſtoricam ſequatur neceſſe eſt (teſtatur enim hiſtoria Euangelica, ueniſſe Chriſtum in Mundum, ut ſeruaret peccàtores) excitata à Spiritu ſancto, ſpem & charitatem Dei atq; hominum adeò non excludit, ut, tanquam fœcunda arbor, fructibus his ſuauiſsimis carere non poſsit. Sed cui fructus hi accepti referendi ſunt? Non & humus ipſa, id eſt* HOMO, *Dei opus eſt? Non ipſa arbor, id eſt* FIDES, *conſita diuinitùs? Qui ergo & humum & arborem fecit: an' non idem* FRVCTVS *quoq; produxit? nō' ne Apoſtolorum plantationi & rigationi dedit incrementū? An non Deus eſt, qui & uelle & poſſe largiatur? Sunt igitur ueræ & ſalutares ſententiæ de Deo, ſunt ſanctæ cogitationes, ſunt pij affectus, ſunt integri & inculpati mores, ſunt probati ſermones, ſunt rectè facta omnia, immortalis Dei munera: ut &, quæ his colophonem addit, beata immortalitas. Quid habet hæc ſententia abſurdi? quid non habet & cum immortalis Dei gloria, & humanæ miſeriæ agnitione coniunctum? Quid aliud ſacræ literæ docent? Hæc profectò ſumma eſt Prophetarū & Apoſtolorū: hic Eccleſiæ catholicæ conſenſus, hic piorū omniū ſenſus, in animis ſanctorū à ſancto Spiritu excitatus. Sed nos miſeri & ſtulti homūculi, hac tam perſpicua, tam ſalutari, tam neceſſaria doctrina uel contempta, uel neglecta, de cerimonijs, de pompa externa, de quæſtionibus nō tam neceſſarijs lectu (credenda enim illa, non intelligenda, in hac mortali uita proponuntur) quàm obſcuris & intricatis digladiamur, contentionis cupidiores quàm ueritatis. Quo fructu? quo conſilio? An ut unà cum religionis interitu peſſum eamus omnes? Quis mores ſuos emendat potius, quàm carpit alienos? Quis nō lapſus & errores aliorū potius inſectatur, quàm rectè dicta & facta probat & imitatur, illa uerò fugit & uitat? Latiſsimus hic ſe dicendi campus aperiret. Sed hæc ipſa uideo eſſe longiora, & in multorum reprehenſionem incurſura: quam quidem ego mihi, conſcientia rectæ uoluntatis fretus, non ita pertimeſcendā arbitror: ut optandū eſſe iudico, & ſummis precibus à Deo contendendum, ut depulſa tandem quouis helleboro atra iſta diſcordiarum bile, & pereundi perdendiq; omnia cupiditate, ad æternā uitam ardentibus uotis, & flagranti ſtudio cōtendamus. Hæc eſt aūt* VITA AETERNA, *ut te agnoſcant, cœleſtis Pater, uerum Deum, & quem miſiſti* IESVM CHRISTVM. *Sic enim dilexit* DEVS MVNDVM, *ut filium ſuū unigenitum dederit, ut omnis credens in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternā. Nemo aūt niſi natus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, poteſt intrare in regnum Dei. Cur igitur non hanc illuſtriſsimā Euangelij uocem amplexi, pro ijs uota facimus, qui uel in Epicureum Dei contemptū ſunt prolapſi, uel ſuperſtitione & erroribus faſcinati cæcutiunt, nec ipſi expedire ſeſe poſſunt? In promptu eſt reſponſio: Fides in labijs nobis natat: ore Deum colimus, cor autem noſtrū ab eo*

longiſſi-

longiſſimè abeſt: Curios ſimulamus, et Bacchanalia uiuimus. Iliacos intra muros peccatur, & extra: Quicquid delirant Reges, plectũtur Achiui. Reges appello ſacros oratores, eorumq́; miniſtros & defenſores: Achiuos, rudem populum. Nec tamen accuſo quenquam, quem ſua excuſat conſcientia: quæ quidem ex præſcripto ſacrarum literarum diligenter eſt & ſæpius examinanda. Sed his, nõ tam odioſis quàm ſalutaribus, omiſſis, redeo ad Ciceronẽ. Is igitur in hoc tertio Libro illud urget, quod unico uerſiculo cõplexus eſt Auſonius:

Nunquam diſcrepat utile à decoro.

Etſi (ut dixi) non tam oſtendit, utilitatem nunquàm poſſe cum honeſtate contendere: quàm illud quærit, an nonnulla, quæ uulgo utilia eſſe uideantur, honeſta etiam ſint, aut certè non inhoneſta? In quo exempla & quæſtiones aliquot tractat, quibus à falſa ſpecie utilitatis animos hominum auerſũ decus pertrahere ſtudet: præclaro certè conſilio, & uitæ humanæ ſalutari: ſed haud ſcio quàm felici euentu, ſi ſapientis eſſet, quicquam præſtare præter culpam. Quæ uerba Ciceronis, Simplicius eleganter ſic Græcè expreſſit: ὅτι τὸ κατορθοῦν οὐκ ἐν τῇ πράξει, ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει ἐστί. Magna fuit Ciceronis eloquentia. Sed quod his corruptiſſimis temporibus ſacroſancti Euangelij autoritas pauciſſimis perſuadet, non dico ut Deo pareant, ſed ut naturæ humanæ φιλοσόφως, οὐ θεολογικῶς cõgruenter uiuant, & ijs facinoribus abſtineant, quæ uel in uetere ſuperſtitione & ſimulacrorum cultu fœdiſſima fuerũt habita, & uindicata legibus: quo pacto id Cicero, etiam Demoſthenis & Platonis copijs adiutus, hominum uulgo perſuadebit? Tanti mali cauſa eſt (ſi à prauo & perenni fonte ſcelerum omnium, corrupta inquam Natura hominis, diſceſſeris) praua educatio in peſſimis exemplis, & Epicureæ de Dei prouidentia & animorum immortalitate opiniones: quibus non imbutos, ſed planè immerſos eſſe pleroſq́;, qui & in Eccleſia & in Repub. rerum potiuntur, uita & mores eorum teſtantur, imò ſæpe etiam oratio (ni ſit obeſæ naris auditor, ut Horatius loquitur, aut, ut Græci, κορύζης τὴν ῥῖνα μεστὸς) non obſcurè declarat. Apud uulgus igitur, quod beſtiarum more uiuit, & apud falſi nominis ſapientes (quorum propter fœdas uoluptates, & curas rerum humanarum, eſt ἀδόκιμος νοῦς: qui dulci fortuna ebrij, nihil credunt niſi quod uident: quorum autoritate mediocria etiam ingenia in errorem inducuntur) præcepta Ciceronis erunt non modò irrita, ſed etiam ridicula. Verùm illi Sardonium riſum ridebunt: idq́; tum ſentient, cùm ſe nihil ſenſuros putant. Nos uerò & ſtuporem illorum miſerantes, & riſum non minus contemnentes quàm ab illis cõtemnimur, ſanioris Philoſophiæ præceptis, religioni Chriſtianæ maximè conſentaneis, & cognoſcendis & exequendis intenti ſimus. Quæ quidem facilè pleraque intelligentur ab eo, qui ſuperioribus libris tradita perceperit. Quare prolixum commentarium non dictabimus: ſed ſtrenuè pergendo, quantum licuerit, operam dabimus, ut quaſi decurſo huius Libri ſpacio, à calce ad carceres reuerſi, magis neceſſariam primi Libri doctrinam repetamus. Δὶς γὰρ καὶ τρὶς τό γε καλῶς ἔχον, ἐπαναπολεῖν δεῖ τῷ λόγῳ, Platone autore. Cum

Honeſtatis amorem & admirationē ne à Cicerone quidē perſuaderi.

Cauſæ malorum, Educatio, Exempla, Epicuriſmus Naturæ prauitas.

Præcepta Ciceronis uulgo & Epicureis ridicula.

Præcepta ſapientum potius, quàm exempla malorũ ſequenda.

Primus liber de Officijs, commentarius ſecundi & tertij.

Yy *enim*

enim in hoc Opere de Officijs ſaluberrima degendæ uitæ præcepta, cum orationis ſingulari ſuauitate & elegantia coniungantur: quid cauſæ eſt, cur his relictis, ſtulto nouitatis amore deteriora conſectemur? nouis præſertim ſubinde auditoribus, quibus hæc utiq; noua ſunt omnia quæ nunquam hactenus audiuerunt. Et ut audita eſſent prius, tamen nec intellecta fortaſſe ſatis, nec fideli memoriæ mandata ſunt. Vtiliter autem monuit, qui autor fuit, tres hoſce libros de Officijs ad uerbum ediſcendos. Quod commodiſſimè fiet, minimaq; cum moleſtia, ſæpè relegendo.

CICERO.

Publium Scipionē, Marce fili, eum qui primus Aphricanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato (qui fuit ferè eius æqualis) nunquam ſe minus ocioſum eſſe, quàm cum ocioſus; nec minus ſolum, quàm cùm ſolus eſſet.

Proœmia Philoſophica Ciceronis.

Publium Scipionem.) *Delectatur Cicero prolixioribus Proœmijs, in operibus præſertim philoſophicis: ut miſceatur utile dulci, & præceptorum ſeueritas iucundis huiuſmodi quaſi digreſſionibus temperetur, & lectoris animus nonnihil relaxetur. Orditur autem à χρείᾳ: id eſt, egregio dicto præſtantis uiri: quòd ea de cauſa adhibuit, ut declararet, ſe id obſeruare, quod Cato præcepit, ad hunc modum: Hominum qui aliquo numero ſunt, & è natura uiuunt, non minus ocij quàm negocij rationē extare oportet. Quidam è Græciæ ſapientibus, quid difficile eſſet rogatus: reſpōdiſſe fertur, σχολὴν εὖ διαθέσθαι, id eſt, ociū rectè collocare. Ac omnino res ita ſe habet. Cū enim humanus animus, nunquam nec uigilans nec dormiens acquieſcat: fieri nequit, quin ſi à rebus honeſtis, præclaris, utilibus diſceſſerit, aut nugis & rebus ſuperuacaneis uacet, aut flagitioſis etiam cogitationibus inquinetur. Eadem ac par ratio corporis eſt, & conſimiles occupationes. Cicero igitur tribus horum librorum præfationibus id cum primis agit, ut oſtendat, ſe ocium ſuum rectè collocaſſe, atq; etiam ad Reipub. utilitatem, extra illa pulcherrima Reipub. munera, contuliſſe: eademq; opera conſeruati officij exemplum ſemetipſum proponit. Nam adoleſcens (repetatur enim imitationis ergò) philoſophiæ & eloquentiæ ſtuduit: matura ætate Rempublicam capeſſit, & cauſas in curia, in foro, pro concione egit: ſenex, oppreſſa Republica & amiſſa libertate, ſe ad philoſophiam Latinis literis illuſtrandam contulit. Ita tota eius uita officioſa fuit, & exemplum uirtutis & omnis honeſtatis. Hoc exemplum adoleſcentes ſibi proponant, & in ſimilibus ſtudijs ſedulò elaborent, ut & uiuentibus & morituris iucunda ſit rectè factorum conſcientia.*

Ocij rationē conſtare oportere.

Cicero conſeruati officij exemplū.

Nunquam ſe minus ocioſum.) *Si uerba ſpectentur, ἀντιλογία eſt: eſſe ocioſum eodem tempore, & minimè eſſe ocioſum: maximè eſſe ſolum, & minimè eſſe ſolum. Quod ſi ſenſus uerborum tam admirabilium inquiratur,*

Aenigma

Aenigma erit. Quod ita ſoluendum eſt, ut ocium & ſolitudo corporis, mentis autem occupatio intelligatur.

CICERO.

Magnifica uerò uox, & magno uiro ac ſapiente digna, quæ declarat, illum & in ocio de negocijs cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, ut neq; ceſſaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret.

Magnifica uerò uox.) *Apophthegma hoc commẽdatur ab autore Scipione, & teſte Catone, utroq; uiro maximo & ſapientiſſimo. Deinde ponitur ipſum dictum: tertio loco additur ἐπιχείρησις ὑποφωνηματική.*

Quæ declarat.) *Aenigmatis ſolutio, obſcuriq́; dicti interpretatio.*

Negocium.

In ocio de negocijs cogitare.) *Negociorum quanta ſit uarietas, uel in una familia magna facilè perſpicitur. Intelligatur autem negocium, neceſſaria cuiuſq; occupatio: ut eſt Patrisfamiliâs, Eccleſiaſtæ, Cõſulis, Agricolæ, Ludimagiſtri, ſtudioſi adoleſcentis, &c. Quicquid ab eo negocio uacui temporis datur: ocium dici poteſt: cum negocium ex eo factum putent, quod neget ociũ. eſtq́; id ocium aliquando ipſo negocio grauius: ut ſi mercator tablino relicto, apparatum nuptiarum inſtituat atq; conquirat. Ac uacuum illud tempus alij aliter collocant, eoq́; alij abundant, alij deſtituuntur. Quanquam (ſi quis rem uerè conſideret) nemo tam ocioſus eſt, quin ſit occupatiſſimus, ſi ſuo munere præclarè fungi, & uel ſuum ingenium atq; animum à uitijs & erroribus repurgare, & ſcientia uirtuteq́; exornare ſtudeat.*

Ocium.

Ocio abundare neminem, qui fungi uelit officio.

Oratio Interna, Externa.

Secum loqui ſolitum.) *Iſocrates dicit, ἑαυτῷ διαλέγεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων: quod nihil aliud eſt, quàm βουλεύεσθαι, id eſt conſultare, deliberare, conſilium capere. Habent enim Græci duplicem λόγον, τὸν ἐνδιάθετον καὶ προφορικόν. Huius generis eſt etiã illud apud Mathæum, ἡ αἱμοῤῥοοῦσα ἔλεγεν ἐν ἑαυτῇ, & alia complura in ſacris literis.*

Nunquam ceſſandum.

Vt neq; ceſſaret unquam.) *Græci dicunt ἀεὶ ἐνεργὸν εἶναι, quod ualdè hominem & decet & iuuat. Itaque Cato apud autorem noſtrum à nemine ſe adhuc, extrema etiam ætate conueniri potuiſſe nihil agentem gloriatur.*

Collocutio. Cogitatio. Lectio.

Interdum colloquio alterius.) *Nihil eſt iucundius, nihil utilius colloquio uiri boni & ſapientis, præſertim amici. Qualium ſi copia eſſe non poteſt, præſtat ſecũ loqui: aut, ut Zenoni oraculo reſponſum eſt, συγχρωτίζεσθαι τοῖς τεθνεῶσιν: id eſt, concolorem fieri defunctis, uel potius mortuorum uti conſuetudine: quo Aenigmate lectio ueterum autorum intelligitur. Verùm in priore danda eſt opera (quod ſiue Socrates ſiue Diogenes monuit) ut cum bono uiro colloquaris: in altero cauendum, ne omiſſis melioribus, nugacet, aut etiam pernicioſi libri legantur, quales multi hoc tempore prodeunt.*

Qui ſecũ loquitur, cum bono uiro loquatur.

Lectio cum delectu.

CICERO.

Ita duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illũ acuebant, ocium & ſolitudo.

Eiuſdem rei diuerſi effectus in diuerſa re.

Ita duæ res.) *Appendix, quæ παράδοξον quoddam continet. Videtur enim eiuſdem rei idem eſſe debere effectus, quod tamen non ſemper fit, ob materiæ, in qua actio explicatur, diuerſitatem. Sic Virgilius:*

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,
Vno eodemq; igni, &c.——

Ita etiam uinum alios exhilarat, alios ſomnolentos, nonnullos etiam triſtes facit. Ad hunc modum ocium & ſolitudo homines ignauos languidiores faciunt: induſtrios uerò, alacriores, qui cogitant uitam eſſe uigiliam, atq; inter dormientem & mortuum parum differre. Rectè Ariſtoteles, καθεύδων δὲ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος οὐδαμοῦ. Idem etiã, dimidia uitæ parte nihil inter beatos & miſeros, id eſt, ſi φιλοσοφώτερον explices, nihil inter ſtultos & ſapientes intereſſe, ingenioſe ſcripſit: τὸ ἥμισυ τοῦ βίου μηδὲν διαφέρειν οὔθ' οἱ εὐδαίμονες τῶν ἀθλίων, οὔθ' οἱ σοφοὶ τῶν τυχόντων.

Ocium & ſolitudo.) *Conferantur huc uerba primi Libri, ubi de Prudentia præcipit, hoc modo: Inueſtigandi ueri ſtudio à rebus gerendis abduci, contra officium eſt. Virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit: à qua tamen ſæpe fit intermiſſio, multique dantur ad ſtudia reditus: tum agitatio mentis, quæ nunquam acquieſcit, poteſt nos in ſtudijs cogitationis, etiam ſine opera noſtra continere.*

CICERO.

Vellem & nobis hoc idem uerè dicere liceret. Sed ſi minus imitatione tantam ingenij præſtantiam conſequi poſſumus: uoluntate certè proximè accedimus. Nam & à Repub. forẽſibusq; negocijs, armis impijs, uiq; prohibiti, ociũ perſequimur. Et ob eam cauſam urbe relicta, rura peragrantes, ſæpè ſoli ſumus. Sed nec ocium hoc cũ Africani ocio, nec hæc ſolitudo cũ illa comparãda eſt. Ille enim requieſcens à Reipub. pulcherrimis muneribus, ociũ ſibi ſumebat aliquando, & à cœtu hominum, frequẽtiaq;, interdum tanquam in portũ, ſe in ſolitudinem recipiebat.

Vellem & nobis hoc idem.) *Summa huius loci & breuis propoſitio eſt: Africani exemplo, ocioſus ago aliquid. Nunc addit extenuationem ſui ocij, & amplificationem ocij Africani. Verſatur enim oratio hæc in oſtendenda ſimilitudine ac diſſimilitudine, tam perſonarum Scipionis & Ciceronis, quàm*

nis, quàm rerum, hoc eſt ocij utriuſq;. Cicero in eo ſimilis eſt Scipioni, quòd nunquam eſt ocioſus: diſsimilis, quòd ocium ſuum ad reipub. utilitatem conferre non poteſt. Ea igitur parte ſuperior eſt Scipio. contraq; inferior, quòd is nihil ſcripſit: Cicero uerò etiam poſteris profuit ocio ſuo. Eſt autem obſeruandum, paucas res ita eſſe inter ſe ſimiles, ut non aliqua inter eas exiſtat diſsimilitudo: utq; non numero tantùm, ſed & alijs qualitatibus inter ſeſe non differant. Diligenter itaq; uidendum, quatenus & res & perſonæ uel ſimilitudinem, uel diſsimilitudinem habeant. Id quod in Parallelis Græcorum & Romanorum facit Plutarchus. Similitudo & diſsimilitudo rerum conſideranda.

Vellem & nobis.) *Votū, quo modeſtè ſibi Scipionē anteponit. τὸ ἦθος τοῦ λέγοντος ualde conciliat animos.*

Tanti ingenij præſtantiam.) *Suprà etiam Scipionem non magnū tantùm uirum, ſed etiam ſapientem dixit. Præſtantiam autem ingenij ex eo colligit, quòd ſolus & ſine literis præclaras res & cogitaret, & memoria contineret: μελαγχολικώτερος γενόμενος τὴν φύσιν. quod genus hominum Ariſtoteles ingenijs excellere ſcribit. Hominibus obliuioſis, aut uago ingenio præditis (quales plerique ſumus) lectio & ſcriptio ſubſidio eſt, ne ignauo ocio torpeſcant.*

A reipublicæ pulcherrimis muneribus.) *Cicero, ut fuit natura politicus, ita reipub. adminiſtrationem in ſummo ſemper dignitatis loco conſtituit. & rectè quidem: cum bonus & prudens magiſtratus ſit cōmunis quidam parens totius generis humani, & in terris Dei quoddam ſimulachrum. Vnde illud Sacrarum literarum: Dixi uobis, Dij eſtis.*

Tanquam in portū, ſe in ſolitudinem recipiebat.) *Græcus poeta totam uitam humanā nauigationi cōparat: & rectè quidem. Nullū enim uitæ genus, nō ſuas experitur tēpeſtates. Sed periculoſiſsima eſt reip. adminiſtratio.*

CICERO.

Noſtrum autem ocium negocij inopia, nō requieſcendi ſtudio cōſtitutum eſt. Extincto enim ſenatu, deletiſq; iudicijs: quid eſt quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere poſsimus? Ita qui in maxima celebritate, atq; in oculis ciuium quondam uiximus: nunc fugientes conſpectum ſceleratorū, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, & ſæpe ſoli ſumus.

Inopia negocij.) *Quod ociū Ciceroni fuit, mihi eſt negociū. Valde enim occupatus mihi uideor, cum aliquid lego aut cōmentor. Sed hæc, ut dixi, ex genere & inſtituto uitæ iudicantur. Ebrioſi negocium eſt, quærere compotores: libidinoſi, luſtra et ganea perreptare. Miſerū uerò, ſiue ocium, ſiue negocium.*

Conſpectum ſceleratorū, quibus.) *Apud Euripidē exclamat quidā: τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. Paulo antè dixit, armis impijs, id eſt*

Sublata diſciplina, ſcelera tis redundant omnia.

bellis ciuilibus extinctum eſſe ſenatũ, deletaq́; iudicia. Si igitur & honeſta diſciplina, cuius autor & conſeruator ſenatus eſt, ſublata fuerit, & impunè ſceleratum eſſe licuerit: ſceleratis redundare omnia quis miretur? Plerique formidine pœnæ coercẽtur, & maxima eſt illecebra ad peccandum impunitatis ſpes. πλεφάσως γὰρ μόνον δ'εἶ τοι ἡ πονηρία.

CICERO.

Sed quia ſic ab hominib. doctis accepimus, non ſolùm ex malis eligere minima oportere, ſed etiam excerpere ex his ipſis, ſi quid ineſſet boni: propterea & ocio fruor, non illo quidem quo debeat is, qui quondam peperiſſet ociũ ciuitati: nec eam ſolitudinem languere patior, quam mihi affert neceſsitas, non uoluntas.

Querela. Conſolatio.

Sed quia ſic ab hominibus.) τῇ μεμψιμοιρίᾳ ἐπιλύουσι τὴν παραμυθίαν συνάξαι οἱ εὖ φρονοῦντες τῶν ἀνθρώπων: *Qui eruditionis fructus eſt, ut quicquid acciderit, moderatè feratur, nec conſolatio deſit rebus acerbis.*

Ab hominibus doctis.) *Philoſophi intelligendi ſunt.*

Minus malũ, loco boni ponitur.

Ex malis minima.) *Quia minus malum, ſi maiori comparetur, Ariſtotele autore, fit aliquo modo bonum: ut, Præſtat amittere pecuniam quàm uitam: etſi utramq; retinere optabile eſt, & utriuſq; iactura grauis.*

Oportere eligere.) *Græco more: pro, eligenda eſſe: uel, eligi debere,* αἱρεῖσθαι δεῖν.

Nihil ab omni parte beatum aut miſerum.

Mendicorum commoda.

Sua cuiq; & commoda & incommoda meditata eſſe debent.

ἀβελτερία.

Excerpere ex his ipſis.) *Res humanæ ita permiſtæ ſunt, ut nulla ſit uſquam ſolida felicitas, neq; ferè quicquã etiam ab omni parte miſerũ: adeò ut ne mendici quidẽ ſuis cõmodis careant. fruuntur ocio, non magnis anguntur curis, quocunq; impunè uagantur, paſſim domi ſunt, ubiq; inueniũt quod edãt & bibant, ut naturæ ſatisfiat. Itaq; pleriq; longæui ſunt. Vtiliſſima ſunt hæc duo præcepta, & diligenter cuiq; meditanda. Conſideret quiſq; fortunam & conditionẽ ſuã, uideat quid boni, quid mali inſit: mala quo pacto minui, bona qua ratiõe augeri poſſint, circũſpiciat. Eſt apud Græcos ſtulticiæ genus, quod* ἀβελτερίαν *uocant, cũ omiſſis meliorib. aliquis deteriora amplectitur. Idem etiã ad contrariũ referatur: æquè ſtultus eſt, qui maiora mala minorib. anteponit: qui nõ è malis ſuis, ſi quid ineſt boni, excerpit. Danda enim opera eſt, ut animus à cogitatione malorũ abducatur: & in bonis ſuis acquieſcens, Deo gratias potius agat, quàm fortunã culpet. Notetur & hoc loco prudens illud*

Anſæ duæ Epicteti.

Aſpera ſtudiorũ anſa.

Leuis anſa ſtudiorum.

Epicteti dictũ: πᾶν πρᾶγμα, *inquit,* δύο ἔχει λαβάς, τὴν μὲν φορητήν, τὴν δ' ἀφόρητον. *Sic puerilia ſtudia anſam aſperã & moleſtã habent, quòd nec ludis uacare, nec indulgere ſomno ſinunt: quòd incumbendũ libris eſt, et dies nocteſq́; deſidendũ domi. Hanc anſam qui apprehendũt, oderũt ſtudia, et prima quaq; occaſione deſerũt. Altera anſa leuis et prehenſu facilis eſt, cultura ingenij, animi et linguæ, ut homo uerè ſuo nomini reſpõdeat. Accedit delectatio uariæ lectionis*

ctionis et ſcriptionis. Magna res eſt, & plus quàm regiæ dignitatis, cum ſapientiſſ. et maximis uiris, qui ab orbe condito extiterunt, familiariter, quoties libeat, poſſe colloqui, eorũ conſilia uidere, & præceptis obtẽperare. Aurea hæc anſa eſt, & precioſiſſimis gemmis diſtincta. Quã qui prehenderit ſemel, ita retinet, ut uitã ſibi potius omittendam eſſe putet. Nihil dico nunc de externis præmijs eruditionis, opibus & gloria, aut (ut res peſſimè cadat) honeſto uictu. Nã hæc pueris fortaſſe (etſi haud ſcio quàm rectè. poſt enim altiora ſpectare deſinũt) et indoctis parentibus ſunt præponenda, quo æquioribus animis ocium filiorum ſuſtentent. Liberalibus uerò ingenijs adulta ætate proponenda non ſunt, cum ſint acceſsio quædam, non uerus fructus eruditionis: qui omnis in animo poſitus eſt, non in rebus externis. Quibus cum abundent diuites, doctrinã contemnunt, ob ueri fructus illius ignorationem, & eiuſdem ex ignoratione contemptum. Male profectò cum ſtudijs literarũ agitur, quando ad quæſtũ conferuntur, fiuntq; artes ex liberalibus quodammodo ſordidæ. Non quin ijs quæritate uictũ pauperi liceat: ſed quòd alia maiora ex ijs præcipuè ſint petenda. Qua de re libet aſſcribere Cl. Ptolemæi ſententiã, generoſis adoleſcentibus ediſcendam. Qui cum Aſtrologiam & animis & corporibus prodeſſe docuiſſet, occupatione querelas ſordidorũ hominũ reijciens, εἰ δὲ μὴ πρὸς πλοῦτον ἢ δόξαν, ἢ τὰ τοιαῦτα συνεργεῖ, προχωρήσει καὶ περὶ πάσης φιλοσοφίας τὸ αὐτὸ τοῦτο φάσκειν· οὐδενὸς γὰρ τῶν τοιούτων οὐδὲν, ὅσον ἐφ' ἑαυτῇ, περιποιητική. ἀλλ' οὔτ' ἐκείνης διὰ τοῦτ' ἄν, οὔτε ταύτης καταγινώσκοιμεν δικαίως, ἀφέμενοι τοῦ πρὸς τὰ μείζονα συμφέροντος. Hoc eſt: Si Aſtrologia neq; ad opes, neq; ad gloriã & id genus alia facit: idem hoc crimẽ in uniuerſa philoſophia hærebit. Nihil enim huiuſmodi, quantũ in ipſa quidẽ eſt, illa cõferre ſolet. Verùm nec illa propterea debet improbari, nec hæc: ſed conſiderandæ ſunt maiores quas hæ afferunt utilitates. Eæ uerò quæ eſſent, modò nos expoſuimus.

Ocio fruor.) *Ocio frui eſt, rectè uti ocio, idq; bene collocare. quod fit maximè philoſophãdo, id eſt, audiẽdo, cogitãdo, legendo, ſcribẽdo, diſputãdo, docendo, &c. Neq; cũ hac ſentẽtia pugnat, quod alibi Cicero ſcribit, Ocij fructũ relaxationem, non contentionem animi eſſe. Quid eſt enim philoſophicis cogitationibus amœnius, modò ſis mediocriter eruditus?*

Qui quondã peperiſſe.) *Alludit ad oppreſſam Catilinæ coniurationẽ, et intelligit ocium cum dignitate: quod ſibi ſemper fuiſſe propoſitum, alio loco ſcribit. Ocium autem cum dignitate intelligatur, cum minus occupationum eſt, & plus honoris atq; autoritatis. Eo tempore Cicero & honoribus carebat, publicis illis quidem, & autoritate, cum ſilerent leges inter arma, & tyrannorum libido miſceret omnia.*

Solitudinem languere.) *Cum ſolus ſum, non langueo, nõ ceſſo: ſed aliquid ago ſemper.*

Affert neceſsitas.) *Cui ne Dij quidem reſiſtunt, δεινῆς ἀνάγκης οὐδ' ἓν ἰσχύει πλέον. Solicitus eſt in eo Cicero, ne contra officium deſerta Repub philoſophari uideatur, & iuſtiſſimam ocij ſui cauſam neceſſitatem inculcat.*

CICE-

CICERO.

Quanquam Aphricanus maiorem laudem, uel meo iudicio, aſſequebatur: nulla tamen eius ingenij monumenta mandata literis, nullum opus ocij, nullum ſolitudinis munus extat. Ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inueſtigationeq́ earum rerum quas cogitando cōſequebatur, nec ocioſum, nec ſolum unquam fuiſſe. Nos autem qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita à ſolitudine abſtrahamur, ad hanc ſcribendi operam omne ſtudium, curamq́ conuertimus. Itaq́ plura breui tempore, euerſa, quàm multis annis ſtante Repub. ſcripſimus.

Maiorem laudem.) *Si uerè conſideres, ſuum ocium Cicero Aphricani ocio non tantùm confert, ſed etiam anteponit. Quod ut ſine arrogantiæ ſuſpicione faciat, ſe extenuãdo, & Aphricano extollendo: paulatim tamen eò peruenit, ut Lector attētus ultrò palmam deferat Ciceroni. Nam ad uirtutem inſtituere ciues, non eos modò qui uiuunt, ſed omnem etiam poſteritatem: maior atq; utilior res eſt, quàm in ocio cogitare, uel quid in curia ſis dicturus, uel quomodo hoſtibus occurſurus. Hæc enim præcepta ſi à pluribus percepta obſeruataq; fuerint: non defuturi ſunt, qui & hoſtes propulſent, & commoda ciuium tueantur. Neq; uerò cum Philoſophia laudatur, quicquam uel magiſtratui ciuili uel rei militari detrahitur: ſed quoduis honeſtum & neceſſarium uitæ genus ſuo loco commendatur.* προτιμᾶται δὲ ἡ φιλοσοφία διὰ τὸ αὐταρκὲς, καὶ τὸ πολυωφελὲς, καὶ τὸ πολυχόνιον: *quæ ſtudioſis diligentius expendenda relinquo, ne ſim abſq; cauſa prolixior.*

Vel meo iudicio.) *Quaſi dicat, Palmam libenter illi concedo. Nam in primi Libri fine communitatem & actionem, contemplationi rerum & ſtudijs cognitionis antepoſuit. Sed quomodo hæc conſentiunt: Scipio eſt ſuperior Cicerone, eodemq́; inferior? Superior eſt, quòd in ocio de negocio cogitabat: inferior, quòd ſuæ tantùm ætati, non etiam poſteris commodabat.*

Ingenij monumenta.) *Id eſt, Quid cogitarit in ocio & ſolitudine.*

Mandata literis.) *Id eſt, Deſcripta uel ab ipſo, uel ab alijs. Occupationes & negocia eius deſcripta ſunt à Polybio, Liuio, & alijs. Ocium uerò, non niſi obiter. Terentiani prologi arguunt ſuſpicionem fuiſſe, eum, quas ſcripſiſſet Comœdias, Terentij nomine edidiſſe. Sed Cicero rem dubiam negligit, ac nihil ab eo ſcriptum eſſe aſſeuerat.*

Illum mentis agitatione.) *Id eſt: Nihil ſcripſit, ſed tantùm cogitauit res præclaras.*

Nos autem qui non tantum.) *Quod minus uideri poteſt, cogitare ſcilicet, ac nihil ſcribere (cogitat enim ſcilicet is etiam qui ſcribit, prætereaq́;*

ſtyli rationem habet, qui non paruus labor eſt) id callidè maius facit, inuerſione quadam: Scipionis ocium ignauius fuit, quia nihil ſcripſit. Imò ea res arguit ingenij magnitudinem ſcriptio uerò mea imbecillitatem.

Breui tempore.) *ſcilicet à dictatura C. I. Cæſaris, uſq; ad triumuiratũ Lepidi, Antonij, Octauij.*

Multis annis.) *Ab adoleſcentia uſq; ad deuictũ Pompeium Magnum. Studioſi homines, qui Rempub. literariam magis quàm Romanam amant, uellent Ciceronem aut ſuapte uoluntate perpetuò, aut citius oppreſſa Repub. inuitum, omne ſtudium curamq; ad hanc ſcribendi operam conuertiſſe: ut totam philoſophiam, hiſtorias & bonas artes illuſtri orationis genere exornatas haberemus. Sed hæc fruſtra optantur, in tanta præſertim ignauia multorum, qui ne ea quidem ſcripta cognoſcunt quæ adhuc extant.*

CICERO.

Sed cum tota Philoſophia, mi Cicero, frugifera & fructuoſa, nec ulla pars eius inculta ac deſerta ſit: tum nullus feracior in ea locus eſt, nec uberior, quàm de officijs, à quibus conſtanter honeſtèq; uiuendi præcepta ducuntur. Quare quanquã à Cratippo noſtro, principe huius memoriæ philoſophorum, hæc te aſsiduè audire atq; accipere confido: tamen conducere arbitror, talibus aures tuas uocibus undique circumſonare, nec eas (ſi fieri poſsit) quicquam aliud audire.

Sed cum tota Philoſophia.) *Tres ſunt Prooemij huius partes: Philoſophicæ ſcriptionis defenſio: huius doctrinæ cõmendatio: & filij cohortatio. Hactenus igitur beneuolentiæ locus tractatus eſt, cum ſe amantem Reipub. cupidum honeſtarum occupationum, & nunquam, cum etiam ſine crimine poſſet, ocioſum eſſe oſtendit. Nunc locus attentionis, qui non ut ſuperior ad perſonam, ſed ad rem ipſam pertinet, ipſo ordine ſequitur. Non enim ſatis eſt agere aliquid, ſed id quod agas, etiam honeſtum et fructuoſum eſſe oportet. Ita & ipſe laudaberis, & res quæ à te tractantur magnifient.* Beneuolentiæ locus. Attentio.

Tamen nullus feracior.) *Conferatur exordium primi Libri cum hoc loco, & obſeruetur, ut eadem ſententia alijs atq; alijs uerbis tractetur. Verba Ciceronis ibi ſunt: Nam cum multa ſint in Philoſophia & grauia, & utilia, accuratè copioſeq; à philoſophis diſputata: latiſsimè patère uidentur ea, quæ de officijs tradita ab illis, & præcepta ſunt, &c.*

Quàm de officijs.) *Græci commoditate articuli uincunt Latinos, ὁ uel τοῦ περὶ τοῦ καθήκοντος τόπος uel τόπου.*

A` quibus conſtanter.) *ut iubet recta ratio. Nam affectuũ leuitas eſt, et temeritas. Rectè præcipit Epictetus, ἕνα δεῖ σε ἄνθρωπον εἶναι, καὶ τοῦτον ἢ φαῦλον ἢ ἀγαθόν. Excluditur hic aſſentatio, obſequium, praua conſuetudo.* Viuere conſtanter.

Quare quanquam.) *Occupatio eſt, qualis etiam primo Libro extat: ne, quod prouerbio dicitur, γλαῦκας εἰς ἀθήνας.*

Talibus aures tuas uocibus.) *Optabile ſanè hoc eſſet, ſed ſperari non poteſt. eaq́; cauſa eſt, cur irrita ſit apud uulgus hominum, & Theologorum & Ludimagiſtrorum doctrina, quòd eam uix paucis horis audiunt, cum aures uocibus turpiſsimis perpetuò & undiq; circumſonent. Quibus enim de rebus uulgò ſermones habentur? de ijs utiq;: quæ cum his præceptis maximè pugnant. Quid uident oculi? Libet aſſcribere præclaram Demoſthenis ſententiam ex oratione περὶ συντάξεως: ὃ δὲ τοῦτο μικρὸν ὠφελεῖν οἴμαι, εἰ τὰ βέλτιστα ὑμᾶς ἀκούειν συνεθίζω. Δεῖ γάρ, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, τὸν βουλόμενόν τι ποιῆσαι τὴν πόλιν ἡμῶν ἀγαθόν, τὰ ὦτα πρῶτον ὑμῶν ἰάσασθαι. Διέφθαρται γάρ. οὕτω πολλὰ καὶ ψευδῆ, καὶ πάντα μᾶλλον ἢ τὰ βέλτιστα ἀκούειν συνείθισθε.*

Circumſonare.) *Græcè dici poteſt περιηχεῖν, uel potius περιηχεῖσθαι. Sed uſitatius Græcis eſt, τὰς τοιαύτας φωνὰς ἀεί πως ἐναύλους εἶναί σοι.*

Quicquam aliud audire.) *Hæc cauſa fuiſſe uidetur τῆς πυθαγορικῆς ἐχεμυθίας, ut non tantùm tacerent ipſi, & linguæ imperarent, ſed auribus etiã moderarentur: quibus facere medicinam, oratoris prudentis maximè propriũ eſt. Maximus & peſsimus morbus eſt libenter audiendi res nugaces, obſcœnas, ſceleratas. Efficere autem ut eo morbo profligato, libenter aures accipiãt ſermones de rebus utilibus, honeſtis, Deo gratis: ingens beneficium eſt, & toti hominum generi ſalutare.*

Auribus hominum mederi, ingens beneficium.

CICERO.

Quod cùm omnibus eſt faciendum, qui uitam honeſtam ingredi cogitant: tum haud ſcio, an nemini potius quàm tibi. Suſtines enim nõ paruam expectationem imitandæ induſtriæ noſtræ, magnam honorum, nonnullam fortaſſe nominis. Suſcepiſti onus præterea graue & Athenarum & Cratippi: ad quos cùm tanquam ad mercaturam bonarum artium ſis profectus, inanem redire turpiſſimum eſt, dedecorantem & urbis autoritatem, & magiſtri. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (ſi diſcendi labor eſt potius, quàm uoluptas) tantum fac ut efficias: ne'ue committas, ut cùm omnia ſuppeditata ſint à nobis, tute tibi defuiſſe uideare. Sed hæc hactenus. Multa enim ſæpe ad te cohortãdi gratia ſcripſimus. Nunc ad reliquam partem propoſitæ diuiſionis reuertamur.

Quod

Quod cum omnibus.) *Tertia huius Proœmij pars, quæ loco attentionis commodè ſubijcitur: & adhortationem continet, amplificatam à circumſtantijs, ſiue perſonæ attributis. Poteſt autē ſuperior locus enthymemate concludi, hoc modo: Doctrina de Officijs ampliſſimum in uita habet uſum: ergo ſtudioſe cognoſcenda eſt.*

Qui uitam honeſtam ingredi cogitant.) *Hæc igitur doctrina tantum ad honeſta ingenia pertinet. Nam alij more ſui ſeculi & loci ſeſe tenent: adulantur, mentiuntur, fraudant, gulæ & inguini ſeruiunt. Omnes quidē debent uelle uitam honeſtam ingredi: ſed non omnes, imò perpauci id cogitant. Plerique enim opinionem popularem, & ſpeciem utilitatis ſequuntur: nō plebeij tantum homines, ſed & ij qui ſe doctos perhiberi uolunt, magna calamitate rerum humanarum.* Quiſq; uitā honeſtā ingredi cogitare debet.

Vitam ingredi.) *Iſocrates τὴν τοῦ βίου ὁδὸν πορεύεσθαι, metaphora minus dura dixit.*

Suſtines enim non paruam.) *Argumentum ab expectatione hominum, quæ referri poteſt ad locū facultatis, ut ipſa facultas ad cauſam efficientem. Cietur enim illa expectatio ab indole præclara, quæ in puero elucet. Deinde probabile eſt per ſeſe, filium patris fore ſimilem. Claudatur igitur & hic locus enthymemate tali: Facultatem habes à natura tributam conſequendæ uirtutis: eſt ergo tibi ſtrenuè in ea elaborandum.*

Induſtriæ noſtræ.) *quā ſcilicet eruditionem, eloquentiam, uſum rerum mihi comparaui, quibus & priuatim & publicè multum profui. Obſeruetur ordo: Induſtria principem locum tenet: hanc ſequuntur honores, induſtriæ præmium: etſi fortuna etiam hic multum poteſt. magiſtratus bene geſti, alterum præmium eſt, nominis celebritas, & gloria.*

Suſcepiſti onus præterea.) *Prius argumentū à perſona patris, & indole filij ductum eſt: hoc à loco, & præceptore.*

Suſcepiſti onus.) *Metaphora ſumpta à baiulis. Comparat expectationem oneri, deprimēti & proſternenti, niſi neruos intenderis. hoc eſt, æquare aut uincere expectationē, glorioſum eſt: illi non reſpōdere, probrū et dedecus.*

Et Athenarum.) *Nam bene morata ciuitas, publica quædam uirtutis ſchola eſt.*

Et Cratippi.) *Nam probabile eſt, diſcipulum præceptoris euadere ſimilem. Ingenioſe coniunguntur eæ cauſæ omnes, quæ ad excellentem uirtutem & eruditionem requiruntur: Præclara indoles, honeſta diſciplina & exempla, præcepta erudita.* Indoles. Diſciplina. Doctrina.

Ad quos cum tanquam.) *A' fine profectionis argumentatur: qui quidem intelligatur κατ' ἀφαίρεσιν τῶν ἐναντίων ἢ ἀπὸ τῶν διαφόρων. Bonis artibus, quarum mater & procreatrix philoſophia eſt, aduerſantur malæ artes, quibus & iudiciū corrumpitur, & mores dedecus concipiunt, & alijs nocetur. Catalogum harū texere ſuperuacaneū fuerit, cum nimis in promptu ſint. Sed omiſſa uita quotidiana, ſcholaſticorum malæ artes ſunt: Magia, & diui* Schola, eſt mercatura bonarum artium. Scholaſticorū malę artes: Magia,

nis & humanis legibus interdicta, cum uel ad curioſitatem, uel ad ridiculam uoluptatem, uel ad flagitia & ſcelera comparata ſit ſophiſtica, ſycophantica, hypocriſis. Hæ igitur uelis remiſque, quod aiunt, fugiantur, ab iiſque & animis & auribus abhorreatur. ἀπροσδιόνυσα longè plura ſunt. Quicquid enim non ad finem ſtudiorum facit, uel eundem impedit: id ἀπροσδιόνυσον eſt habendum: ut ſunt ſympoſia, choreæ, deambulationes intempeſtiuæ, uariaque ludorum & inanium oblectationum genera: quæ tum demum probantur, quum aut officij cauſa amicis obſequendum eſt, aut ualetudini conſulendum. Plerique falſi nominis ſtudioſi, cum in Academias uentum eſt, ac licet quod libet, remotis magiſtris, τῶν ἔργων immemores, τὰ πάρεργα καὶ ἀπροσδιόνυσα, nonnulli etiam τὰ ἐναντία conſectantur. Hinc tanta eſt bonorũ & doctorum uirorum penuria: tantus ſophiſtarum, ſycophantarum & nebulonum prouentus: & uerè etiam eruditorum, qui ex maximæ partis ingenijs æſtimantur, odium atq; contemptus.

Sophiſtica. Sycophantia, Hypocriſis. ἀπροσδιόνυσα ab inſtituto aliena.

Inanem redire.) Alludit ad Homericum uerſum, omnibus gymnaſiorum auditorijs inſcribendum:

αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι.
Turpe foret, manſiſſe diu, uacuumq; reuerti.

Malè rem geret mercator, qui peregrè profuſa pecunia, aut nullas, aut malas merces domum reportarit.

Dedecorantem.) Boni diſcipuli eſt, ornamento eſſe & ſcholæ & præceptori: cui par ferè pietas ac parẽtibus debetur, autore Alexandro Magno: quòd ab his uitam, ab illo bene uiuendi rationem accipit.

Quantum animo conniti.) Summam contentionẽ & animi & corporis in homine ſtudioſo requirit Cicero: qua id conſequetur, ut labore diſcendi quamprimùm leuatus, uoluptate quàm diutiſſimè perfruatur. Iſocrates idẽ ferè præcipit, his uerbis: πειρῶ τὴν μὲν ψυχὴν εἶναι φιλόσοφος, τὸ δὲ σῶμα φιλόπονος.

Naturalis ſciendi cupiditas diſcẽdi laborẽ leuat.

Si diſcendi labor eſt potius.) Opportuna correctio. Cum enim conſtet, id quod Ariſtot. ſcripſit, ὅτι πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει: Quicquid aũt naturale eſt, idem & facile ſit, & iucundũ: ut in curſu equorũ, in uenatu canũ, in natatione piſcium cernitur: quis dubitet, homini (modò ſit homo non nomine, ſed re) ſcientiam & facilimam & iucundiſſimam eſſe? Laboris autem & difficultatis omnis opinio, non tam ab ipſa ſcientia & cognitione rerum (etſi in his quoq; nõnunquam laboratur) quàm à Grammatica, hoc eſt, à peregrinarum linguarum inſolentia & difficultate proficiſcitur. Qua ſuperata, res omnis in uado eſt, ut alibi copioſius ſcripſimus. Quare gladiatorio animo, ut ait Comicus, affectanda uia eſt ad ſuperandas utriuſq; Grammaticæ ſalebras: ut tandem in amœniſſimis eruditionis campis liberè uagari liceat. Salebræ, quas dico, ſunt regulæ generum in nominibus, & inflexionum uarietates in nominibus & uerbis utriuſque linguæ. Accentuum etiam ratio apud Græcos non facilima eſt, propter uarietatem: ſcribentibus tamen.

Peregrinæ linguæ doctrinã efficiunt laborioſam.

Salebræ grammaticæ.

tamen magis, neceſſaria quàm legentibus. Cætera aut minus neceſſaria ſunt, uſuq́; facile diſcuntur, aut parum habent difficultatis. Itaque tota hæc res ab eo qui διάθεσιν aliquam habet, paucis menſibus conficietur, ſi quantum cõniti animo poteſt, quantum labore contendere, tantum effecerit.

Cum omnia ſuppeditata ſint à nobis.) *Natura ſuppeditat uires ingenij & corporis, & mentis ac ſenſuum integritatem: parentes adiungunt uictum cultumq́; corporis, libros, præceptores, tranquillum ocium: & quibus hæc retineantur, ſumptus neceſſarios. Etſi autem felicitas hæc perpaucorum eſt (neq; enim multis contingunt hæc uniuerſa) tamen uirtutis & generoſæ indolis eſt, animi uiribus omnes difficultates & fortunæ aduerſationes ſuperare. Degeneres autem animi, ob quælibet leuiſſima impedimenta deſperãt, & diſcendi uoluntatem unà cum ſpe perdiſcendi ſtatim abijciunt, ſuo utiq; malo. Nam & præclarum uitæ inſtitutum temerè deſeruerunt, & in alio genere multo deteriore, ſi ad id eandem animi imbecillitatem attulerint, maiores fortaſſis aduerſationes experientur.*

Copiæ ſtudioſi hominis.

Non ob quãuis difficultatem deſperandum.

CICERO.

Panætius igitur, qui ſine controuerſia de officijs accuratiſſimè diſputauit, quemq; nos, correctione quadam adhibita, potiſſimùm ſecuti ſumus, tribus generibus propoſitis, in quibus deliberare homines & conſultare de officijs ſolerent: uno, cum dubitarent, honeſtum'ne id eſſet, de quo ageretur, an turpe: altero, utile'ne eſſet, an inutile: tertio, ſi id quod ſpeciem haberet honeſti, pugnaret cum eo quod utile uideretur, quomodo ea diſcerni oporteret: de duobus generibus primis, tribus libris explicauit: de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum, nec exoluit id quod promiſerat. Quod eo magis miror, quia ſcriptum à diſcipulo eius Poſidonio eſt, triginta annos uixiſſe Panætium, poſteaquam eos libros edidiſſet. Quem locum miror à Poſidonio † breuiter eſſe tactum, in quibuſdam commentarijs, præſertim cum ſcribat, nullum eſſe locum in tota Philoſophia tam neceſſarium.

V. L. breuiter eſſe tractatum.

Panætius igitur.) *Antequam ad controuerſias utilitatis & honeſtatis explicandas accedit: duas quæſtiones tractat, quæ plus habere uerborũ quàm utilitatis uidetur: unam, ſuſceperit'ne Panætius comparationẽ honeſtatis & utilitatis: alterã, an eã inſtituere debuerit: hoc, ut opinor, cõſilio, ne nugas agere uideatur in hoc tertio Libro, & ut captet attentionem. Innuit enim ſe rem & utiliſſimam & difficilimam, parum à Græcis adiutum, tractandam ſuo*

Duæ quæſtiones de Panætio.

Marte ſuſcepiſſe. Poteſt autem tota controuerſia paucis expediri, hoc ferè modo: Panætius nec præſtitit quod promiſit, & promiſit quod non debuit: Ergo & temeritatis & malæ fidei reus eſt. Non præſtitiſſe, conceditur: non debuiſſe, negatur diſtinctione officiorum & perſonarum, in quas officia ſiue recta ſiue media cadunt. Accedit etiã inficatio. Non tã (inquit) cõparatio utilitatis & honeſtatis inſtituta fuit, quàm diiudicatio quarundam controuerſiarum.

Accuratiſsimè.) *ſubtiliſſimè & diligentiſſimè, & ueritati cõgruenter.*

Potiſsimùm.) *Elogium hoc Panætij, & mentio correctionis, faciunt ad attentionem. Potiſſimùm autem dicit, ut ſignificet, ſe & ſuum iudicium interpoſuiſſe, nec à Platonis & Ariſtotelis atque aliorum autoritate prorſus receſſiſſe.*

De officio.) *Id eſt, cum quæritur quid rectè aut ſecus fiat.*

Quod eo magis miror.) *Ciceronianæ reprehenſiones admodum ſunt modeſtæ, & imitatione dignæ. Sententia huius loci eſt: Panætius præſtare debuit, quod promiſit: præſertim cum facilè id potuiſſet, non morte interceptus, non anguſtijs temporis excluſus. Reſponderi pro Panætio poſſit (δεῖ γὰρ ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι) Quid ſi morbo, ſenio, negocijs fuit impeditus? Quid ſi uel ſua ſponte, uel ab alijs admonitus, ſententiam mutauit? Quid ſi non ſeriò, ſed εἰρωνικῶς promiſit? ut ſignificaret, eum qui ſuperiora cognouiſſet, plura non requiſiturum? Explicata enim & honeſtate & utilitate, utriuſq; uel conſenſionem uel diſſenſionem facilè perſpici. Id quod mihi non modò probabile, ſed uerum etiam uidetur. Cicero tamen infrà ſcribit, perſecuturum fuiſſe hæc Panætium, niſi aliquis caſus aut occupatio conſiliũ eius præueniſſet. Nec tamen idcirco Ciceronis ſtudium reprehendo: ſed utiliter, nec unquam ſatis hæc inculcari iudico.*

Commentarijs.) *Vt Panætius non ſeruatæ fidei ſeu uanitatis: ſic Poſidonius negligentiæ accuſatur. Commentarij ſunt ὑπομνήματα: quæ ſic dicuntur, quod memoriæ aliquid ſuggerant, obiter & breuiter annotatum. Sic dicuntur etiam enarrationes autorum, quæ Græcis ἐξηγήσεις καὶ σχόλια ſunt, καὶ ἑρμηνεῖαι. Illis autem accuſandis ſuam Cicero diligentiam commendat.*

Nullum eſſe locum in tota philoſophia.) *Quia, niſi honeſtati ſua cõſtiterit autoritas: officium negligetur. Niſi honeſtatis ſtudiũ uero iudicio gubernabitur: aliquando & corpori & rei familiari malè conſuletur, ob ſuperſtitionem, & inanem turpitudinis metum.*

CICERO.

Minimè uerò aſſentior ijs, qui negant eum locum à Panætio prætermiſſum, ſed conſultò relictum: nec omnino ſcribendum fuiſſe, quia nunquam poſſet utilitas cum honeſtate pugnare: de quo alterum poteſt habere dubitationem, adhibendum'ne fuerit hoc genus, quod in diuiſione Panætij tertium eſt, an planè fuerit omittendum:

alterum

alterum dubitari non poteſt, quin à Panætio ſuſceptum ſit, † ſed de relictum. Nam, qui è diuiſione tripartita duas partes abſoluerit, huic neceſſe eſt reſtare tertiam. Præterea in extremo libro tertio, de hac parte pollicetur ſe deinceps eſſe dicturum. Accedit eôdem teſtis locuples Poſidonius, qui etiam ſcribit in quadam epiſtola, P. Rutilium Rufum dicere ſolere, qui Panætium audiuerat: ut nemo pictor eſſet inuentus, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatã reliquiſſet, abſolueret (oris enim pulchritudo, reliqui corporis imitandi ſpem auferebat) ſic ea quæ Panætius prętermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorũ quæ perfeciſſet præſtantiam neminem eſſe perſecutum.

V. L. ſed relictum.

Minimè uerò aſſentior.) *Propoſitio duplex, cuius unam partem refutat, alteram aliquo modo concedit. Sed quid accendo lucernam in meridie? in re præſertim non magni momenti.*

Qui Coæ Veneris.) *Conferatur huc ſimilis locus ex Epiſtola nona libri primi ad Lentulum.*

CICERO.

Quamobrem de iudicio Panætij dubitari non poteſt. Recte'ne autem hanc tertiam partem ad exquirẽdum officium adiunxerit, an ſecus: de eo fortaſſe dubitari poteſt. Nam ſiue honeſtum ſolum bonum ſit, ut Stoicis placet: ſiue, quod honeſtum eſt, id ita ſummum bonũ eſt (quemadmodum Peripateticis noſtris uidetur) ut omnia ex altera parte collata uix minimi momenti inſtar habeãt: dubitandum non eſt, quin nunquã poſsit utilitas cum honeſtate cõtendere. Itaq; accepimus, Socratẽ ſolitum execrari eos, qui primùm hæc naturâ cohærentia, opinione diſtraxiſſent. Cui quidẽ ita ſunt Stoici aſſenſi, ut etiã hi, quic quid honeſtũ eſſet, id utile eſſe cẽſerẽt: nec utile quicquã, quod nõ honeſtũ. Quod ſi is eſſet Panętius, qui uirtutem propterea colendã diceret, ꝙ ea efficiens utilitatis eſſet, ut ij qui res expetẽdas uel uoluptate uel indolẽtia metiũtur:

liceret

liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honeſtate pugnare. Sed cum ſit is, qui id ſolum bonum iudicet, quod honeſtum ſit: quæ aũt huic repugnent ſpecie quadam utilitatis, eorũ neq; acceſsione meliorem uitam fieri, nec deceſsione peiorem: non uidetur huiuſmodi debuiſſe deliberationem introducere, in qua, quod utile uideretur, cũ eo quod honeſtum eſt compararetur. Etenim quod ſummum bonum à Stoicis dicitur, conuenienter naturæ uiuere: id habet hanc, ut opinor, ſententiam, † cum uirtute cõgruere ſemper: cætera autem, quæ ſecundũ naturam eſſent, ita legere, ſi ea uirtuti non repugnarent. Quod cum ita ſit, putant quidem hanc comparationem non rectè eſſe introductam, nec omnino de eo genere quicquam præcipiendum fuiſſe.

V. L. naturam cum uirtute congruere ſemper.

Quamobrem de iudicio.) *Prioris quæſtionis concluſio hæc eſt: Panætium inſtituiſſe comparationem utilitatis & honeſtatis. Rationes allatæ ſunt hæ: 1. à tripartita diuiſione: 2. à promiſsione Panætij: 3. à teſtimonio Rutilij, qui libros Panætij de Officijs imperfectos eſſe aſſeuerabat, illuſtri ſimilitudine adhibita.*

Recte ne autem.) *Altera quæſtio, non debuiſſe Panætium, ut Stoicũ, comparationem utilitatis & honeſtatis inſtituere: quæ ne Peripateticis quidem, qui præter honeſtatem aliquid utile dicunt, conueniat.*

Critolai Peripatetici libra.

Vix minimi momenti inſtar.) *Alluſio eſt ad dictum Critolai Peripatetici, cuius quinta Tuſculana hæc uerba referuntur: Critolaus cum in alterã libræ lancem animi bona imponat: in alteram, corporis & externa: tantum propendêre illam boni lancem putat, ut terram & maria deprimat. Eôdem etiam poſtea alludit, cum ait: Qui omnia metiuntur emolumentis, nec ea uolũt præponderari honeſtate.*

Vtilitas ſuccumbit honeſtati.

Contendere.) *ἀντιφερίζειν, comparari, uel principatum ſibi contra honeſtatem uendicare. Nam ſi honeſtũ ſolum bonũ eſt, excludit omnẽ comparationem. Si ſummum, quicquid cum eo contuleris, erit inferius. Accidet igitur utilitati idem quod luſciniæ apud Heſiodum, quam tyrannus accipiter his uerſibus inſontem criminatur:*

ἄφρων ὅς κ' ἐθέλει πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
νίκης τε στέρεται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.
Bella mouet quiſquis ſtolido potioribus auſu,
Dedecus & cladem uictus ſpretusq; reportat.

Socratem ſolitum execrari.) *Primo libro de Legibus, ætiologia additur, his*

tur, his uerbis: Socrates execrari eum ſolebat, qui primus utilitatem à natura ſeiunxiſſet. Id enim querebatur caput eſſe exitiorum omnium.

Socratica execratio.

Opinione diſtraxiſſent.) *Id eſt, opinati eſſent aliquid eſſe utile & turpe, aliquid honeſtum eſſe & noxium. Quanto magis execraretur eos, quæ maxima turba eſt, qui nihil honeſtum putant, niſi quod opes, honores, uoluptates augeat: & quibus ſapientia unica eſt, acquirendæ pecuniæ intelligentia, quam adepti, omnes ſuas libidines explere queant?*

Efficiens utilitatis.) *Epicurus, cuius ſententia extremo hoc libro copioſius exponitur, uirtutem colendam cenſuit non propter ſeſe, ſed propter utilitatem & uoluptatem, quæ eam conſequatur. Prudentiam, inquit, cole, ut rebus tuis benè conſulas: Temperantiam, ut rectè ualeas, ut & plurimis & maximis & maximè diuturnis uoluptatibus potiaris: Fortitudinem, ut mala propulſes, & gloriam compares: Iuſticiam, ut legum pœnas uites, & ſalua ſit tua exiſtimatio. Negat igitur τὸ καλὸν φύσει τε καὶ δι' αὐτὸ αἱρετὸν εἶναι. Vtcunque ſit, utinam honeſtatem uel ob emolumenta expeteremus, & non perniciem cum turpitudine coniungeremus.*

Chriſtiani Epicuro nequiores.

Vel indolentia.) *Sic rectius legi uidetur, quàm indigentia. Dogma autē fuit Hieronymi Rhodij, τὴν ἀπονίαν ſiue ἀναλγησίαν ſummū eſſe bonum: ſicut dicitur nimium eſſe boni, cui nihil ſit mali.*

Eorum neq; acceſsione.) *De hac Stoica extenuatione rerum corporis & externarum, & transformatione hominis in genium aut deum quendam: toties iam dictum eſt, ut repetere ſit odioſum.*

Conuenienter naturæ uiuere.) *Natura humana cū & animo & corpore cōſtet (id quod negare inſaniæ eſt) natura utiq; tam corporis quàm animi incolumitatem deſiderat. Sed cum animum Deo, corpus brutis animantibus cognatum habeamus, cumq; honeſtas ad animum maximè, utilitas uerò ad corpus pertineat: ne illud quidem dubitandum eſt, honeſtatem utilitati eſſe præferendam: nec ea prodeſſe homini, quæ lædant animum: & magnæ inſcitiæ eſſe, corporis incolumitatem integritati animi anteferre, & dominū mācipio poſt habere. Hoc nemo ſanus magis negabit, quàm præſtare nummum potius amittere quàm oculum: niſi inter corpus uel animum nihil intereſſe, & utrunq; unà ſicut beſtias interire cenſuerit, ut faciunt Epicurei, peruerſæ opinioni ſuæ uitam agentes conſentaneam.*

Vt animus corpore præſtantior: ſic utilitas honeſtate potior.

Cum uirtute congruere ſemper.) *Stoici hîc planè cum Peripateticis conſentiunt, & cum omniū ſanorum hominum iudicijs: ea quæ commoda & utilia uideātur, tum demū amplectenda eſſe, ſi honeſtati non repugnent: aliter autem, repudianda eſſe. Memorabile hoc dictum eſt, & prudentiæ plenū. Quidam codices habent, Naturam cum uirtute congruere: hoc eſt, hominem remota uirtute à natura ſua deficere, & degenerare in beſtiam.*

Cum uirtute congruere.

Cum uirtute congruere ſemper.) *Pinguiore Minerua hoc partium enumeratione declaretur: nihil cogitare, nihil dicere, nihil agere, atq; adeò ne ſomniare quidem, niſi prudenter, iuſtè, fortiter, temperatè.*

Aaa Quod

Orationis conſtantia.

Quod cum ita ſit.) *Concluſio alterius queſtionis, qua inconſtantiæ Panætius arguitur. Superiorum temporum Dialectici præceptum, ut ante quoq; dictum eſt, habuerunt de obligatione: cuius ea uis eſſet, ut nihil repugnans propoſitioni, in progreſſu diſputationis admiſceretur. ut ſi quis Oratorem definiret uirum bonum, dicendiq; peritum, atq; eundem poſtea uel improbum uel indiſertum faceret: hic non ſtaret pactis & conuentis, atq; ipſe ſibi repugnaret. Apud Ariſtotelem ſimile eſt,* τὸ τὴν θέσιν διαφυλάττειν, καὶ ὁμολογουμένως ταῖς ὑποτεθείσαις ἀρχαῖς διαλέγεσθαι. *Etſi autem dici poſſet, definitionem ea complecti, quæ in Oratore eſſe debeant, nō ea quæ ſint: tamen indiſertus, nomen Oratoris non meretur, ſed nugatoris: homo improbus, rabula forēſis, & ſycophanta potius dicetur quàm Orator. Hoc modo Panæti⁹ profeſſus inter honeſtū & utile nihil intereſſe: ſibi non conſtabit, ſi ea inter ſeſe cōparauerit. Nam collatio in rebus ijſdem locū non habet, ſed in diuerſis, aut contrarijs.*

Orator uir bonus, dicendi peritus.

CICERO.

Atq; illud quidem honeſtum, quod propriè uereq; dicitur, id in ſapientibus eſt ſolis, neque à uirtute diuelli unquàm poteſt. In ijs autem, in quibus ſapientia perfecta nō eſt, ipſum illud quidem perfectum honeſtū nullo modo poteſt eſſe, ſed ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt. Hæc igitur omnia officia, de quibus his libris diſputamus, media Stoici appellant: & ea communia ſunt, & latè patent, quæ & ingenij bonitate multi aſſequūtur, & progreſsione diſcendi. Illud autem officium quod rectum ijdem appellant, perfectum atq; abſolutum eſt: &, ut ijdem dicunt, omnes numeros habet, nec præter ſapientē cadere in quenquam poteſt. Cum autem aliquid actū eſt, in quo media officia compareant, id cumulatè uidetur eſſe perfectum: propterea quòd uulgus, quid abſit à perfecto, ferè non ex toto intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat eſſe prætermiſſum. † Quod item in poematibus & in picturis uſu uenit, in alijsq; compluribus, ut delectentur imperiti, laudentq; ea quæ laudanda non ſunt, ob eam credo cauſam, quòd inſit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui quidem quid in unaquaque re uitij ſit, nequeant iudicare. Itaque † cùm ſunt docti à peritis, facilè † deſiſtunt à ſententia. Hæc igitur officia, de quibus in his libris diſſerimus, quaſi ſecunda quædam hone-

ſta di-

ſta dicunt eſſe: non ſapientum modò propria, ſed cum omni hominũ genere cõmunia. Itaq; his omnes, in quibus eſt uirtutis indoles, cõmouentur. Nec uerò, cum duo Decij, aut duo Scipiones fortes uiri cõmemorantur, aut cùm Fabricius aut Ariſtides iuſti nominãtur: aut ab illis fortitudinis, aut ab his iuſticiæ, tanquã à ſapiẽtibus petitur exemplum. Nemo enim horũ ſic ſapiens eſt, ut ſapiẽtem intelligi hîc uolumus. Nec ij qui ſapiẽtes habiti ſunt, & nominati, M. Cato & C. Lælius, ſapientes fuerunt. Ne illi quidem ſeptem: ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant, ſpeciemq; ſapientum. Quocirca nec id quod uerè honeſtum eſt, fas eſt cum utilitatis repugnantia comparari: nec id quod communiter appellamus honeſtum, quodq; colitur ab ijs qui bonos uiros haberi ſe uolunt, cum emolumentis unquã eſt comparandum. Tamq; id honeſtum quod in noſtram intelligentiam cadit, tuendum, conſeruãdumq; eſt nobis, quàm id quod propriè dicitur, uereq; eſt honeſtum ſapiẽtibus. Aliter enim teneri non poteſt, ſi quæ ad uirtutem eſt facta progreſsio. Sed hæc quidem de ijs, qui conſeruatione officiorum exiſtimantur boni.

V. L. Quod autem in poematibus.) Hæc lectio ἀνανταπόδοτος eſt. Quare melius uidetur, quod in alijs quibuſdam editionibus legitur: Quod etiam. In alijs, Quod idem, uel, Quod item. Cum ſunt docti. Deſiſtunt à ſententia.) Præpoſitionem alij omittunt. Vtraq; conſtructio frequens eſt Ciceroni. Legitur &, Itaque ij omnes, pro his uel ijs, perperam.

Atq; illud quidem honeſtum.) *Hactenus accuſatio Panætij. Nunc eiuſdem defenſio, quæ quidem uelut ex abrupto inchoatur, ut non abſit mendi ſuſpicio, & nonnulla uerba prætermiſſa uideantur. Conſtat autem, ut antè diximus, hæc ἀπολογία partim diſtinctione rerum & perſonarum, partim inficiatione: doceturq;, non tam comparatã eſſe utilitatem cũ honeſtate, quàm controuerſias obſcuriores explicatas. De diſcrimine autem κατορθώματος καὶ καθήκοντος, ea conſulantur, quæ primo libro dictauimus. Affe::atur tamen, ob longi temporis interuallum, & tardas progreſsiones noſtras, quarum non una cauſa eſt, perſpicuum exemplum: philoſophi, hoc eſt hominis* Officij medij & perfecti exemplũ.

eruditi & uerè ſtudioſi κατόρθωμα eſt, aſsiduè & diligenter inueſtigare & demonſtrare hominibus ueritatem, in eaq; & inuẽta & patefacta ſine ullius alterius præmij reſpectu acquieſcere. Eiuſdem καθῆκον fuerit, illud ipſum ita facere, ut aliquod gloriolæ choragium comparetur, ut propter neceſsitates corporis & uitæ commoditatem pecuniæ aliquid acquirat, & delectationis ſuæ rationem habeat, ſine qua perpetui ſtudiorum labores perferri haud facile poſſunt. Niſi enim καθῆκον & κατόρθωμα cauſis & fine potius quàm actione (quanquam hac ipſa etiam) diſtinguantur: eorum ego me diſcrimen non intelligere fateor. neque ſanè hac ignoratione rei, quæ plus argutiarum quàm utilitatis habere uidetur, magnopere crucior. Sed tamen ea differentia, quantum in nobis eſt, rectius ut intelligatur, ſumamus exemplum ſagittarij, cuius ars in eo poſita eſt, & ſumma perfectio, ut centrum ſcopi ſeu metæ attingat. Sed fingamus ita conueniſſe inter ſodales, ut centrum tangere, quanquam artificioſiſsimum ſit, mulctã habeat, circulus uerò aliquis exterior præmium: qui præmium petit, centro omiſſo, à catorthomate recedit, & emolumento potius quàm honeſtate ducitur: nec ſequitur artem, ſed lucrum: niſi quis fortè contendat, eum, ipſum circulum exteriorem, tum centri locum obtinere. Quod ut concedamus: ſic tamen concedendum erit, ut id centrũ non ſagittarij, ſed cerdonis eſſe dicamus: ſicut is qui in agendo fructum potius quàm officiũ ſpectat, auari magis hominis, quàm boni uiri nomen mereatur. Neque ut ſcopum mutare, ſic naturam rerum inuertere licet. Sed hæc hactenus.

Exemplum ſagittarij.

Scopus Naturæ immutabilis.

Illud quidem honeſtum quod propriè.) *Hæc ad Platonicas ideas referenda ſunt, in cogitatione potius poſitas, quàm eiuſmodi res quæ ipſo opere cerni poſſint. Itaq; ſapientes & beati Stoicorum ſomnia ſunt, ὄναρ μὴ, ἀλλ' οὐχ ὕπαρ: ad id tamen utilia, ut inſcitiam & imbecillitatem noſtram agnoſcentes, nunquam criſtas attollamus, noſq; perpetuò in ſcientiæ & uirtutis ſtudijs exerceamus.*

Stoicos hominibus ſua imbecillitate oſtenſa, hortatores eſſe ad ſtudium uirtutis & ſcientiæ ardentius.

Cum autem aliquid actum eſt.) *Occupatio quædã eſſe uidetur. Obijci enim poterat: Stoicos temerè à conſenſu generis humani recedẽtes, neſcio quæ beata ſomnia ſibi fingere, & omnes mortales reliquos improbitatis & ſtulticiæ condemnare. Reſpondet Cicero: cauſam eſſe, cur multi probentur uulgo, non perfectionem uirtutis & ſapientiæ, ſed infirmitatẽ iudicij multitudinis, & imperitiam. Et hoc declarat exemplis pictorum & poetarum: ut ſua Stoicis conſtet autoritas, & exquiſitæ doctrinæ atq; acuminis laus tribuatur.*

Infirmitas iudicij probat non probanda.

In quo media officia compareant.) *Quod fit, cum nec ratio, gubernatrix actionis, ſubtiliſsima eſt: & uoluntas non in ſolam honeſtatem intenta, etiam præmium commoditatis & delectationis aucupatur, & à centro (ut paulo antè dictum eſt) ad circulum exteriorem deflectit.*

Ferè non ex toto.) *Sic in pleriſq; codicibus legitur, ſed haud ſcio quàm rectè. Nam (ex toto) ut apud Q. Curtium & Plinium legitur, apud Ciceronẽ aũt nuſquàm alibi (quod ego quidẽ ſciam) legitur: non ferè, pro, propemodũ nunquã, uel plerunq; non, frequẽter apud bonos autores occurrit. Neq; uerò ſi quid*

ſi quid ſemel tantū apud Ciceronem reperitur, propterea reijcio (quàm enim ea multa ſunt? Nec omnia eius ſcripta extant, & fortaſſe non ſe utendi ſæpius dedit occaſio) ſed tamen inſolentiora ſi ſint, habeo ſuſpecta, nec imitari temerè uelim. Rara, ſuſpecta.

Laudentq́ ea.) *Monet Epictetus, non temerè quicquam laudandū aut uituperandum eſſe: quod id nec ſine magno iudicio uerè, rarò etiam ſine aliorū offenſione fieri poſsit. Quare cauti & tardi erunt in hoc genere adoleſcentes. Et tamen, ſi in alteram partem peccandum ſit, erunt ad laudandum quàm ad reprehendendum propenſiores.* Cauenda laudandi & uituperãdi temeritas.

Ob eam credo cauſam.) *Non tantum quid fiat, ſed etiam cur fiat, exponit: non quidem approbans futiles & imperfectas rationes, ſed eas confutandi anſam ſuppeditans. Hac ratione cùm uberior fit oratio, tum ſcriptoris humanitatem indicat, errores aliorum non acerbè inſectantis, ſed aliquo modo excuſantis. Vt enim qui frigidè defendit, propè culpam fatetur & accuſat: ſic qui leniter accuſat, parū abeſt quin excuſet atq; laudet. Fuit omnino magnus candor Ciceronis, & (quantum ex eius ſcriptis atq; hiſtorijs apparet) mores per quàm amabiles, nec minor libertas in uitijs uel coniunctiſsimorū notandis. Seruijt ille quidem interdum temporibus, & arte tractauit leonum catulos (qua enim alia ratione uel ſemetipſum, uel Rempublicā tueri potuiſſet?) Sed rectum eius ingenium, animum ſimplicem & apertum, nihil ex inſidijs agendum putantem, ueritatis cultorem, fraudis inimicum, ſcripta eius præ ſe ferunt, uel eo nomine maximi facienda.* Reprehenſio cum eius excuſatiõe, qui reprehenditur.

Quòd inſit in his aliquid probi.) *Ineptè argumētatur uulgus à parte ad totum, hoc modo: Statua hæc pulchros habet oculos, ergo tota facies proba eſt: hoc eſt, talis qualis eſſe debet. Symmetria & proportio totius corporis in ſtatuis & picturis, nō tantum color, aut materia, aut magnitudo, aut pars aliqua cōſideranda eſt. Sic in Poemate non ſonitus modò uerſuum, ſed & delectus uerborum, & inuentio, & diſpoſitio, & conuenientia partium omniū inter ſeſe, laudem merentur. Notentur hoc loco ſententiæ Ariſtotelis primo Ethicorum, quæ modeſtiæ adoleſcentes admoneant, atq; etiam prudentiæ, ne ſtatim laudandum cenſeant, quod uulgo placuerit· α. ἠθικῶν νικομαχείων: ἕκαστος κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής. καθ' ἕκαστον ἄρα ὁ πεπαιδευμένος, ἁπλῶς δὲ ὁ περὶ πᾶν πεπαιδευμένος. Hanc ſententiam ſi conſiderarent ἰδιῶται, non adeò temerè & petulanter de religione, de Repub. de ſtudijs bonarum artium garrirent: ſed fabri tractarent fabrilia. Quis autem eſt omnium bonarum artium peritus? Imò quotuſquiſque in ſingulis excellit? Quàm multi rerum omnium ignari, & propemodum inguinis & capitis diſcrimen ignorantes, iudicium rerum omnium ſtultiſsimè ſibi ſumunt?* Statua. Poema. Temeritas in dicandi de rebus parum cognitis, fugienda.

Quaſi ſecunda quædam honeſta.) *Sic ſecundarius panis, quanquā panis & ipſe dicitur, tamen multos furfures habet admiſtos, & minus purgatus eſt eo qui ex polline cōficitur. Eodem modo officia media multū habent* Officia media ſe quoq; reſpiciunt.

admiſſum philautiæ, minusq́; curant uniuerſam hominum inter ſeſe ſocietatem. Ad hunc locum rectius intelligendum, conſulatur liber 3. de Finibus, & hæc uerba potiſſimùm: Eſt, inquit, officium, quod ita factum eſt, ut eius facti probabilis ratio reddi poſſit. Ex quo intelligitur, officium medium quoddam eſſe, quod neq; in bonis ponatur, neq; in contrarijs. Quoniamq́; in his rebus quæ neq; in uirtutibus ſunt, neq; in uitijs, eſt tamen quiddam quod uſui poſſit eſſe: tollendum id non eſt. Duriuſculus uidetur hic locus, & pugnare cùm eo qui eſt principio huius operis, cum ait, In excolendo officio ſitam eſſe uitæ honeſtatem omnem, & turpitudinē in negligendo. Sed ἀκριβολογίαις καὶ ὑπερβολαῖς στωϊκαῖς excuſatur.

Hi omnes.) *Legendum, his omnes, &c. commouentur, id eſt cupiunt ea præſtare: & niſi fecerint, ipſi ſibi iniurij & uituperandi eſſe uideantur. Habent hi διάθεσιν, non ἕξιν uirtutis, & opinione magis quàm ſcientia ducuntur.*

Virtutis & doctrinæ indoles.

In quibus eſt uirtutis indoles.) *Hi Græcè dicuntur οἱ πεφυκότες πρὸς ἀρετὴν, quæ eſt δύναμις φύσεως καὶ θεία τις μοῖρα. Hi enim ſoli, in quibus eſt uirtutis & doctrinæ indoles, in bonos & eruditos uiros euadunt, recta inſtitutione adhibita. In cæteris, quicquid agas, oleū et opera, quod aiunt, luditur. Quare magiſtratus et Reipublicæ intereſt, delectum agi ingeniorum: quod optare poſſumus, ſperare non poſſumus.*

Nec uerò cum duo Decij.) *Occupatio quædam eſt, in hanc ſententiam: Stoici κατορθώματος neq; in Romanis neq; in Græcis hiſtorijs ulla extant exempla, ſed tantum καθηκόντων μέσων. Sic extenuari uirtutes maiorum ſuorum & ſuas, pleriq; moleſtè ferunt, ſæpe etiam in conuicia prorumpunt. Quorſum, inquiunt, iſtam doctrinam, quæ oratione fingitur, ut Platonica ciuitas: re uerò ipſa demonſtrari non poteſt?*

Sapiens Stoicus.

Tanquam à ſapiente.) *Malim plurali numero, Tanquam à ſapientibus, quia plures commemorantur: niſi quis ſapientem Stoica idea intelligat. Loquuntur enim non de ſapientibus plurali numero, ſed ſingulari, de ſapiente: quem eundem intelligunt perfecta etiam uirtute præditum, coniunctis & mentis & uoluntatis, uirtutibus quas Græci διανοητικὰς καὶ ἠθικὰς appellant.*

Septem ſapientes & philoſophi reprehēſi à Damone & Anaximene, & Dicearcho. Veritas. Integritas.

Nec illi quidem ſeptem.) *Etſi mihi propoſitum non eſt uel grammatica uel hiſtorica tractare, ſed ſcopi & finis meminiſſe: qui huius operis eſt, ut prauæ opiniones corrigantur, & mali mores emendentur: tamen iudicium Damonis cuiuſdam & Anaximenis de ſeptem Græciæ ſapientibus ex Laertio recenſere libet. Damon igitur Cyrenæus, cùm omnes Philoſophos reprehendit, tum uerò ſeptem illos ſapientes. Quid in ijs reprehenderit, autor diſſimulat. Sed probabile eſt, eum in illis & iudicij ueritatem, & ſtudium ueritatis, & uitæ ſanctimoniam deſideraſſe. Vix enim mortalium quiſquam reperietur, quin horum criminum alicui ſit obnoxius. Anaximenes uerò ſeptem ſapientes fuiſſe poetas perhibet. (ſic enim*

intelligo

intelligo τὸ ὑποθέσθαι ποιητικῇ, etſi non abeſt mendi ſuſpicio) quorum elogiũ eſt apud Homerum, principem poetarum, ὅτι πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. Dicæarchus autem eoſdem neq; ſapientes, neq; philoſophos fuiſſe dixit: ſed homines prudentes, & legum ferendarum peritos. Commemorantur autem hi ſeptem potiſſimùm: Thales, Solon, Pittacus, Bias, Chion, Cleobulus, Periander. His à nonnullis adduntur Pherecydes, Myſon, Anacharſis, Epimenides, Pythagoras, Ariſtodemus, Pamphilus, Acuſilaus, Leophantus, Leſus, Anaxagoras, Orpheus, Linus, Epicharmus. Sed hæc hactenus. quæ ideo attuli, ut etiam ante Stoicos, ſeptem illorum autoritatem non inuiolatam fuiſſe conſtaret: utq; intelligeretur, mortalium neminem Criticorum cenſuras uitaturũ, & cuiq; κριτὰς ἀγνώμονας præſtò eſſe. quibus ſtatim aſſentiri, & eos qui ab aliquo quacunq; de cauſa improbantur (latè enim in hoc genere inuidia & æmulatio patet) ſpernere & reijcere, nefas eſt. Nõ ſtatim reijciendi, qui ab æmulis uitupe rantur.

Ex mediorum officiorum frequentia.) *Cum plerunq; honeſtè ſentirent, dicerent, agerent, ἐκ τοῦ πλεονάζοντος, uiri ſapientes & boni & habiti & appellati fuerunt: quamuis alicubi errarent, atque ab officio nonnihil deflecterent, & priuatæ etiam utilitatis & gloriæ rationem haberent. Epaminondam Thebanum non uel in primis commemorari hoc loco, miror: qui unus ex omnibus profanis hiſtorijs proximè ad imaginem Stoici ſapientis acceſſiſſe uidetur, cũ eſſet & doctiſſ. & fortiſſimus, & ab omni uitio alienus, ſobrius, caſtus, abſtinens, gloriæ cõtemptor, ſolius ueritatis, officij & patriæ ſtudioſus: uera ſi ſunt, quæ de eo literarũ monimentis prodita extant.* Epaminonda excellens uirtus.

Quocirca ne id.) *Concluſio alterius quæſtionis: utilitatem neque à ſapiente perfecto, neq; à mediocri bono uiro cum honeſtate comparari.*

Tamq; id honeſtum.) *Eſt & hæc occupatio quædam, & parænesis: Non eſſe propterea uirtutis & ſapientiæ ſtudium abijciendum, quòd neutrius perfectio contingere homini poſſe uideatur. In eam ſententiam præclarè Horatius:* Perfectio non afferre deſperationem, ſed ſtudium augere debet.

Eſt aliquò prodire tenus, ſi non datur ultrà.

Fuerunt ex Stoicis, qui progreſſiones (τὰς προκοπὰς ipſi dicunt) in ſtudio uirtutis tollerent, & ſubitò aſinum in leonem transformarent: quorum ineptias improbat Cicero.

Aliter enim teneri non poteſt.) *id eſt: Niſi quis ſubinde ſeſe exercuerit, repurgandis erroribus & uitijs, augendiſque uirtutibus, & ſcientia diſciplinarum, & ſtultus & improbus permanebit: atque id etiam quod conſequutus fuerat, amittet. Qui enim non progreditur, regreditur. Nam in eodem ſtatu permanere non poteſt niſi is, qui perfectionem uirtutis & ſapientiæ conſequutus eſt. Quam cum nemo unquam neque conſecutus fuerit, neq; in terris conſecuturus ſit: ſatis apparet, perpetuò eſſe uigilandum & laborandum. Quòd ſi quis talis eſſet, tamen ut Hippocrates ait, τὰς ἄκρας τῶν εὐεξιῶν σφαλερὰς εἶναι: ita fortaſſis animi etiam optima affectio ruinam minaretur.* Deficere eſt, nõ proficere.

Si qua

Exercitatione perpetua uirtutis & doctrinæ eſſe opus.

Si qua eſt ad uirtutem facta progreſsio.) *Memoriæ mandetur hæc ſententia, perpetuoq́; ob oculos ſit, tum in colendis ſtudijs, tum in degendæ uitæ ratione. Etiam doctiſſimi homines, cum ſtudium remiſerunt, multa obliuiſcuntur: & ad præſtanda doctrinæ officia, ſiue docendo, ſiue ſcribendo, fiunt & tardiores & ineptiores. Boni quoq; uiri, ubi ſecuri eſſe cœperint, nimium freti probitate ſua: facilè uel à uoluptatibus, uel ab affectibus prauis uincuntur. Tanquam arcum igitur, ſic animum ſemper intentum bonus adoleſcens habere debebit: ne uel inſcitia uel improbitas, nec opinantem & imprudentem inuadat.*

CICERO.

Qui autem omnia metiuntur emolumentis & cõmodis, neque ea uolunt præponderari honeſtate: hi ſolent in deliberando, honeſtũ cum eo quod utile putant, comparare: boni uiri non ſolent. Itaque exiſtimo Panætium, cum dixerit, homines ſolere in hac comparatione dubitare: hoc ipſum ſenſiſſe, quod dixerit, ſolere modò, non etiam oportere. Etenim non modò pluris putare, quod utile uideatur, quàm illud quod honeſtum: ſed hæc etiam inter ſe comparare, & in his addubitare, turpiſsimũ eſt.

Sapientes. Mediocres. Iniqui.

Qui autem omnia metiuntur.) *Tria genera hominum facit hoc in loco Cicero: ſapientes, mediocres, iniquos. Iniquiſſimi enim ſunt, qui omnia ſibi ab omnibus, à ſe uerò alijs planè nihil deberi putant. Tales enim eos eſſe puto, qui omnia metiuntur emolumentis & cõmodis, etc. Duo ſuperiores, honeſtatem utilitatis opinioni præferunt: poſtremi, honeſtatem planè cõtemnunt. Itaq; ſi quis uerè iudicet, nec apud ſapientes, nec apud iniquos honeſtatis & utilitatis comparatio locum habet: quòd ſapientes Stoici nõ dubitant ulla de re, ſed de omnibus rectè iudicant: iniqui uerò, quicquid priuatæ utilitatis, & uoluptatis alicuius ſpecie blanditur, cuiuſcũq; modi ſit, etiam honeſtiſſimum putant. Reſtant igitur mediocres: qui etſi honeſtum utili præponunt, tamen aliquando dubitant, propter iudicij imbecillitatẽ, & appetitus uehementiã, an honeſtas utilitati coniuncta ſit, nec ne.*

Honeſtum cum eo quod.) *Ea comparatio hanc rationem apud iniquos, quos eoſdem græcè* πλεονεκτικοὺς καὶ τυραννικοὺς *dicere queas, habet, ut ſemper uincat utilitas honeſtatem: quam minimi ac nihili potius faciũt, contendentes* τὸ καλὸν *humani ingenij figmentum eſſe,* οὐ φύσει, ἀλλ' ἔθει, νόμῳ καὶ δόξῃ ὑπάρχον. *Hanc nefariam ſententiam uarijs gentium inſtitutis & moribus probare conantur. Sed ſæpe dictum eſt, quid inter* τὸ καλὸν καὶ τὸ σεμνὸν *interſit.*

Honeſtum internum & externum.

Animi honeſtas interna, immutabilis eſt, & eadem apud omnes ſanos. Vbique enim probantur uiri prudentes, fortes, iuſti, temperantes.

Sed

Sed honeſtas externa, quæ non à iudicio rationis, ſed à ſenſuum comprobatione pendet, infinitas habet uarietates. Itaq; alij aliter habitant, ueſtiunt, uictitant, rempub. adminiſtrant, legibus, iudicijs, connubijs, alia ratione utuntur. Suum cuique populo pulcherrimum uidetur, & difficile eſſe bonitatis iudicium exiſtimatur. Sed hoc tamen tenendum eſt, citraq; ullam hæſitationē ſtatuendum, quo propius externa iſta honeſtas ad internam illam acceſſerit, naturæq; tam animi quàm corporis accommodatior fuerit: eo inſtituta & mores maiorem habere approbationem. Conſideretur igitur in ædificijs, in ueſtibus, in uictu, in legibus, connubijs, funeribus, alijs deniq; infinitis rebus, cauſa & finis. Sic enim quàm minimè ceremoniæ illæ, externiq; ritus à uera honeſtate aberrabunt. Cauſa & finis ſpectetur.

Homines ſolere modò, non oportere.) *τὰ γινόμενα deſcribuntur ab hiſtoricis atque poetis, & in uita communi in ſenſus atque oculos incurrunt: τὰ δέοντα præcipiuntur legibus diuinis & humanis, & explicantur à ſanioribus philoſophis. Sed hæc rarò coniunguntur, & maxima eſt inter præcepta diſſenſio: quod alij errore & inſcitia, alij imbecillitate animi, alij temeritate & libidine ab officio diſcedunt. Quare, ut eſt apud Demoſthenem, μὴ τὸ δ' ὑμῖν ἐάν τι λέγειν ὡς γέγονεν, ἀλλ' ὡς ἐστι δίκαιον γενέσθαι: ſemper uidendum eſt, non quid fieri ſoleat, ſed quid fieri oporteat: eſtque, ut uulgò dicitur, iudicandum non exemplis, ſed regulis. Neque enim multitudo peccantium peccanti patrocinatur, ut ait diuus Hieronymus: neq; minus fur dat pœnas, etiamſi multos eiuſdem facinoris ſocios habuerit. Quod igitur apud homines delicta craſſiora non excuſat: id apud Deum ea quæ legibus humanis impunita ſunt, defendet? Quare uigilandum eſt omnibus, ne multitudine & grauitate exemplorum in errorem & fraudem capitalem inducantur. Sed hic Epicurei paratum habent ἀλεξιφάρμακον (ut Lucianus ait) τὴν ἀπ-σίαν: hoc eſt, cum Deum à rerum humanarum gubernaculis remoueant, & pecudis ac hominis diſcrimen tollant: quod per leges & conſuetudinem licet, non refugiunt, niſi non libeat. Quibus cum aliud perſuadere propter animi cæcitatem difficile ſit, ſuis moribus puniendi relinquantur.* τὰ γινόμενα. τὰ δέοντα.

Etenim non modò pluris putare.) *ἀστρολογία γνωμικὴ καὶ αὐτόπιστος. Sed declaretur exemplo. Inhoneſtum & nefarium eſt ueneficium. Regijs nuptijs potiri, utiliſſimum & ſplendidiſſimum habetur. Si igitur formoſa mulier, ſpe propoſita regij coniugij, ſi maritum ueneno ſuſtulerit: dubitet, ſit'ne dandum marito uenenum mercede regni: hæc ſtatim declarat ipſa dubitatione, ſe ſceleratam eſſe, & impiam. Fida enim & honeſta uxor à tali cogitatione animo atque auribus, tanquam à certiſſima peſte abhorret: & quiduis perpeti mauult, quàm uiolare maritum. Conſtat enim de turpitudine illius facti, neq; de eo quiſquam ſanus dubitare poteſt.*

Turpiſsimum eſt.) *Eam ob cauſam, quòd minus bonum anteponitur maiori bono, & maius malum minori malo præfertur: ut non multo*

pòſt declarabimus. Accedit huc, quòd ingenij ſtupor, atque inopia iudicij, ex ea collatione apparet. Neq; uerò minus ſtulticia turpis, quàm malicia.

CICERO.

Quid eſt ergo, quod nonnunquam dubitationem afferre ſoleat, cōſiderandumq́ue uideatur? Credo, ſi quando dubitatio accidit, quale ſit id de quo conſideretur. Sæpe enim tempore fit, ut quod plerunq; turpe haberi ſoleat, inueniatur non eſſe turpe. Exempli cauſa, ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod poteſt eſſe maius ſcelus, quàm non modò hominem, ſed etiam familiarem occidere? Num igitur ſe obſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occiderit, quamuis familiarem? Populo quidem Romano non uidetur: qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum exiſtimat. Vicit igitur utilitas honeſtatem? Imò uerò honeſtas utilitatem ſequuta eſt. Itaque ut ſine ullo errore dijudicare poſsimus, ſi quando cum illo, quod honeſtum intelligimus, pugnare id uidebitur, quod appellamus utile, formula quædam conſtituenda eſt: quam ſi ſequemur in comparatione rerum, ab officio nunquam recedemus. Erit autem hæc formula Stoicorum rationi diſciplinæq́ue maximè conſentanea. quam quidem in his libris propterea ſequimur, quòd, quanquam à ueteribus Academicis, & Peripateticis noſtris, (qui quondam ijdem erant qui Academici) quæ honeſta ſunt, anteponuntur ijs quæ uidentur utilia: tamen ſplendidius hæc ab ijs diſſeruntur, quibus quicquid honeſtum eſt, idem utile uidetur: nec utile quicquam, quod non honeſtum: quàm ab ijs, quibus aut honeſtum aliquod non utile, aut utile non honeſtum eſt. Nobis autem noſtra Academia magnā licentiam dat: ut quodcunque maximè probabile occurrat, id noſtro iure liceat defendere. Sed redeo ad formulam.

Quid eſt ergo quod nonnunquam.) *Sententia eſt, ut ſuprà ſæpe diximus: non utilitatem cum honeſtate comparari (id enim fuerit, gregarium militem Scipioni Africano conferre) ſed id quæri, an utilitas, certis in re-*

bus, non repugnante honeſtate, teneri poſſit? Exempla quæ autor afferet, rem declarabunt.

Quale ſit id) *hoc eſt, ſit'ne honeſtum an turpe? ſit'ne utile an pernicioſum? cohæreat'ne utilitas cum honeſtate, an ab ea ſegregetur honeſtas?*

Sæpè enim tempore fit.) *De officio τῶν περιστάσεων, cũ perſona, tempus, locus, cauſa, modus & reliqua, diſcrimen aliquod actionum conſtituunt, primo Libro dictum eſt. Atq; inde huius quoq; loci declaratio petatur.*

Quod plerunq; turpe haberi ſoleat.) *Sumatur cõtrariũ hoc modo: Sæpe tẽpore fit, ut quod plerunq; honeſtũ haberi ſoleat, inueniatur nõ eſſe honeſtum. Exempla ſuprà allata ſunt, reddendi depoſiti, & ſeruandi promiſſi.*

Quod pateat latius.) *Obſeruetur methodus: 1. quærit atq; interrogat: 2. proponit: 3. rationem affert: 4. exemplo propoſitionem & rationem illuſtrat. Tyrãnicidij exemplum latius patêre dicit, ut opinor, quòd facinus illud omnibus innoteſcit, & plurimis uel obeſt uel prodeſt. Eſt autem hoc de induſtria adhibitum, quòd Cæſariani hæredes atq; amici, Brutum & Caſſium, interfectores Cæſaris, tanquam ſacrilegos & parricidas deteſtabantur, & è rerum natura ſublatos cupiebant.*

Populo quidẽ Romano.) *Conſiderentur hîc τὰ λεγόμενα ἢ ἁπλῶς ἢ πρός τι, uel potius κατά τι. Occidere hominẽ, ſimplex eſt, et nefas: occidere furem, ſacrilegũ, latronẽ, tyrannũ, ueneficũ, &c. habet reſpectũ nõ ad perſonã, quatenus homo eſt, ſed ad perſonæ facinus, quod cædis cauſam iuſtã cõplectitur. Ad hûc locũ declarandũ nõnulla ex Paradoxo, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, aſſumi poterũt. Cæterùm quod ad tyrannos attinet, ueterũ mirum fuit odium, Græcorum præſertim, in eos qui ſoli rerum potirentur, quantumuis prudentes, æqui atq; benefici eſſent. Id eò factum uidetur, quòd (ſecus ac Ariſtoteles docet, atq; experientia demonſtrat) inter hominem & hominem nihil admodum intereſſe putabant, quodq; licentiam & libertatẽ non diſtinguebant, & licere ſibi quod libuiſſet uolebant. Iis quidem ignoſcendum uidetur, qui tyrannorum libidines, rapinas, cædes iniuſtas ferre non potuerunt. Sed nos Chriſtiana religio docet: improbos magiſtratus, ob delicta populi diuinitùs cõſtitutos, non modò non occidendos, ſed ferendos & colendos eſſe: eatenus tamẽ, quatenus diuinam iuriſdictionem non inuadant. Tum enim Deo potius quàm homini obtemperandum, & oppetenda mors eſt pro religione & honeſtate: pro religione inquam & honeſtate, non pro ſuperſtitione, errore, pertinacia, prauo quopiam affectu.*

Veteres μισοτύραννοι.

Chriſtiana religio tyrãnos flagella eſſe Dei ſtatuit.

Illud pulcherrimum.) *Quia cæde tyranni reſtitutam ſibi putabat libertatem, qua nihil habebant antiquius. Quàm uerò rectè ſenſerint: dubitari poteſt. Nam pro uno tyranno plures, & deteriores extiterunt: & multi præclari conatus C. Cæſaris, intempeſtiua illa cæde ſunt interrupti. Sed tamen dedit ille Deo pœnas uiolentiæ & ſuperbiæ.*

Cæſaris cædes.

Vicit igitur utilitas honeſtatem?) *Ἀντίθεσις fingatur. Probatur cædes Cæſaris, non quòd honeſta, ſed quòd utilis Reipublicæ fuerit.*

Honeſtatis & utilitatis connexio.

Imò uerò honeſtas.) *Reſpondet Cicero: id factum non minus fuiſſe honeſtum, quàm Reipublicæ utile. Honeſtum eſt punire ſceleratos, ſed id publica debet autoritate fieri: quã tyrannicidis nõ defuiſſe, & Libro 2. & hic ſignificat: utile eſt, tutos eſſe ab eorum iniurijs. Honeſtas igitur cum utilitate, & utilitas cum honeſtate implexa eſt, atque uno communi uinculo continetur.*

Cædes Cæſaris an è Republica fuerit?

Quòd autem utilem fuiſſe cædem Cæſaris affirmat Cicero, mirum uidetur. Neq; enim recuperata erat libertas, ſed facta tyrannorum mutatio: à quibus & Reſpub. grauius afflicta, & multi innocentes ſpoliati ac cæſi ſunt: & ipſe deniq; Cicero, qui ſub Cæſare tranquillus & tutus uiuebat, partim turpiter proditus ac deſertus, partim crudeliter interfectus eſt. Neq; uerò hæc ignorare potuit, cum, dum hos libros ſcriberet, & Reſpub. & ipſe in extremũ diſcrimen adducti eſſent. Si igitur ambitionem & priuatum odium hîc eum ſecutum eſſe, negare uiſum fuerit: hæc cauſa afferatur, eum alios ab affectando regno, & occupanda tyrannide tam illuſtri exemplo, & crudeli atque ignominioſo exitu deterrere uoluiſſe.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ ΤΩΝ ΕΝ τοῖς προοιμίοις.

I. *Scribit ſe oppreſſa Repub. rectè philoſophari.*

II. *Doctrinam de officijs in Philoſophia excellere.*

III. *Filio in ſtudio uirtutis & ſapientiæ ſedulò eſſe elaborandum.*

IIII. *Panætium non rectè prætermiſiſſe explicationem earum rerum, de quarũ uel honeſtate uel utilitate dubitetur.*

V. Itaq; ut ſine ullo errore.) *Propoſitio huius libri: ſe id exoluturũ, quod Panætius promiſerit, nec præſtiterit.*

Hæc, quia breuitas imbecillitati memoriæ ſeruit, paucis repetere uiſum eſt. Qua confirmata, accedere debet obſeruatio & meditatio τῆς ἐργασίας cuiuſq; membri: quibus ſcilicet uerborũ et ſentẽtiarũ ornamẽtis unaquæq; pars amplificata & illuſtrata ſit: ut ſimilis ratio à nobis etiã in ſcribẽdo ſeruetur.

Certum cuiuſq; doctrinæ fundamentum quærendum.
Ignota.
Certa.
Dubia.

Sine ullo errore.) *Magnifica pollicitatio eſt, & propemodum hyperbolica: cuius ueritatem in progreſſu diſputationis uidebimus. Danda eſt opera hominibus ſtudioſis, ut in omni doctrinæ genere, certi & firmi aliquid conſequantur. Quod fiet, ſi cauſas rerũ inueſtigarint. οὐδὲν γὰρ ἴσμεν, autore Ariſtotele, ἄνευ τῆς αἰτίας. Neq; uerò hoc ubiq; fieri poteſt, propter multarum rerum obſcuritatem, uel potius ob humani ingenij tenebras atq; anguſtias. Illud tamen magnifaciendum eſt, ſi conſtet quid neſcias, quid ſcias, de quo dubitandum ſit, & amplius deliberandum?*

Quod honeſtum intelligimus.) *ſcilicet eſſe. Suprà dixit, æquitatem, id eſt honeſtatem ipſam lucere per ſeſe: dubitationem autem, ſignificationem habere iniuriæ. Obſeruetur ἔμφασις uerborum, intelligimus & appellamus.*

Formula quædam diſputandi.) *Eæ res in diſputationem cadunt, de quib. alij aliter ſentiũt, nõ ex ſtupore ingenij aut pertinacia quadã, (cum huiuſmodi enim fruſtrà diſputatur, quòd alteri nihil intelligũt, alteri ueritatẽ nõ*

curant,

curant, quæ diſputationum finis eſt) ſed probabilibus cauſis utrinque ſuppetentibus. Ad dijudicationem uerò earum cauſarum requiruntur κριτήρια, *id eſt formulæ ſeu regulæ iudicandi. Alioqui enim temere uagabitur oratio, neque certi quicquam conſtituetur. Sunt autem tria potiſſimùm* κριτήρια: *1. Autoritas, diuina præſertim: 2.* προλήψεις, ἀρχαὶ φυσικαὶ, ἢ κοιναὶ ἔννοιαι. *In his dextrè accommodandis & erudita ratiocinatione explicandis laboratur: erratur etiam ſæpe à negligentioribus aut ſtupidioribus, aut in dicendi artibus non ſatis exercitatis.* τὰ καθόλου, *ut Epictetus noſter docet, extra controuerſiam ſunt: ſed ea* τοῖς ἐπὶ μέρους οὐσίαις ἐφαρμόζειν, *artis eſt atq; ingenij. Coniugatur igitur cum principijs natura notis* RATIOCINATIO: *quæ ut minimè fallit, cum uitioſa non eſt, & à præſcripto artis non recedit: ita rerum plurimarum noticiam certam gignit. Quàm enim multa ex ijs quæ nobis uel natura uel uſu & experiētia nota ſunt, rectè colligimus atq; extruimus? Quantam rem quanto impendio probat Ariſtoteles, cum cœlum eſſe finitum ex eo colligit, quòd id ſtato & definito tempore circumagatur? 3. Experientia longi temporis, & multiplex: quæ minimè omniū in controuerſiam uocatur. Autoritas, fide conſtat potiſſimùm, cum perſuaſum habent homines, eum qui aliquid affirmet, doceat, præcipiat, uetet, eſſe & ſapiētiſſimum & optimum, atque ab omni errore & impoſtura alieniſſimum. Hæc exiſtimatio in ſolum Deum cadit, & diuinos Prophetas atq; Apoſtolos, conſenſu ſeculorum & populorum approbatos. Nam alij quidem quantumuis præſtantes uiri, ut multa rectè dixerint, in multis tamen & fallunt & falluntur. Quot enim monſtra opinionum extant in ſcriptis Platonicis? quàm multa obſcura, dubia, perplexa, intricata, alicubi etiam falſa (ſi dicere liceat) habet Ariſtoteles? ne quid de Stoicorum portētis dicamus. Sed ut ad rē redeam: qui uerè de rebus iudicare ſtuduerit, tria hæc* κριτήρια, *(ubi res finit) ſingulis non contentus (neq; enim illa ubiq; ſatis uirium per ſe habent) coniungat, diuinam inquam autoritatem, principia naturâ nota, & perpetuā cōſtantemq; experientiam. Sic demum intelliget, quid affirmādum & tenendum, quid negandum & repudiandum, ubi deniq; cohibenda & ſuſtinenda ſit aſſenſio. Illud etiam ſequetur, ut non ignoret quæ inueſtiganda adhuc ſint, & de quarū rerū cognitione ſit deſperandū, ne inutili labore bonum tempus malè perdat. In multis enim, ijsq; fortaſſe uerū, aliàs Sacrarum literarum, aliàs Naturæ, aliàs experientiæ teſtimonijs deſtituimur. Ac de ijs quæ nec natura nec experiētia nota ſunt, dubitare licet: Res uerò euidēti Sacrarū literarū autoritate cōprobatas, pij homines in dubiū uocare nō ſolent. Spiritus.n. ſancti afflatus maiorē in eorū animis certitudinē efficit, quàm mathematicæ demonſtrationes.*

κριτήρια, Regulæ & formulæ iudicandi.

Principia & Autoritas, Experientia, & cōſequens his ratiocinatio.

Autoritas quæ & quantum ualeat.

Formula quædam.) *Regula hæc pendet à duplici potiſſimùm comparatione, cùm animi & corporis, ſiue rationis & affectuum: tum publicæ & priuatæ utilitatis.*

Cōparatio, Rationis, Appetitus, Reipublicæ, Priuatæ.

Quam ſi ſequemur.) *Cognitio non tam obſcura & difficilis eſt, quàm uolūtas noſtra ignaua & praua. Paucos certè reperias, qui nō cū Medea Euri-*

 pidis fa-

pidis ſateri cogantur τὰ χρήστ' ἐπιστάμεθα καὶ γινώσκομεν, οὐκ ἐκπονοῦμεν δέ. Quod ſic interpretatur Ouidius:

——aliudq́; cupido
Mens aliud ſuadet. uideo meliora, proboq́;,
Deteriora ſequor. —

Omnia rectè facere.

Ab officio nunquam recedemus.) *Id eſt, Omnia rectè faciemus, omnem iuſtam reprehenſionem cauebimus. Maximi ergo facienda eſt doctrina hæc, homini honeſtatis amantiori quàm uoluptatis aut pecuniæ.*

Ratio. Autoritas.

Erit autem hæc formula Stoicorum.) *Cur non potius rationi ueritatis, quàm Stoicorum diſciplinæ conſentanea? Neq; enim philoſophum decet pendere ab autoritate cuiuſquam, aut quicquã habere ueritate antiquius. Ab autoritate autem pendere non tam eum exiſtimo, qui idem quod alter dicit (quid enim nunc dicitur, quod non dictum ſit prius?) ſed qui ſuæ ſententiæ rationem afferre nullam aliam poteſt, præter τὸ αὐτὸς ἔφα. Et quidẽ ſæpè præſtat hoc, & utilius eſt priuatim et publicè, quàm infelici conatu argutari, & mouendo nihil promouere: id quod & infirmioribus ingenijs accidit, & ijs etiam qui, quamuis ingenioſi & docti, neruis autoritatis deſtituuntur. Sed Ciceroni (ut ſæpe teſtatur) Stoicorum ratio ad ueritatem proximè uidetur accedere. Quodſi ita eſt: non tam Stoicos quàm naturam & ueritatẽ in his præceptis ſequitur. Veterũ autem philoſophorum nomen ſuæ ſententiæ prætexit, ne arrogans & nouus autor habeatur. Sic noſtra ætate qui ſe ad Auguſtanã, quam uocant, confeſſionem referunt, uideri nolunt ab Euangelij & Catholicæ Eccleſiæ autoritate recedere: ſed illud dicunt, uideri ſibi librum illum cum Euangelij & Eccleſiæ autoritate maximè conſentire. Atq; illud etiam cauere ſtudent, ne uarietate interpretationũ atq; opinionum nullus controuerſiarũ exitus reperiatur. Quæ quidem eò cumulari uidentur indies, quò de religione diſputare, quàm è religione uiuere pleriq; malumus. Quoties enim interpretes de ui uerborum & phraſi? quoties de ſenſu uero & perpetuo conſenſu? quoties de orationis genere ſimplici aut figurato diſſentiunt? ne alia plura commemorem. Sed hæc nihil ad Stoicos.*

Socratici. Platonici. Peripatetici. Academici. Beſſario. Foxius.

Qui quondam ijdem erant.) *Sententias Socratis deſcripſerunt Plato, Xenophon, Aeſchines Socraticus, et alij fortaſſe plures, quorũ opera nũc nõ extãt. Platoni ſucceſſit Speuſippus, et mox Xenocrates: quorum auditores ſiue Socratici ſiue Platonici à præceptoribus, ſiue Academici à loco dicti fuerũt. Ariſtoteles autẽ Platone magiſtro & ipſe uſus, in nõnullis à præceptore diſſenſit: ſed maximam partẽ illi conſentanea docuit, ſuisq; Peripateticorum cognomẽ indidit. Noui autẽ Academici τῆς ἀκαταληψίας καὶ ἐποχῆς εἰσηγηταί, & ab Academicis ueteribus & à Peripateticis diſſenſerũt. De cõſenſione autẽ Platonis et Ariſtotelis cõſulãtur Beſſario Cardinalis et Sebaſtianus Foxius.*

Splendidius hæc ab eis differuntur.) *Si etiã uerius, bene eſt. Sin προηγμένα Stoicorum eandem uim habent, quam τὰ ἀγαθὰ καὶ χρήσιμα Peripateticorum: non uideo quorſum pertineat Stoica illa μεγαλορρημοσύνη.*

Nobis

Nol is autem noſtra Academia.) *Occupatio, qualis etiam ſecundi Libri Procemio habetur, cum ſcribit: Occurritur autem nobis, & quidem à doctis & eruditis, quærentibus, ſatis'ne conſtanter facere uideamur, qui cum percipi nihil poſſe dicamus, tamē & alijs de rebus differere ſoleamus, & hoc ipſo tempore præcepta officij perſequamur.*

Noſtra Academia.) *Laertius meminit Potamonis cuiuſdam, qui ἐκλεκτικὴν αἵρεσιν conſtituerit, ex omnium philoſophorū ſententijs ea decerpendo, quæ probarentur: reijciendúq; contrarijs. Longè mihi prudentius hic egiſſe uidetur, quàm alij qui pro unius alicuius opinionibus, quem adamauerunt, & cui nomen dederunt, tanquam pro aris & focis pugnandum ſibi cenſent, & miſerrima ſeruitute (quid enim miſerius, quàm propter miſerrimum homunculum ſe priuare cognitione & profeſſione ueritatis?) ipſi ſeſe conſtringunt. Ab huius Potamonis inſtituto non abhorruerunt Academici, καὶ αὐτοὶ ἐκλεκτικοί τινες γενόμενοι, & ſua πιθανὰ δεδογμένα ſecuti. Diſſentientiū autem Theologorum diſciplinæ hanc ἐκλογὴν non ferunt, ſed ſingulæ ſibi ſimplicem, apertam, abſolutam ueritatem uendicant, cæteris adimut: atq; ob unicum caput ſuo palato nō ſapiens, cæteras omnes odio pluſquam Vatiniano perſequuntur. Quam rectè, uiderint ipſæ. Quòd ſi par ſtudium in omnibus ijs eſſet, uitam ſuam & mores ad Chriſti diſciplinam ita confirmandi, ut capitale facinus minimo uel dicto uel facto ab ea deerrare iudicarent: rixandi profectò non eſſet ocium Sed hic carnis imbecillitas obſtat. Vtinam non libido & petulantia ſæpè, & multis. Sed eſto: ſi moribus nocet carnis imbecillitas, non eadem ſe in opiniones quoq; ingerit? cum rectè uiuere ſæpe ſit facilius, quàm è quæſtionum quarundam labyrinthis euadere. Cur ibi uenia & miſericordia locum habet, hic non habet? An non diuerſi præceptores, diuerſarum opinionum potiſſimi ſunt autores? Aliter ſentiūt qui apud Saxones, aliter qui apud Heluetios, aliter qui Romæ Theologiam didicerunt: & perpauci mutant ſententiam. Nec tamen probabile eſt nullos inter tam multos eſſe, qui ueritatem magis quàm uanitatē ament. Neq; etiam (repetendum enim id eſt, quod antè dixi, an aliqui tandem fiant humaniores & moderatiores) tria diſſentientis doctrinæ genera (ne plura numerē. hæc enim ipſa plura ſunt quàm expedis) ſimul uera eſſe poſſunt. Cur igitur pleriq; mordicus ſua dogmata tenent? διότι φιλεῖν τὸ σύνηθες, καὶ γνωριμώτερον. Amant ea quibus aſſueuerunt, eaq; perſpectiora habent. Accedit perſuaſio de fide & eruditione præceptorum: qui aliena non minus deſtruxerunt, quàm ſua cōfirmarunt. A' percepta autē ueritate deficere ad aduerſarios, nefas & piaculū eſſe cenſent. Quàm enim in paucis eſt iudicium? Quàm multi affectibus tranſuerſi aguntur? Itaq; exclamare libet cū Græco poeta, εὐδαίμων πόλις ἔνθεν ἑνὸς κήρυκος ἀκούων, Vrbs felix quæ præconis uocem unius audit. Vnicus autem præco minimè fallax eſt IESVS Chriſtus: ſed huius uocem alij aliter, pro ſua quiſq; aut libidine, aut intelligentia, interpretantur.*

Potamon ἐκλεκτικός

Sed redeo ad formulā.) *Nam hæc quoq; procemiū quodāā ſunt, & ad docilitatis locum pertinent.*

CICE-

CICERO.

Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturã, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principiò tollit conuictum humanum & ſocietatem. Si enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſq; emolumentum, ſpoliet aut uiolet alterum: diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem. Vt ſi unũquodq; membrũ ſenſum hũc haberet, ut poſſe putaret ſe ualere, ſi proximi membri ualetudinem ad ſe traxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet: ſic ſi unuſquiſq; noſtrùm rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatq;, quod cuiq; poſsit, emolumenti ſui gratia: ſocietas hominum, communitaſq; euertatur neceſſe eſt. Nam ſibi ut quiſq; malit, quod ad uſum uitæ pertineat, quàm alteri acquirere: conceſſum eſt, non repugnante natura. Illud quidem natura non patitur, ut aliorũ ſpolijs noſtras facultates, copias, opes augeamus. Neq; uerò hoc ſolùm natura, id eſt iure gentiũ, ſed etiam legibus populorũ, quibus in ſingulis ciuitatibus Reſpub. continentur, eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. Hoc enim ſpectant leges, hoc uolunt, incolumem eſſe ciuium coniunctionem. Quam qui dirimunt, eos morte, exilio, uinculis, damno coercent. Atque hoc multo magis efficit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex diuina & humana: cui parẽre qui uelit, (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam uolent uiuere) nunquam committet, ut alienũ appetat: & id quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Etenim multp magis eſt ſecundum naturã excelſitas animi, & magnitudo, † itemq; communitas iuſticia, liberalitas, quàm uoluptas, quàm uita, quàm diuitiæ. Quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi: magni animi & excelſi eſt. Detrahere autem aliquid alteri ſui cõmodi

modi cauſa, magis eſt contra naturam quàm mors, quàm dolor, quàm cætera generis eiuſdem. Itemq́ magis eſt ſecundum naturam, pro omnibus gentibus (ſi fieri poſsit) cõſeruandis aut iuuandis, maximos labores moleſtiasq́ ſuſcipere, imitantem Herculem illum, (quem hominum fama, † beneficiorum memoria, in concilio cœleſtium collocauit) quàm uiuere in ſolitudine, non modò ſine ullis moleſtijs, ſed etiam in maximis uoluptatibus, abũdantem omnibus copijs, ut excellas etiã pulchritudine & uiribus. Quocirca optimo quiſq́, ſplendiſsimoq́ ingenio longè illam uitam huic anteponit. Ex quo efficitur, hominem naturæ obedientem, homini nocere non poſſe.

V. L. itemq́; comitas. beneficiorum memor.

Detrahere igitur aliquid alteri.) *Propoſitio non ſimplex, ſed comparata, quæ paucis uerbis ſic comprehendi queat: τὸ ἀδικεῖν ἢ πλεονεκτεῖν: iniuria & auaricia ſummum malũ eſt. Sunt ergo cætera quæ in malis habẽtur, τὸ ἀδικεῖσθαι καὶ πλεονεκτεῖσθαι, id eſt iniurijs affici & fraudari, leuiora. Sententia hæc uulgo hominum uidetur admirabilis & abſurdiſsima. Cur enim non occidere quàm occidi, ſpoliare quàm ſpoliari malim? Omne enim animal ipſa Natura ſibi primùm conciliat. Sed cum ea & ſacris literis & rectæ rationi, cuius in hac re accuratum Plato egit interpretem, conſentiat: uerißimam eſſe non eſt dubitandum. Quod autem à paucißimis intelligitur, à paucioribus ipſa uita & factis approbatur: in cauſa eſt corrupta hominis natura, unde ingenij tenebræ & φιλαυτία immodica & ſtulta oriuntur. Si quis tamen uel Ciceronis has rationes (ut de ſacris literis taceam) probè conſiderarit, ac penitius inſpexerit: facilè ueritati aſſentietur: eamq́; cognitam in omni uita, tanquam Deum ducem ſequetur. Neque nego interim, acerbum eſſe, & quidem acerbißimum, inſidijs, ui, ferro, ueneno peti, fraudari, ſpoliari, eijci (non adeò malorum ignarus ego ſum, ut quantopere iſta doleant, non intelligam) Sed hoc dico, niſi animi ſubita perturbatio me abripuerit tranſuerſum, malle me iſta perpeti quàm facere. Faxit Deus, ut neutrum neceſſe ſit. Talis enim eſt optio, qualem apud Euripidẽ ſibi à Menelao propoſitam his uerbis deplorat Andromache: οἴμοι, πικρὰν κλήρωσιν αἵρεσίν τε μοι βίου καθίστης. καὶ λαχοῦσά γ' ἀθλία, καὶ μὴ λαχοῦσα, δυστυχὴς καθίσταμαι.* Iniuriam ferre, quàm inferre, utrum præſtet

Detrahere aliquid alteri.) *Per uim & iniuriam eripere, ſi nulla ſis iniuria laceßitus. Hunc enim προσδιορισμὸν niſi addideris, locus hic cum deſcriptione iuſticiæ pugnabit.*

Magis eſt contra naturam.) *quæ ſtatim reclamat: Quod tibi fieri nolueris, id alteri ne feceris: &, Quod tibi fieri uolueris, id alteri etiam feceris. Hoc autem uelle & nolle, accipiatur de incorrupto ſanæ mentis iudicio, non* Naturæ lex.

de peruerſo appetitu & intemperijs prauorum affectuum, quæ in nonnullis tantæ exiſtunt, ut à nullo flagitio abhorreant, utq; unà ſecum perire omnia, & terrarum orbem conflagrare incendio uellent. Hi profectò inſaniunt, neq; iam homines magis quàm fœdiſſimæ & immaniſſimæ belluæ ſunt exiſtimandi. Vigilanti naſo ſtertere ſolitos Babylonios, ſcribit Q. Curtius. Qui ſi idem liberalitatis genus à uiris honeſtis & matrimonij fidē colentibus poſtulaſſent. ſaluo officio, & inuiolata naturæ illa lege repudiati eſſent.

Malorum gradus. Magis.) *Relinquit hic rerum gradus Cicero, quos Stoici pleriq; ſuſtulerunt: aſſentiens, etiam mortem, paupertatem, dolorem, & cætera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis, eſſe contra naturam.*

Contra naturam.) *ſcilicet humanam, quæ maximè in animo cernitur: quæ & ueritate iudicij, & recta uoluntate potiſſimùm conſtat. Error igitur & improbitas lædit naturam animi, eamq; deſtruit. Argumentum hinc huiuſmodi contexi queat: Quod præſtantiorem partem hominis lædit, magis contra naturam humanam eſt, quàm quod deteriorem: Iniuria & reliqua uitia lædunt mentem, præſtantiorem hominis partem. & propè diuinam: mors & reliqua, corpori nocent, longè deteriori, & cum pecudibus cōmuni. Ergo iniuria magis naturæ hominis repugnat, quàm cætera incommoda. Quod ſi ita eſt, ut nemo niſi ſtupidus aut impudens negare poteſt: homines uitioſi non tantùm naturæ repugnant, ſed ſunt etiam ἀβλαπτότεροι: id eſt, minus commodū, incolumitatem corporis, anteponunt maiori, animi integritati. contraq; maius incommodum, turpificati animi labem, admittunt: ut minus incommodum fugiant, corporis ſcilicet offenſionem aliquam. Verè autem ſapientes ij ſunt, qui in primis iuſti & tenaces propoſiti ſunt, ut ait Horatius: & omnia corporis & fortunæ mala perferre malunt, quàm quicquam in ſe admittere, quod naturæ animi & honeſtati repugnet. Neq; uerò illa incommoda tum in malis habenda ſunt, cùm per ea maius bonum aut conſeruetur, aut acquiratur. Rectè enim Ariſtoteles: τῷ ἀγαθοῦ (inquit) λόγῳ γίγνεται τὸ ἔλαττον κακὸν, πρὸς τὸ μεῖζον κακόν. ἔστι γὰρ τὸ ἔλαττον κακὸν μᾶλλον αἱρετὸν τοῦ μείζονος. Quam ſententiam ſic inuertere licet: Si minus, malum boni uicem obtinet, maiori comparatum, quod eo magis expetendum eſt: ergo minus quoque bonum, mali uicem obtinebit, maiori comparatum, quod eo minus eſt expetendum.*

Animi damna grauiora, quàm corporis & fortunarum.

Improbos eſſe uecordes.

Bonos eſſe ſapientes.

Malorum & bonorū permutatio.

Bona & mala comparatione.

Hominem hominis incommodo.) *Opportunè hîc aſcribetur Terentij ſententia: Hoccine, inquit, credibile eſt, aut memorabile, tanta uecordia innata cuiquam ut ſiet, ut malis gaudeat, atq; ex aliorum incommodis ſua comparet uti commoda?*

Commutatio utilitatis & calamitatis. Hominis incommodo.) *Lucrum ſine damno alterius fieri, poſſe negat Mimus Publianus. & uulgo iactatur: Alterius calamitatē felicitatē eſſe alterius. Quæ dicta dextrè accipienda ſunt, & ſic declaranda: Eos qui docēt, alit inſcitia diſcentiū: morbi Medicos, lites Iuriſconſultos, bella milites: mercatores illud locupletat, quòd ij s mercibus, quas ipſi uendunt, alij carent, aut aliter ea.*

ter eas parare non poſſunt. Sed tamen in huiuſmodi rebus (ſi prauam cupiditatem ſuſtuleris) abeſt iniuria: quòd fit compenſatio laboris & operæ: & is qui mercedem ſoluit nauanti operam, non læditur, ſed potius beneficio afficitur, quod pluris æſtimat quàm ea de cauſa numeratam pecuniam. Si uerò alteri quicquam uel inuito rapias, uel neſcienti ſurripias, neque ſatisfacias: iam fueris iniurius.

Compenſatio mercis & operæ.

Quàm mors.) *quæ corpus alioqui periturum lædit, animo autem immortali nihil incommodat, niſi ipſe ſeſe antea ſuapte ſtulticia & improbitate læſerit.*

Paupertas rebus maximè neceſſarijs haud ferè obſtat.

Quàm paupertas.) *Nam & hæc animo non incommodat, niſi τῷ συμβεβηκός, quòd negat ocium, diſcendiq; occaſionē. Neq; tamen idipſum etiam tam paupertatis uitio fit, quàm ſtulticia & ignauia hominum. Non enim ferè quiſquàm eſt, quin ea diſcendi quæ ad benè beateque uiuendum pertinent, facultatem habeat, etſi peregrinas linguas & diſciplinas liberales ignoret. Hæc enim & id genus alia ornamentum potius ſunt, quàm res neceſſariæ ad felicitatem, Chriſtianam præſertim, quæ ultrò offertur omnibus.*

Naturæ inimica, Dolor, Mors, Inopia.

Quàm dolor.) *ſcilicet corporis. Sūt enim animi quoq; dolores & morbi longè grauiores. Reſpuit autem natura corporis mortem, uitæ, cuius amor inſitus eſt animantibus, contrariam: reſpuit paupertatem, hoc eſt, penuriam earum rerum, ſine quibus aut omnino non, aut non ſatis commodè uiui poteſt: reſpuit & auerſatur uel in primis dolorē, quòd nō tantùm eſſe, ſed etiam, & quidem multo magis, bene eſſe ſibi uult. Itaq; præclarè dixiſſe fertur Pythagoras: φύσεως φωνὴ μὴ πεινῆν, διψῆν, ῥιγοῦν. Vt autem nec eſurias, nec ſitias, nec algeas, alijs ue incommodis afficiaris: opus eſt cibo, potu, ueſte, domicilio, cæteriſq; rebus: & pecunia alijs ue rationibus, quibus eæ res comparentur. δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐκ ἔστιν οὐδὲν γενέσθαι τῶν λεχθέντων. Sed tamen ſi animi excellentia ſpectetur, magis ſecūdum naturam eſt, his rebus carere omnibus, & mortem oppetere: quàm ea committere, quibus offendatur Deus. Offenditur autem labe & uitijs animi.*

Offenſio dei, maxima calamitas.

Auaros & miſericordes non eſſe rapacibus multò meliores.

Detrahere igitur aliquid alteri.) *Hoc faciunt non tantùm ij qui rapiunt, furātur, dolis & malis artibus ad ſe pertrahunt aliena: ſed ij etiam, qui opibus abundantes, cum iniuria atq; incommodo tenuiorum, inexplebili cupiditate inflammati, omnia coemunt: ſed ij etiam, qui de ſuis copijs nihil impertiunt indigna inopia preſſis. Cogitandum profectò erat diuitibus & potentibus, priuata eſſe natura nulla: ſed publicæ tranquillitatis commoditatiſque cauſa, priuatas poſſeſſiones ſapienti ueterum conſilio fuiſſe introductas. Vrgente igitur neceſſitate, naturæ magis rationem eſſe habendam, quàm ſcriptæ legis, aut inueteratæ cōſuetudinis. Ac dubitari poteſt, utri ſint iniquiores, & pœna digniores: ij ne, qui in annonæ caritate atq; penuria, pauperes à frumenti, quo abundant, uſu excludunt: an qui per uim illis eripiunt, quod liberaliter communicādum erat? Nā hi quidē legibus humanis plectuntur: illi uerò diuinā animaduerſionē non effugiēt, à natura certè quidē præſcripto longiſſi-*

mè recedũt. Sancitæ quidem ſunt diuinitùs priuatæ poſſeſſiones: ſed quid poſt idololatriam æquè deteſtantur Prophetæ, atq; pauperum oppreſſionem? Sed hæc omittamus. Neq; enim autor cuiquam eſſe uelim, uel iniuſtiſſimis hominibus quicquam eripiendi (nec enim id fieri ſine ſeditione, peſte rerumpublicarum, poteſt) ſed magiſtratus eſt, ut ciuium luxum, ita & auariciam Euclionum cohercere.

Aliquid detrahere.) *Si famis periculum ſit, & panẽ rapias ei qui abundet, neq; precio aut precibus quicquam impertiat: equidem dubito, rectius ne fame pereas, an rapias alienum. Quid enim indignius, quàm tam præſtans animal nõ æſtimari pluris quàm unũ panem? Videntur profectò mihi (cur enim non dicam quod ſentio?) & diuinæ & humanæ leges & huiuſmodi tempora conniuere, & ueniam dare neceſſitati. Ego ſanè, ſi Rex eſſem, eum potius curarem ſuſpendendum qui negaſſet, quàm qui rapuiſſet.*

Tollit conuictum humanum & ſocietatem.) *Propoſitionẽ ſequuntur* αἰτιολογίαι: *id quod in diſputationibus præſtandum eſt. Neq; enim ualet* τὸ αὐτὸς ἔφα.

Naturæ lex argumenta firmiſsima ſuppeditat.

Tollit conuictum humanum.) *Pleraq; argumenta eòdem recidunt, & ad effectum iniuriarũ referri poſſunt. Declarant enim, quanta perturbatio, quanta miſeria, quanta pernicies ſequi ſoleat, iuſticiæ & æquitatis uiolationem. Obſeruetur autem diligenter naturæ uocabulũ, quo argumenta pleraq; nituntur.*

Diſrumpi neceſſe eſt.) *Hoc eſt, nullæ poterunt eſſe familiæ, nulli pagi, nulla oppida, nullæ urbes, nulla regna. Sed quæ ueterum beluina, inops & miſera uita fuiſſe perhibetur, in ſyluas & montes deſertaq; loca ſingulis erit redeundum: qui ne ibi quidẽ, nec à feris, nec à robuſtioribus inuiolati ac tuti eſſe poterunt. Itaq; generis humani interitus paulatim conſequetur. Eſto, ſint hæc exagerata ſupra ueri fidem: illud certè uerißimum eſt, uitam fore miſerrimã, & minimè uitalem.*

Quæ maximè eſt ſecundum naturã.) *Diſputatũ fuit à multis, ut amicitiam, ita & conſociationẽ ciuilẽ, non tam à natura quàm ab inopia & mutui auxilij neceßitate eſſe ortã. Sed utrunq; coniungendũ eſt. Nam & natura ſocietatẽ atq; amicitiã deſiderat: & ea eſt cuiuſq; inopia per ſe, ut ſocijs atque amicis carere non poßit. Colenda igitur eſt & expetenda tam ciuilis conſociatio, quàm priuata amicitia, cùm ipſius naturæ inſtinctu, id eſt propter honeſtatem: tum propter neceßitatem, commoditatem, atq; utilitatem.*

Amicitia atque ſocietas & Natura & utilitate cõſtituta.

πλεονεξία ſe & Remp. perdit.

Vt ſi unumquodq; membrũ.) *Iniuriæ naturã & perniciem eleganti ſimilitudine declarat. Aequitatis aũt naturã ſtomachus oſtẽdit in illa Menenij Agrippæ fabula, quæ apud Liuium eſt. Elegãter etiam Imperator quidam fiſcum lieni comparauit, quo intumeſcente reliqua membra tabeſcant.*

φιλαυτία μετὰ φιλαδελφίας.

Nam ut ſibi quiſq; malit.) *Occupatio eſt, ne communitate ita laudanda, priuatũ commodũ excludere uideatur. Natura enim, ut alibi dicit, animal ſibi ipſi primũ cõciliat. Hinc fit, ut omnes ſibi melius eſſe malint quàm alteri:*

& quiſq;

& quiſq; ſi nō dicat, certè cogitet & ſentiat, Proximus ſum egomet mihi: & , Tunica pallio propior eſt. Neq; uerò lex diuina poſtulat aliud, niſi ut quiſque alterum diligat æquè ac ſeipſum, Deum autem ſupra omnia. Cicero autem concedit illud quod uulgò iactatur, ORDINATAM CHARITATEM INCIPERE A SEIPSA.

Vt aliorum ſpolijs.) *Militari uoce utitur, tanquam euidentiore, qua omnis fraus, πλεονεξία atq; iniuria intelligatur. Faciunt autem hoc tyranni, milites, fœneratores, μονοπῶλαι, falſarij, impoſtores, fraudatores.*

Aliorum ſpolijs locupletati.

Neq; uerò hoc ſolùm.) *Alterum argumentum, quod apud uulgus hominum plurimū ualet, quod pœnis potiſſimū in officio continetur: & à nocendo alijs, deterretur legibus ſcriptis, inſtitutis, & conſenſu populorum. In quo etſi neceſſitas plurimū ualuit (uiderunt enim, niſi caueretur, interitum ſocietatis conſecuturum) tamen conſenſus haud dubiè ex præſcripto naturæ ortus eſt, uniuerſorum ſalutem paucorum intemperijs atq; libidini præferentis. Leges enim quæ legi naturæ repugnant, aut non aliquo modo cum illa conſentiunt, rectè improbantur: neq; etiā eæ latè patêre, aut diuturnæ eſſe poſſunt.*

Præmium & pœna.

Iure gentium.) *Iuriſconſulti, ius naturæ etiam brutis animalibus tribuunt: ius gentium & ſcriptum, hominibus tantùm.*

Reſpub. continetur.) *αἱ πολιτεῖαι διασώζονται. hoc eſt: Neq; regū, neq; optimatiū principatus, neq; popularis libertas ſine legibus conſtare poſſet.*

Incolumem eſſe ciuium coniunct.) *Hoc eſt, ut poſſint tutò & commodè unà uiuere ciues. Quod ut fiat, utq; cōmunitas illa retineatur: priuatim nōnullis incommodari uidetur, & publica utilitas priuatæ ſæpenumero repugnare. Cogimur enim, propter rempub. & conſociationem ciuilem conſeruandam, conferre tributum, pendere uectigalia, excubias agere, militare, ex præſcripto legum & magiſtratuū ædificare, uendere, ueſtire, conuiuari denique. Hæc priuatim multis incōmoda & moleſta ſunt. Sed ſi non id quod in præſentia graue eſt, ſed diuturnitas temporis ſpectetur: & quæ clades ſingulos oppreſſuræ ſint, ſi ſuum quiſq; cōmodum ſpectet, ſi neq; neceſſitatis neq; dignitatis & tranquillitatis publicæ ratio habeatur: ſatis apparebit, quod publicè utile ſit, idem priuatim etiam & neceſſariū eſſe, & ſalutare. Declaretur hoc exemplo reipub. alicuius, cuius reditus maxima ex parte conſtent è tributis priuatorū ciuium, & uectigali uinario. His minuuntur facultates priuatorū, & uinū multo carius emitur. Sed abſq; his ſi eſſet, unde ſuppeterent ſumptus, ad obeunda munera imperio Romano debita? Vnde publici miniſtri alerentur? Vnde urbs purgaretur, ornaretur: cōmeatu, mœnibus, armis, cuſtodibus inſtrueretur? Sublatis igitur his ſumptibus, urbs quamuis ampla & ſplendida, breui tempore uel prædæ eſſet tyrannis, uel ſeditionibus flagraret: uel à pago nullà re, niſi fortè magnitudine & ædificijs quibuſdā differret. Neq; enim magiſtratus eſſe poſſent, neq; iudicia & leges retineri: non haberemus ſacerdotes, non ludimagiſtros, non ullius deniq; publici muneris curatores: ſatageret unuſquiſq; rerū ſuarum: & potentiòr imbecilliorem, ut olim factum eſt,*

Propter rempub. priuatis incommoda quędam ferenda: ſed in ipſorum utilitatem redundatura.

Adoleſcentia reip. neceſſitates conſideret, ac magiſtratus reuereatur.

& adhuc ſit inter Barbaros, impunè opprimeret atq; euerteret. unde tota ciuitas, conſpirantibus inter ſe tenuioribus, itemq; potentioribus, breui tempore inteſtinis diſſidijs interiret. Hæc ab ineunte ætate meditanda ſunt, ut cùm ex præſcripto diuino, tum publicæ priuatæq; utilitatis cauſa, legum & magiſtratuum reuerentia in animis excitetur, alatur & confirmetur. Illud etiam cauendum eſt, ne temerè conſilia & facta eorum, quibus reſpub. ſe gerendam cõmiſit, reprehendantur: uulgus hominũ plurima ignorat, quæ magiſtratus nouit. Quòd ſi ipſum ad rerum gubernacula ſederet: aut neſciret quò ſe uerteret, tam periculoſis temporibus, in tantis inſidijs: aut nauem temeritate & ſtulticia ſua euerteret. Ne igitur ſutor ultra crepidam, quod aiunt: ſuo quiſq; munere fungatur: modeſtè pareat magiſtratui: nec earum rerũ iudiciũ ſibi ſumat, quas neq; intelligit, nec curandas diuina aut humana autoritate ſuſcepit.

Qui malis parcit, perdit bonos.

Quam qui dirimunt.) Supplicia in maleficos conſtituta, quidam nimis religioſi homines improbant, ut naturæ contraria. Etſi autem optandum eſſet, carere poſſe reſpublicas tam atroci remedio: tamen cum hominũ improbitas hoc ne ſperare quidẽ ſinat, præſtat paucos maleficos tolli è medio, quàm plurimos innocentes & bonos homines in perpetuo metu et periculo propter graſſationes illorum uiuere: imò ne uiuere quidem, ſed ſpoliari, uapulare, interfici Minus igitur incõmodum, id eſt interitus paucorum: maiori incommodo, hoc eſt exitio totius reipub. rectè & ex præſcripto naturæ anteponitur. Solon (ut alio loco ſcribit noſter autor) qui & ſapiens unus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem, rempub. duabus rebus cõtineri dixit: præmio & pœna, &c. Eandem ſententiam habet Demoſthenes, in oratione aduerſus Leptinen: ubi inter cætera præclara, leges nomiſma ciuitatis eſſe dicit: quas qui adulterent, grauiſſima pœna digni ſint. Cæterùm error imperitorum hic taxandus eſt, qui præmium id intelligunt unũ, quod præſens quaſi in manum datur: nec intelligunt, id quoq; maximum eſſe præmium, defendi ſe, liberos, uxores. famam, rem familiarem aduerſus improbos, laudari ob uirtutem atq; induſtriam, ſæpe etiam ad altiorẽ dignitatis gradum aſcendere. Præmium igitur & pœna multum ualent in ciuitate. ſed multo plus ualeret Perſica diſciplina, deſcripta à Xenophonte, quæ honeſta ab ineunte ætate educatione cauet, ne cui ſit animus & uoluntas delinquẽdi. Huc pertinent ſcholæ, huc templa & conciones, huc omnia ſcripta ſacra & profana, huc ipſæ ciuiles leges. Sed quid proficitur? Aliquid: nec tamen id aliquid nihil eſt, ſed tantum tamen non eſt, quantum eſſe decebat. —Sic omnia fatis

In peius ruere, & retrò ſu. lapſa referri:
At uelut aduerſo nitens qui flumine lembum
Remigijs ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atq; illũ in præceps prono rapit alueus amne.

Quod cũ ita ſit, excitanda eſt animaduerſio atq; ſeueritas magiſtratuũ, concionatorũ, ludimagiſtrorum. patrumfamilias, omniũ deniq; illorũ qui autoritate aut poteſtate aliqua ualent: ut creſcenti in dies atq; in horas hominũ prauitati reſiſtatur, & diſciplinæ ruenti ſuccurratur.

Atq; hoc multo magis exigit.) *Hæc expolitio ſeu confirmatio quædam eſt primi argumenti, quod à natura hominis ducitur.*

Quæ eſt lex diuina & humana.) *Diuina, id eſt diuinitùs inſitam entibus hominum: humana, quia conſenſu generis humani cõprobata. Sæpe aũt dixi, naturam ſic pingui Minerua deſcribi cõmodiſſimè, ut ordo & uis diuinitùs in reb. cõditis inſtituta eſſe dicatur. Ad hominis aũt naturã quod attinet, corruptio è primorũ parentũ lapſu orta, et in omnẽ propagata poſteritatẽ, nõ ignorãda, ſed diligẽter cõſiderãda eſt: ut intelligatur, eã nõ ubiq; optimã et certiſſimã eſſe uiuẽdi ducẽ, ut Stoici perhibẽt: ſed ſæpè labi, neſcire, decipi, errare, et diuinitùs illuſtrandã & regendã eſſe. Sed hæc rectius explicabũt Theologi.*

Naturæ uis, corruptio, reſtitutio.

Secundum naturam.) *ſcilicet uniuerſam, & incorruptam. Nam ſuas quiſq; habet ἰδιοτροπίας, ut uocant Aſtrologi: unde multorum natura fertur ad mentiendum, furandum, latrocinandum, cædes faciendas. Et tamen hos ipſos arguit* CONSCIENTIA: *& ipſa* NATVRA *docet, mentiri, furari, latrocinari eſſe turpe, niſi prorſus hominem exuerint. Secundum illam prauitatem nemini eſt uiuendum, ſed id præſtandum quod Caino præcepit Deus: Appetitus tuus ſit ſub te, & tu dominus eius eſto.*

Etenim multo magis eſt.) *Vulgus hominum ad defenſionem auariciæ & rapacitatis ſuæ, naturæ nomine abutitur, quo tantùm neceſſitates corporis comprehendit: quaſi uerò natura hominis in ſolo corpore poneretur, non etiã, & quidẽ multo magis, in innocentia & integritate animi. Cicero igitur per contentionem, uili naturæ corporis generoſam animi naturã opponit, longeq; præferendam eſſe monet. Quod quidem perpauci faciunt, μεγαλόψυχοι ὀλίγοι. μικρόψυχοι δὲ, hoc eſt πλεονέκται καὶ φιλάνδροι ſunt propè infiniti.*

Magnitudo animi, naturam mentis ſpectat: Puſillanimitas, neceſſitates & commoda corporis.

Excelſitas animi.) *Animus, ut in Somnio Scipionis dicit, altè ſpectãs, & æternã illam domũ intuẽs, & ſeſe quantũ poteſt à cõtagione corporis abſtrahens. Contentio hæc bonorũ malorumq; animi & corporis ſæpè inculcata, & probè meditata, profectò popularẽ admirationẽ diuitiarũ, uoluptatum corporis, & aliarum rerum externarum tandem nonnihil minuet, earumq; appetitionem ad mediocritatem & naturæ modum reuocabit.*

Contẽtio bonorum malorumq; corporis & animi.

Multo magis eſt ſecundum naturam.) *ſcilicet hominis. Quæ ut rectius intelligatur, commodum fuerit ediſcere præclaram hanc Saluſtij ſententiã: Omnis (inquit) noſtra uis in animo & corpore ſita eſt. Animi imperio, corporis ſeruitio magis utimur. Alterum nobis cum dijs, alterum commune cum beluis eſt. Hinc apparet, eos qui ad corpus omnia referãt, beluinã: qui animũ excolãt, & quaſi ſartũ tectũ præſtẽt, humanã ac propè diuinã uitã agere, uereq; ſapere: ut qui magis timeant læſionem animi quàm corporis, & beſtiã perire malint quàm deum, id eſt ueritatem & uirtutem.*

Animi magnitudo.) *Ea demũ uera magnitudo animi eſt, quæ res fluxas et caducas minimi facit, et ad æternas aſpirat. Hæc μεγαλοψυχία propria eſt Chriſtianorũ, neq; in quenquã aliũ uerè cadit. Imperitũ uulgus magnanimos eos iudicat, qui magnas opes, honores, uoluptates appetãt: & ut ijs potiantur,*

Vera magnitudo animi cœlos ſpectat.

nullum

nullum laborem, nulla pericula reformident. Sed ea potius μικροψυχία eſt, καὶ πλεονεξία, καὶ φιλανδρία.

Communitas.) *Publicæ utilitatis ſtudium, quam Græci πολιτείαν, aut certè πολιτικὴν κοινωνίαν dicere uidentur. Nonnulli codices habent, comitas, quæ eſt ὁ ὁμιλητικὸς τρόπος, & minus eſt quàm communitas.*

Ratio quatenus appetitui indulgeat, aut aduerſetur?

Quàm uoluptas, quàm uita.) *Hæc per ſeſe expetuntur non minus, quàm uirtus et ſcientia: diuitiæ uerò propter aliud, ad tuendam uitam ſcilicet, ad parãdas uoluptates, ad honores adipiſcendos. Sed φιλαυτία reclamat, cur non indulgeam genio? cur non fruar uoluptatibus? cur uitam non conſeruẽ? Cur non parem diuitias? Philoſophia reſpondet: Nihil uetat quo minus iſtis etiam des operam. ſed certo modo: Fruere uoluptatibus, ſed citra cuiuſquam offenſionem atq; iniuriam, & abſq; dedecore & noxa ualetudinis. Nulla eſt enim uoluptas, quæ unius horulæ falſam delectationem infamia & ægritudine diuturna ulciſcitur. Tuere uitã corporis: ſed ſic, ne uitam animi lædas aut perdas. Præſtat perire corpus, quàm eum offendere, qui & corpus & animã conijcere poteſt in gehennam. Quærendæ rei dato operam: ſed fungens officio, lædens neminem, ſubueniens pro tua copia indigentibus. Ad ſummã, φιλαυτία naturalis non extirpanda, ſed moderanda eſt: non reijcienda, ſed μεγαλοψυχία illi ſocianda, & à corpore ad animũ, ac potius ad ipſum Deum pro uirili traducenda. Sic & animo & corpori rectiſſimè conſuletur. & æterna utriuſq; ſalus procurabitur. Nos uerò pleriq; nõ tam homines ſumus, quàm beſtiæ tardigradæ, herbiuoræ, domiportæ, ſanguine caſſæ, humi defixos oculos tenentes, ueluti pecora, quæ natura prona atq; uentri obedientia finxit.*

ἡ μεγαλοψυχίας σύζευξις τῇ φιλαυτίᾳ.

Teſtudines potius quàm homines pleriq;.

Quatenus bona corporis & externa cõmoda ſint negligenda?

Quæ quidem contemnere.) *ſcilicet uoluptatem (alioqui per ſe expetendam, & rem optimam, autore Iſocrate) ſi inhoneſta ſit, & plus allatura doloris & dedecoris: uitam, cuius amor ab ipſa natura tributus eſt omnibus animãtibus, ſi ſalua pietate & honeſtate eam tueri nõ poſſis: diuitias, quamuis inſtrumentum uitæ commodioris, & beneficentiæ, ſi citra iniuriã & turpitudinem neq; parari neq; retineri poſſint.*

Voluptas, uita, diuitię, cõparatiſſe tantùm improbantur, non per ſe.

Comparantem cum utilitate communi.) *Non ſimpliciter uoluptatem, uitam, diuitias contemni iubet (quanquam Stoici ferè ita locuti ſunt potius quàm uixerunt) ſed ſi communis utilitas, quam iuſticia procurat, unà retineri non poſſit. Sic bonus ciuis in patriæ periculo contemnit uoluptates, opibus ſuis non fruitur, uitam in diſcrimen adducit: labores, moleſtias, pericula perfert, quò laboranti patriæ uel ſuo interitu ſuccurrat. Propulſatis autem patriæ periculis, nihil obſtat quo minus ualetudinis habeat rationem, opibus ſuis & uoluptatibus modeſtè fruatur.*

Detrahere autem alteri.) *Idem ſuprà dictum κατ' ἀντίθεσιν repetit, ut orationem illuſtret, ac præceptum maximè neceſſariũ animis lectorũ infigat.*

Ab amore ſui traducendus homo, ad amorem uniuerſi g neris humani.

Itemq;, magis eſt ſecundum naturam.) *Cicero, ut fuit homo politicus & patriæ amans (quæ uirtus, poſt pietatẽ in Deum, ſumma eſt) ſubinde à φιλαυτίᾳ reuocat ad κοινωνίαν. Non uult hominem eſſe eremitam, non*

minuti

minuti alicuius oppiduli, tametſi Babylonis magnitudinem ſuperet, eſſe ciuẽ: ſed μεγαλοπολίτην καὶ κοσμοπολίτην, id eſt ciuem totius mundi: quem mundum Stoici dixerunt, unam quandam magnam eſſe urbem, quæ è conſociatione deorum atq; hominum conſtaret. Quo dicto ſignificarunt, hominem nihil humani à ſe alienum iudicare oportere: ſed eo eſſe animo, ut etiam alieniſsimis & remotiſsimis gentibus conſultum cupiat. Turci noſtra ætate immaniſsimi ſunt Chriſtianorum hoſtes: quorum uiolentia ui et armis propulſanda eſt. Sed ſi quis potens imperator eos acie deuiciſſet, & armis atque omnibus præſidijs exutos, parêre ſibi coegiſſet: eius imperatoris (modò κοσμοπολίτην & Chriſtianum ſe eſſe meminiſſet) munus atq; officium fuerit, non ſæuire in eos ob memoriam acceptarum iniuriarum, aut eos opibus omnibus ſpoliare: ſed curandum illi potius fuerit, ut in Chriſtiana religione inſtituantur, & uitã Deo gratam agant.

Etiam infeſtiſsimorum hoſtiũ, ſi fieri poſsit, ſaluti conſulendum.

Imitantes Herculem illum.) *Cuiuſq; animus & uoluntas talis eſſe poteſt ac debet: ſed perpaucorũ eſt ea facultas, ea uis ingenij, id animi robur, ea ſubſidia facultatum, eæ corporis uires, cuſtodia hominum, ut uel ſuam ciuitatem multum iuuare poſſint, ſua familia regenda et alenda plus ſatis occupati. Quare in hoc genere uitanda eſt κακοζηλία. Nam quæ de Hercule atque alijs præſtantibus uiris, quorum præclara facinora & beneficia latiſsime patuerunt, ſcriptis prodita ſunt: non pertinent ad quoſlibet imitatores. Heroica illa ſunt, nec niſi hominum potentiſsimorum. Omnibus temporibus Heroes, Prophetæ, Apoſtoli pauci fuerunt, quorum munus fuit de uniuerſo genere humano bene mereri. Reguli autem & ſacrificuli complures nunquam deſunt: quibus cauẽdũ, ne uel irrito conatu ridiculi fiant: uel peruerſo ſtudio, dũ prodeſſe plus uolunt quàm poſſunt, perturbent Reſpublicas & Eccleſias.*

Volũtati præclaræ in paucis reſpondẽt uires.

Vitanda κακοζηλία, & ſua cuiq; Sparta ornanda.

Quicquid excellit, rarũ.

Metiri ſe quenq; ſuo modulo ac pede uerum eſt.

Non poteſt homo ſibi ſumere quicquam, niſi ei datum fuerit de cœlo. Quod autem cuiq; datum fuerit, ſiue unum talentum ſiue plura: id ad Reipublicæ cõferat utilitatem: & intra muneris ſui, quantumuis humilis et anguſti, limites ſeſe contineat, donec diuinitùs ad altiora uocatus fuerit. Diuinitùs autem fieri credendum eſt, ea etiam quæ uel publica autoritate, uel de ſententia præſtantium uirorum, ſine tamen offenſa religionis et honeſtatis, geruntur. Homines enim, Dei tam ad benefaciendum quàm ad nocendũ miniſtri ſunt, & inſtrumenta quædam: ut ſuauiſsimè diſſerit Iſocrates. οἶμαι δέ σε οὐκ ἀγνοεῖν, ὃν τρόπον οἱ θεοὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων διοικοῦσιν. οὐ γὰρ αὐτόχειρες οὔτε μετὰ τῶν ἀγαθῶν, οὔτε τῶν κακῶν γίνονται τῶν συνόντων αὐτοῖς, ἀλλ' ἑκάστοις τοιαύτην ἔννοιαν ἐμποιοῦσιν, ὥστε δι' ἀλλήλων ἡμῖν ἑκάτερα παραγίνεσθαι τούτων.

Diuinitùs ea fieri credendũ, quæ præſtantium uirorum autoritate geruntur.

Quàm uiuere in ſolitudine.) *Quotuſquiſq; uel inter Chriſtianos, ut nominantur, reperitur, qui ſit hoc animo? At Cicero talem uoluntatem exigit etiam à ueræ religionis ignaris.*

Quocirca optima quiſque.) *Specimen ex optima natura in quolibet genere capiendum eſſe, rectè monet. Cum igitur de natura humana diſputatio*

Specimen ex optima natura capiendũ.

ſputatio incidit, non ij conſiderandi ſunt, qui ſub ſpecie humana tegunt immanitatem beluarum. Nimis enim uerè Saluſtius: Multi (inquit) mortales dediti uentri atque ſomno, indocti incultique, uitam ſicuti peregrinantes tranſegerunt: quibus profectò contra naturam, corpus uoluptati, anima oneri fuit, &c. Deinde ſubiungit munera eorum, qui ſe homines eſſe meminerunt, his uerbis: Sed in magna copia rerum, aliud alij natura iter oſtendit. Pulchrum eſt benefacere Reipublicæ: etiam benedicere haud abſurdum eſt: uel pace uel bello clarum fieri licet. Et qui fecêre, & qui facta aliorum ſcripſere, multi laudantur.

Saluſtius de hominum diſcrimine.

Ex quo efficitur.) *Concluſio argumenti, cuius hæ rationes poſitæ fuerunt. 1. Quia iniuria ſit contra naturam hominis: id eſt lædat principem eius partem, animum ſcilicet, deterioremq́ue reddat. 2. Quia iniuria tollat conſociationem ciuilem, non tam neceſſitate, quàm ipſius naturæ ui atq; imperio conſtitutam. Interſertum eſt obiter tertium etiam argumentum, ab autoritate legum & magiſtratuum petitum.*

Nocere non poſſe.) *προσδιορισμὸς, ut antè monui, primo huius operis Libro poſitus, adiungatur: Niſi fuerit laceſſitus iniuria: niſi alter ſocietatem ciuilem perturbauerit. Nam Plato quidem paulò argutius diſputat: Non lædi maleficum, ſi tollatur è medio, aut coerceatur: ſed potius affici beneficio ſummo, quòd ſummum malum, improbitas eius, reprimatur. Nam fit illud quidem, & peccandi facultas ei eripitur. Sed quomodo? Num ita, ut ſi liber eſſet, nulloq́ue metu impediretur, eadem facinora fugeret ac deteſtaretur? Non opinor. Id enim philoſophi, ac potius diuini ſpiritus (cuius quidem efficacia in multis condemnatis euidenter cernitur) munus eſt, efficere, ut homines peccare oderint uirtutis amore: carnificis autem, formidine pœnæ cohercere. Imò plerique ſic affecti ſunt, ut ſemel elapſi, aut ſæpius etiam, prima quaque occaſione redeant ad ingenium: & ut antè, ſic etiam pòſt, maleficio & ſcelere paſcantur. Manet igitur eadem improbitas animi: & corpus certè læditur, cum occiditur, aut mutilatur. Quid ergo tu beneficij in eum confers, quem ſupplicio afficis? De ijs quidem bene mereris, quos ille alioqui uiolaſſet. Nam, qui (ut Mimographus ait) Parcere uult malis, perdere uult bonos.*

Plato de ſupplicijs maleficorum.

CICERO.

Deinde qui alterum uiolat, ut ipſe aliquid cõmodi conſequatur, aut nihil ſe exiſtimat contra naturam facere: aut magis fugienda cenſet, mortem, paupertatem, dolorem, amiſſionem etiam liberorum, propinquorum, amico-

amicorum, quàm facere cuipiam iniuriam. Si nihil exiſtimat cõtra naturam fieri in hominibus uiolandis: quid cum eo diſſeras, qui omnino hominem ex homine tollat? Sin fugiendum id quidem cenſet, ſed multo illa peiora, mortem, paupertatem, dolorem: errat in eo, quòd ullum aut corporis, aut fortunæ uitium, animi uitijs grauius exiſtimat. Ergo unum debet eſſe omnibus propoſitum: ut eadem ſit utilitas uniuſcuiuſque, & uniuerſorum. Quam ſi ad ſe quiſque rapiat: diſſoluetur omnis humana conſociatio. Atque ſi etiam hoc natura præſcribit, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam quòd is homo ſit, conſultum uelit: neceſſe eſt ſecundum eandem naturam, omnium utilitatem eſſe communem. Quod ſi ita eſt, una continemur omnes, & eâdem lege naturæ. Id'que ipſum (ſi ita eſt) certè uiolare alterum, lege naturæ prohibemur. Verum autem primum: uerum igitur & extremum. Nam illud quidem abſurdum eſt, quòd quidam dicunt, parenti ſe aut fratri nihil detracturos commodi ſui cauſa: aliam rationem eſſe ciuium reliquorum. Hi ſibi nihil iuris, & nullam ſocietatem communis utilitatis cauſa ſtatuunt eſſe cum ciuibus: quæ ſententia omnem ſocietatem diſtrahit ciuitatis. Qui autem ciuium rationem dicunt eſſe habendam, externorum negant: hi dirimunt communem humani generis ſocietatem: qua ſublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, iuſticia funditùs tollitur. Quæ qui tollunt, etiam aduerſus deos immortales impij iudicandi ſunt. Ab his enim conſtitutam inter homines ſocietatem euertunt. Cuius ſocietatis arctiſsimum uinculum eſt, magis arbitrari eſſe contra naturam, hominem homini detrahere ſui commodi cauſa, quàm omnia incommoda ſubire uel externa, uel corporis, uel etiam ipſius animi, † quæ uacent iuſticia. Hæc enim una uirtus, omniũ eſt domina & regina uirtutum.

V. L. quæ uacent iniuſticia.

Deinde qui alterum uiolat.) *Hactenus docuit, iniuriã repugnare naturæ humanæ, & ciuilem ſocietatem diſrumpere. Nunc cauſas iniuriarum docet, eaſq́; aliter quàm primo Libro: ubi affectus, qui ſunt τὰς ὁρμάς, recenſet: ut metum, auariciam, ambitionem, φιλαυτίαν, μισανθρωπίαν. Hic autem opiniones recitat, quæ ſunt τοῦ λογιστικοῦ: ut ijs ſublatis, etiam effectus, id eſt ipſæ iniuriæ tollantur.*

Iniuriarũ cauſæ aliàs affectus, aliàs opiniones.

Aut nihil ſe exiſtimat.) *Dilemmate urget iniurios: & docet, eos ad iniuriam faciendam uel ſtulticia, uel immanitate peruerſæ naturæ impelli, etc.*

Stulticia. Immanitas.

Contra naturam facere.) *ſcilicet humanam, & eam quidem incorruptam. Nam quidam populi ſunt, qui perſequendis & è medio tollendis alienigenis, ſummam laudem quærant: ut de Triballis ſcribit Iſocrates, & Scythis quibuſdam. Quanquam ſi quis uerè cogitet, illæ iniuriæ, ut author noſter Libro primo ſcribit, à metu proficiſcuntur: quòd timent, ne, niſi uicinos profligarint, ipſi aliquo afficiantur incommodo. Dum igitur res ſuas in tuto collocare uolunt, quod prudentiæ munus eſt, in extremam incidunt immanitatem: qua nihil eſt tetrius, nihil deteſtabilius. Itaq; & iniuſti ſunt, & per ſpeciem fortitudinis timidiſſimi.*

Vicinorũ profligatio.

Si nihil exiſtimat.) *Hactenus expoſuit falſam opinionem: nunc eandem refutat.*

Quid cum eo diſſeras.) *Priorem partem ἐκδιάξει diluit: cum eo eſſe diſputandum negans, qui principia naturâ nota aut neget, aut non intelligat. Natura enim omnes ſanos docet, neminem, à quo nulla ſis laceſſitus iniuria, eſſe lædendum: &, quod ſibi fieri quiſque nolit, alteri non faciendum. Notetur hoc loco utile, his præſertim tam rixoſis temporibus, præceptum: cum ſtupidis, obſtinatis, immanibus, non eſſe diſputandum. Nam ſtupidi quidem docendi ſunt, modò audire uelint, & ueritatem declaratam intelligere poſſint. Reliqui autem principia naturâ nota contemnunt & conculcant, θεομαχοῦντες. Multi autem tales ſunt, militia, luxu, libidine, ambitione, auaricia efferati, & excæcati: quamuis ſibi bell iſſimi homines, & acutiſſimi eſſe uideantur. Ad eos igitur cum uentum eſt, Euripidi obtemperantes, putemus σιγᾶν ἄμεινον ἢ μάτην κεκραγέναι: Tacere præſtat quàm clamorem perdere. Diſputaturus enim quacunque de re, ὁ οἰκεῖος ἀκροατὴς eſt quærendus. Is autem idoneus auditor intelligitur, qui diſcere & uult & poteſt, erroremq́; agnitum libenter deponit: & ueritatem pluris facit quàm inanem gloriolam, & ſtultam uerecundiam.*

Non diſputandum, niſi cum fructus ſperatur.

Hominem ex homine tollat.) *id eſt: Id neget, quod hominis proprium eſt: intelligere ſcilicet, quid natura humana poſtulet. Cum tali diſſerere de æquitate & ueritate, perinde (inquit) fuerit, ac ſi cum lupis aut leonibus diſputes, à gregibus & armentis laniandis ac deuorandis eſſe abſtinendũ. Quid autẽ profeceris? Illud nimirũ, ut tute ab eis lanieris ac deuoreris. id quod lepori leonibus de colenda iuſticia concionanti accidiſſe, refert Aeſopus.*

Fabula

Fabula hæc eſt: ſed uerè ſic actum eſt cum Platone, Dionyſium maiorem, Siciliæ tyrannum, à ſæuitia & rapinis dehortante. Nam eum tandem, libertate philoſophi offenſus, Poldi Lacedæmonio ad necem dedidit: quam quidem Plato amicorum ope uix effugit, &c.

Sin ſugiendum.) *Altera Dilemmatis pars, qua error opinionis refutatur, ſimplici expoſitione. Suprà enim ſatis demonſtratum eſt, animum eſſe præſtantiorem corpore: & morbos ac uitia animi grauiora eſſe mala, quàm uitia & morbos corporis. Obſeruetur igitur hic ordo: I. Bona & mala animi, ſuut omnium grauiſſima: II. Proximum locum tenent bona & mala corporis: III. Extremum, bona & mala fortunæ, ſeu rerum externarum: quæ ita corpori ſeruiunt, ut ipſum corpus lege naturæ animo ſeruire debet. Hac diſtinctione paucis comprehenſa uerbis, pleræq; diſputationes huius libri & intelligi, & facilè diiudicari poterunt.*

Geadus & ordo rerum humanarum.

Ergo unum debet eſſe.) *Redit ad conclusionem, & idem quod ſuprà dixit, inculcat; iniuriam eſſe fugiendam, & communi utilitati ſeruiendum, &c.*

Atq; ſi etiam hoc natura.) *Addit argumentum à contrarÿs, quod hoc Enthymemate poteſt explicari. Beneficentia eſt ſecundum naturam: Ergo iniuria naturæ repugnat. Beneficentia continet ſocietatem humanam, & quaſi communitatem rerum omnium introducit: Ergo iniuria eandem dirimit.*

Beneficentiæ & iniuriæ cõtrarij effectus.

Ob eam ipſam cauſam quòd is homo ſit.) *Id eſt, Ob naturam communem, figuram corporis, rationis & orationis uſum, ſimilesq; affectiones animorum & corporum. Nam ſimilitudo coniungit omnia, & beneuolentia quadam mutua conciliat: diſſimilitudo autem cõtraria omnia facit. Multum ualet hoc argumentum apud eos, qui re ipſa, non ſolo nomine ſunt homines. Quid enim ad beneficentiam & amorem mutuũ excitandum? Quid ad reprimendam dominorum erga ſeruos, magiſtratuum aduerſus ciues, imò hoſtium aduerſus hoſtes inhumanitatem & ſæuitiam plus ualeat hoc ipſo?*

Humanitatis magna uis.

Omnium utilitatem eſſe communem.) *Hoc dictum quo modo intelligendum ſit, petatur è libro primo, ubi de beneficentia & liberalitate agitur. Neq; enim huc pertinet, ut tu meum, ego tuum impunè inuadam, & pro mea libidine uſurpem: ſed ut ſit mutua communicatio. Quanquam ſi omnes eſſent æquè prudentes & boni: nihil uetaret, omnia communia eſſe omnibus, neque priuatum quicquam. Sed id in hac peruerſitate hominum, non modò ſperare, ſed ne optare quidem licet. Inania enim uota ſunt, quorum te compotem non poſſe fieri, rerum humanarum confuſio, & omnium ſeculorum tragicocomœdia oſtendit. Itaque maxima calamitatum humanarum pars ab improbitate & ſtulticia maximæ partis oritur. Nam ſi, ut hîc docet Cicero, perſuaderi poſſet hominibus, nihil eſſe uitÿs animi grauius & nocentius: beatæ eſſent omnes ciuitates. Non eſſent ignaui & luxurioſi mendici, non rapaces milites, non fraudulenti negociatores: nulli rabulæ, ſophiſtæ, ſy-*

Cõmunicationem, non communitatem præcipit.

Inane uotũ: omnes, aut ſaltem plurimos eſſe bonos.

Improbitas & ſtulticia, cauſæ calamitatum.

cophantæ, hypocritæ, quæ fex atq; ſentina hominum & publicam & priuatam quietem atq; ocium perturbat, diſſoluit, euertit. Nam infirmis quidẽ ſenibus, & multitudine liberorũ oppreſsis, & publica & priuata liberalitate facilè proſpiceretur. Adulti in matrimonio honeſtè uiuerent: adoleſcentes in patientia corporis atq; animi exercerentur: ſuo quiſq; munere alacriter & fideliter fungeretur: alius aliũ non impediret & interturbaret. Nullæ eſſent lites, nulla iurgia, nullæ ſeditiones: non latrocinia, non bella exiſterent, non annonæ caritate laboraretur, alij alios fraterno amore complecterẽtur. Vita deniq; noſtra abundans, copioſa & felix eſſet, atq; ipſa etiam mors in benè actæ uitæ conſcientia minus grauis. Etſi autem hæc, ut dixi, hominum creſcens in dies, imò in horas ſtulticia & peruerſitas ſperare non ſinit: tamen in ijs & magiſtratus & concionatores, & ludimagiſtri, & patresfamiliâs pro uirili elaborare debent. Quodſi omnes coniunctis ſtudijs conſtanter agerent, ope diuina implorata: fortaſſe proficerent aliquid, etſi non apud omnes, at apud multos.

Officio fungi beatiſsimum.

Conandum, non cunctandum.

Naturæ communis potiùs, quàm peculiaris habenda ratio.

Vna continemur omnes & eadem lege naturæ.) *Id eſt, Eundem autorem uitæ habemus Deum, èx ijſdem elementis conſtamus: ijſdem commodis atq; incommodis afficimur: eâdem conditione uenimus in lucem: ijſdem caſibus, morbis, deniq; morti æquè obnoxij ſumus omnes. Vna igitur eſt eadẽq; natura omnium. Similibus autem ſimilia conueniunt. Sed hæc de natura communi ſunt intelligenda, qua ſumus homines: cuius ſimilitudinis pleriq; obliti, diſsimilitudinem magis & conſiderant & urgent. Quæ quo maior eſt, in fortunis atq; corporibus maximè, hoc maior eſt animorum diſtractio. Quare ad ſimilitudinem illam identidem reuocandi ſumus, amoris conciliatricem. Nam quòd eadẽ natura in alijs eſt expreſsior & melior, in alijs obſcurior & deterior, hoc eſt quòd alij uigore ingenij et animi, ac robore corporis alijs præſtant: id non eam uim habet, ut aut callidior ſimpliciorem circumueniat, aut robuſtior imbecilliorem euertat, ſed ut egregias naturæ ſuæ dotes ad utilitatem & ſalutem miſerorũ cõferat. Neq; enim Deus fruſtrà illum excellere uoluit, aut dotibus illis abuti. Idem eſt & de diuitijs & de potentia intelligendú. Itaq; ex hac præſtantia in eodem genere communis naturæ, ortum habent magiſtratus & nobilitatis inſignia: hæc eadem efficit diſcrimina ſeruorũ & liberorum. Hæc etiam cauſa eſt, cur monarchia & ariſtocratia democratijs præſtare uideantur. Non ergo debent homines ſordidi atq; imperiti, naturæ communis abuti nomine, ad contumaciam, ſuperbiam, magiſtratus legitimi & præſtantium uirorum contemptum. Agnoſcenda ſunt & honoranda ſingularia dona in ijs, qui uulga hominũ excellunt. Is enim honos ad ipſum Deum refertur, cuius quaſi uicarij & miniſtri ſunt uiri præſtantes.*

Præſtantiam quiſq; ſuã ad aliorum utilitatem conferre debet.

Homin[...] in[...] [...]tè debent æquare ſumm[...]

Nam illud quidem abſurdum eſt.) *Obiter confutat duas peruerſas opiniones, reipſa cohærentes. Errant autem illi quos reprehendit, in eo, quòd gradus humanæ ſocietatis non ſatis animaduertunt: & non niſi tres ſtatuentes, cum plures ſint* ὑποδιαιρέσεις, *propinquos tantum ſibi aut ciues cõ-*

lendos

lendos & tuendos eſſe exiſtimant, remotiores uerò atque externos & negligendos & uiolandos. Sæpè dixi, doctrinam primi Libri huius operis benè perceptam, commentarium eſſe reliquorum duorum. Quod ita ſe habere, qui diligentius expenderit, omnino deprehendet. Ad hunc igitur errorem refutandum, conſulantur ea quæ primo libro, capite de Beneficentia ſcripta ſunt, ab hoc initio: Optimè autem ſocietas hominum, cõiunctioq́; ſeruabitur, ſi ut quiſque erit coniunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quæ, &c. Ineptum argumentum eſt, & falſum: Ciues & externi non ſunt ex mea gente & familia: Ergo nihil ad me attinent. Sic potius argumentandum erat: Propinqui, parentes, fratres, affines, ſunt mihi coniunctiores: Ergo his potius (quoniam omnibus æquè non poſſum) benefacere debeo, quàm ciuibus aut externis. Sed tamen neq; ciues neq; externi negligendi ſunt, ſi ſit iuuandi facultas atq; occaſio. Imò qui humaniores ſunt, & naturæ memores, etiam iumentis & brutis parcũt, quantũ poſſunt, quòd uitam corporis communem cum illis habent: quam eripere illis ſine cauſa, cum nullis opibus ereptam poſſis reſtituere, quanta eſt iniuria atq; immanitas? Atq; etiã ea, quæ anima & ſenſu carent, ijdẽ nõ temerè perdunt: intelligentes, eas quoq; res ad uſum animantium, nõ autem ad abuſum à Deo eſſe conditas, cuius munera gratis animis accipienda & modeſtè fruenda ſint.

Gradus ſocietatis humanæ conſiderandi.

Ineptæ argumentationis inuerſio.

Et brutis & inanimis rebus parcendum.

Parenti ſe.) *Faciunt hoc non ij tantùm, qui furãtur aut rapiunt rem parentum: ſed etiam ignaui, prodigi & flagitioſi filij: atq; ij cum primis, qui diſcendi cauſa in ſcholas miſſi, quiduis potius quàm id cuius cauſa adſunt, ſibi agendum eſſe cenſent. Tales filij non tantùm opes parentum, ſed animos etiam & uitam ſæpè ſurripiunt. Impij hi ſunt, & haud dubiè Deo ſuo tempore pœnas daturi, ut parricidæ, quamuis animaduerſionem magiſtratus euaſerint.*

Filij parentibus detrahentes.

Aut fratri nihil detracturos.) *Φιλαδελφία quoque hoc tempore refrixit, atque adeò etiam olim. Vnde Ouidius, fratrum quoq; gratiam eſſe raram conqueritur. Idq́; maximè in herciſcunda familia cernitur.*

Hi dirimunt communem humani generis ſocietatem.) *Cuius, ut primo Libro dixit, uinculum eſt,* RATIO ATQVE ORATIO, *hoc eſt: hæ efficiunt ſocietatem. Id autem uinculum, quod mox commemorabit, pertinet ad eiuſdem ſocietatis conſeruationem.*

Qua ſublata, beneficentia, liberalitas, bonitas.) *Hæc non modò nemini nocet, aut inuidet, ſed fauet etiam & commodat quibus poteſt. Videtur conſtare bonitas ex Iuſticia & liberalitate. Græcè fortaſſis ἀκακία dici poteſt, aut χρηστότης.*

Tollitur.) *Neq; enim homines unà uiuere poſſunt, niſi mutua fuerit communicatio officiorum & rerum, & ab iniurijs abſtineatur.*

Quæ qui tollunt, etiam aduerſus Deos.) *Amplificatio à perſonæ qualitate, ſi tamẽ ita loqui de Deo fas eſt: & translatio quædã à perſona inferiore*

Leſæ diuinæ Maieſtatis rei.

riore

riore ad ſuperiorem:ut ſi,publico miniſtro uiolato,magiſtratus ipſe uiolatus eſſe dicatur.Verum hoc eſt.Violandis enim hominibus, ſemper etiam uiolatur Deus,quantum ſcilicet ad improbitatem ipſius delinquentis attinet.Nam Deo quidem ipſi noceri non poſſe:etiã inſani intelligunt.Autor ijs uerbis quæ ſequuntur,cauſam huius impietatis affert.Vt enim is qui contemnit & uiolat edicta magiſtratus,ipſum magiſtratum contemnit: ſic aduerſus deos eſt impius,qui diuinis inſtitutis nõ obtemperat.Similis figura eſt in Nicocle Iſocratis,in uituperatores eloquentiæ· τοὺς τολμῶντας, *inquit,* βλασφημεῖν περὶ τῶν παιδευόντων καὶ φιλοσοφούντων: ὁμοίως ἄξιον μισεῖν, ὥσπερ τοὺς εἰς τὰ τῶν θεῶν ἤδη ἐξαμαρτάνοντας.

Ab his enim conſtitutum.) *Sunt igitur læſæ maieſtatis non humanæ, ſed diuinæ rei.Crimẽ hoc grauiſſimè uindicatur Iure ciuili. Sed magnopere cauendum eſt,ne ij ipſi uindices,diuinam Maieſtatem ſæpè lædant. Sed hoc ipſi uiderint.*

Subire incommoda uel externa.) *Id eſt,Præſtat eſſe uerbi cauſa pauperem & deſpectum,quàm alijs lædendis opes & dignitatem augere.*

Corporis.) *Id eſt,Præſtat minus rectè ualere,quàm uiolare alios. Morbos ſuos uir bonus ſi transferre in alium poſſet,& illius ſanitatem in ſe: non faceret,quia eſſet iniurius in homines,& impius in Deum,qui ſua cuiq; bona & mala uel rectè collocanda,uel ſapienter ferenda propoſuit.Quod ſi tu mea mihi bona eripueris,& tua mala cum meis coniunxeris: quis ego ero & opibus meis ſpoliatus,& duplici onere depreſſus,cum ſimplici uix ſim ferendo? Non dico hæc fieri poſſe: &, ut poſſint, haud ſcio an fiant: etſi de uoluntate longè minus dubito,quàm de facultate.Sed cum* ὁ μυειοτέχνης *colatur à longè plurib.ſapientibus præſertim,& doctis,quàm Chriſtus:multi ſunt,quos cauere,quàm familiares & amicos habere, melancholici nõnulli cenſeant eſſe melius. Qui etſi ingenioſi eſſe dicuntur,& animaduertere multa,quæ naris obeſæ homines & guloſi minimè ſentiãt:tamẽ fortaſſis & hoc inter cætera eorũ delyria eſt numerandũ.* Νᾶφε μέντοι, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Νάψεις δὲ οἰκόσιτος μᾶλλον ἢ ἂν ἢ παράσιτος αἰρούμενος. καὶ γὰρ ἐκεῖνος, καίτοι μυειοτέχνης ὤν, διὰ σιτίων τε καὶ ποτῶν, καὶ ἐσθῆτι, καὶ προσόψεως καὶ ἁφῆς, καὶ τῶν τοιούτων τὰ πλεῖστα διὰ ἰδίας κακουργίας καὶ μιαιφόνου ψευδολογίας καὶ ἀσελγείας κατεργάζεται, ὥς φασιν οἱ τὰ τοιαῦτα δεινοί.

Vel etiam ipſius animi.) *Videtur hoc* παράδοξον. *Nam incommoda animi maxima ſunt:ut ignorantia,& reliqua uitia.Sed tamen facilè intelligetur hic locus,ſi comparatio honeſtorum inter ſeſe,extremo primo Libro tractata,conſideretur.Nam hic etiam non ſecus atq; ibi,communitas, hoc eſt iuſticia, prudentiæ & fortitudini antefertur. Subit igitur animi incommoda, qui per inopiam erudiri non poteſt,ut fiat prudentior,doctior,modeſtior, urbanior,fortior.His enim etiam uirtutibus opum ſubſidia multum conferunt, ob ſumptus diligentis inſtitutionis. Poſſunt etiam animi incõmoda intelligi, ſolicitudines,triſticia & deſperatio quædam,quæ inopiã,contemptũ,& ſæpe uirtutis*

uirtutis etiam ſtudium comitantur. Præſtat igitur hac ratione angi animo, quàm per iniuriam locupletari atq; emergere.

Quæ uacent iuſticia.) *Sic plerique codices habent. Quidam legunt iniuſticia, quæ lectio benè conuenit antecedentibus, ut ſit προσδιορισμὸς, hoc modo: Incommoda animi, ſed non omnia, atque illa tantùm quibus iuſticia non læditur: ſubire præſtat, quàm alios uiolare. Sed cum ſequẽtibus non conuenit. Locus igitur hic mendi ſuſpicione non uacat. Vtcunque ſit, ſententia clara eſt: ſubire incommoda externa corporis, & animi nonnulla, præſtabilius eſſe, quàm ea incommoda euitare, iuſticia uiolata. Multa talia loca in bonis autoribus occurrunt ſiue deprauata, ſiue ab ipſis ſcriptoribus minus accuratè perpolita: in quibus ſententiam qualemcunque ſequi, aut etiam ignorantiam ſuam fateri præſtat, quàm ſe diu fruſtrà torquere. Ego certè hoc animo ſum, ut, ſi quis mihi genius promitteret, fore ut hunc ipſum locum intelligerem, ſi totum menſem eo meditando conſumerem: eam cõditionem non ſim accepturus. cogitationem unius neq; alterius horulæ non fugiam: præſertim aut citò, aut nunquam, aut non niſi per occaſionem intellecturus.*

Ignorare quædã quàm inani labore confici, præſtat.

Hæc enim una uirtus.) *ἡ καθόλου δικαιοσύνη, quæ eſt conſenſio & abſolutio omnium animi partium, intelligatur: cum ἡ ὁρμὴ τῷ λόγῳ paret.*

CICERO.

Forſitan quiſpiam dixerit: Nonne igitur ſapiens, ſi fame ipſe cõficiatur, abſtulerit cibum alteri homini ad nullam rem utili? Minimè uerò. Nõ enim mihi eſt uita mea utilior, quàm animi talis affectio, neminem ut uiolẽ commodi mei gratia. Quid? ſi Phalarim crudelem tyrannum, & immanem, uir bonus, ne ipſe frigore conficiatur, ueſtitu ſpoliare poſsit, non'ne faciat? Hæc ad iudicãdum ſunt facilima. Nam ſi quid ab homine ad nullam partem utili, tuæ utilitatis cauſa detraxeris, inhumanè feceris, cõtraq; naturæ legem. Sin autem is tu ſis, qui multam utilitatem Reipublicæ atq; hominum ſocietati, ſi in uita remaneas, afferre poſsis: ſi quid ob eam cauſam alteri detraxeris, nõ ſit reprehendendũ. Sin aũt id non ſit eiuſmodi: ſuũ cuiq; incommodum ferendum eſt potius, quàm de alterius cõmodis detrahendum. Non igitur magis eſt contra naturam morbus, aut egeſtas, aut quid huiuſmodi, quàm detractio atq; appetitio alieni. Sed communis utilitatis derelictio contra naturam eſt. eſt enim iniuſta. Itaq; lex ipſa naturæ, quæ utilitatem hominum conſeruat & conti-

net, decernit profectò, ut ab homine inerti atq; inutili ad ſapientem, bonum, fortemq́; uirum transferantur res ad uiuẽdum neceſſariæ: qui ſi occiderit, multum de communi utilitate detraxerit: modò hoc ita faciat, ut ne ipſe de ſe benè exiſtimans, ſeſeq́; diligens, hãc cauſam habeat ad iniuriã. Itaq; ſemper officio fungatur, utilitati cõſulens, hominũ, & ei (quã ſæpè cõmemoro) humanę ſocietati. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile iudiciũ eſt. Nulla eſt enim ſocietas nobis cũ tyrannis, ſed potius ſumma diſtractio eſt: neq; eſt cõtra naturã ſpoliare eũ, ſi poſsis, quẽ honeſtũ eſt necare. Atq; hoc omne genus peſtiferũ atq; impiũ, † ex hominũ communitate exterminãdũ eſt. Etenim ut membra quędã amputantur, ſi & ipſa ſanguine, & tanquã ſpiritu carere cœperũt, & nocẽt reliquis partibus corporis: ſic iſta in figura hominis feritas, & immanitas beluæ, à cõmuni tanquã humanitate corporis ſegreganda eſt. Huius generis ſunt quæſtiones omnes hæ, in quibus ex tempore officiũ exquiritur. Eiuſmodi igitur, credo, res Panætiũ perſecuturũ fuiſſe, niſi aliquis caſus, aut occupatio conſilium eius prę ueniſſet. Ad quas ipſas conſultationes, ex ſuperioribus libris ſatis multa præcepta ſunt, quibus perſpici poſsit, quid ſit propter turpitudinem fugiendum: quid ſit id quod idcirco fugiendũ non ſit, quia omnino turpe non ſit.

V. L. Quidam pro, Ex hominum communitate, habent, Ex humanitate corporis: quod minus diſpliceret inuerſum, Ex corpore humanitatis. Sed neutra lectio mihi probatur.

Forſitan quiſpiam dixerit.) *Hic quæſtiones tractantur, quæ pendent à circumſtantijs ſeu attributis perſonarum, & pertinent πρὸς τὸ τῶν περιστάσεων καθῆκον. Fundamentum autem Ciceronis eſt hoc: non priuatæ, ſed publicæ utilitati eſſe ſeruiendum. Iis igitur hominibus maximè conſulendum eſſe, qui publicè plurimùm prodeſſe poſsint. Si igitur res ita ferat, ut uir utilis atq; inutilis ſimul incolumes eſſe non poſsint: rapiendum eſſe inutile, & tribuendum utili. Ea rapina cũ iniuſta uideatur reſpectu priuatæ perſonæ: iuſta tamen fit propter publicã utilitatẽ. Iuſtũ eſt quenq; ſuo frui. Sed iuſtius eſt, Rempublicã eſſe ſaluam, etiam cum interitu hominis inutilis, & multo magis pernicioſi.*

In conſeruandis hominib. Rempublicã eſſe priuati cuiuſq; utilitati præferẽdam.

Nonne igitur ſapiens.) *Stoicæ phraſeos ἔμφασις in primis obſeruetur.*

Eum

Eum enim dicunt ſapientem, qui uirtutibus omnibus ſit ornatus: quo nihil melius & præſtantius orbis terrarum habeat, qui ſit quaſi princeps rerum humanarum, & deus quidam ad ſalutem generis humani natus. Quæ eſt idea Platonica. Quis enim ulla ætate talis fuit, aut futurus eſt?

Sapiens ſtoicus.

Conficiatur.) *Notetur & huius uerbi ἔμφασις: id eſt, ſi aliter uitam tueri nequeat. Quæſtiones enim hæ neceſſitatem extremam complectuntur, quo facilior ſit iniuriæ, ut habetur, defenſio. Hinc à diabolo impulſæ gentes quædam, ſalutis publicæ cauſa, ut opinabantur, homines immolabant. Sunt & qui pecudes pro hominum incolumitate iugulari cenſeant.*

Nonniſi extremis morbis extrema remedia adhibenda.

Ad nullam rem utili.) *Qualis Margites quidam ab Homero deſcriptus eſſe fertur, qui ſit ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης: id eſt, telluris inutile pondus, & tantùm fruges conſumere natus. Conferatur hic cum deſcriptione ſapientis ſuprà expoſita.*

Non enim mihi eſt uita mea utilior.) *Pendet reſponſio à gradibus bonorum ſuprà expoſitis. Mors mea non deſtruit naturam meam, in animi probitate potiſſimum ſitam: iniuria uerò id facit, ipſa morte nocentior. Sed pleriq; ſemel atq; iterum peccare, aut ſæpius etiam, leuius malum eſſe cenſent, quàm ſtatim perire. Exiſtimant enim, ſe receptum habere ad pœnitentiam, & multis benefactis crimen illud compenſaturos. Deinde, inſtituunt collationem perſonarum: Nos ſumus nobiles, diuites, occupati: iſte ignobilis, inops, ocioſus: nos mariti & patres, ille cœlebs & orbus: nos iuuenes, ille ſenex: nos delicati, ille malis aſſuetus. Ferat igitur potius infortunium, & pereat, quo iure quaq; iniuria, quàm nos. Quàm rectè autem iſta fiant: ipſi uiderint. Cicero certè negat: & periculoſiſſimum eſt, fiducia clementiæ diuinæ committere, quod à Deo interdictum eſſe conſtet, atteſtante tuapte conſcientia.*

Mors corporis non deſtruit uitam animæ ſed mors animi, id eſt improbitas, totum hominẽ conijcit in Gehennam. Falſa, aut certè fallax ſpes pœnitentiæ & correctionis.

Nam ſi quid ab homine.) *Quæſtio prior diſſoluitur diſtinctione, hoc modo: Eripere aliquid homini inutili, tua cauſa: nefas eſt. Propter Rempublicam id facere, conceſſum.*

Sin autem id non ſit eiuſmodi.) *Id eſt, Si tu Reipublicæ multùm commodare non poſſis: ſi ſis homo plebeius, & unus de multis.*

Suum cuiq; incommodum.) *Sic etiam Terentius, Non tu tuum (inquit) malum æquo animo feres? Cogitandum, nos ex æquo eſſe homines: & ſua (ut antè dixi) cuiq; commoda & incommoda diuinitùs eſſe decreta. Quod ſi igitur alteri commoda quæ habet detrahantur: & aliena incommoda, iis quibus antè premitur, coniungantur: quanta erit hæc iniquitas? quis tantis oneribus ferendis erit? Aut citò peribit miſer ille, & ſic homicidæ erunt qui id fecerint: aut in perpetuis ærumnis uiuet, ipſa morte crudelioribus. Vbi interim humanitas? ubi religio? ubi conſcientia? Num Deus iſta inulta patietur? Quis tyrannus aut carnifex æquè immanis?*

Sua cuiq; mala ferenda.

Transferantur res ad uiuendum neceſſariæ.) *Obſeruetur uerbum transferantur. Videtur enim innuere, publica autoritate magiſtratuum, & totius populi conſenſu iudicium hoc de præſtanti alicuius uirtute & ſapientia*

Aliorum eſſe de excellenti uirtute iudicium.

eſſe faciendum. Multi enim ſe ſapientes putant, quibus nihil eſt ſtultius: præferunt ſe omnibus mortalibus, cum ſint infra omnes infimos homines, ut ait ſeruulus apud Comicum. Falſiſſima hæc perſuaſio & nefaria mens, uiget potiſſimùm apud Sardanapalos & Thaides: qui, ut olim quidã feruntur excantaſſe ſegetes, Atq; ſatas aliò uiſi traducere meſſes: ita & ipſi id efficere conantur mirabilibus præſtigijs & artificijs, ut alij pro ipſis ægrotent corporibus, animis doleant, deniq; moriantur, ſi fieri poſſit. Cur uerò? ſi quæras: Quia ego ſum ditior, nobilior, delicatior: ergo ſum te melior, & uita dignior, & minus ferre poſſum. Sed reſpondebit aliquando huic argumento Deus, in cuius conſpectu maiores & nobiliores ſunt probi & pij ſerui, quorũ infima dicitur eſſe conditio, quàm impij monarchæ: qui meminiſſe debebant, ſe quoq; habere Dominum in cœlis.

Arrogantia & intemperiæ quorundam.

Modò hoc ita faciat.) Ἀ` φιλαυτίᾳ multũ eſſe periculi monet. Itaq; præſtat, aliorum potius in huiuſmodi re iudicio niti. Deinde nemo unquã uir tantus fuit, cuius interitũ etiam mundi interitus fuerit conſecutus. Neq; hoc Cicero dicit ſcilicet: ſed qui de ſeſe ita ſentire uideantur, non deſunt. Ad hæc ſicut Deus Reſpub. per uiros præſtantes erigit: ita ſublatis ijſdẽ, depreſſum ire illas uériſimile eſt. Imò ſunt certæ & ſecundæ & aduerſæ fortunæ uices, tam publicè quàm priuatim. Neq; præſtantiũ urorũ uirtus atq; induſtria, quamuis incolumes manſerint, diutius ciuitatibus prodeſt, quàm ipſarum ciuitatũ fata ferũt. Imò ſæpè fit, ut qui plurimũ profuit, pòſt multo plus noceat: id quod Marius, Cæſar, & alij complures ſuis exemplis docuerũt. Itaq; non modò priuatus homo, ſed ne Reſpublica quidẽ temerè uitam cuiuſquã innocentis, ſibi condonari poſtulabit. Viuat & moriatur ſuo quiſq; fato. Deo non deerũt alij, per quos conſulat ciuitatibus & regnis. Hoc loco quæri etiam poſſit, quid in obſidionibus faciendum, ſi cibus ad alendam bello inutilem ſenum, ægrotorum, mulierũ, puerorum turbam non ſuppetat? Sed hoc iudicabunt ij, qui rerum potiuntur. Mihi in primis paci conſulendum uidetur: deinde ſi bellum uitari non poſſit, aut maximam annonæ copiam matu è præparandam, aut imbellem turbam in tuta loca ablegandam ante aduentum hoſtiũ. Nam crudele certè quidem eſt, ne dicam impium, eos urbe pulſos hoſtium libidini & enſibus obijcere, pro quorum pudicitia & incolumitate uiris fortibus non minus quàm pro aris & foris mors oppetenda eſſe uideatur.

Præſtãtes uiros non prodeſſe diutius rebuſpublicis, quàm diuinitùs regãtur & adiuuentur.

Viciſsitudo rerum ineluctabilis.

De obſidionum neceſsitatibus.

Nam quod ad Phalarim attinet.) Alteram quæſtionem ſoluit argumento à comparatis, hoc modo: Tyrannum licet occidere: quanto magis ſpoliare? Antecedens pro confeſſo ſumit, ob Græcorum & Romanorum inueteratum odium in tyrannos. Sed Chriſtianos aliter de his ſentire, ſuprà diximus. Itaq; cauendum eſt hoc facinus, niſi aut ſuperioris magiſtratus autoritate, aut totius populi conſenſu manifeſto comprobetur. Nam tacita & occulta illa de honore ſuffragia τῶν μισοτυράννων, ut ſuprà dixit, non ſatis eſſe uidentur ad rem tam atrocem audendam.

Tyrannus ſine publica autoritate non occidendus.

Nulla ſocietas nobis.) Voluntaria certè quidem nulla eſt, ſed neceſſaria & uiolen-

& uiolenta:ut,cum moroſis & querulis ranis apud Aeſopum,Ciconiam reginam mittit Iupiter.

Summa diſtractio.) *Alij legunt Diſiunctio. Diſtinctio autem,& detractio,perperam ſcribuntur. Diſtractionem autem eſſe cum tyrannis ideo dicit,quòd animis conſilijsq; etiã maximè diſsident:cùm alteri libertatem ſpectent,leges defendant, & diſciplinam ciuitatis:alteri ſeruitutem introducat, per uim leges opprimant,omnemq; licentiam ſibi ſumant.*

Si poſsis.) *Nemo certè hoc poteſt, niſi ipſe prius ſuam uitam contempſerit, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν. Neq; enim fit facinus magnum & memorabile abſq; periculo. Fortes plerumq; uiri ſunt tyranni, & ut magnis armorum præſidijs contra uim apertam ſepti: ſic diligentia ſingulari contra uenena & alias inſidias muniti.* Tyrannicidē eſſe nō poſſe, niſi qui mori tutum putarit.

Hoc hominum genus peſtiferum atq; impium.) *Non tyranni tantùm,eorumq; miniſtri:ſed in genere omnes improbi, & humanæ ſocietatis uiolatores, fures,latrones,uenefici,& reliqui intelligantur.*

Exterminandum eſt.) *Non tam è Republica (ſcorpius enim uenenatum aculeum quocunq; terrarum ſecum fert) quàm è uita. Dubitari ſanè poteſt, quàm rectè ſtigmatici & notis ignominioſis inuſti pellantur urbibus. Nam aut grauiora audent peregrè: aut, ut res optimè cadat, mendicando alijs ſunt graues & moleſti. Rectius uidetur, ſi qui capitalem fraudem non admiſerint, eos compeditos ad opus publicum cogi, aut ad triremes condemnari.* Malefici ē urbibus pellendi.

Etenim ut membra quædam.) *Illuſtri ſimilitudine corporis humani, qua etiam ſuprà,ſed paulo aliter uſus eſt,declarat,non parcendum eſſe improbis,cum ne membris quidem noſtris parcere ſoleamus.*

Huius generis ſunt eæ quæſtiones.) *ſcilicet cuiuſmodi ſunt hæ quas modò poſui, de ſpoliando inutili homine & tyranno. Honeſti iudicium, ubi cætera omnia paria ſunt, perfacile eſt: ut ſi duo pari ſint uirtute & ſapientia, paria utrique præmia eſſe decernenda. Sed tempora, id eſt circumſtantiæ, ut uocant Rhetores, ſæpe dubitationem afferunt.* Circumſtantias maximè gignere dubitationem.

Eiuſmodi igitur credo res.) *Quæ ſequuntur, ſunt προοιμιώδη, & ſuprà etiam tractata.*

Ad quas ipſas conſultationes.) *Monet ſuperiorem doctrinam, id quod uerum eſt, fundamentum eſſe, & quaſi regulam dijudicãdi huius Libri controuerſias.*

CICERO.

Sed quoniam operi inchoato, propè tamen abſoluto, tanquam faſtigium imponimus, ut Geometræ ſolent, nõ omnia docere, ſed poſtulare ut quædam ſibi concedantur, quò facilius, quæ uelint, explicẽt: ſic ego à te poſtulo,

mi Cicero, ut mihi concedas (ſi potes) nihil præter id quod honeſtum ſit, eſſe propter ſe expetendum. Sin hoc non licet † per Cratippum: at illud certè dabis, quod honeſtum ſit, id eſſe maximè propter ſe expetendum. Mihi utrumuis ſatis eſt, & tum hoc, tum illud probabilius uidetur, nec præterea quicquam probabile. Ac primùm Panætius in hoc defendendus eſt, quòd non utilia cum honeſtis pugnare aliquando poſſe dixerit: (neq; enim ei fas erat) ſed ea quæ uiderentur utilia. Nihil uerò utile, quod non idē honeſtum: nec honeſtum, quod non idem utile ſit, ſæpè teſtatur: negat'que ullam peſtem maiorem in uitam hominum inuaſiſſe, quàm eorum opinionem, qui iſta diſtraxerint. Itaq; non ut aliquando ante poneremus utilia honeſtis, ſed ut ea ſine errore dijudicaremus, ſi quando incidiſſent, induxit eam, quę uideretur eſſe, non quæ eſſet, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullis adminiculis, ſed (ut dicitur) Marte noſtro. Neq; enim quidquam de hac re poſt Panætium explicatum eſt (quod quidem mihi probaretur) de his quæ in manus noſtras uenerunt.

V. L. propter Cratippum:

Sed quoniam operi.) *παρακαταληπτικῶς dicit, hæc ornamenti potius uice, quàm neceſſariò addi.*

Vt Geometræ ſolent.) *In Euclide & eius commentarijs extant κοιναὶ ἔννοιαι, ἀξιώματα, ὑποθέσεις, αἰτήματα, δι᾽ μία ἢ δυγῖτα, λήμματα, πορίσματα, προβλήματα, προθέσεις, ἐκθέσεις, συστάσεις, διορισμοί, κατασκευαί, λύσεις, ἀπαγωγαί, συμπεράσματα, ἀποδείξεις. Quæ ſuo loco & tempore cognoſcēda ſunt ſolidæ eruditionis ſtudioſis adoleſcētib. Plato Arithmeticā & Geometriā alas eſſe dixit, quib in cœlū ſubuoletur: quo dicto, ſine illis neminē Aſtrologiæ poſſe fieri cōpotē ſignificauit. Idē, Geometriæ rudes auditorio ſuo excluſit, hac inſcriptione: μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Quod etſi fortaſsis ad moderationē animorū, ac morū cōformationē ἀλληγορικῶς nō inſcitè accōmodatur: illud tamē omnino cōſtat, arcana Platonicæ & Ariſtotelicæ philoſophiæ, ſine cognitione Mathematū, Geometriæ præſertim & Arithmeticæ, nullo modo poſſe intelligi. Imò ſunt, qui idem de Theologia etiam affirment.*

Mathematicæ diſciplinæ ad ſolidā eruditionem neceſſariæ.

Quo facilius, quæ uelint, explicent.) *Hæc Geometrarum αἰτήματα multis cauillandi eam artem, ut mendicam & precariò uiuentem, anſam præbuerunt. Cuiuſmodi eſt illud in Lucullo Ciceronis: Geometræ, inquit, prouideant,*

Cauillationes contra Mathematicas diſciplinas.

uideant, qui ſe profitentur non perſuadere, ſed cogere: & qui omnia nobis quæ deſcribunt, probant. Non quæro ex his illa initia mathematicorum, quibus non conceßis, digitum progredi non poſſunt, &c. In eandem ſententiã Lucianus quoq; in Hermotimo ſuo ſcribit: ἡ θαυμαστὴ γεωμετρία σοὶ ἐν ἀρχῇ ἀλλόκοτά τινα αἰτήματα αἰτήσασα, καὶ συγχωρηθῆναι αὐτῇ ἀξιώσασα, οὐδὲ συστῆναι δυνάμενα, σημεῖά τινα ἀμερῆ, καὶ γραμμὰς ἀπλατεῖς, καὶ τὰ τοιαῦτα: ἐπὶ σαθροῖς τοῖς θεμελίοις τούτοις οἰκοδομεῖ τὰ τοιαῦτα, καὶ ἀξιοῖ εἰς ἀπόδειξιν ἀληθῆ λέγειν, ἀπὸ ψευδοῦς τῆς ἀρχῆς ὁρμωμένη. *His cauillationibus ſic reſpondet Viues: Num id (inquit) quòd durißimæ ſis frontis, imò præpoſterus, & naturæ contrarius, niſi concedas: precarium tu appellas? id quod ego poſſum meo iure ſumere ac uindicare?*

Quo facilius explicent.) *id eſt: Quo facilius auditor rudis inſtituatur, ſubtilium rationum nondum capax.* τὸ ὅτι *in primis traditur:* τὸ διότι *confirmato iudicio ſequitur. Non igitur poſtulant Geometræ, aut aliarum artium magiſtri, quicquam falſum aut iniquum: ſed ea tantùm, quæ auditor longius progreſſus diſcendo exercendoq; ſe, uera & æqua eſſe intelliget.* Artis explicatio ad captum & utilitatẽ auditoris accommodatur.

Explicent.) *efficiant ut auditores doctrinam intelligant. Notetur hic doctrinæ finis, qui eſt, non ut is qui docet, ſe oſtentet, & magnificat ab auditoribus (quod quidem ipſorum intereſt) ſed ut hi fiant doctiores. Quia uerò ut ætatis, ita etiam ingenij & doctrinæ certi gradus & incrementa ſunt: nõ abs re à ueteribus dictum eſt, Addiſcentem oportere credere. Hinc illud etiam Pythagoricum,* αὐτὸς ἔφα, *ortum uidetur. Scribit Plutarchus (ut antè diximus) Catonem Vticenſem, puerum, feciſſe quidem quæ à præceptore Sarpedone iuberetur, omnia: ſed, cur is iuberet, cauſas requiſiuiſſe. Quod præſtantis ingenij, & uerè philoſophici ſignum fuit. Sed cum pauci tales ſint: acquieſcendum eſt in doctrina præceptorum, donec ipſe iudicare poßis. Cæterùm pauci ea ſunt induſtria, eo candore, ut aut inquirant in ea quæ tradita ſunt, aut* Addiſcentem oportere credere.

Quæ iuuenes didicere, ſenes perdenda fateri

non erubeſcant. Ita hæc adoleſcentiæ credulitas, adulta ætate ferè gignit pertinaciam. Felices igitur eos, qui in fideles, doctos, ſano iudicio præditos magiſtros diuino quodam fato inciderunt, eorumq; præcepta perceperunt.

Nihil præter id quod honeſtum ſit.) *Axioma Stoicum.*

Si potes.) *Id eſt, ut mox dicit: Si per Cratippũ hoc tibi licet, & ſectam Peripateticam, cui tu nomen dediſti. Miſera eſt, ut antè diximus, eorum conditio, qui ſe homuncionis alicuius opinionibus manciparunt: ut, etiamſi quid melius & certius ex alijs acceperint, tamen id amplecti non auſint. Liberior & felicior eſt Horatius,* Seruitus diſcipulorum.

Nullius addictus iurare in uerba magiſtri.

Hoc philoſophicum eſt, ueritatem ubicunq; inuentam adorare, & præ ea omnes mortales contemnere. De ueritate cognita & perſpecta loquor. Multa enim ſunt in omnibus diſciplinis, quæ in dubium uocentur, nec ullo humano

ingenio

Maximè ſcitu neceſſaria, plerunq; perſpicua : intricatiſsima queq;, parum utilia.

ingenio dijudicari poſſe uideantur. In quibus δεῖ ἐπέχειν καὶ διασκέπτεσθαι: aut potius, quod prudenter monet Iſocrates, ut pleraq; omnia χρὴ ἀφέμενον τῶν ἀμφισβητουμένων ἐπὶ τὸ ὁμολογούμενον ἐλθεῖν. Sic autem ſe res plerunq; habet, ut maximè dubia & controuerſa, aut minus neceſſaria ſint, aut planè ſuperuacanea. Et tamen ea eſt humana peruerſitas, ut propter hæc, quæ plus ſubtilitatis, ne futilitatis dicam, quàm utilitatis habent, & Scholæ & Eccleſiæ turbentur: & cœlum terræ, quod aiunt, miſceatur. In quo adoleſcentes cautiores eſſe debebunt: atq; in neceſſarijs & utilibus, quæ extra controuerſiam & perſpicua ferè ſunt, elaborabunt. Hoc enim inter cætera prudentiæ munus eſt: atq; etiam tranquilliſſimè uiuit, qui rixis, præſertim ad ſuum munus nihil attinentibus, quàm minimum implicatur.

ἀδολέσχεῖν τὸ σοφίν.

Multa, præter honeſtatem, propter ſeſe expeti.

Id eſſe maximè propter ſe.) ἀξίωμα Peripateticum, & naturæ conſentaneum: cui naturæ, ἀξίωμα Stoicum repugnat. Nam uita, ſenſuum integritas, ſcientia, uoluptas, robur, pulchritudo, celebritas nominis, & alia fortaſſe plura: quæ etſi per ſe nec honeſta nec inhoneſta ſunt, ſed pro animo eius qui ijs utitur, uel probantur, uel improbantur: tamē per ſeſe ſine ullo alio commodo expetuntur ab omnibus ſanis hominibus: etiam cum ad nullum alium finem referuntur. Eſt enim ipſa natura φιλόψυχος, φίλαυτος, φιλόσοφος, φιλόκαλος, φιλήδονος, φιλόδοξος, καὶ φιλόπρωτος. Cum autē ipſa etiam uirtus ſæpe aliò ſpectet, ad parandas ſcilicet utilitates (qua de re toto ſuperiore libro actum eſt) in his quoq; idem fieri quis miretur? Quod cùm conſentiens ſeculorum & nationum ſuffragium ita ſe habere teſtetur, ualeat Stoicum παράδοξον, nihil propter ſe præter uirtutem expeti contendens. Illud quidem facilè obtinebunt Peripatetici, Honeſtum maximè propter ſe expetendū eſſe: ſic tamen, ſi ſanus, & non planè rudis auditor eis contigerit. Nam hominum uulgo, beſtiarum more uiuenti, ne id quidem perſuadebitur: cum ſubtiliores rationes aut non audiat, aut non intelligat. Ferunt Simonidem per iocum interrogatum, Cur ſolos Theſſalos ex omnibus Græcis non decepiſſet, id eſt (ut opinor) in ſui admirationem non conuertiſſet? pari ioco reſpondiſſe: Rudiores eos eſſe, quàm ut apud eos impoſturæ locus eſſet. Huiuſmodi Theſſalos inuenias propè infinitos, qui bellam meretriculam, aut quoduis ſordidum lucellum, omnibus uirtutibus, omni decori & gloriæ, cùm animo & uerbis, tum ipſa uita & moribus anteponant, ἀνδραποδώδεις ὄντες τὴν φύσιν, καὶ βοσκημάτων βίον προῃρημένοι. His leges ſcriptæ ſunt, quibus flagitia & ſcelera coercentur: propter hos, lictores & carnifices aluntur. Præcepta uerò philoſophorum, ad liberalia tantùm ingenia pertinent: quæ ſi cum reliqua ignobilis uulgi fece conferas, perpauca omnibus ætatibus extiterunt. Vnde Themiſtius quadam oratione ſordidis parentibus natos, pleroſq; ineptos ad diſcendam philoſophiam cenſet: quòd ſordes, opinor, animorum non minus quàm uitia corporum tradantur liberis. Sæpe tamen hoc fallit, διὰ τὴν πλατωνικὴν χυμείαν, qua nonnunquam ferrea familia in argenteam, hæc in auream mutatur, & contrà.

Nonnullos ex inſcitia & ſtupore ne uerisſimis quidem aſſentiri.

Mihi

Mihi utrumuis ſatis eſt.) *hoc eſt: Peripatetica ratione nō minus quàm Stoica, ſemper honeſtas utilitatis opinioni præfertur.*

Tum hoc, tum illud.) *Academicam inconſtantiam innuit, non ſemper idem ſentientem, ut uerè Homericum illud in eam ſectam conueniat:* Platos ἄνθρωπος ζῶον εὐμετάβλητον φύσει.

τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
Tales ſunt hominum mentes: quali pater ipſe
Iuppiter auctiferas luſtrauit lampade terras.

Mutantur enim ut aeris affectiones, ut corporum humores: ita etiam opiniones & uoluntates hominum, ſæpe mirabiliter & leui momento, eorum præſertim qui affectibus potius rapiuntur, quàm ratione ducuntur.

Nec præterea probabile quicquam.) *ſcilicet in hoc genere diſputationum, ubi de finibus bonorum agitur. Excludit enim Epicuri & aliorū opiniones, de ſummo bono.*

Ac primū Panætius.) *Et prudentia Ciceronis in eo laudanda eſt, quòd non diſsimulat, quid in autore ſuo reprehendi poſsit: & æquitas atq; candor, quòd cōmoda interpretatione reprehenſionem mitigat atq; diluit. Humanitatis enim eſt, ab alijs reprehendendis & uituperandis, quantum licet abhorrentem, errata & peccata uel ſilentio diſsimulare, ſaltem ſuppreſſo nomine autoris: uel etiam laudare ſtudiū atq; induſtriam eius, cuius nō omnia probes. Sic tamen etiam hæc moderatio probanda eſt, ut propter eam ueritas nihil capiat detrimenti. Quæ ad Panætij defenſionem attineret, ſuprà quantum ſatis fuit, in medium attulimus.* Aequitas & candor reprehenſionum.

Neq; enim ei fas erat.) *id eſt, ſibi ipſe repugnaſſet: non conſtitiſſet ſibi: deſciuiſſet à ſuo ipſius dogmate. Eſt enim ſeruitus quædam, ut ſæpius iam dictum eſt, eorum qui ſe certis opinionibus addixerunt. Itaq; aduitandum inconſtantiæ atq; inſcitiæ crimen, non tam illud eis uidendum eſt, quid uerum rectumq́; ſit, quàm (quod ex Ariſtotele ſuprà citauimus) τὸ τὴν θέσιν διαφυλάττειν, καὶ ὁμολογούμενα λέγειν ταῖς ὑποτεθείσαις ἀρχαῖς. Academici autem liberiores ſunt, ſi libertas eſt potius quàm leuitas, crebra ſentētiæ mutatio. Et tamen quis ita conſtans eſt, quin aliquando agat Academicum?* Cauenda repugnantia.

Nihil utile, quod non idem honeſtum.) θέσις καὶ ἀρχὴ στωϊκὴ, καὶ δόγμα παράδοξον, μετὰ παραλογισμοῦ. *Oritur autem error Stoicorum ex hac ratione. Homo nihil niſi abſoluta quædam mens eſt. Definitio hæc falſa non diſtinguit hominem à Deo & genijs. Ex hoc falſo principio colligitur falſa argumentatio: Honeſtum menti eſſe utile: ergo toti homini. Epicurei conſimili, ſed craſsiore captione & fallunt, & falluntur: Homo, inquiunt, nihil eſt niſi corpus. Quod ſi uerum eſt, non multum differt à ſaxo, aut ſtipite. Nam & hæc corpora ſunt, quamuis inanima. Inter aſinum certè quidem, aut porcum, & hominem, parum admodum intererit, cum infinitum diſcrimen eſſe conſtet. Ex hoc falſo principio falſam & ipſi conficiunt argumentationem, hoc modo: Quicquid corpori commodat, id toti homini expedit. Vtrique hi,* A Stoicis homin⁹, Deum: ab Epicureis, beſtiam fingi.

(ſi omnino ita ſentiunt ut loquuntur, nec aliud conſilij habent) penè dixerim, Stoicam grandiloquentiam imitatus, ſicarij & latrones ſunt: quorũ alteri corpore, alteri mente ſpoliant hominem. Peripatetici uerò æquitatis obſeruantiſſimi, & mentem & corpus à natura tributum homini relinquunt: & (quod ſæpiſſimè iam dictum eſt, nec unquam tamen ſatis inculcari poteſt) ſic animo principatum deferunt, ut corpus etiam nõ planè cenſeant eſſe negligendum: ſic tamen curandum, ut ne animo noceatur: id eſt, ut ne quicquam contra honeſtatem admittatur.

Peripatetica æquitas & moderatio.

Nec honeſtum, quod idem non utile.) *Verum hoc, ſi mens ſpectetur. Quicquid enim honeſtum, & cum uirtute aliqua coniunctum eſt: utique animo hominis conducit, & naturalem eius integritatem conſeruat. Quod dum fit, ſæpe & corpori & fortunis incommodatur: ut ex illo exemplo, quod rei declarandæ cauſa prius etiam attulimus, perſpici poteſt. Propatriæ defenſione excubare, algere, ſudare, eſurire, laboribus atteri, rem familiarem negligere, uulnerari, mortem denique oppetere, animo conducit: (ſunt enim hæc iuſticiæ & fortitudinis officia) ſed certè corpori iſta non conducunt. Proſunt igitur illa non toti homini, ſed parti hominis: & quidem præcipuæ. Qua de re non multo pòſt dicetur accuratius.*

Honeſtatis & utilitatis conſenſio.

Eorum opinionem qui iſta diſtraxerint.) *id eſt: Qui putarint honeſtatem ab utilitate ſegregatam eſſe, aut contrà. Sed ſi, quod ſentio, dicendũ eſt: uidetur hoc ipſa natura inſtituiſſe diſſidiũ. Alia certè quidẽ proſunt animo, ut ſcientia & uirtus: quarũ utraq; non niſi maximis laboribus, interdum etiam periculis & moleſtijs paratur: & ſæpe cum iactura non modò rei familiaris, ſed ualetudinis etiam, & uitæ. Corpori & ualetudini proſunt optimi quiq; & delicatiſſimi cibi & potiones (intelligenda autem ſunt τὰ εὔχυμα. καὶ εὔπεπτα, καὶ εὐστόμαχα τῶν σιτίων καὶ πομάτων, μετὰ σωφροσύνης προσφερόμενα. hoc eſt: Cibi & potiones boni ſucci, facilis concoctionis, amici ſtomacho, (ſi fruare ijs moderatè) ſomnus, & exercitatio moderata, & oblectatio. Sed hæc ſæpe uirtutis & ſcientiæ ſtudio impediuntur, aut adimuntur. Iam exquiſita ualetudinis curatio, etiam rei familiari ſæpe incommodat, eandemq; nihil æquè diminuit, ac liberalitas: nihil eius incrementa magis prohibet, quàm iuſticia. Ita certè apparet, ſæpe aliud expedire corpori, aliud rei familiari, aliud animo: ut nulla ſolida ſit in reb. humanis felicitas, nec quicquã ab omni parte beatum: & commoda omnia, ſua quædam habeant adiuncta incõmoda. Sed quicquid agas, eòdẽ reuolueris. Res familiaris refertur ad corpus: ergo præſtantius ea corpus eſt. & quod corpori conducit, non putandum eſt decedere rei familiari: quia bonum corporis tantum eſt, ut eo rei familiaris detrimentum obſcuretur. Iam corpus ipſum animo deterius eſſe, & ei lege naturæ ſubiectum: quis omnium, qui quidem ſana mente ſit, dubitet? Bonum ergo animi tantum eſt, ut eo & corporis & fortunarum detrimenta obſcurentur. Hinc facilè poteſt intelligi, planè inter ſe congruere (quod ad finem*

Sæpe alia animo utilia, alia corpori, alia rei familiari.

Res externæ corpori, corpus ipſum animo cũ ſeruiat, inter Stoicorum & Peripateticorum dogma parũ intereſſe.

ad finem bonorum quidem attinet) Peripateticos & Stoicos, ac rectè Ciceronem ſcripſiſſe, utrumuis ſibi eſſe ſatis, ſiue honeſtas ſolum, ſiue ſummum bonum ſtatuatur. Cęterùm hęc facilius intelligi ab omnibus, quàm à plerìſque præſtari poſſunt, quos impellit & trahit appetitus, non ratio ducit & gubernat. Itaq; omnes hominum peruerſitates & intemperiæ ex hac imbecillitate effœminati animi, aut ex prauitate iudicij oriuntur, quòd aut inter corpus et animum nihil intereſſe cenſent, aut quod animum corpori inſeruire oportere perſuaſum habent. Qui ſæpenumero corpori dum conſultam uolunt, malè conſulunt, ſiue id crapula & libidine eneruando, ſiue laboribus & moleſtijs atterendo, ſiue periculis exponendo, propter uoluptates & quæſtum, conficiendoq; curis & ſolicitudinibus. Itaq; falſa iſta eorum, qui mentem prorſus negligunt, perſuaſio, ipſa ſeſe plerunq; ulciſcitur: ut id quod cum primis expetūt, ut corpori bene ſit, minimè conſequantur. Epicurus autem (etſi falſis rerum finibus aſsignandis deceptus) in eo tamen prudentia multis præſtitit, quòd ad ueram & diuturnam corporis uoluptatem perfruendam, uirtutum præſidia requiſiuit: prudentiam in delectu, temperantiam in modo uoluptatum, iuſticiam pœnæ atq; infamiæ cauendæ, fortitudinem propulſandorum incommodorum gratia. Vnde illud eius dictum meritò celebratur, ὅτι οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν: Non poſſe ſuauiter & iucundè uiui, niſi honeſtè & iuſtè uiuatur. Quæ ſententia in fine huius libri copioſius declarabitur.

Pleriq; dum uoluptatem temerè ſequuntur, in maximas incidunt moleſtias & dolores.

Epicurus uirtutem à uoluptatibus non excludit.

CICERO.

Cum igitur aliqua ſpecies utilitatis obiecta eſt: nos cōmoueri neceſſe eſt. Sed ſi, cum attenderis, turpitudinem uideas adiunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis attulerit, tum non utilitas relinquenda eſt: ſed intelligendum, ubi turpitudo ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſe. Quòd ſi nihil eſt tam contra naturam, quàm turpitudo (recta enim, & conuenientia, & conſtantia, natura deſiderat, aſpernatur'que contraria) nihil'que tam ſecundum naturam quàm utilitas: certè in eadem re utilitas & turpitudo eſſe non poteſt. Itemq; ſi ad honeſtatem nati ſumus, ea'que aut ſola expetenda eſt, (ut Zenoni eſt uiſum) aut certè omni pondere grauior eſt habenda, quàm reliqua omnia, quod Ariſtoteli placet: neceſſe eſt, quod honeſtum ſit, id eſſe aut ſolum, aut ſummum bonum: quod autem bonum, id certè utile. Ita quicquid honeſtum, id utile. Quare error hominum

Fff 2 non

non proborum, cum aliquid quod utile uiſum eſt, arripuit, id continuò ſecernit ab honeſto. Hinc ſicæ, hinc uenena, hinc falſa teſtamenta naſcuntur: hinc furta, hinc peculatus, expilationes, direptionesq́ʒ ſociorum & ciuium. Hinc opum nimiarum potentiæ non ferendæ. Poſtremò etiam in liberis ciuitatibus exiſtunt regnandi cupiditates, quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari poteſt. Emolumenta enim rerum fallacibus iudicijs uident: pœnam (non dico legum, quas ſæpè perrumpunt) ſed ipſius turpitudinis, quæ acerbiſsima eſt, non uident. Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur è medio (eſt enim totum ſceleratum & impium) qui deliberant, † utrum id ſequantur, quod honeſtum eſſe uideant, an ſe ſcientes ſcelere contaminent? In ipſa enim dubitatione facinus ineſt, etiamſi ad id non † peruenerit. Ergo ea deliberanda omnino nõ ſunt, in quibus turpis eſt ipſa deliberatio.

V. L. Vtrum id aſſequantur. Peruenerit.) ſcilicet dubitatio. Alij, peruenerint: ſcilicet deliberantes.

Cum igitur aliqua ſpecies.) *Id eſt: Cũ aliquid uidemus, quod uel corpori commodum, uel rebus externis incrementum allaturum eſſe uideatur.*

Nos commoueri neceſſe eſt.) *Hoc eſt, non poſſumus non expetere eam rem, quæ uel uires uel uoluptates corporis auctura ſit, uel incremẽta opũ & dignitatis allatura. Sic enim ab ipſa natura conſtitutum eſt, ut mens ſuopte nutu ad ueritatem feratur: uoluntas autem, quod bonum uidetur, auidiſſimè amplectatur. Vt enim mens oculus quidam: ſic appetitus eſt manus animi, arreptura quicquid arriſerit. Sæpe autem manus hæc diſſentit ab oculo, aliud quàm ille monſtrarit apprehẽdens. Vnde Medea illa Euripidis atq; Ouidij, uidens meliora probansq́;, deteriora ſequẽs. Quæ diſſenſio pro uirili tollenda eſt, & concordia inter eos conſtituenda.*

Vbi turpitudo ſit.) *Et Peripatetica & Stoica ratione ſententia hæc firma eſt, & inexpugnabilis, propter cõtentionẽ bonorũ externorũ, corporis & animi, modò expoſitã. Quæ res enim aut opes, aut corpus iuuant: ſtatim bonæ eſſe deſinũt, cũ animo incõmodãt: id eſt, cũ honeſtati repugnãt. Aequũ aũt iudicem meminiſſe uelim, & huc transferre ea quæ ſuprà dicta ſunt: Primũ huius doctrinæ firmitatem pendêre à Chriſtiana religione, iuſtoq́; Dei iudicio. Deinde, aliter loqui populum, aliter Stoicos. Deniq;, per ſe utilia eſſe multa, ut uitæ & ualetudinis cõſeruationẽ, ut incremẽta dignitatis & opum: quæ ideo*

utilia eſſe deſinant, quòd nec à turpitudine ſeiungi, nec cum honeſtate retineri poſſint. Aliud autem opinor eſt, negare aliquid in uniuerſum eſſe utile: aliud, propter tempora quædam & rerum conditionẽ. Quæ ſi ita ſunt, ut ego quidẽ eſſe arbitror (ſi erro, ueniam huius erroris peto) non pugnant hæc cum ijs quæ de Stoica hominis μεταμορφώσει, aut etiã latrocinio diximus. Mihi certè quidem hæc non magis pugnare uidentur, quàm ſi hominẽ occidi nefas eſſe dicam, & latronem occidendum eſſe affirmem. Nunquid enim latro homo non eſt? Eſt opinor: ſed non tantùm homo, ſed etiam latro. Nunquid uita utilis non eſt? Eſt utiq; ipſius naturæ iudicio. Sed cur eam nõ conſeruo inter idololatras? quia ut illic cum homine latrocinium, ita hic cum uita impietas & uiolatio numinis coniungitur. Quæ ut rectius intelligantur, exemplo declaranda ſunt. Captus à Turcis, propoſita ſatrapia, patiatur'ne ſe, Chriſto negato, circumcidi, nomenq; det Mahometi? utile certè uidetur, è ſqualore carceris eductum, & periculo capitis in horas imminente liberatum, inter imperij potentiſſimi proceres, non poſtremũ dignitate, autoritate, diuitijs, potentia locũ obtinere. Hæc tãta bona cum præputio, & tribus uerbis commutare, quis nolit, ſi nulla inſit turpitudo? Epicureo homini (quæ maxima turba eſt, eorum præſertim qui in Rep. & Eccleſia rerũ potiuntur) religiones omnes ut cõmenticias, & coercẽdi populi cauſa excogitatas deridenti, & omnes religiones unã religionẽ, id eſt plauſibilem quandã & popularem fabulã iudicanti, quid optatius? Sed Chriſtianus homo conſiderabit, an inſit aliqua turpitudo. Ea uerò quo pacto iudicabitur? Nimirum, ſi cum aliqua uirtutum quatuor, quæ uulgò celebrantur, facinus illud pugnauerit. Habet autẽ Chriſtianiſmus has hypotheſes certiſſimas, & ἀξιώματα indubitata: quippe à Spiritu ſancto & excitata in piorum animis, & confirmata: Solus Chriſtianiſmus eſt uera & ſalutaris religio: Corde creditur ad iuſticiam, ore fit confeſſio ad ſalutem. Turcica ſuperſtitio falſa, blaſphema, furioſa, & planè diabolica eſt. Quod qui nõ credit, Turcicas hiſtorias & Alcoranum legat. Non eſt igitur ἀδιάφορον, ſic aut aliter ſentire, & loqui de Deo: & ore quidem ac habitu eſſe Mahometanum, ſententia uerò & uoluntate Chriſtianum: ſed æterna ſalus hic agitur. Iam igitur adhibeamus deliberationi huic grauiſſimæ κριτήρια noſtra, quæ κριτήρια uirtutes eſſe diximus, ac primò Prudentiam uideamus. Eſt'ne prudentis, ueritati mendacium anteferre? Nihil minus. At ſimulare & diſſimulare prudentis eſt, tantis præmijs præſertim, & pœnis propoſitis? Religio prudentiã iſtam execratur, ut ſecundo Axiomate cõtinetur. Apage igitur iſtam prudentiam & calliditatem. Deus enim non deluditur dolis, & hypocriſin deteſtatur. Prodeat iuſticia. Eſt'ne æquũ, Deo ſuum honorem eripere, eumq; nefario & conſcelerato tribuere nebuloni, qualem illum fuiſſe conſtat? Nefas hoc dictu eſt. Eſt'ne grati animi munus, meritorum Chriſti obliuiſci, & eum deteſtari, qui pro te mortem acerbiſſimam oppetijt? Quis hoc dicat, niſi inſanus? Eſt'ne fortis animi, propter incommoda carceris, & mortis metum, à ueritate & iuſticia deficere? Non opinor. Temperantiæ locus hic non

Marginal notes (in order):
Exemplũ repugnãtiæ honeſtatis & utilitatis.
Axiomata Chriſtiana.
1.
2.
3.
κριτήρια deliberationum eſſe uirtutes.
Prudentia.
Iuſticia.
Fortitudo.
Temperantia.

Fff 3. incidit,

inciditːquia in Turciſmo propter interdictum uini uſum magis ſobriè uiuitur, quàm apud nos. et ſi promiſcuæ & nefariæ libidines magis ibi uigent. Omiſſa igitur Temperantia, atq; adeò honeſtate, ueniamus ad cõtentionem utilitatis, cuius quaſi procuratrix Prudentia perhibetur. Sic enim definitur ab Ariſtotele, ut ſit παρασκευαστικὴ τῶν συντεινόντων πρὸς εὐδαιμονίαν. Cicero φρόνησιν, extremo Libro primo huius Operis, eſſe ſcribit rerum expetendarũ, fugiendarumq; ſcientiam. Eſt'ne utilius, triginta aut quadraginta annos florere opibus, & dignitate, (ac ne id quidem ſine maximis laboribus, & plurimis periculis) an perpetuò uiuere cum Chriſto in regno cœleſti? Nemo dubitat Chriſtianus, utrum præſtet. Qui autem dubitat, Chriſtianus non eſt, ſed quiduis potius. Conferamus etiam incommoda. Eſt'ne deterius, triginta aut quadraginta annos compeditum in ſqualore carceris teterrimi, & perpetuo carnificis metu affli ctiſſimè uiuere, an cum diabolo in æternam Gehennam conijci? Ne de hoc quidem dubitat quiſquam, niſi qui de animorum immortalitate, & Euangelij ueritate, & iuſto Dei iudicio dubitat. Quod qui facit, nihilo magis Chriſtianus eſt, quàm picta aut ficta ſtatua homo. Iudicij diuini potius mentionem hic facio, quàm amoris diuini: quòd in perfectũ Chriſtianum (qui utinam plures eſſemus) non ferè cadit hæc deliberatio, ſed in eos homines maximè, qui præmijs & pœnis maximè commouentur. Hinc igitur apparet, non modò utile honeſto non præferendum, ſed ne utile quidem eſſe, niſi quod ſit honeſtum: ſi non præſens tempus, ſed ultimus euentus, qui prudenti ſpectandus eſt, conſideretur. Hæc igitur ſententia Stoicorum, tum demum, ut dixi, magnas uires, magnum pondus habebit, cum diuinũ præmium & ſupplicium ob oculos erit. Nam abſq; eo ſi fuerit, facilè animus uacillabit, & externa illa ſpecie incolumitatis, dignitatis & potentiæ, neglecta uirtute & ueritate, in fraudẽ illicietur. Nam etſi is qui à Chriſtianiſmo deficit, à Chriſtianis malè auditːleuem tamen eam ducit infamiam, quòd & longius abeſt, & ab illis ipſis uituperatoribus metuitur, & à longè pluribus, quibus cum uiuit, laudibus extollitur, & honoratur. Itaq; firma perſuaſio de iudicio diuino, uel ſola, uel maximè omnium, homines non perfectos, nec ſapientes (quis enim in hac uita eſt talis?) in honeſtatis & ueritatis ſtudio, contra & illecebras & minas fortunæ retinere poteſt. Qui igitur honeſtus eſſe uoluerit, ſe Chriſtianum eſſe oportere, non quidem nomine, ſed re ipſa intelligat.

Vtilitas.

Incommoda.

Infamiam nõ curant Apoſtatæ.

Quod ſi nihil eſt tam contra naturam.) *Cõſtituta propoſitione, Vbi turpitudo ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſeːnunc rationes ſubiungit, quibus aduerſarios huius ſententiæ confutare conatur. ut nõ diſſimili argumento 2. Tuſculana utens, eum qui dolorẽ exiſtimat maximũ malorũ: Etiam'ne maius, inquit, quàm dedecus? Reſpondet auditorːnõ audeo dicere quidẽ, & me pudet, tã citò de ſententia eſſe deiectũ. Magis eſſet pudendũ, ſi in ſententia permaneres. Quid enim minus eſt dignũ, quàm tibi quicquã peius uideri dedecore, flagitio, turpitudine? Quæ ut effugias, quis eſt non modò non recuſandus, ſed ultrò appetendus, ſubeundus, excipiendus dolor?*

Contra naturam quàm turpitudo.) *Repetantur ea hic, quæ ſuprà de*

hominis

hominis & beluæ differentia dicta ſunt: Turpitudo, hoc eſt ſtulticia, iniuria, ignauia, libidines, ſemper animi naturæ repugnant: corporis autem naturæ ſæpè ualdè accommodatæ ſunt, ut cuius & incolumitatem & uoluptates tueantur. Demoſthenes cum abiecto clypeo fugeret, corporis naturæ conſuluit, cum quidem diceret: ἀνὴρ δὲ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. ſed idem contra fortitudinem fecit. Sic qui eſuriens, & algens, & naufragus, alteri cibum, ueſtem, tabulam eripit: iuſticiam uiolat, ſed uitam corporis tuetur. Qui ſuis amoribus fruitur, etſi incontinens eſt, & fortaſſe iuſticiam quoq; uiolat, ut fit in adulterijs, & uirginibus ſtuprandis: tamē corpori gratum facit. Nunquam enim profectò tantum dedecus, idq; cum periculo & infamia coniunctum, ultrò ſuſciperet atq; appeteret: niſi labores, moleſtias, diſcrimina, magnitudine uoluptatis abundè penſari opinaretur. Argumentatur igitur Cicero à parte ad totum, quod argumenti genus etſi per ſe uitioſum eſt, in hac tamen diſputatione probari poteſt: quòd mens, tametſi nō totus homo eſt, tamē corpori tantū antecellit, ut id, ſi fiat utriuſq; cōtētio, nullo eſſe loco uideatur.

Naturæ corporis & animi non eadē utilitate moueri.

Argumentatio à præſtantiori parte ad totum [illegible]

Recta enim.) *id eſt, Conſentientia cum prudentia, & iuſticia.*

Conuenientia.) *τὸ πρέπον, quod primo Libro copioſe tractatur, & in Temperantia maximè cernitur, intelligo.*

Conſtantia.) *Hoc ad animi magnitudinem, ſeu fortitudinem pertinet, quæ Græcis nō μεγαλοψυχία modò, καὶ μεγαλοφροσύνη καὶ ἀνδρεία, ſed etiam εὐστάθεια καὶ παράστημα τῆς ψυχῆς, καὶ ἀταραξία dici poteſt, cum quis quaſi tumultuans de gradu non deijcitur. Nihil igitur aliud dicit his uerbis, quàm Naturam chorum omnium uirtutum deſiderare, & uitia omnia aſpernari.*

Animi natura chorū omnium uirtutum deſiderat.

Quàm utilitas.) *Loquitur hic de animi utilitate, cū homo etiā corpori utilia deſideret. Sed hæc (ut ſæpè iā dictū) utilia eſſe deſinūt, cū animo repugnāt. Argumentum ſumptum eſt à contrarijs, & hoc Syllogiſmo non malè à Riuio noſtro incluſum: Omnis utilitas eſt ſecundū naturā: Nulla turpitudo eſt ſecundum naturā: ergo nulla turpitudo eſt utilitas. Minorem diſtinctione ſæpè iam repetita corporis atq; animi commodorum, cauillari licet, euertere non licet.*

Vtilitas & honeſtas naturę conſentanea.

Itemq́ſi honeſtatem.) *Alterum argumentum à fine hominis, quem eâdem diſtinctione cauillari licet. Poſſit autem & hoc ſic explicari: Quam ad rem homo natus eſt, ea eſt utilis: Homo ad honeſtatem natus eſt: ergo honeſtas eſt utilis. Hoc nemo negat. Sed ſi ſola honeſtas dicatur eſſe utilis: controſia exiſtet. Nam Ariſtoteles (ut & ab Amerpachio, uiro doctiſſimo, annotatum eſt) bonum facit genus, & ei tres ſpecies ſubiungit: Honeſtū, utile, iucundum. Hinc pugna omnis oritur, quòd* B O N I *uocem latius extendit Ariſtoteles quàm Stoici, & hoc loco Cicero, qui de ſummo & uero Bono, quo nemo male uti poteſt, loqui uidetur: non uulgi more de nugis, id eſt de rebus corporis & externis. Sed quotuſquiſq; reperitur, qui nugas has non ſummo illi & uero bono anteponat? Neq; tamen hoc ad rem facit. Hic enim non quid fiat, ſed quid fieri debeat, exquiritur: nec τὰ γινόμενα, ſed τὰ δέοντα cōſiderantur.*

Si homo ad honeſtatem natus eſt: honeſtas eſt utilis.

Ad honeſtatem.) *Id eſt, incolumitatē animi. Sed natura humana, corporis etiam incolumitatem deſiderat, &c.*

Omni

Omni pondere grauior.) *Videtur ad Critolai Peripatetici libram alludere, cuius dictum ſuprà recitauimus.*

Quod autem bonum.) *Sic comprehendere licet, hanc quaſi conſequentiam ſuperioris:*

Omne bonum eſt utile, & expetendum.

Honeſtum eſt uel ſolum, uel ſummum bonum.

Ergo honeſtum eſt utile, & expetendum. *Aſſumptio nititur autoritate Stoicorum & Peripateticorũ: negatur ab Epicureis, in honeſtatis locum uoluptatem reponentibus: quorum confutatio, quamuis eius ſententiæ uanitas uel mediocri ingenio perſpicua ſit, è libris de Finibus petatur.*

Abuſus bonarum rerum peſſimus.

Quare error hominum.) *Contentione contrariæ opinionis declarat, quàm & Stoicorum ſententia uitæ mortalium expediat, & aduerſariorum incommodet. Sumitur autem tertium hoc argumentũ ab effectu falſæ perſuaſionis, & tractatur κατὰ συναθροισμόν. Eadẽ ratione uoluptas in Catone Maiore uituperatur: Nullam capitaliorem peſtem quàm uoluptatem corporis, hominibus dicebat Archytas à Natura datam, &c. Ex his locis apparet, ea quæ in optimis numerentur, una uirtute excepta, niſi uſus eorum ad mediocritatem reuocetur, fieri pernicioſa.*

Omnis improbitas cũ ſtulticia quadam coniuncta, quamuis callida uideatur.

Quare error hominum non proborum.) *Contrariũ ſi ſumatur, magis uidebitur ſibi conſtare hæc ſentẽtia, hoc modo: Viri boni & ſapientes nũquã ſecernũt utilitatẽ ab honeſtate. Stuli uerò et improbi, quos una uoce Græci σινομώρους appellãt, ſecus faciunt. Innuitur his uerbis: Improbitatẽ, ab errore & ſtulticia, non eſſe alienam. Rectè enim ἡ κακία dici poteſt ἀβελτερία: quòd melioribus, id eſt rebus honeſtis neglectis, deteriora, hoc eſt fraudes & ſcelera amplectitur.*

Turpe nihil, modò lucra ferat: nil rurſus honeſtũ. Quod fructu præſente caret.

Secernit ab honeſto.) *Id eſt: Nihil penſi habet, quantũuis turpe & flagitioſum ſit. ſicut impij quidã milites, ſe accepta mercede liberali, recuſare negant quò minus uel diabolo inſeruiant: idq́; ſedulò pleriq; faciũt, uel ſine præmio. Quid enim magis expetit diabolus, quàm cõtemni et Deũ & homines, et ad beluarum defici immanitatẽ, ac potius eam longè ſuperari? Hinc non ſine cauſa Lucanus exclamat: Nulla fides pietasq́; uiris qui caſtra ſequũtur. Venalesq́; manus: ibi fas, ubi maxima merces. Et hæc de uulgo militũ accipienda ſunt. Nec enim deſunt uiri et magnitudine animorũ, & fide & modeſtia præſtantes, qui nõ pro ſuis cupiditatibus, ſed pro patria & Regibus ſuis pugnent: quos in idem crimen cũ Carib. iſtis uocari, conſceleratum & nefariũ fuerit.*

Opinio uera & recta eſſe non poteſt: quæ impellit ad maleficia.

Hinc ſicæ, hinc uenena.) *Cuius opinionis effectus ſint, tot ſcelera, quot hîc enumerãtur: eã opinionẽ eſſe falſam & nefariã arguit. Eſt enim inter cauſam & effectũ, ſicut inter fructũ atq; arborẽ, magna cognatio & ſimilitudo. Hoc certè quidẽ conſtat, magnã humanorũ malorum partem à falſis opinionibus de mortalitate animorũ, de negligentia & ueterno Dei, de cõmentis religionum, de honeſtate, nõ à natura orta, ſed opinionibus introducta, proficiſci. Hinc fit, ut hodie pleriq; honeſtatẽ ex utilitate metiãtur atq; æſtiment, nõ utilita-*

Emolumenta enim rerum.) *Inter ſymbola Pythagorica eſt, τῶν μελανούρων μὴ γεύεσθαι. Nigra cauda intelligatur turpitudo, ſub ſpecie uoluptatis, aut utilitatis deliteſcens. Cautos nos igitur eſſe decet: & blanda ſpecie repudiata, finem conſiderare. Eſt enim hoc artificium τοῦ μυελοτέχνου, ut peccata & ſcelera mirificis fucis adornet, donec incautos in fraudem illexerit: aut, ſi turpitudinem planè celare non poteſt, exiſtit orator, & ſcelera mirum in modum extenuat. Deinde uerò, ubi hamum deuoraueris: longè aliam faciem ſcelerum, tetram & horrendam ſcilicet, quæ paulò antè formoſiſſimæ uirginis fuerat, depingit, eaque longè magis exaggerat quàm antea extenuarat.* Diabolus falſa ſpecie utilitatis & delectationis incautos decipit. Sophiſta, Orator. Sycophanta.

Non dico legum.) *Pœnæ atque infamiæ metus maximam hominum partem in officio continet, atq; à facinoribus deterret. Religione & honeſtate pauci mouentur.*

Quas ſæpè perrumpunt.) *Alludit ad Anacharſidis iocum, Solonis leges telis aranearum comparantis. Hoc faciũt homines potentes ui aliquando, cum nemo eſt qui uel accuſare, uel condemnare audeat: diuites uerò, largitionum corruptelis. Qua de re crebræ occurrunt apud Demoſthenem & Ciceronem querelæ, & manifeſtæ exprobrationes.* Leges telæ aranearum.

Quæ acerbiſsima eſt.) *More Chriſtiano referetur hoc ad ſupplicia inferorũ. Philoſophico autem more acerbitas hæc, pœna turpitudinis accipienda eſt: ἡ τῶν πραγμάτων αἰσχύνη, ut ait Demoſthenes, οὐδεμιᾶς ἐλάττων ζημίας τοῖς γε σώφροσι. Tum, quòd homo à dignitate naturæ ſuæ degenerat, in beluam immanem conuerſus: tum quòd & conſcientiæ morſus, & pœnam legum, & infamiam facinoroſi homines non pertimeſcere non poſſunt, niſi planè ſint ſtupidi atque attoniti. Hinc eſt quòd multi quouis modo ſolitudinem uitant, negocijs arduis ſeſe implicant: aut crapula ſic obruunt, ut mens quaſi ſepulta iaceat, ne ſcelerum ſuorum recordatione crucientur. Sint igitur hæc quinque pœnarum genera, quæ ut eundem uniuerſa non opprimant, omnia tamen uitari ab improbo nullo modo poſſunt, peccaturis ſemper ob oculos. Ac inferos alij contemnẽdo eludunt. unde Satyricus: Eſſe aliquos Manes & ſubterranea regna, Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauãtur. Alij ſpe bona miſericordiæ diuinæ eludunt. Turpitudine, conſcientia & infamia mouentur omnes ſani: ſolum carnificem metuunt, etſi non ſatis cauẽt, homines deplorati.* Pœna inferorum. Turpitudinis. Conſcientiæ. Infamiæ. Carnificinæ.

Quamobrem hoc quidem deliberantium.) *Poſtquam efficacibus argumentis, & profectò inuictis, quicquid impij ſophiſtæ contrà afferant, probauit, & demonſtrauit, utilitatem nunquã poſſe, hoc eſt debere, uel conferri uel anteferri honeſtati: concluſionem uehementem ſubiungit.* Concluſio uehemens.

Hoc deliberantium genus.) *Hoc ſi fieret nunc, perpaucæ eſſent deliberationes. Politica enim & aulica ſapiẽtia hoc corruptiſſimo ſeculo, maxima ex parte in eo poſita eſt, ut ſimpliciores, & ad ferendam iniuriam opportuni, aut fraude circumueniantur: aut, ea ſi locum non habeat, aperta ui opprimantur. Probitas autem non, ut Iuuenalis ait, laudatur & alget:* Fraus & uis Reginæ rerum.

ſed contemnitur, ridetur, conculcatur pedibus.

An ſe ſcientes ſcelere contaminent.) *Ignoratio, & repentini motus animorum, uidentur aliquid habere excuſationis, nec eius tamen ubique iuſtæ. Nam & cognoſcenda ſunt ſingulari ſtudio, quæ honeſta, æqua, & more ciuili recepta ſunt: & animus ſic aſſuefaciendus eſt, ut non obtemperet, ſed imperet affectibus. Nec enim quicquam iracundia tua mihi profuerit iniuria affecto: & qui ex ignoratione uel prætermiſit quod debebat, uel commiſit quod dedecebat, crimen potius auget quàm extenuat. Nam illa ipſa inſcitia per ſe delictum eſt, præſertim) ſi ſcire & poſſis & debeas: tametſi nullum facinus eam ſequatur. Quæ etiã ebrietatis ratio eſt, & nonnullis legibus duplici pœna mulctatur. Sed tamẽ qui ſciens & prudens peccat, longè eſt deterior. Apparet enim eũ à natura humana deſciuiſſe, & contemptorem eſſe & honeſtatis & legum Dei atq; hominum.*

Ignoratio & affectus non excuſant.

Ebrietas.

In ipſa enim dubitatione.) *Sic Libro primo: Bene, inquit, præcipiunt, qui uetant quicquam agere, quod dubites, æquum ſit, an iniquum? Aequitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio cogitationem ſignificat iniuriæ. Videtur autem Cicero ad Glauci Lacedæmonij facinus reſpexiſſe, cui oraculum ſciſcitanti, an periurio depoſitum abnegaret, Pythia interitum generis comminata, ueniã petenti reſpondit:* τὸ πειρηθῆναι τοῦ θεοῦ, καὶ ποιῆσαι, ἴσον δύναται. *id eſt, Cùm tentaris Apollinem, perinde eſt ac ſi facinus admiſiſſes. Iuuenalis itẽ Satyra 13 exclamat: Has patitur pœnas peccandi ſola uoluntas. Nã ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum, Facti crimen habet. Quæ quidem ſententia cum hoc Ciceronis loco ita conſentit, ut, ſi Chryſippum imitari liceret, uel totam hîc aſſcribere liberet.*

Etiamſi ad id non peruenerit.) *O ſingularem ſanctitatẽ huius præcepti, & planè Euangelicam, quæ animum magis quàm externam ſpeciem requirat. Sic Ouidius 3 Amorum:*

Vt iam ſeruaris bene corpus, adultera mens eſt:
Nec cuſtodiri, ni uelit, ulla poteſt.

CICERO.

Atq; etiam in omni deliberatione cælandi & occultandi ſpes, opinioq; ea remouenda eſt. Satis enim nobis (ſi modò in Philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, ſi omnes deos homines'que cælare poſsimus: nihil tamen nobis auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinoſè, nihil incontinenter eſſe faciendum. Hinc ille Gyges inducitur à Platone, qui cum terra diſceſsiſſet magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, æneumq; equum (ut ferũt fabulæ) animaduertit, cuius in lateribus fores

fores eſſent: quib. apertis, corpus hominis mortui uidit, magnitudine inuſitata: anulumq́ aureū in digito. quem ut detraxit, atq́ ipſe induit (erat autē regius paſtor) tum in concilium paſtorum ſe recepit. Ibi cùm palam eius anuli ad palmam conuerterat, à nullo uidebatur, ipſe autē omnia uidebat: idemq́ rurſus uidebatur, cum † in locum inuerterat. Itaq́ hac opportunitate anuli uſus, reginæ ſtuprum intulit: eaq́ adiutrice, regem dominum interemit, ſuſtulitq́ quos obſtare arbitraretur: nec in his quiſquam eum facinoribus potuit uidere. Sic repentè anuli beneficio, rex exortus eſt Lydiæ. Hunc igitur anulum ipſum ſi habeat ſapiens, nihilo plus ſibi licere putet peccare, quàm ſi non haberet. Honeſta enim bonis uiris, nō occulta quæruntur. Atq́ hoc loco Philoſophi quidā, minimè mali illi quidem, ſed non ſatis acuti, fictam & cōmenticiā fabulam dicunt prolatam à Platone: quaſi uerò ille aut factū id eſſe, aut fieri potuiſſe defendat. Hæc eſt uis huius anuli, & huius exēpli: ſi nemo ſciturus, nemo ne ſuſpicaturus quidem ſit, cùm aliquid diuitiarū, potentiæ, dominationis, libidinis cauſa feceris: ſi id dijs hominibusq́ futurū ſit ſemper ignotū, ſis'ne facturus? Negant id fieri poſſe, † quanquam poteſt id quidē. Sed quæro, quod negant poſſe, id ſi poſſet, quid'nam facerent? Vrgent ruſticè ſanè: negant enim poſſe, & in eo perſtant: hoc uerbum quid ualeat, non uident. Cū enim quærimus, ſi poſſint celare, quid facturi ſint: non quærimus, poſſint'ne cælare: ſed tanquam tormenta quædam adhibemus, ut ſi reſponderint, ſe impunitate propoſita facturos quod expediat, facinoroſos ſe eſſe fateantur. Si negent: omnia turpia per ſe ipſa fugienda eſſe concedant.

V. L. in lucem inuerterat. quanquam non poteſt id quidem.

Inimicos & hoſtes conſilia cælare, nō eſt contra uiri boni officium.

Atq́ etiam in omni deliberatione.) *E ſuperiore præcepto manat hoc alterū, & eſt eius quaſi effectus, et fructus quidā. Qui enim ſolā honeſtatē in cōſilio habet: quid eſt quod ſuū cōſiliū occultū eſſe uelit? Qui malè agit, odit*

ducem, cum ueritas & honeſtas eandem maximè amet. De prudentia celandi conſilia noſtra hoſtes & inimicos, eos item quibus minus tum conſuli poſſet, hîc non loquimur, ut antè quoq; monuimus: ſed de tractatione intrepida & aperta rerum honeſtarum, quatenus iuſta cauſa nulla ſit, eas ad tempus occultandi, donec hoſtes & inimici honeſta conſilia impedire non poßint.

Si modò in philoſophia.) *Hunc ſe Ariſtoteles è philoſophia fructum cœpiſſe dicebat, quòd ultro ipſe & faceret & uitaret ea, ad quæ & facienda & uitanda alij metu legum impellerentur.*

Platonicum ingenium.

Hinc ille Gyges inducitur.) *Aliter Iuſtinus, & Herodotus lib. 1. de Candaule rege Lydorum ſcribunt, quàm Plato lib. 2. de Rep. Eſt autem fabuloſa hæc commemoratio, à Platone introducta, faſtidij leuandi, & recreandi Lectoris cauſa, prolixitate ſeriæ diſputationis defatigati. Atque etiam per ſe Plato non minus feſtiuo & lepido fuit ingenio, quàm graui & acuto. Itaque Ariſtoteles genus eius dicendi medium eſſe inter poeſin & ſolutam orationem, pronunciat.*

Inepti, tergiuerſantes.

Atq; hoc loco.) *Refutatio* πολυκαταληπτικὴ ἀπολογουμένου ἀκριβείως *uel ineptorum, uel tergiuerſantium hominũ. Ineptos dico, qui ſcopum orationis non animaduertunt: tergiuerſantes, qui ſcopum diſsimulant, & aliud reſpondent quàm rogantur, ne aut obmuteſcant, aut crimen ſuum agnoſcant. Epicureos autem notari puto.*

Cum aliquid diuitiarum.) *Attinguntur hîc breuiter cauſæ, quibus ad maleficium pleriq; impelluntur.*

Quanquam poteſt id quidem.) *Alij, neq; poteſt id quidem, legendũ putant: alij clauſulam hanc ſuppoſiticiam eſſe opinantur, quòd Cicero nõ ſenſerit Deum quicquam celari poſſe. Homines quidem falli poſſunt, quanquam ne hi quidem perpetuò:*

ἄγει γὰρ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

Poteſt etiam ad uim annuli illius hoc referri. Scribunt enim Phyſici, & gemmas & herbas quaſdam eſſe, mirabilium effectrices rerum, ſi præſertim earum & collectio, & uſus, cum aſtrorũ poſitu neceſſario congruat. Quem quum Empirici pleriq; negligant: non mirum eſt, eos deludi. Et uerò quis ſcit, an ij etiam obſeruatis aſtris deluderentur? Vt enim magi, & errones, & poetæ: ſic & hiſtorici, & alij ſcriptores, θαυμασίων ἀκουσμάτων ſtudioſi, palmarium id ſibi ducunt, ſi homines credulos egregiè fuerint ludiſicati. Itaque hic etiam νᾶφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν.

Suſpicio, multa falsò iactari de gemmarũ & herbarum uiribus, alijsq; rebus mirabilibus.

Vrgent ruſticè ſanè.) *Tales ruſticos inuenias nõ paucos, qui, quod dextra porrexeris, accipiãt ſiniſtra, nec iocum à ſeria oratione diſtinguant. Talis quidam fuit, qui me olim adoleſcentem uehementer increpabat ob Diſtichon* σκωπτικῶς καὶ μιμητικῶς *ſcriptum de arithmetica:*

Res factu leuis eſt, numeros numerare: ſed aurum.
Qui numerat, numeros ille bonos numerat.

Huiuſmodi ruſticitas uitanda eſt adoleſcentibus, & dexteritas quædam ingenij adhibenda in hominum ſermonibus audiendis, & moribus ferendis.

Se im-

Se impunitate propoſita.) *Dilemmate urget eos, qui utilitatem ab honeſtate ſeiungunt: eoq́; uehementi. Perinuiti enim facient, ut ſe improbos eſſe fateantur: &, ſi ſe turpe aliquid facturos utilitatis cauſa negarint, litem perdent.*

CICERO.

Sed iam ad propoſitũ reuertamur. Incidunt ſæpe multæ cauſæ, quæ conturbant animos utilitatis ſpecie, non cum hoc deliberetur, relinquẽda'ne ſit honeſtas propter utilitatis magnitudinem (nam id quidem improbũ eſt) ſed illud, poſsit'ne id quod utile uideatur, fieri non turpiter. Cum Collatino Tarquinio collegæ Brutus imperiũ abrogabat, poterat uideri facere id iniuſtè. fuerat enim in regibus expellendis ſocius Bruti, cõſiliorum etiam adiutor. Cum autem conſilium hoc principes cepiſſent, cognationem Superbi, nomenq; Tarquiniorum, & memoriam regni eſſe tollendam: quod erat utile patriæ conſulere, id erat honeſtum, ut etiam ipſi Collatino placere deberet. Itaq; utilitas ualuit propter honeſtatẽ, ſine qua nẽ utilitas quidem eſſe potuiſſet. At in eo rege, qui urbẽ condidit, non ita. Species enim utilitatis †animũ pepulit eius. Cui cum uiſum eſſet utilius, ſolum ſe, quàm cum altero regnare, fratrem interemit. Omiſit hic & pietatem, & humanitatem, ut id quod utile uidebatur, neq; erat, aſſequi poſſet: & tamen muri cauſam oppoſuit, ſpeciem honeſtatis nec probabilem, nec ſanè idoneam. Peccauit igitur, pace uel Quirini uel Romuli dixerim. Nec tamẽ noſtræ nobis utilitates omittendæ ſunt, alijsq; tradendæ, cum his ipſi egeamus: ſed ſuæ cuiq; utilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſeruiendum eſt. Scitè Chryſippus, ut multa: Qui ſtadium, inquit, currit, eniti & cõtendere debet, quàm maximè poſsit, ut uincat: ſupplantare eum, qui cum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. Sic in uita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt: alteri ſurripere, ius non eſt.

V. L. animum impulit eius.

Tyrannidis reliquiæ metuendæ.

Conſilium hoc cepiſſent.) *publicæ utiq; ſecuritatis cauſa: ne uel aliqui è regia familia, ipſi etiam regnum affectarent: uel proditione pulſos reges in urbem reuocarent: uel iniuriam maioribus ſuis factam, per occaſionem ulciſcerentur. Hæc enim omnino fieri ſolent: & ipſius Bruti filÿ (nam & ipſe è regia ſtirpe ortus fuerat) id conati, ſecuriquè, patre non aduerſante, percuſſi fuerunt. Hinc illud Græci poetæ,*

Νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει.

Et Cicero quadã epiſtola queritur, ſe ad epulas Idibus Martÿs non fuiſſe inuitatum: alioqui reliquiarum nihil fuiſſe futurum. id eſt, ſe curaturum fuiſſe, ut Antonius unà cũ Cæſare occideretur. Sed erat in fatis ſcilicet (quid enim ex euentu colligas aliud?) non ut à Cicerone Antonius, ſed ut Antonÿ iuſſu Cicero occideretur. Ita homo proponit, Deus diſponit.

An ciuitatũ iniurias excuſet nimius rerũ futurarũ metus.

Quod erat utile patriæ, id erat honeſtum.) *Sententia hæc, dubia uidetur per ſeſe. Neq; enim omnia quæ patriæ utilia uidentur, etiam honeſta eſſe poſſunt: nec ipſa patria, ut primo libro dixit, turpia ſuſcipi pro ſe uellet. Nec ſatis ſcio, ſi philoſophiam ſpectes, non conſuetudinem, an ciuitatum iniurias excuſet nimius rerum futurarum metus. Sed ſententia huius loci eſt: Publicam utilitatem uniuerſorum ciuium, præferendam eſſe utilitati priuatæ paucorũ. Qui ſi boni uiri ſint, libẽter patriæ ſint ceſſuri. Pro qua & in acie mortem oppetere, & dÿs Manibus ſe deuouere (ut duo Decÿ fecerunt) non modò glorioſum, ſed pium etiam & iuſtum habeatur. Deinde non magna fiebat iniuria Collatino, ſi qua fiebat, quum & fama & re familiari incolumi diſcederet.*

At in eo rege.) *Confert inter ſe duo exempla contraria: alterum Bruti honeſtum, quòd patriæ commodarit, cui ſeruire honeſtiſſimum iudicatur: alterum Romuli iniuſtum, propter ambitionem, & regnandi libidinem. In quo etiam id, quod ſæpe dictum eſt, obſeruetur: tyrannos, & homines improbos, facinoribus ſuis ſpecioſas cauſas obducere ſolere, ne apertè impÿ & ſcelerati uideantur: ac longè aliud eſſe apud pleroſque mortalium, τὰς προφάσεις, atque τὰς αἰτίας.*

Scelerum ſpecioſæ cauſæ.

Pace uel Romuli uel Quirini.) *O' libertatem, ô patientiam iſtius ſeculi. Nec principum uirorum, nec deorum ſuorum delictis parcit hic uitiorum caſtigator, uirtutis doctor: qui hoc ſeculo & humanæ & diuinæ maieſtatis reus, exquiſitiſſimis tormentis in cruciatum ageretur.*

Nec tamen noſtræ nobis utilitates.) *Quia homines imperiti & importuni, opinioni ſemel cõceptæ pertinaciter inhærentes, omiſſa mediocritate, ſtatim extrema conſiderant: errori eorum occurrit Cicero προκαταληπτικῶς. Non (inquit) ſuam cuiq; rem negligendam eſſe præcipio, quum nemini fraudem aut iniuriam fieri iubeo. Sic, quum iuſticia fidei è Chriſti & Apoſtolorum ſcriptis euidentibus celebratur: ſtatim præſtò ſunt, qui correctionem uitæ, et ſtudium uirtutum omnium, quæ Bona opera uocant, aut uetari, aut impediri querantur: cum uera fides non poſſit non gignere fructus bona*

arbore

arbore dignos: nec quicquam minus ferat, quàm uitæ licentiam, quæ uix ullo tempore quàm nunc apud nos Pſeudeuangelicos & Pſeudocatholicos maior fuiſſe uidetur. Quo magis cuique uigilandum, ne in hac publica rixandi & peccandi inſania (quid enim licentia dicam?) in errorem inexpiabilem pertrahatur. Adhibetur autem à Cicerone ſimilitudo elegans, in ſtadio decurrentium: ut quiſque meminerit, ſe, niſi ſtrenuè cucurrerit, poſtremas laturum.

Cum his ipſi egeamus.) *Proximus enim ſibi quiſq; eſt, ut ait Comicus: & natura hoc ita fert, ſi Epictetum autorem ſequamur, in eo non improbandum. Ac negat is, ipſum Iouem priuatæ utilitati eſſe præferendum: quòd Φιλαυτία hæc ab ipſo Ioue ſancita ſit, hoc addito epiphonemate: ὅπȣ τὸ Συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβὲς. Sed in eo errare pleroſq; ait, quòd ueram utilitatem non expetant, quæ poſita ſit in cultu Dei, & obſeruantia, & ſolius uirtutis admiratione.* Priuata utilitas.

CICERO.

Maximè autem perturbantur officia in amicitijs, quibus & non tribuere, quod rectè poſsis: & tribuere, quod non ſit æquum, contra officium eſt. Sed huius generis totius, breue, & non difficile præceptum eſt. Quæ enim uidentur utilia, honores, diuitiæ, uoluptates, & cætera generis eiuſdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda ſunt. At neque contra Rempublicam, neque contra iuſiurandum, ac fidem, amici ſui cauſa, uir bonus faciet, ne ſi iudex quidem erit de ipſo amico. Ponit enim perſonam amici, cum induit iudicis. Tantum dabit amicitiæ, ut ueram amici cauſam eſſe malit, ut † perorandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum uerò iurato dicenda ſententia ſit, meminerit Deum ſe adhibere teſtem: id eſt (ut arbitror) mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus diuinius. Itaque præclarum à maioribus accepimus morem rogandi iudicis, ſi eum teneremus: QVAE SALVA FIDE FACERE POSSIT. Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paulo antè dixi, honeſtè amico à iudice poſſe concedi. Nam ſi omnia facienda ſint, quæ amici uelint: non amicitiæ tales, ſed coniurationes putandæ ſunt.

Loquor

Loquor autem de communibus amicitijs. Nam in ſapientibus uiris, atq; perfectis, nihil poteſt eſſe tale. Damonē & Pythiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, ut, cum eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinauiſſet, & is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorū cauſa poſtulauiſſet: uas factus eſt alter eius ſiſtendi, † ut ſi ille non reuertiſſet, moriendū eſſet ipſi. Qui cum ad diem ſe recepiſſet, admiratus fidem eorum tyrannus, petijt, ut ſe in amicitiam tertium aſcriberent. Cum igitur id quod utile uidetur in amicitia, cum eo quod honeſtum eſt comparatur: iaceat utilitatis ſpecies, ualeat honeſtas. Cum autem in amicitia, quæ honeſta non ſunt, poſtulabuntur, religio & fides anteponantur amicitiæ: & ſic habebitur is, quem exquirimus, delectus officij.

V. L. Liti perorandæ, ut ſi ille non reuertiſſet ad diem.

Maximè autem perturbantur.) *Exquiritur hîc officiū à circumſtantia perſonæ. Amicitia uera ſemper maximis ornata fuit laudibus, ab optimo & ſapientiſſimo quoq;. Sed cum ueræ amicitiæ, quæ non niſi inter bonos & ſapientes conſtare poſſe uidetur, pauciſſima exempla extent: uulgarem illam beneuolentiam ita moderandā eſſe monet, ut Græci tribus uerbis præcipiunt, δεῖν μέχρι βωμῶν εἶναι φίλον, id eſt uſq; ad aras.*

Perturbantur officia.) *Propter amicos plurimùm delinquitur.*

Quæ enim uidentur.) *Diſtinguit officia. Priuata (inquit) utilitas poſtponenda eſt amicitiæ: Reſp. & religio præferenda. Nunc contrà fit à pleriſq;. Nam quæ uidentur utilia, honores, diuitiæ, uoluptates, & cætera generis eiuſdem, amicitiæ frequenter anteponuntur. At contra Rempublicam & contra iuſiurandum ac fidem, qui amici ſui cauſa faciūt, celare ſi poſſint, fortaſſe non deerunt.*

Ponit enim perſonam amici.) *Noſtra ætate rectè, ſuſpecti & iudices & teſtes recuſantur. Sed quod de iudice dicitur, ad omnes publicas deliberationes eſt transferendum. Nam & qui in ſenatu ſentētiam dicit: perſonam priuati hominis ponit, induit ipſius Reip. cuius unius dignitatem & utilitatem ſpectare debet, etiam cum incommodo & ſuo & ſuorum.*

Vt ueram amici cauſam.) *Beneuolentia hæc & quaſi ſuffragatio animi, prohiberi non poteſt. Illud tamen cauendum, ne propter eum affectum in amantium errorem incidamus, de quo eleganter Theocritus:*

— ἦ γὰρ ἔρωτι

πολλάκις

πολλάκις, ὦ πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται.

Quæ minimè ſunt pulchra, ea pulchra uidentur amanti:

Et ueriorem putemus eam cauſam, quæ falſa & iniqua eſt. Multo magis cauendum, ne pecunia & largitionibus corrumpamur. Itaq; non inſcitè quidam incorruptum iudicem, & cæcum & mancum pinxit: cæcum, propter προσωποληψίαν*: mancum, ob* δωροδοκίαν *uitandam. eiq́; patulas addidit aures, quo magis in ipſam cauſam intentus eſſet, neq; quicquam per incuriam nõ audiret.*

Perorandæ litis.) *Intelligo ea præſidia & commoda omnia, quæ ad cauſam probandam attinent, ut liceat exquiſitè totum negocium perueſtigare: in qua cognitione (ut Cicero de Oratore diſſerit) magna uictoriæ pars ſita eſt: ut quæratur diſertus & diligẽs patronus, ut cogantur teſtes, ut iuſtum ſit ſpaciũ perorandi. Apud Græcos enim oratores querelæ multæ occurrunt de paucitate aut copia aquæ, qua cauſæ agendæ tempus definiebatur.* Commoda probandæ cauſæ.

Deum ſe habere teſtem.) *id eſt, conſcium: nec conſcium tantùm, ſed etiam uindicem & ultorem: quod & Sacræ & profanæ literæ teſtantur. Plerunque enim fit, ut periuri (id quod apud Athenienſes ſibi imprecabantur)* ἐξώλεις καὶ προώλεις*, id eſt, & funditùs & ante tempus intereant, aut certè poſteritati ſuæ pœnas cumulent. Contrà uerò,* Deus teſtis.

ἀνδρὸς δ᾽ εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Id eſt mentem ſuam.) *Mille quidem teſtes conſcientia: ſed non propterea diuina animaduerſio excludenda. imò, ſi, ut alibi dicit, in hoc fragili corpore mens eſt rerum arbitra: quanto magis Deus, ea quæ in mundo fiunt, intuetur & perſpicit? Nimis enim abiectè ſordideq́; ſentit de Deo, qui eum uaſculo teſtaceo concludit inuitum, nec eius uim patère latius exiſtimat.*

Ipſe Deus diuinius.) *Hinc Horatius mentem diuinæ particulam auræ uocat: &, ut in Catone ſcribitur, Pythagorei nunquam dubitarunt, quin homines animum haberent ex uniuerſa mente diuina delibatum. & Epictetus* τὸν τοῦ ἀνθρώπου νοῦν, ἀπόσπασμα ὅλου τοῦ θείου νοῦ *appellat.*

Si eum teneremus.) *Autoritati maiorum, breuem querelam corruptelæ ſui ſeculi adiungit.*

Quæ ſalua fide.) *Transferatur hoc ad omnes magiſtratus, & omnes uitæ humanæ actiones. Nihil enim ab ullo contra fidem, hoc eſt, iuſiurandum & honeſtatem, cuiquam concedendum eſt.*

Loquor autem.) *Alia occupatio, ex definitione amicitiæ ueræ orta. Sapientes enim hanc legem amicitiæ primam obſeruant, ut in Lælio ſcribit: ut turpia & iniuſta neq; rogent, neq; faciant rogati. Secus autẽ uulgus hominum. Deinde præclarum exemplum cõſtantis & ueræ amicitiæ attexit, quod per ſe cum perſpicuũ ſit, nihil eſt quod in eo declarãdo immoremur. niſi quòd tyrannus (cuius duæ cantilenæ ſunt: una, Sic uolo, ſic iubeo, ſit pro ratione uoluntas: altera,* φίλων ἔρημος, ὦ τάλας, ἀπόλλυμαι*, Carens amicis, heu miſer, peſſundabor) fruſtra optauit id ſibi contingere, quod eſt proprium bonorum*

uirorum, & ſapientium, ut fideles amicos haberet: cum ipſe nemini, niſi ſibi ipſi, ac ne id quidem, amicus eſſet.

CICERO.

Sed utilitatis ſpecie in Republica ſæpiſsimè peccat̃, ut in Corinthi diſturbatiõe noſtri. Durius etiã Athenięſes, qui ſciuerũt, ut Aeginetis (qui claſſe ualebãt) pollices pręciderent̃, hoc uiſum eſt utile (nimis enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piræeo) ſed nihil quod crudele, utile. Eſt enim hominũ naturæ (quã ſequi debemus) maximè inimica crudelitas. Malè etiã, qui peregrinos urbib. uti prohibẽt, eosq́; exterminãt: † ut Petronius apud patres noſtros, Papius nuper. Nã eſſe pro ciue, qui ciuis nõ ſit, rectũ eſt nõ licere: quã tulerũt legẽ ſapiẽtiſsimi conſules Craſſus & Scæuola. uſu uerò urbis prohibere peregrinos, ſanè inhumanũ eſt. Illa præclara, in quib. publicæ utilitatis ſpecies præ honeſtate cõtemnit̃. Plena exẽplorũ eſt noſtra Reſpublica, cũ aliàs, tũ maximè bello Punico ſecũdo, quę Cannẽſi calamitate accepta, maiores animos habuit q̃ unq̃ reb. ſecundis. Nulla fuit timoris ſignificatio, nulla mẽtio pacis. Tãta uis eſt honeſti, ut ſpeciẽ utilitatis obſcuret. Athenięſes cũ Perſarũ impetũ nullo modo poſſent ſuſtinere, ſtatuerẽtq́; ut urbe relicta, cõiugibus & liberis Trœzene depoſitis, naues cõſcenderẽt, libertatẽq́; Græciæ claſſe defenderẽt: Cyrſilũ quendã, ſuadentẽ ut in urbe manerẽt, Xerxẽq́; reciperẽt, lapidib. obruerũt. Atqui ille ſequi utilitatem uidebatur. Sed ea nulla erat, repugnante honeſtate. Themiſtocles poſt uictoriã eius belli quod cũ Perſis fuit, dixit in cõcione, ſe habere cõſiliũ Reipublicæ ſalutare, ſed id ſciri opus nõ eſſe: poſtulauit, ut aliquẽ populus daret, quî cũ cõmunicaret. Datus eſt Ariſtides. huic ille: claſſem Lacedæmoniorũ, quæ ſubducta eſſet ad Gytheũ clã incẽdi poſſe: quo facto, frãgi Lacedęmoniorũ opes neceſſe eſſet. Quod Ariſtides cũ audiuiſſet, in cõcionẽ magna expectatiõe uenit, dixitq́; perutile eſſe cõſilium, quod Themiſtocles afferret, ſed minimè honeſtũ.

Itaq́;

Itaq; Athenienſes, quod honeſtũ nõ eſſet, id ne utile quidẽ putarũt: totãq; eã rẽ, quã ne audierãt quidẽ, authore Ariſtide repudiauerunt. Melius hi quàm nos, qui piratas immunes, ſocios uectigales habemus. Maneat ergo, quod turpe ſit, id nunquã eſſe utile: ne tum quidẽ, cùm id quod utile eſſe putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum, utile putare quod turpe ſit, calamitoſum eſt.

V. L. ut Peneus apud patres.

Sed utilitatis ſpecie in repub.) *Obſeruetur ordo. 1. Nec priuata utilitas: 2. nec amicitiæ ratio: 3. nec ipſa reſpublica quenquã ab honeſtate auocare debet.*

Vt in Corinthi diſturbatione.) *Laudandus eſt candor Ciceronis, nec principibus, nec patriæ, nec patriæ cõditori Quirino, qui deus haberetur, nec amicis & cognatis parcentis, ſed probra eorum reprehendentis: & Romanorum magnitudo animi, hanc παῤῥησίαν ferentium. Nunc ita delicatæ aures ſunt, ut nec in iudicijs, nec in hiſtorijs tutũ ſit uera loqui. Omnino maior libertas, maior candor, maior animi altitudo in Græco Romanoq́ue imperio fuit, quàm in corruptiſſima noſtra barbarie, intolerabili arrogãtia nihil niſi aſſentationes impudentiſſimas flagitante.* Seruitutis & aſſentationis incrementa.

Vt Aeginetis.] *Aelianus lib. 2.* οἷα ἐψηφίσαντο ἀθηναῖοι, καὶ ταῦτα ἐν δημοκρατίᾳ; αἰγινητῶν μὲν ἑκάστου τὸν μέγαν ἀποκόψαι τῆς χειρὸς δάκτυλον τῆς δεξιᾶς, ἵνα δόρυ μὲν βαστάζειν μὴ δύνωνται, κώπην δὲ ἐλαύνειν δύνωνται. *Quidam tamen, niſi fallor, hoc decretum abrogatum fuiſſe memorant, miſſa trireme quæ claſſem Aeginam euntẽ anteuerteret: ducemq; moneret, ne quid grauius in Aeginetas decerneret. Ad hoc decretum uidetur Iſocrates etiam allu lere in Panegyrico, his uerbis:* τὰ δὲ τῆς ἡμετέρας πόλεως ἁμαρτήματα ῥαδίως ἄν τις ἑνὶ ψηφίσματι διέλυσε, *&c. Diodorus autem lib. 13.* ἀθηναῖοι *(inquit)* μιτυλήνην, μῆλον, σκιώνην, ψηφίσματι ἄρδην ἀνῃρήκασι. *Huic Athenienſium decreto non diſſimilis fuit barbari illius regis poſtulatio, qui dexteros Iſraelitis oculos uolebat erui, ne arcu poſſent uti.*

Sed nihil, quod crudele, utile.) *Ex hypotheſi ſuperiore, nihil utile ſtatuitur, niſi honeſtum. Crudelitas igitur (cum & fortitudini & iuſticiæ repugnet: huic, quòd pœna maior eſt delicto, aliàs enim crudelitas non eſſet: illi, quòd magnitudo animi ſupplicia mitigat, non exaſperat,* τὴν συγγνώμην τιμωρίας κρείττω *iudicans:) utilis eſſe non poteſt, cum bifariam ſit inhoneſta.*

Hominum naturæ inimica.) *uel, Aliena ab humanitate, & feris aptior: uel, Pernicioſa hominibus, qui atrocibus ſupplicijs ad paucitatem & egeſtatem rediguntur. Sumatur contrarium ſuprà poſitum: ubi, Hoc etiam (inquit) natura præſcribit, ut homo homini, quicunq; ſit, ob eam ipſam cauſam quòd is homo ſit, conſultum uelit.*

Tauroſcythę.

Qui peregrinos urbibus uti.) *Tauroſcythæ, hoſpites Dianæ mactare*

Buſiris.

ſolebant. idem etiã Buſiris Aegypti tyrannus feciſſe ſcribitur: etſi Diodorus Βούσιριν τὸν ὀσίριδος τάφον *dictum cenſet, ad quem aduenæ immolari ſole-*

Lacones.

rent. Lacedæmonij autem hanc uidentur habuiſſe cauſam, cur minus æqui hoſpitibus eſſent: quòd exterarũ nationum cõtagio publica diſciplina infici at-

Peregrinitas bene moratis urbibus periculoſa.

que corrumpi ſoleat. Nec animis tantũ ciuium in bene morata & florente ciuitate, ſed linguæ etiam & habitudini corporũ eſt metuendum. Hoc non uituperandum, ut opinor, Lacedæmoniorũ inſtitutum (rectè enim ſanctitatem ſuæ diſciplinæ incontaminatã conſeruare ſtuduerunt) fortaſsis aliqui ex Romanis imitari uoluerunt. Conſtat enim, corruptiſsimas eas eſſe ciuitates, tum quarũ ciues peregrinari, & apud exteros diu multumq́; cõmorari ſolent: tum eas quæ à uarijs nationibus & uario genere hominum frequentantur. Cauſæ aũt corruptelæ potiſſimũ ſunt, aulici, ſacrificuli, milites, mercatores, pſeudo philoſophi: hoc eſt, omnes ij qui ſine ſtudio uirtutis uel docti, uel doctores u-

Hominum genera noxia ciuitatibus.

ſurpantur. Hæc enim hominum genera & maximè peregrinantur, & ocio abundant: & genio, quantum licet, indulgent. Alij ab hoſpitibus alieniores habent animos, partim ex inuidia, partim ob periculi metum: ne hoſpites au ctis opibus, uetuſtis etiam familijs ſuperiores euadant. id quod non ſemel factum eſſe conſtat. Sæpe enim, Hoſpes ut hoſtis init penetralia perfidus urbis. Vtcunq; ſit, hoſpites & inquilini, è ciuitatibus, mercatorijs præſertim, excludi non poſſunt. Nec ulla ratio eſt, qua omnia pericula & incommoda caueantur, niſi reſpub. diuinitùs gubernetur & conſeruetur. Quo maiore pietate ac religione cùm ciuium omnium, tum uerò magiſtratuum opus eſt.

Peregrinos urbibus uti.) *ne uel in eas ueniant, uel ſedem & domicilium ibi collocent. Apud Athenienſes dura erat inquilinorum conditio, qui præter multas iniurias cogebãtur* προστάτην νέμειν, καὶ μετοίκιον τελεῖν. *Quæ ni feciſſent, uendebantur. Id quod Xenocrati philoſopho accidiſſe ob paupertatem, ſcribit Laertius:* Ἀθηναῖοι δ' ὅμως *(inquit)* αὐτὸν ὄντα τοιοῦτον, ἐπίπρασκόν ποτε, τὸ μετοίκιον ἀτονοῦντα θεῖναι.

Nam eſſe pro ciue.) *id eſt, ius ciuitatis uſurpare, petere honores, & eadem omnia quæ ciuibus permiſſa ſunt, licere ſibi uelle. Apud Athenienſes certis temporibus* τὰ ληξιαρχικὰ γραμματεῖα τῶν δήμων *excutiebantur, &* ξενηλασία *inſtituebãtur: id eſt, ij qui falſo in album tribus aut curiæ, aut municipij irrepſerãt, aut planè inſcripti non erant, uendebãtur cum ſumma ignominia & calamitate: cuius argumenti extat apud Demoſthenem oratio.*

Illa præclara ſunt.) *Ne & patriæ charitatis oblitus uideatur, & pronior ad reprehendendum quàm laudandum: etiam laudata & Romanorum & Athenienſium exempla profert, quæ ad* μεγαλοψυχίαν *referenda ſunt. Omnes quidem ad laudandum propenſiores eſſe debemus: ſed in docendo ſæ-*

Reprehenſiones neceſſariæ.

pe etiam reprehenſiones ſunt neceſſariæ, ut in medicina ſectiones & uſtiones. Quibus reprehenſionibus cum nulla unquã ætas magis quàm hæc noſtra indiguiſſe uideatur, nulla unquam eas minus ferre potuit.

Athe-

Athenienſes cum Perſarum.) *Infinita enim eorum multitudo erat, & urbs malè munita, ut nec obſidionē ferre, nec acie decernere poſſent. Fuit hoc Athenienſium factum euentu felicius, quàm (ſi dicere liceat) conſilio prudentius. Quãquam Apollinis autoritate, qui ligneum murum Athenienſibus Iouem dare dixerat, quo claſsis intelligeretur, Themiſtocle interprete, niti uidebantur. Athenienſes ſeruire inhoneſtum putarunt, cum antè aut liberi, aut principes etiam Græcorũ fuiſſent. Sed non uideo, quæ turpitudo ſit ſeruire potentiori, clementer præſertim imperanti. Quod etſi dubium eſt, tamen multo turpius eſt ſeruire prauis cupiditatibus & flagitijs: à quibus ne tum quidem Athenienſes, cũ ſuis etiã ducibus, abhorrebãt. Si autē mori maluerunt quàm potentiſsimo Regi parêre: plures fortaſsis habebunt qui eos laudent, quàm qui imitentur. Sed huiuſmodi deliberationes pendêre potius à peculiari cuiuſq; natura uidentur, quàm à certa aliqua & definita ratione. Qui enim ea magnitudine ſunt animorum, quibus, ut Catoni, incredibilem tribuit Natura grauitatem, quam ipſi perpetua conſtantia roborarũt: ijs fortaſſe perire præſtat. (loquor autem hic more philoſophico magis quàm Theologico.) alijs, quorum uita lenior, moresq; faciliores, non itē. Cæterùm Athenienſes fidem Perſis non habuerunt, quamuis prolixè pollicētibus, ob irreconciliabile ac mutuũ Græcorum & Barbarorum odium. Addit & hanc cauſam in Panegyrico Iſocrates. Vt uirũ fortibus optabilius ſit, honeſtè mortē oppetere, quàm uiuere turpiter: ſic etiam primarijs urbibus expedire magis, ex hominum memoria prorſus aboleri, quàm ſeruitute oppreſſas conſpici.*

Atheniēſium conſilium felicius quàm prudentius.

Seruitus duplex.

Alijs alia cõueniunt.

Themiſtocles poſt uictoriam.) *Socij tum erant Athenienſes & Lacedæmonij: ſed ijdē etiã æmuli, et alteri alteris ſuſpecti. Itaq; nec Lacedæmonij Athenas muniri, nec Atheniēſes claſſe ualere Lacedæmonios cupiebant.*

Sed id ſciri opus non eſſe.) *Quia difficulter tacetur quòd plures norũt. Eadem prudentia Pericles etiam, corrupto largitionibus Archidamo, cum referret rationes, dixit: Se aliquot talenta εἰς δέον ἀνηλωκέναι.*

Sed minimè honeſtum.) *Primùm, quia ſocietatis fides uiolata fuiſſet: deinde, quòd fraude & inſidijs petere aduerſarios, alienum erat magnitudine animorum, qua tum Athenienſes gloriabantur.*

Quod honeſtum non eſſet.) *Stoici ergo fuerunt Athenienſes, & philoſophi practici: in qua ſententia ſi cõſtanter permanſiſſent, & minus graue, & magis glorioſum, et diuturnius etiã eorũ fuiſſet imperiũ. Vtinã uerò exēplũ hoc laudatiſsimũ, ſibi omnes et publicè et priuatim ad imitandũ proponerent.*

Quod utile eſſe putes, adipiſcare.) *Quemadmodũ ſpes opinioq; celandi, de qua ſuprà dictum eſt, plerunq; fallit (nihil enim ita occultũ eſt, quin reſciſcatur: & ſæpè mirabiliter patefiunt etiam occultiſsimæ & inſidioſiſsimæ machinationes) ita etiam multi ſceleribus ſe contaminant, nec id tamen aſſequuntur, cuius gratia facinus ſuſceperunt: trifariam infelices, tum ob ſceleratum animum, tum ob perfectum ſcelus, tum ob ſpem irritam atq; fruſtrationem, quam ſæpè etiam pœna comitatur.*

Hoc enim ipſum.) *Nam ut felicitas, ita etiã calamitas, maxima ex parte in animis & moribus ſita eſt. τῆς ἀληθινῆς εὐδαιμονίας, inquit Plutarchus, ἐν ἤθει καὶ διαθέσει τὸ πλεῖστόν ἐστι.*

CICERO.

Sed incidunt (ut ſuprà dixi) ſæpè cauſæ, cùm repugnare utilitas honeſtati uideatur: ut animaduertendum ſit, repugnet'ne planè, an poſsit cum honeſtate cõiungi? Eius generis hæ ſunt quæſtiones. Si (exempli gratia) uir bonus Alexandria Rhodum, magnum frumenti numerum aduexerit, in Rhodiorũ inopia & fame, ſummaq́ annonę caritate: ſi idem ſciat, complures mercatores Alexandria ſoluiſſe, nauesq́ in curſu frumẽto onuſtas, petentes Rhodum uiderit: dicturus'ne ſit id Rhodijs, an ſilentio ſuum quàm plurimo uenditurus? Sapientem & bonum uirum fingimus: de eius deliberatione & conſultatione quærimus, qui cælaturus Rhodios nõ ſit, ſi id turpe iudicet, ſed dubitet an id turpe non ſit. In huiuſmodi cauſis aliud Diogeni Babylonio uideri ſolet, magno & graui Stoico: aliud Antipatro, diſcipulo eius, homini acutiſsimo. Antipatro omnia patefacienda, ut ne quid omnino quod uenditor norit, emptor ignoret. Diogeni uenditorẽ, quatenus iure ciuili conſtitutũ eſt, dicere uitia oportere, cætera ſine inſidijs agere: & quoniam uendat, uelle quàm optimè uendere. Aduexi, expoſui, uendo meum non pluris quàm cæteri, fortaſſe etiam minoris, cùm maior eſt copia: cui ſit iniuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: Quid agis? tute, cum hominibus conſulere debeas, & ſeruire humanæ ſocietati, eaq́ lege natus ſis, ea habeas principia naturæ, quibus parêre, & quæ ſemper ſequi debeas, ut utilitas tua communis ſit utilitas, uiciſsimq́ cõmunis utilitas tua ſit: cælabis homines, quid his adſit & cõmoditatis & copiæ? Reſpondebit Diogenes fortaſſe ſic: Aliud cęlare, aliud eſt tacere: neq́ ego nũc te cælo, ſi tibi non dico quæ natura Deorum ſit? quis ſit finis bonorum? quæ tibi plus prodeſſent cognita, quàm tritici uilitas. Sed non quicquid

quid tibi audire utile eſt, id mihi dicere neceſſe eſt. Imò uerò (inquit ille) neceſſe eſt. Siquidem eſſe inter homines natura meminiſti coniunctam ſocietatem. Memini, inquit ille. Sed num iſta ſocietas talis eſt, ut nihil ſuum cuiuſque ſit? Quòd ſi ita eſt, ne uendendum quidem quicquam eſt, ſed donandum. Vides in hac tota diſceptatione non illud dici, Quamuis hoc turpe ſit, tamẽ quoniã expedit, faciam: ſed ita expedire, ut turpe non ſit. Ex altera autẽ parte ea re, quia turpe ſit, non eſſe faciendum. Vendat ędes uir bonus propter aliqua uitia, quæ ipſe norit, cæteri ignorent: peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres: ignoretur, in omnibus cubiculis apparere ſerpentes, malè materiatæ, ruinoſæ, ſed hoc præter dominum nemo ſciat: quæro, ſi hoc emptoribus uenditor non dixerit, ædesq́ uendiderit pluris multo, quàm ſe uenditurum putarit: num id iniuſtè aut improbè fecerit? Ille uerò (inquit Antipater) improbè facit. Quid enim eſt id aliud, quàm erranti uiam non monſtrare? (quod Athenis execrationibus publicis ſancitum eſt) ſi hoc non eſt emptorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam eſt, quàm uiam non monſtrare. Nam eſt, ſcientem in errorẽ alterũ inducere. Diogenes cõtrà: Num te emere coegit? qui ne hortatus quidem eſt: ille quod non placebat, proſcripſit: tu quod placebat, emiſti. Quòd ſi qui proſcribũt uillam bonam, ut ipſi aſſerunt, beneq́ ædificatã: non exiſtimantur fefelliſſe, etiamſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione: multo minus, qui domum nõ laudarunt. Vbi enim iudicium emptoris eſt, ibi fraus uenditoris quæ poteſt eſſe? Sin autem dictum non omne præſtandum eſt: quod dictum non eſt, id præſtandum putas? Quid uerò eſt ſtultius, quàm uenditorem eius rei, quam uendat, uitia narrare? Quid autem tam abſurdum, quàm ſi domini iuſſu ita præco prædicet, Domum peſtilentem uendo. Sic ergo in quibuſdam cauſis dubijs ex altera parte defenditur honeſtas: ex altera ita de honeſtate dicitur,

dicitur,ut id quod utile uideatur,non modò honeſtum facere ſit,ſed etiam non facere,turpe. Hæc eſt illa,quæ uidetur utilium fieri cum honeſtis ſæpè diſſenſio,quæ dijudicanda ſunt. Non enim ut quæreremus, expoſuimus, ſed ut explicaremus. Non igitur uidetur,nec frumentarius ille Rhodius,ne hic ædium uenditor, cælare emptores debuiſſe. Necꝗ enim id eſt cælare, cum quid reticeas: ſed cũ quid tu ſcias,id ignorare emolumenti tui cauſa uelis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem cælandi genus quale ſit,& cuius hominis,quis non uidet? Certè non aperti,nõ ſimplicis eſt,non ingenui,nõ iuſti, non uiri boni: uerſuti potius,obſcuri,aſtuti,fallacis,malicioſi, callidi, ueteratoris,uafri. Hæc tot,& alia plura, non'ne inutile eſt uitiorũ ſubire nomina? Quod ſi uituperandi ſunt qui reticuerũt: quid de his exiſtimandum eſt, qui orationis uanitatem adhibuerunt? C.Cannius eques Romanus,homo nec infacetus,& ſatis literatus,cum ſe Syracuſas,ociandi (ut ipſe dicere ſolebat) non negociandi cauſa contuliſſet, dictitabat,ſe hortulos aliquos uelle emere, quo inuitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatorib. poſſet. Quod cum percrebuiſſet,Pythius ei quidam,qui argentariam faceret Syracuſis, dixit, uenales quidem ſe hortos non habere,ſed licere uti Cannio (ſi uellet) ut ſuis. & ſimul ad cœnam in hortos inuitauit, in poſterum diem. Cùm ille promiſiſſet: tum Pythius, ut argentarius, qui eſſet apud omnes ordines gratioſus, piſcatores ad ſe conuocauit, & ab his petiuit, ut ante ſuos hortulos piſcarentur: dixitꝗ,quid eos facere uellet. Ad cœnam tempore uenit Cannius. opiparè à Pythio apparatum erat conuiuium: cymbarum ante oculos multitudo: pro ſe quiſque quod cæperat, afferebat: ante pedes Pythij piſces abijciebantur. Tum Cannius: Quæſo, inquit, quid ô Pythi? tantum'ne piſcium? tantum'ne cymbarum? Et ille: Quid mirum,inquit? hoc loco eſt,Syracuſis quicquid eſt piſcium: hic aquatio: hac uilla iſti carere nõ poſſunt. Incenſus Cannius

nius

nius cupiditate, contendit à Pythio ut uenderet. Grauatè ille primò. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus & locuples, tanti, quanti Pythius uoluit: & emit inſtructos. Nomina facit, negocium conficit. Inuitat Cannius poſtera die familiares ſuos. Venit ipſe maturè: ſcalmum nullum uidet. Quærit ex proximo uicino, num feriæ quædam piſcatorum eſſent, quòd eos nullos uideret. Nullæ, quod ſciam, inquit ille: ſed hic piſcari nulli ſolent. Itaq; heri mirabar quid accidiſſet? Stomachari Cannius: ſed quid faceret? Nondum enim Aquilius, collega & familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas. In quibus ipſis cum ex eo quærerem, quid eſſet dolus malus? reſpondebat: Cum eſſet aliud ſimulatũ, aliud actum. Hoc quidem ſanè luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud ſimulantes, perfidi, improbi, malicioſi ſunt. Nullum igitur factum eorum poteſt utile eſſe, cum ſit tot uitijs inquinatũ. Quòd ſi Aquiliana definitio uera eſt: ex omni uita ſimulatio diſsimulatioq; tollenda eſt. Ita nec ut emat melius, nec ut uendat, quicquam ſimulabit aut diſsimulabit uir bonus. Atq; iſte dolus malus etiam legibus erat uindicatus, ut tutela XII. tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium † lege Lectoria, & ſine lege, iudicijs, in quibus † (EX BONA FIDE) additur. Reliquorũ aũt iudiciorũ hæc uerba maximè excellũt, in arbitrio rei uxoriæ MELIVS AEQVIVS: fiducia, INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergò? aut in eo quod melius æquius eſt, poteſt ulla pars ineſſe fraudis? aut cum dicitur Inter bonos bene agier, quicquam agi doloſè aut malicioſè poteſt? Dolus autem malus ſimulatione & diſſimulatione (ut ait Aquilius) continetur.

V. L. in omnibus cubilibus. num id iuſtè an improbè.
quicquid reticeas. lege Latoria. alij Plectoria.
Ex bona fide agitur.

Sed incidunt.) *Harum quæſtionum explicatione, Ciceroniana contenti erimus, qui Antipatro aſſentiens, τὰ δέοντα καὶ κοινωφελῆ proponit. Mer*

catorũ autem cauſam agit Diogenes, τὰ γινόμενα καὶ ἴδια χρήσιμα defendens.

Sapientem & bonum uirum.) *πολὺ καταπληκτικώτερον eſt. Occurri enim ei potuiſſet, nullum mercatorem hac de re dubitaturum, ſed quæſtus ſui rationem habiturum quouis modo. Is enim à uiri boni officio non alienum putabit: imò calliditatis laudem ex co petet, ſi hac ratione lucrum faciat quàm maximum.*

In huiuſmodi cauſis.) *Elegãs dialogiſmus duorum Stoicorum, quorum alter rigidior eſt: alter facilior, & ad commecia accommodatior, & fortaſſis*

Tam venditorum quàm emptorũ habendam eſſe rationem.

etiam (ſi non una pars, ſed utraq; ſpectetur) æquior. Habenda enim profectò uidetur uendentium ratio non minor, quàm ementium. Equidem fraudibus, iniurijs, auariciæ nequaquam faueo: ac potius & natura & inſtituto uitæ ſum inimiciſſimus. Sed tamen Antipater à bono illo & ſapienti uiro (qualem fortaſſe nec mercatorem eſſe quicquam uetat) ut ipſe ſibi ſuo indicio ueluti ſorex, noceret, poſtulare non debuiſſe uidetur, niſi perſuaſiſſet prius Rhodijs, ut eidem iacturam (ſi ita incidiſſet) factam reſtituerent. Nunc inuidere lucro, detrimenta non reſarcire: non uideo quid habeat æquitatis. Cum enim duce natura ſuæ quiſque utilitati ſtudeat, perpauci autem (id quod & ipſum natura duce fieri decebat) ſint de aliorum commodis ſoliciti: optimo cuiq; uiro (iſta quidem ratione) res quàm primùm ad reſtim redierit. Inter bonos benè agier oportet: inter callidos & improbos, etiam cautè. Hæc ad monendos adoleſcentes pertinẽt, ne imperiti atq; inuidi uulgi more quoſlibet temerè inſectentur, ſed rem ipſam potius conſiderent. Nam ipſi quidem mercatores hac admonitione haud fermè indigent, nimium in ſententiam Diogenis propenſi. τῶν

παλιγκάπηλοι.

παλιγκαπήλων autem quæſtus, magna ex parte inſidijs, mendacijs & periurijs conſtant, qui doctrinam hanc magnis cachinnis exploſuri ſunt.

In doctrina morum quædam, non omnia controuerſa.

Aliud Diogeni Babylonio.) *Huiuſmodi controuerſiarum doctrinæ de moribus & iure ciuili, cauſa eſt, ſi Ariſtoteli credimus, ipſius doctrinæ materia: quæ non ubiq; firmas rationes ſuppeditat, ſæpè etiam probabili coniectura contenta. Itaque monet, δεῖν τοὺς λόγους ἀπαιτεῖν κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην. Nec tamen ſequitur, quia non omnia certiſſima ſint, & neceſſaria: ideo iudicium honeſtatis & turpitudinis non natura inſtitutum, ſed opinionibus hominum, legibus & moribus conſtitutum eſſe, ut Cyrenaici & Sceptici ſomniabant.*

Quod uenditor norit, emptor ignoret.) *Rectè ſanè, ſi omnes idem facerent. τὸ φῶς γὰρ τοῖς ἐμπολήμασι πρέπει: id eſt, Lux merces decet. Sed ſi omnes callidè ac ſubdolè mecum egerint, ego uerò cum omnibus ſimpliciter & apertè, quid fiet? Alij meis ſpolijs locupletabuntur, ego uerò uel neſciens uel nolens ineſcare homines, nunquam rem faciam. Ita uerum erit illud Thraſymachi, ὅτι ἡ δικαιοσύνη ἀλλότριον μὲν ἀγαθὸν, οἰκεία δὲ ζημία. Et ſanè præſtat, cum bona cõſcientia, bonaq; fama eſſe pauperem, & uiuere tenuius: quàm ſecus agentem, copijs omnium rerum circumfluere.*

Quatenus iure ciuili.) *Hæc in ſingulis contractuum generibus definita, ſunt*

ta, ſunt è libris Iuriſconſultorum petenda, niſi ijs explicandis commentarium ipſo autore prolixiorem cõſcribere uelimus. Hoc loco monemur, ei qui multa cum multis contrahat, aliquam cognitionem Iuris, ſi non ciuilis (quod noſtra ætate prolixiſsimis cõmẽtarijs oneratum eſt) at municipalis, id eſt eius loci in quo uel degit uel negociatur, non modò commodam, ſed etiam ſæpè neceſſariam eſſe. Dictum eſt alio loco, quenq; ſtudioſum certum quoddam ſtudiorum genus, in quo ætatem exigat, quoq; uictum paret, deligere ſibi oportere: atq; operam dare, ut in eo excellat. Succiſiuis autem horis methodos etiam aliarum artium, & præcipuos cuiuſque facultatis autores eſſe cognoſcendos: non ita quidem ut ſubtiles etiã controuerſias decidere, & intricatas quæſtiones explicare poſsit (id enim infinitum fuerit) ſed ne ullius honeſtæ & utilis doctrinæ planè ſit ignarus. Autores præcipuos dico in Theologia, ipſa Biblia: in Iuriſprudentia, Corpus (ut uocant) iuris ciuilis & canonici: in Medicina, Hippocratem & Galenum: in Philoſophia, Platonem & Ariſtotelem: in Mathematicis diſciplinis (quanquam hæ difficultatis opinione multos deterrent) Euclidem & Ptolemæum, & ſic de reliquis. Methodi autem in Philoſophia extant tum aliorum, tum Philippi Melanchthonis: eiuſdem etiam Theologiæ compendium. in Iure ciuili, Conſtantini Hermenopuli, Ioachimi Hopperi, Chriſtophori Ehemij. in Medicina, Fuchſij, Fernelij, & aliorum. Neq; uerò ad inanem oſtentationem & πολυμαθημοσύνην, ἧς οὐ κενώτερον ἄλλο, hæc pertinere uolo ut faciunt ij qui ſe παντεπιστήμονας perhiberi uolunt: ſed ad ſolidum quoddam, aut certè minus imperfectũ doctrinæ genus conſtituendum. Vt enim uirtutum, ita etiam bonarum artium, magna eſt inter ſe affinitas, & neceſsitudo: ita ut alia aliam declaret, & omnes inter ſe mutuas tradant operas. Neq; uerò eſt quod difficultatem cauſemur, aut penuriam temporis, ſi & dicendi artibus & utriuſq; linguæ cognitione inſtructi, & parci ac prudentes temporis diſpenſatores fuerimus. Vtinam uerò hæc adoleſcentes perſuaderi ſibi patiantur. O quàm florebunt & literæ & literati, hæc diſcendi ratio ſi ſeruabitur.

Et iuriſprudentię & omnium bonarum artium ſummã quandam eſſe tenendam.

Aduexi.) *ſcilicet cum naufragij, piratarum, iacturæ, corruptelæ, uilitatis, ἀπρασίας diſcrimine, magnos ſumptus feci, multos labores cæpi, periculis ſuperatis lucrum nõ iniquum peto. Equidẽ bona fide & diligenter, quamuis breuiter, cauſam mercatorum agere me fateor, non corruptus ab illis muneribus, nec declinandi odij gratia (neutram enim in partem illi, quid de ſe ſcribam, uel reſciſcunt uel curant: munera uerò illorum, non ad philoſophaſtros & ludimagiſtros, ſed ad eos qui τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιοῦσι deferũtur) ſed cum hic de æquitate atque officio agatur, non hæc prætereunda fuerunt. Atq; illud etiam addere poſsit Rhodienſis ille frumentator, ſi merces ſuas paulò pluris uẽdat, utpote aſſe caueri maioris in ſingulos medimnos accedente: ue*[illegible]*mini emptorum magnopere incommodari: ſe uerò captum à piratis, aut facto naufragio, de uita fortuniſq; omnibus fuiſſe periclitaturum.*

Aliud eſt cælare.) *Hoc uerbum autor ipſe explicat, cum (inquit) quod*

tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa uelis eos, quorum interſit id ſcire. Et certè taciturnitatis iſtius ſeu reticentiæ, etiam in frumentario negociatore cauſa & finis eſſe uidetur priuata utilitas, & quæſtus uberior, qui finis eſt ipſius negociationis & mercaturæ. Nã ὁ πλοῦτος, ut ait Ariſtoteles, δηλονότι τὸ ζητούμενον ἀγαθόν. Et quia idẽ addit ὁ χρηματιστὴς βίαιός τις ἐστιν: Cicero in Antipatri ſententiam inclinat, ut fieri ſolet in deterrendis hominibus, ab iis uitiis, ad quæ ſunt uel natura uel conſuetudine propenſiores. Proponuntur ὑπερβολαί, ut uel αἱ μεσότητες teneantur.

Quæ natura Deorum.) *Vtrunq; argumentum copioſè tractatum eſt ab autore noſtro: ſed ita, ut niſi lector acutus & eruditus fuerit, nihilo certior diſcedat quàm acceſſerat, propter & opinionum uarietatẽ, & rationum ſiue ſubtilitatem, ſiue obſcuritatem & perplexitatem.*

Sed non quicquid tibi.) *Propoſitio generalis, ſeu θέσις ad ὑπόθεσιν accommodatur, ſeu potius ὑπόθεσις ad θέσιν reuocatur: & quæritur, num neceſſe ſit, quod alteri expediat, explicare? Hæc quæſtio Libro primo diiudicata eſt, cũ autor affirmat: Quicquid uel ignoto ſine incõmodo tuo tribuere poſſis, non eſſe recuſandum. Antipater autem hîc uidetur iniquior eſſe exactor.*

Imò neceſſe eſt.) *Nõ ἁπλῶς, ſed κατά τι: ſi ſcilicet tu & cupias diſcere, & poſſis capere, & locus tempusq; patiatur, & mihi ocium non deſit, & tu uiciſſim gratũ animum declares. Alioqui tu impudentior fueris iſtud petendo, quàm ego detrectando: ut argutè Zeno ipſe, Stoicorum princeps, cuiuſdam petitoris improbitatem repreſſit.*

Sed num iſta ſocietas.) *Rectè ſanè, ut mihi uidetur, præceptor diſcipulo præſtantior reſpondet. Publicum enim conſtituitur è multis priuatis, & ultrò citroq; commeat: quod & ipſum ſuprà declarauimus. Itaq; ea moderatio adhibẽda eſt, ne uel Reipublicæ nimium tribuatur, ut in tyrannide fieri ſolet: (ſi tamen Reipublicæ tribuitur, quod in tyrannum cõfertur) nec priuatis nimiũ detrahatur. Rectè enim Tiberius, nõ optimus princeps, fiſcum lieni comparauit, quo creſcẽte, cætera membra tabeſcant. Nam iſta quidem Antipatri ratio à Platonica rerum omnium cõmunitate non abhorret, quæ in hac prauitate hominum nec conſtitui, nec diuitius retineri poteſt.*

Sed donandum.) *Iſta, inquit, ratio cõtractus omnes tollit. Quod ſi fiat, ne donandum quidem quicquam erit, cum futura ſint omnia communia.*

Vides in hac tota diſputatione.) *Repetit propoſitionem libri huius, exemplis declaratam: quorum prius frumentatoris inquã, cum lucrũ non iniquum, ut dixi, petat, ferẽdum: poſterius peſtilentium ædiũ uenditoris, prorſus improbandum uidetur, ut cum fraude & iniuria coniunctum.*

Sed hoc præter dominum.) *Figmentum hoc eſt, nõ minus quàm Gygis ille anulus, docẽdi cauſa uſurpatum: ne decepturo facultas fallendi defuiſſe uideatur. Vix enim, ac ne uix quidem, tot uitia cælari poſſunt: niſi fortè præter dominũ ædes illas nemo uiderit, & emptor illi ſoli fidem habuerit. Quod quis faciat, niſi Mercurio ſiniſtro, Plutoq; aduerſo natus?*

Quàm

Quàm erranti uiam non monſtrare.) *Reticētia iſta improbatur, primum autoritate Athenienſium: deinde argumento à minore ad maius, quod ex illa autoritate oritur, hoc modo: Si deteſtandus eſt, qui uiam erranti non monſtrat: quanto magis is, qui ſeducit de induſtria?*

Num te emere coegit.) *Hic præceptor claudicare incipit, ut mihi quidem uidetur, & ueras diſcipuli rationes cauillationibus eludere. Nemo quidē me cogit emere uicioſum equum: ſed quia opus eſt equo, neceßitas me cogit. Quæro autem bonum equum: nec fieri poteſt, ut qualis ille ſit, primo aſpectu aut è paucis paßibus deprehendam. Venditor affirmat eſſe bonum: aut quod perinde eſt, uitia tacet, meum iudicium eſſe uult: placet equus, credo eſſe bonum: deprehendo uitioſum: non ille quidem me coegit, ſed decepit certè quidem. Nā ſi id ſciſſem prius, utiq; nō emiſſem. Nihil ergo dicit ille, cum ſe coegiſſe negat, ut emerem. Cæterùm in hoc mercis genere, impoſturam plerią; laudi ſibi ducere ſolent. Vnde illud de uanis hominib. uulgò iactatur: Eos equorum uenditore mentiri impudentius. Deridet & Iuriſconſulti minus callidos emptores, & eos diſcere cautius mercari iubent. Sed quis omnium in tot inſidijs & impoſturis ſatis cautus eſſe poteſt? Verùm in hoc par pari plerunq; refertur, & impoſtura quaſi lege quadam talionis latè uagatur. Quanto autem eſſet ſatius, aliquando damni aliquid facere, quàm mendacijs & fraudibus omnes cōtractus inquinare?*

Non ideo uir bonus eſt, ſi emere me nō coegit, qui mihi malas merces obtruſit.

Impoſturæ mutuæ.

Tu quod placebat.) ὑποθετικῶς *placuit, ſi tale eſſet quale debebat. Ignoraui autem ſub bella iſta ſpecie tot uitia latére, nec ea perſpicere potui.*

Quod ſi qui proſcribunt.) *À maiori ad minus ex Romana conſuetudine argumentatur. Putarunt fortaßis concedendum eſſe, ut*

Laudet uenales qui uult extrudere merces:

& emptorum animaduerſionem eſſe excitandam.

Vbi enim iudicium.) *Antè dixi, non omne iudiciū eſſe poſſe emptoris, propter occulta uicia. Ergo poteſt aliqua, & quidē magna eſſe fraus uēditoris.*

Sin autem dictum.) *Repetitio ſuperioris argumenti.*

Dictum.) τὸ εἰρημένον, *id quod dictum eſt, uillam ſcilicet eſſe bonā, &c.*

Quid uerò eſt ſtultius.) *Diogenes acriter agit cauſam impoſtorum, quorum ſapientia cum ſit acquirendæ pecuniæ intelligentia: ſummam illi ſtulticiam eſſe putant, lucrum ullum negligere, aut minimum capere detrimenti.*

Vitia narrare.) *Nam aut non uendet, aut multo minoris.*

Si ita præco prædicet.) *Non neceſſe eſt hoc, neq; fieri debet. Satis eſt proclamari, hanc domum eſſe uenalem. Quæ cuiuſmodi ſit, emptor niſi inſaniat, exquiret: uenditor, ſi uir bonus ſit, potius multo minoris uendet, quàm decipiet: aut etiam ſine ullo ſuo fructu corruere patietur. Præſtat enim rei familiaris, quàm iuſticiæ facere iacturam.*

Sed etiam non facere turpe.) *Iuſticiæ eſt, decipere neminem: Prudentiæ, rationibus ſuis ſine cuiuſquā iniuria conſulere. Vt igitur par eſt honeſtas,*

ſi hæc fiant: ita non diſſimilis turpitudo, ſi contra Prudentiam facias, inani opinione ſeruatæ iuſticiæ.

Quæ dijudicanda ſunt.) *Conſtituta propoſitione, & exemplis, Academico more in utranq; partem diſputatis, declarata, additoq; breui epilogo, iam cenſuram ſuam quæ Græcis ἐπίκρισις eſt, addit: pronior, ut dixi, ad rigorem (ut uocant) iuris, quod eſt Græcis τὸ ἀκριβοδίκαιον, quàm ad ἐπιείκειαν, id eſt æquitatem, in contractibus ſæpè neceſſariam. Aſſenſus autem Antipatro ſum in peſtilentium ædium uenditione, in frumento uendendo Diogeni, ijs de cauſis, quæ ita perſpicuæ & firmæ mihi eſſe uidentur, ut pluribus uerbis non ſit opus. Quare cauſa non eſt inconſtantiæ me arguendi, ſi in diuerſis argumentis, nunc Ciceroni aſſentior, nunc ab eodem diſſentio. Neq; id ille, ſi uiueret, tam moleſtè ferret, quàm id indignum eſſe facinus Ciceroniani fortaſſe nonnulli, κνίζοντες τὴν ῥῖνα μυσοὶ ὄντες, et puerili eius quem admirãtur amore cæcutientes, clamitabunt. Quorũ ego oblatrationes nõ pluris faciam, quàm illi me, & meos hoſce cõmentarios. Φιλαλήθεια μὲν γὰρ πρέπει τῇ φιλοσοφίᾳ, οὐχὶ δὲ φιλαυτία καὶ κολακεία, καὶ προσωποληψία καὶ συκοφαντία.*

Et candor in pronunciando, & æquitas in audiendo adhibenda.

Non enim ut quæreremus.) *quaſi dicat: Hactenus Academicũ egi, nunc Stoico more pronunciandum eſt. Et quidem faciendum hoc eſt ei, qui fideliter docere uelit: etſi Academica illa dubitatio & modeſtior et cautior eſſe uidetur, cum lectorẽ æquè incertũ dimittat atq; acceperat. Enimuerò candoris eſt, ſententiã ſuã nõ diſſimulare: modeſtiæ, aliorũ etiã iudicijs nõ obſiſtere.*

πλεονεξία.

Hoc autẽ cælandi genus.) *πλεονεξία iniuſticiæ pars eſt, quæ ex aliorum incommodis ſua comparat commoda. Eidem pleonexiæ ſeruit hæc, qua de agitur, Simulatio et diſſimulatio: quam ut uitandam Cicero monet, quia ſit iniuſta ſic alij maximè appetunt, quòd ſine ea nec priuata nec publica res adminiſtrari poſſe uideatur.*

Simulatio. Diſſimulatio.

Certè non aperti.) *Congeries & ἀντίθεσις κατ' ἀπόφασιν καὶ κατάφασιν. Pertinent autem uicia quæ recenſentur, maiori ex parte ad iniuſticiã: niſi quis fortè calliditatem cum prudentia pugnare dicat. Sed ut prudentia ſine iuſticia nulla eſt: ſic nec iuſticia ſine prudentia conſiſtere poteſt.*

Prudentiæ & iuſticiæ nexus.

Cum eſſet aliud ſimulatũ.) *Putãt hanc definitionem ἐλλιπῆ εἶναι, quòd dolus etiã bonus ſit: ut cum ægroti à medicis, pueri à nutricibus, imperiti à prudentioribus ſimulando et diſſimulando ad id perducuntur, quod ipſis expedit, quò, ueritate cognita, perduci ſe non facilè paterentur. Itaq; addendum eſſe, alterius circumſcribendi aut circumueniendi cauſa.*

Dolus. Bonus, Malus.

Ergo & Pythius.) *Concluſio huius loci, cum præcepto de uitanda impoſturarum (ut ſæpè fit) alias rationes attexit.*

Vt tutela.) *Id eſt, duodecim Tabulæ puniebant tutorem infidum.*

Circumſcriptio adoleſcentum.) *Si quis decepiſſet adoleſcentes, atque in fraudẽ illexiſſet, ut ait Terentius. Id autem uariè ſolet fieri ſed illud frequẽs, ut magnis uſuris pecunia illis mutuo detur, clam parentibus, quam poſt eorũ obitum ſoluant.*

Lege

Lege latoria.) *alij Plectoria. Ioannes Huldrichus Zaſius, iuuenis ingenio, doctrina, animi candore, & multis uirtutibus præſtans, & uita longiore digniſſimus, amicus & familiaris olim meus, in Catalogo legum antiquarum ſuo, Lege lectoria legendum eſſe probat.*

Et ſine lege iudicijs.) *Non obſto, quo minus arbitria intelligantur his uerbis: ſed tamen cum de pupillorum fraudatione, & circumſcriptione adoleſcentum, leges citatæ ſint: iudicia ſine lege, intelligo eas cauſas & cõtrouerſias, de quibus nullæ certæ leges extant.*

In quibus ex bona fide additur.) *Sic rectius legi uidetur, quàm agitur. ut ſit, Ex fide bona: itẽ, Aequius, melius, & reliqua, τεχνικῶς poſitũ, pro tali formula ſeu clauſula ſolenni.*

Quid ergo? aut in eo.) *Ab etymologia & repugnantibus argumentatur. Aliud eſt fides bona, æquius melius, bene agi: aliud fraus, dolus, malicia: imò planè contraria, ut uerba, ita ipſæ etiam res.*

In ſimulatione.) *ſcilicet malicioſa, & ad nocendum comparata.*

CICERO.

Tollendũ eſt igitur in rebus contrahendis omne mendacium. Non licitatorẽ uenditor, nec qui contra ſe liceatur emptor opponet. Vterq;, ſi ad eloquendum uenerit, non plus quàm ſemel loquetur. Q. quidem Scæuola, P. filius, cum poſtulaſſet, ut ſibi fundus, cuius emptor erat, ſemel indicaretur: id'que uenditor ita feciſſet, dixit ſe pluris ęſtimare, addidit centum millia. Nemo eſt qui hoc uiri boni fuiſſe neget: ſapientis negant, ut ſi minoris quàm potuiſſet, uendidiſſet. Hæc igitur eſt illa pernicies, quòd alios bonos, alios ſapientes exiſtimant. Ex quo Ennius: Nequicquam ſapere ſapientem, qui ſibi ipſe prodeſſe nequiret. Verè id quidem: ſiquidẽ quid eſſet prodeſſe, mihi cum Ennio conueniret. Hecatonem quidem Rhodiũ diſcipulum Panætij, uideo in his libris quos de Officijs ſcripſit, Q. † Tuberoni dicere: Sapientis eſſe, nihil contra mores, leges, inſtituta facientem, habere rationem rei familiaris. Neque enim ſolùm nobis diuites eſſe uolumus: ſed liberis, propinquis, amicis, maximéque reipublicæ. Singulorum enim facultates & copiæ, diuitiæ ſunt ciuitatis. Huic Scæuolæ factum (de quo paulo antè dixi) placere nullo modo poteſt. Etenim omnino tantùm ſe

negat

negat facturum compendij ſui cauſa, quod non liceat. Huic nec laus magna tribuenda eſt, nec gratia. Sed ſiue ſimulatio & diſsimulatio dolus malus eſt: perpaucæ res ſunt, in quibus dolus iſte malus non uerſetur. Siue uir bonus eſt is, qui prodeſt quibus poteſt, nocet nemini: rectè iſtum uirum bonum non facilè reperiemus. Nunquam igitur eſt utile peccare, quia ſemper eſt turpe: & quia ſemper eſt honeſtum, uirum bonum eſſe, ſemper eſt utile. Ac de iure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos iure ciuili: ut in his uendendis uitia etiam dicerentur, quæ nota eſſent uenditori. Nam cum ex duodecim Tabulis ſatis eſſet ea præſtari, quæ eſſent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret: à Iureconſultis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta. Quicquid enim ineſt prædio uitij, id ſtatuerunt, ſi uenditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere. Vt cum in arce augurium augures acturi eſſent, iuſsiſſentq; T. Claudium Centimalum, qui ædes in Cælio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo officeret auſpicijs: Claudius proſcripſit inſulã, & uendidit: emit P. Calphurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denunciatum eſt. Itaq; Calphurnius cum demolitus eſſet, cognouiſſetq; Claudium ædes poſtea proſcripſiſſe, quàm eſſet ab auguribus demoliri iuſſus: † arbitrũ illũ adegit, † quid ſibi de re ea facere oporteret, ex fide bona. M. Cato ſententiam dixit, huius noſtri Catonis pater (ut enim cæteri ex patribus, ſic hic qui † illud lumen progenuit, ex filio eſt nominandus.) Is igitur iudex ita pronunciauit: Quum in uenundando rem eam ſciſſet, & non pronunciaſſet, emptori damnũ præſtari oportere. Igitur ad fidem bonam ſtatuit pertinere, notum eſſe emptori uitiũ, quod noſſet uenditor. Quòd ſi rectè iudicauit, non rectè frumentarius ille, non rectè ædium peſtilentium uenditor tacuit. Sed huiuſmodi reticentiæ iure ciuili omnes comprehendi non poſſunt. Quę autem poſſunt, diligenter tenentur.

M. Ma-

M. Marius Gratidianus propinquus noſter, C. Sergio Oratæ uendiderat ædes eas, quas ab eodem ipſe paucis antè annis emerat. Hæ Sergio ſeruiebãt: ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in iudicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Craſſus urgebat, quòd uitium uenditor non dixiſſet ſciens: id oportere præſtari. Aequitatẽ Antonius, quoniam id uitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ędes uendidiſſet: nihil fuiſſe neceſſe dici: nec eum eſſe deceptũ, qui id quod emerat, quo iure eſſet, teneret. Quorſum hæc? Vt illud intelligas, non placuiſſe maioribus noſtris aſtutos. Sed aliter leges, aliter philoſophi tollunt aſtutias. leges, quatenus manu teneri res poſſunt: philoſophi, quatenus ratione & intelligentia. Ratio igitur hoc poſtulat, ne quid inſidioſè, ne quid ſimulatè, ne quid fallaciter. Sunt'ne igitur inſidiæ, tendere plagas, etiamſi † excitaturus non ſis, nec agitaturus? Ipſæ enim feræ, nullo inſequente ſæpe incidunt. † Sic tu, quum ædes proſcribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter uitia uendas, in eam aliquis incurrat imprudens.

V. L. Tuberoni, diſſerentem. Ad arbitrum. Quicquid ſibi dare facere. Illud nomen. Excitaturus nõ ſis beſtiã. Si tu. Emptor opponet: alij, apponet.

Centum millia.) *Vix probabile eſt, alterum aut tantum de ſuo iure deceßiſſe, aut ita fundi precium ignoraſſe: alterum tantum addidiſſe, niſi fortè aut maximus, & maximi precij fundus fuerit, aut aliquod gloriolæ choragiũ captarit Scæuola. Itaq; uidetur mendum eſſe in numero. Sed & hoc noſtra parum refert, cum exemplum hoc propter æquitatẽ emptoris tantũ adducatur.*

Qui contra ſe liceatur, emptor opponet.) *Conſpirationes hæ ſunt callidorum hominum, in fraudem uel emptorum uel uenditorum. Sed hoc artificium ſæpe uidetur dignum eſſe uenia: quòd certi homines, ſi cui aliquam rẽ gratã aut neceſſariã eſſe intelligũt, ex eorũ numero præſertim, quib. aut inuidet, aut infenſi ſunt, nõ niſi iniquißimo precio quicquã à ſe impetrari ſinũt.*

Emiſſet.) *Rectius legitur, uendidiſſet: niſi etiam pro minoris, legatur maioris. Sententia eſt: tam qui pluris emat, quàm qui minoris uendat, non haberi ſapientem.*

Hæc igitur eſt illa pernicies.) *Sententia nimium uera, hoc præſertim ſeculo. Vir enim bonus, cãdidus, apertus, qui nec ſimulat, nec dißimulat quicquam,* Falſa & pernicioſa opinio, alios bonos, alios ſapientes eſſe.

quam, nec aliud lingua promptũ, aliud pectore clauſum habet: uulgo fatuus, & ad nullam rem utilis habetur. Qui error ex eo fortè natus eſt, quòd tales facilè decipiuntur, & candoris ſui ſæpe dant pœnas. Qua etiam de cauſa ſimulatio & diſſimulatio, nec alijs nocens, & tibi utilis ac neceſſaria, fortaſſe non uſqueadeò uituperanda eſt, cum huiuſmodi exempla, præſtantiũ etiam uirorum, tam in ſacris quàm profanis literis reperiantur.

Simulatio & diſſimulatio nõ improbata.

Si, quid eſſet prodeſſe.) *Ciceroni prodeſt, quod honeſtum eſt, aut certè nihil habet turpitudinis, quamuis & corpori & rei familiari incommodare uideatur. Euripidi atq; Ennio, quicquid ad uoluptatẽ, opes, honores facit: fortaſsis etiam neglecta honeſtate. Quod ſi poetæ ſenſerunt, rectè à Cicerone reprehenduntur.*

τὸ Prodeſſe, alij aliter interpretantur.

Hecatonem quidem Rhodium.) *Cum Ciceroni propoſitũ eſſet, ſuos ciues ab auaricia atq; iniurijs auocare: diligenter ei proſpiciendũ fuit, ne philoſophorum & poetarũ autoritas præceptis ipſius obſtaret: quã quidem auidiſsimè improbi arripiunt, ſi ſuæ cauſæ fauere uideatur.*

Sapientis eſſe, nihil contra mores.) *Hanc ſapientiam maximi plerique faciunt: & cum moris ſit, ſimpliciores & minus cautos cùm decipere, tum deridere deceptos, ab eo more non abhorrent.*

Hecaton's ſapientia plauſibilis.

Neq; enim ſolùm nobis.) *Ratio Hecatonis δι' ἀπροσώπου τὴν μετάστασιν. Qui, inquit, rei familiari ſeruit, nõ tam auarus quàm pius in ſuos & rempub. eſt habendus.*

Singulorum enim facultates.) *Similem habet ſententiam Iſocrates ad Nicoclem:* ἅπαντα τὰ τῶν οἰκούντων τὴν πόλιν, οἰκεῖα τῶν καλῶς βασιλευόντων ἐστί. *Pertinet aũt hoc ad uectigalia & tributa, & neceſſitates bellicas.*

Placere nullo modo.) *Rei priuatæ decedit aliquid: reipublicæ & ærario nihil decedit. Is enim cui lucrum acceſſerit, plus etiam ſoluet.*

Virtuti minus licet, quàm cõſuetudini.

Huic nec laus magna.) *Vult Cicero, bono uiro per uirtutem minus licere, quàm per leges aut conſuetudinem liceat.*

Sed ſiue ſimulatio.) *Digreſsio in querelam de multitudine improborũ, & bonorum uirorum paucitate.*

Vir bonus eſt is qui prodeſt.) *Obſeruetur hæc definitio uiri boni, quæ hoc diſticho eleganter comprehenditur:*

Vir bonus.

Hic ſcopus unus erit, cunctis prodeſſe, nocere
Nemini: amare bonos, & tolerare malos.

Nunquam igitur eſt utile.) *Concluſio partim ad argumenta ſuperiora, partim ad uiri boni definitionem pertinens.*

Quæ eſſent lingua nuncupata.) *A rationib. philoſophicis tranſit ad publicarũ legum autoritatẽ, qua imperitiores magis mouentur. Lingua aũt nuncupata intelligantur ea uitia, quæ prædio ineſſe negauit uenditor, aut etiã bona quæ ineſſe affirmauit.*

Arbitrum illum adegit.) *Alij legunt, ad arbitrũ: alij, ad arbitriũ. Sed eruditi cenſent formã eſſe loquendi peculiarem, adigere aliquẽ arbitrũ: pro, cogere aliquem ad arbitrũ uenire.*

Qui

Qui quicquid.) *Alij (Qui) omittunt. & cenſent, Quicquid ſibi de ea re facere oporteret ex fide bona: eſſe uerba ſolennia huiuſmodi arbitriorum.*

Illud lumē.) *Id eſt, clariſſimū uirū. Quidā habēt nomē, quod minus placet. Catones multi fuerūt, ſed duo potiſſimū celebrātur, Cenſorius ſiue Maior, & Vticēſis. uterq; ſingulari ſeueritate, nec tā profeſſiōe q̄ uita et morib. Stoicus.* Duo Catones.

Emptori damnum.) *Suprà dixit uitium, quòd propter publicam utilitatem & proſpectus amœnitas & aliquot conclauia ædibus decederent.*

Quòd ſi rectè dijudicauit.) *Nō tam ὑποθετικῶς quàm συλλογιστικῶς hæc accipio. Manifeſta enim fraus Centimali fuit.* Per leges ſæpè licet eſſe improbum.

Huiuſmodi reticentiæ.) *Referatur hæc appendix ad ſententiam Hecatonis refutandam: quaſi dicat, cum negociorum infinita ſit uarietas, nec omnia perſcribi poſſint (τὸ γὰρ καθ' ἕκαστον ἀόριστον) nihil uetat, Hecatoni auſcultantem, ſæpè eſſe improbum atq; iniuſtum, & impoſtorem.*

Quorſum hæc.) *Videtur euentus iudicij Sergiani, culpa librariorum eſſe prætermiſſus. Nam clauſula hæc innuit opinor, Gratidianum à iudicibus fuiſſe condemnatum. Quanquam poſſe eandem ad M. Bruti arbitrium referri, uel ſolam, non nego. Aſtutus certè quidem fuit Gratidianus, qui, quod ſciebat, diſſimularit: Orata uerò negligens, qui ſuas res ignorârit.*

Sed aliter leges.) *Diſcrimen Iuriſprudentiæ & Philoſophiæ diligenter tenendum. Leges linguā & manus ſpectant, hoc eſt externa dicta & facta: Philoſophia in animos & cogitationes inquirit, idq; habet cum lege diuina aliquo modo commune. Quod ſi philoſophiæ non excuſatus eſt, is qui legibus fraudem non facit: quid putamus de ijs ſentiendum, qui manifeſtam deprauationem conſuetudinis euidentiſſimo* DEI *uerbo anteponunt?* Iuriſprudentia. Philoſophia. Decalogus.

Sunt'ne igitur inſidiæ.) *Illuſtri ſimilitudine deſcribit aucupia callidorum hominum: quæ eſt Hecatonis & noſtri ſeculi ſapientia.*

Sic tu cum ædes proſcribas.) *Alij, Si tu. Suſpectus locus, utcunq; legatur. Si τὸ Imprudens, finiat periodum: fortaſſe pro incurrat, legendum erit incurret. Sin ibidem τὴν πρότασιν ἐν τῷ ἀδόλως finias, & τὴν ἀπόδοσιν ab (Hoc quanquam) auſpiceris, etiam ſic duriuſcula erit cōſtructio. Sed ſententia ſatis plana eſt. Quare de uerbis non eſt quod laboremus.*

CICERO.

Hoc quanquam uideo propter deprauationem cōſuetudinis, neq; more turpe haberi: neq; aut lege ſanciri, aut iure ciuili: tamen naturæ lege ſancitum eſt. Societas eſt enim (quod etſi ſæpe dictum eſt, dicendū tamē eſt ſæpius) latiſſimè quidē quæ pateat, † omniū inter omnes: interior eorum qui eiuſdem gentis ſunt, propior eorum qui eiuſdem ciuitatis. Itaq; maiores aliud ius gentiū, aliud ius ciuile eſſe uoluerunt. Quod enim ciuile, nō idem continuo

gentium:quod autē gentium, idem ciuile eſſe debet. Sed nos ueri iuris, germanæq́; iuſticiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur: eas ipſas utinam ſequeremur. Feruntur enim ex optimis † naturæ & ueritatis exemplis. Nam quanti uerba illa? Vti'ne propter te, fidem'ue tuā captus fraudatus'ue ſim? quàm illa aurea? Vt inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione. Sed qui ſint boni, & quid ſit bene agier, magna quæſtio eſt. Q. quidem Scæuola, Pontifex maximus, ſummam uim eſſe dicebat in omnib. ijs arbitrijs, in quibus † adderetur, EX FIDE BONA: fideiq́; bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſimè: idq́; uerſari in tutelis, ſocietatibus, fiducijs, mādatis, rebus emptis, uenditis, conductis, locatis, quibus uitæ ſocietas continetur. In his magni eſſe iudicis ſtatuere, præſertim cùm in pleriſq; eſſent iudicia contraria, quid quenq; cuiq; præſtare oporteret. Quocirca aſtutiæ tollendæ ſunt, eaq; malicia quæ uult quidem uideri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea diſtatq; plurimùm. Prudentia eſt enim locata in delectu bonorum & malorū: malicia, ſi omnia quæ turpia ſunt, mala ſunt, mala bonis anteponit. Nec uerò in prædijs ſolùm ius ciuile ductum à natura, maliciam fraudemq́; uindicat: ſed etiam in mancipiorum uenditione, uenditoris fraus omnis excluditur. Qui enim ſcire debuit de ſanitate, de fuga, de furtis: is præſtat edicto Aedilium. Hæredū alia eſt cauſa. Ex quo intelligit̄, quoniā iuris natura fons ſit: hoc ſecundū naturā eſſe, neminē id agere, ut ex alterius prædetur inſcitia. Nec ulla pernicies uitę maior inueniri poteſt, quàm in malicia ſimulatio intelligentiæ. Ex quo illa innumerabilia naſcunt̄, ut utilia cum honeſtis pugnare uideantur. Quotus enim quiſq; reperietur, qui impunitate & ignoratione omnium propoſita, abſtinere poſsit iniuria? Periclitemur (ſi placet) & in ijs quidē exēplis, in quibus peccari uulgus hominū fortaſſe non putat. Neq; enim de ſicarijs, ueneficis, teſtamētarijs, furibus, peculatorib. hoc

loco

loco diſſerendum eſt,qui non uerbis ſunt & diſputatione Philoſophorum, ſed uinculis † & carcere caſtigandi·Sed hæc conſideremus,quæ faciunt hi qui habentur boni·L. Minutij Baſilij,locupletis hominis, falſum teſtamentum quidam è Græcia Romã attulerũt.Quod quo facilius obtinerent,ſcripſerunt hæredes ſecum M.Craſſum,Q.Hortenſium,homines eiuſdẽ ætatis potentiſsimos· Qui cùm illud falſum eſſe ſuſpicarentur, ſibi autem nullius eſſent conſcij culpæ:alieni facinoris munuſculum non repudiauerunt · Quid ergo? Satin' hoc eſt,ut non deliquiſſe uideantur? Mihi quidem non uidetur: quanquam alterum amaui uiuum,alterum non odi mortuum. Sed cum Baſilius M· Satyrium, ſororis filium, nomen ſuum ferre uoluiſſet,eumq; feciſſet hęredem, hunc dico patronum agri Piceni & Sabini (ó turpem notam temporum illorum) non erat æquum † Principes ciues rem habere, ad Satyrium nihil præter nomen peruenire. Etenim ſi is qui non defendit iniuriam,neq; propulſat à ſuis,cùm poteſt,iniuſtè facit,ut in primo Libro diſſerui: qualis habẽdus eſt is, qui non modo non repellit,ſed etiam adiuuat iniuriam? Mihi quidem etiam ueræ hereditates non honeſtæ uidentur, ſi ſint malicioſis blanditijs officiorum, non ueritate,ſed ſimulatione acquiſitæ. Atqui in talibus rebus alud utile interdum,aliud honeſtũ uideri ſolet. Falſò.nam eadem utilitatis, quæ honeſtatis eſt regula.Qui hoc non † præuiderit,ab hoc nulla fraus aberit,nullũ facinus. Sic enim cogitans,Eſt illud quidem honeſtũ, uerùm hoc expedit:res à natura copulatas audebit errore diuellere,qui fons eſt fraudum,maleficiorum,ſcelerum omnium·Itaq; ſi uir bonus habeat hanc uim, ut ſi digitis concrepuerit, poſsit in locupletium teſtamenta nomen eius irrepere: hac ui non utatur, nec ſi exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam ſuſpicaturum· At ſi dares hanc uim M· Craſſo, ut digitorum percuſsione hæres poſſet ſcriptus eſſe, qui reuera non eſſet hæres: in foro,

mihi crede, ſaltaret. Homo autem iuſtus, & is quem ſentimus uirum bonum, nihil cuiquam, quod in ſe transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is ſe, qui ſit uir bonus, neſcire fateatur.

V. L. hominum inter homines Naturæ principijs & ueritatis. Ageretur ex fide bona. Et carcere ſatigandi. Principes ciuitatis.

Hoc quanquam uideo.) *Occupatio: honeſtum non eſſe moribus & conſuetudine hominum, neq; legibus ſcriptis, ſed lege Naturæ metiendum: qua occurritur hominibus callidis & iniquis, qui ſic argumentātur: Hoc per leges & conſuetudinem licet, Ergo honeſtum eſt. Cicero reſpondet, nec leges perſequi poſſunt omnia, & conſuetudo deprauata eſt: fieri ergo poteſt ut pecces nihilominus. Peccabis autem, ſi naturæ legem uiolaris: hoc eſt, ſi alteri feceris, quod tibi fieri nolles: aut ſi alteri nō præſtiteris, quod uero & iuſto iudicio præſtari tibi uelles. Ad huiuſmodi controuerſias dijudicandas quiſq; ſuā adhibeat conſcientiam. Sic facilè uidebit quid æquum ſit, quid iniquum.*

Conſcientia conſulenda.

Societas eſt enim.) *Conſulatur primi libri locus de Beneficentia.*

Quod etſi ſæpè.) *Occupatio, ne uideatur ineptè & moleſtè ταυτολογεῖν. qualis eſt etiam Platonica illa: δὶς καὶ τρὶς τόγε καλῶς ἔχον δεῖ ἐπαναπολεῖν τῶν λόγων.*

Itaq; maiores.) *De iuris diuiſione legatur initium primi libri Inſtitutionum.*

Cœleſtia omnia excellentiſsima.

Sed nos ueri iuris.) *Per occaſionem breuiter digreditur à ciuili iure, ad ipſius iuris ideam, perfectamq; imaginem, qualis apud ſuperos ſit, ubi haud dubiè omnia ſunt perfectiſsima: cum quibus humana ſapientia ſi cōferatur, ſtupor aſininus uidebitur. Sic de uirtutibus etiam & ipſa ratione iudicandū eſt, quam philoſophi, atq; inter hos Epictetus in primis, immodicis efferunt laudibus, adeò ut nec ipſi Ioui de palma ſapientiæ concedere uelle uideantur.*]

Reprehenſiones uitiorum propter emēdationē morum.

Eas ipſas utinam.) *Votum, quo ſuorum temporum corruptelam arguit, ut alibi ſæpè. Neque uerò huiuſmodi querelæ & reprehenſiones moroſitati tribuendæ ſunt ſenectutis: ſed potius ſtudio corrigendæ adoleſcentiæ, & ad uirtutem huiuſmodi corruptelis contrariam excitandæ.*

Riuuli diuinæ ueritatis & bonitatis.

Feruntur enim.) *Significat noticias de ueritate & bonitate humanis mentibus inſitas, quamuis obſcuriores & imperfectiores, tamen quaſi guſtum aliquem diuinitatis retinere: & riuulum, quamuis tenuem & minus limpidum, tamen aliquo modo fontis ſui bonitatem reſipere. Ad hunc locum accommodetur celebre illud τὸ γνῶθι σεαυτόν, ne nimium naturæ noſtræ aut arrogemus, ut Stoici: aut derogemus, ut Sceptici & Epicurei.*

Ideæ Platonicæ.

Naturæ & ueritatis exemplis.) *Quarum ſcilicet utriuſq; Deus Optimus Maximus autor eſt. Exempla autem intelligenda ſunt more Platonico,*

ἰδέας

ἰδέαι ἢ εἴδη καὶ ἀρχέτυπα καὶ παραδείγματα, quæ ſiue in ipſo DEO, *ſiue in rebus cœleſtibus inſunt, atq; inde in terras ita propagantur, ut imperfecta & obſcura quædam ſimulacra, de perfectiſſimis & clariſſimis illis exemplis expreſſa, uel potius adumbrata appareant. Non enim deſunt docti uiri, qui per ideam negent τελείαν ἔννοιαν, hoc eſt perfectiſſimam alicuius rei formam humana mente conceptam intelligi à Platone, ſed potius ὑφεστηκότα εἶναι. Sed hæc non ſunt huius loci.*

Bonæ fidei ubiq; ſtudendum.

Nam quanti uerba illa.) *Subinde inculcat (ut fidelem doctorem decet) ea quæ honeſta ingenia maximè permouere poſſunt: & bonæ fidei nomen, autore Scæuola, indicat ubiq; locum habere: hoc eſt, ſemper bona fide, atq; in omnibus negocijs, & cum quouis hominum genere agendum eſſe.*

Bonus ἁπλῶς. πολιτικῶς.

Sed qui ſint boni.) *Qualem Stoici uirum bonum & ſapientem fingãt, non ignotum eſt: qualis item deſcribatur ab Hecatone, minimè tum quidem Stoico, ſed Iuriſconſulto potius, atq; adeò Pragmatico, paulò ante expoſitum eſt. Cui quidem illi nimium oneris imponunt: uulgus contrà, minus quàm decet, qualicunq; ſpecie externa contentum.*

Bene agi.

Quid ſit bene agier.) *Si cõſtat qui uir bonus ſit: etiam quid ſit benè agi conſtabit, ex ratione coniugatorum. Bonus enim uir benè agit: & quod benè agitur, proficiſcitur à uiro bono.*

Magnus iudex.

In his magni eſſe iudicis.) *id eſt, requiri hominem prudentiſſimum & conſultiſſimum Iuris, ad huiuſmodi controuerſias ritè dijudicandas, cum & ius ſcriptum ſæpè deficiat, & exemplis contrarijs tutò niti nemo poſſit.*

Legũ immutabile iudicium.

Iudicia contraria.) *Pernicioſa res iſta eſt, & diligẽter cauenda. Rectiſſimè autem cauetur, cum accuratas leges iudex in pronunciando, non ſuam opinionem affectusq; ſequitur.*

Stulticiæ opinio.

Prudentiæ & & maliciæ diſtinctio.

Quæ uult illa quidem uideri.) *Nihil uiris bonis magis dolet, quàm ſtulticiæ opinio, cum ab ijs contemnuntur, qui callidis machinationibus intenti, & rem & gloriam quærunt. Eos igitur Cicero ab opinione populari ad philoſophiam, à uulgi ſermonibus ad conſcientiæ iudicium reuocat, eleganti maliciæ & prudentiæ diſtinctione. Quæ quamuis ſuprà etiam à nobis explicata ſit: tamẽ breuiter nũc repetatur. Prudẽtiæ munus eſt, autore Ariſtotele, comparare ea quæ faciunt ad felicitatem. Conſtat autem ex multis huius Operis diſputationibus, felicitatem, quæ quidẽ in huius uitæ miſerijs homini contingere poſſit, aut à ſola uirtute, aut maximè ab ea pendère. Qui igitur uirtutis ſtudium ſummum habet: is prudentiſſimus etiam rectè habetur. Maliciæ uerò, & calliditati, cũ nõ honeſta, ſed iniuriæ, flagitia, ſcelera propoſita ſint: eas & à prudentia & à felicitate uera longiſſimè abeſſe, negari non poteſt. Quam igitur uulgus uel pecuniæ acquirendæ, uel parandarum uoluptatum intelligentiam pro ſapientia miratur: ea nihil aliud eſt niſi illud ſtulticiæ genus, quod Græci eleganti uocabulo ἀβελτερίαν appellant. Bonus igitur uir auaros iſtos & luxu perditos ſapientes non minus, ſed magis etiam, & quidem multo uerius, ut ſtultos & improbos apud animum ſuum contemnet, quàm*

Auari & luxurioſi ἀβέλτεροι.

net, quàm ipſe immeritò ab iiſdem & contemnitur & deridetur.

Figura & lingua humana.

Malicia mala bonis anteponit.) *Scilicet turpes uoluptates temperãtiæ, iniqua lucra æquitati & liberalitati. Habent igitur improbi & corruptum iudiciũ: & quod conſequens eſt, prauã uoluntatẽ. Sic quantumuis ſapere uideãtur, nihil hominis habent reliquum præter figurã & mendacẽ linguam.*

Ius ciuile ductum à natura.) *Neq; enim aut leges aut iura ſunt, quæ cũ naturalibus noticiis non conſentiunt. cuiuſmodi Tauroſcytharum lex fuit, de immolãdis Dianæ hoſpitibus: aut Cypriorum, de proſtituendis ante nuptias uirginibus, ut ſcilicet cõtaminatũ corpus, & corruptũ animum cũ ampla dote in ædes maritorũ inferrẽt. Quæ lex, ut et Babylonica largitio deuxoribus, propediẽ, ut opinor, reuocabitur. Propaganda etenim rerũ doctrina bonarũ.*

Mores hominis non facilè, nec ſtatim perſpici.

Hæredũ alia eſt cauſa.) *Nullius hominis ingeniũ ex uno atq; altero colloquio planè perſpici poteſt: cũ ſæpè ne ii quidẽ ſatis cognoſci poſſint, propter ſimulationis & diſſimulationis artificiũ, cum quibus modiũ ſalis abſumpſeris. Hæres ergo habet probabilem ignorationis ſuæ cauſam: ſecus quàm is qui diu mãcipiis illis uſus fuit. De ingenio, eruditione, prudentia, è colloquiis cõiectura capi poteſt: animi uerò & morum iudicium multo eſt obſcurius & difficilius. Quare in commendando cauti eſſe debemus. Sed hæc παρέργως.*

Vt ex alterius prædetur inſcitia.) *Præceptum ſatis perſpicuum: ſed uulgus tales potiſſimùm quærit, quos facilimè decipere poſſit. Quod cum ita ſit: corrigenda, inſcitia, & excitanda animaduerſio, ne & prædæ & riſui ſimus improbis.*

Nec ulla pernicies.) *Cum ergo (ut ſæpè iam dictum eſt) hæc ſit horum temporum potiſſima ſapientia: quis has Eccleſiæ & Reipub. turbas miretur?*

Rari quippe boni. Vix ſunt totidem numero, quot Thebarum portę, uel diuitis hoſtia Nili.

Quotus enim quiſq; reperietur.) *Perpauci omnino, qui aut naturæ bonitate uincũtur, aut* D E V M *timent, aut philoſophiæ germanũ fructũ perceperunt: ut quod alii legum & pœnarum metu faciunt, idipſi & faciant quia rectum eſt, & uitent quia prauum.*

Impunito.) *Hoc pertinet ad homines deplorati ingenii, & perfrictæ frontis, quod aiunt.*

Ignoratione.) *Hoc ad uerecundos referatur, qui magis infamiã timent quàm pœnam.*

Poſſit abſtinere.) *ſcilicet propter uehemẽtem appetitum corruptæ naturæ, aut diuturnam peccandi conſuetudinem. Perinde enim eſt, ac ſi canis famelicus ſolus in carnario relinquatur.*

Precepta uirtutum in mediocrib. tantùm ingeniis ualere.

Periclitemur, ſi placet.) *Exempla cupiditatis improbæ plana & facilia ſunt, & nimis nota, in quotidiana uita etiam. Illud tantum obſeruetur hoc loco, quemadmodum ſemen, de induſtria quidem, non in ſentes & ſaxa ſpargitur (nullum enim ibi fructum ferre poteſt) ſic præcepta de moribus, tantùm ad moderata ingenia & ad uirtutem benè nata pertinere. Porci & canes (ut in Euangelio appellatur, luculenta collatione) ab hac doctrina excluduntur, aut certe nihil niſi rident aut exagitant doctorem.*

Sibi

Sibi autem nullius conſcij eſſent culpæ.) *Scilicet in faciendo falſo teſtamento. quaſi uerò nulla culpa ſit, approbare alienum ſcelus, & eius emolumento frui?*

Nomen ſuum ferre uoluiſſet.) *ut ſcilicet pro Satrio, ſeu Satyrio, Mutius ſeu Minutius Baſilius diceretur, itaq; nomen familiæ ſuæ conſeruaretur.*

Patronum agri Piceni.) *Dubius hic locus eſt, & (ſi cui fortè operæ precium uidebitur) & diligentius expendendus: in quo mihi interpretes non ſatisfaciunt, nec tamen ipſe certi quicquam adſerre poſſum.*

Patronũ agri.) *Id eſt, ut conijcio, qui obſtitit ijs qui eum uel ereptum ærario, uel pulſis poſſeſſoribus populo Romano diuidendum cenſuerunt. Niſi forte εἰρωνικῶς patronus dicatur, non is in cuius fidem & clientelam Piceni ſe contulerint, ſed eorundem oppugnator.*

O' turpem notam.) *Eſt et hoc dubium, utrum ad agri Piceni diuiſionẽ, an uerò ad falſum Baſilij teſtamentum pertineat.*

Mihi quidem etiam ueræ.) *Hæredipetæ taxantur, & in genere omnes inſidioſi adulatores, qui amicitiæ ſimulatione rem aliorum ad ſe pertrahere conantur.* Aucupes.

Atqui in talibus rebus.) *Expeditiſsima enim ad diuitias uia eſt, Res nõ parta labore, ſed relicta. ut Martialis ait. Videtur ergo id eſſe utile, quãuis honeſtum eſſe non uideatur.*

Falſo. nam eadem.) *Notetur quod antea dictum eſt, & ſemper ob oculos ſit, falſum iudicium antecedere prauam uoluntatem: à qua ſcelera omnia oriuntur. Iudicium igitur liberali doctrina formetur: uoluntas metu Dei atq; infamiæ & pœnæ (ſi minus amor ipſius honeſtatis mouet) coerceatur. Sic obſtructis uenenóſis fontibus, etiam riuuli ſcelerum ſiccabũtur: id eſt, in corruptus animus ab omnibus turpibus & dictis & factis abhorrebit.* Iudicium, uoluntas.

Nam eadem utilitatis.) *Vt antè ſæpè dixit, idem eſt utile & honeſtum, uel inter utilitatem & honeſtatem nihil intereſt.*

Non præuiderit.) *Id eſt, diu antè meditatum habuerit. Alij, Peruiderit, legunt: quod magis probo. Acuto enim & ſagaci ingenio eſt opus ad hanc ueræ honeſtatis & utilitatis connexionem perſpiciendam, & certò tenendam. Animus uerò qui (ut Comicus ait) in dubio eſt, id eſt qui huic ſententiæ non certò aſſentitur: paulo momento huc atq; huc impellitur, nec abſtinet ab iniuria, niſi uel pœnæ uel infamiæ metu.* Perſpicienda utilitatis & honeſtatis connexio.

In locupletum teſtamenta.) *Vt uel hæres ſcribatur, uel legatum ſeu munus aliquod accipiat ex teſtamento.*

Is qui ſit uir bonus.) *Eſt ἀσαφὴς: pro, intelligat ſe non eſſe uirum bonum.*

CICERO.

At uerò ſi quis uolucrit animi ſui complicatã notionẽ euoluere, iam ſe ipſe doceat, cum uirum bonum eſſe, qui

proſit quibus poſsit, noceat nemini, niſi laceſsitus iniuria. Quid ergo? hic non nocet, qui quodã quaſi ueneno perficiat, ut ueros hæredes moueat, in eorum locum ipſe ſuccedat? Nõ ergo faciat, dixerit quis, quod utile ſit, quodq́ expediat? Imò intelligat nihil nec expedire, nec utile eſſe, quod ſit iniuſtum. Hoc qui non didicerit, bonus uir eſſe non poterit. Fimbriam Conſularem audiebam de patre noſtro iudicem M. Lutatio Pythiæ fuiſſe, equiti Romano ſanè honeſto, quum is ſponſionem feciſſet, ni bonus uir eſſet. Itaq; ei dixiſſe Fimbriam, ſe illam rem nunquam iudicaturum, ne aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contrà iudicaſſet: aut ſtatuiſſe uideretur uirum bonum aliquem eſſe, cum ea res innumerabilibus officiis & laudibus contineretur. Huic igitur uiro bono, quem Fimbria etiam, non modò Socrates nouerat, nullo modo uideri poteſt quicquam eſſe utile, quod non honeſtum ſit. Itaq; talis uir non modò facere, ſed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat prædicare. Hæc non'ne eſt turpe dubitare Philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitent? à quibus natum eſt id quod iam tritum eſt uetuſtate prouerbium. Quum enim fidem alicuius, bonitatemq́ laudant, dignum eſſe dicunt, qui cum in tenebris mices. Hoc quam habet uim, niſi illam: nihil expedire quod non deceat, etiamſi id poſsis, nullo refellente, obtinere. Vides'ne igitur hoc prouerbio, neque Gygi illi poſſe ueniam dari: neque huic, quem paulò antè fingebam, digitorum percuſsione hæreditates omnium poſſe conuertere? Vt enim quod turpe eſt, id quamuis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt: ſic quod honeſtum non eſt, id utile ut ſit, effici non poteſt, aduerſante etiam & repugnante natura. At enim cùm permagna præmia ſunt, eſt cauſa peccandi? C. Marius cum à ſpe conſulatus longè abeſſet, & ſeptimum annum poſt præturam iacêret, neq; petiturus unquam conſulatũ uideretur: Q. Metellũ, cuius legatus erat, ſummũ uirum & ciuẽ,

cùm ab eo imperatore ſuo Romam miſſus eſſet, apud populum Romanum criminatus eſt, † bellum illud ducere: ſi ſe conſulem feciſſent, breui tempore, aut uiuũ aut mortuum Iugurtham, ſe in poteſtatem populi Rom. redactum. Itaq; factus eſt ille quidẽ Conſul, ſed à fide iuſticiaq; diſceſsit: qui optimum & grauiſsimum ciuem, cuius legatus, & à quo miſſus eſſet, in inuidiam falſo crimine adduxerit. Nec noſter quidẽ Gratidianus officio uiri boni functus eſt, tunc cùm prætor eſſet, collegiumq́; prætorũ Tribuni plebis adhibuiſſent, ut res nummaria de cõmuni ſententia cõſtitueretur. Iactabatur enim tẽporibus illis nummus ſic, ut nemo poſſet ſcire quid haberet. Conſcripſerunt cõmuniter edictum cum pœna atq; iudicio, conſtitueruntq́;, ut omnes ſimul in Roſtra poſt meridiem conſcenderent, & cæteri quidem alius aliò. Marius à ſubſellijs in Roſtra rectà, idq; quod cõmuniter compoſitũ fuerat, ſolus edixit: & ea res (ſi quæris) ei magno honori fuit. Omnibus uicis ſtatuæ factæ, ad eas thus & cerei. Quid multa? Nemo unquã multitudini fuit charior. Hæc ſunt quæ perturbant homines in deliberatione nonnũquam, cum id in quo uiolatur æquitas, non ita magnũ: illud autem quod ex eo paritur, permagnum uidetur: ut Mario, præripere collegis & Tribunis plebis popularem gratiã, non ita turpe: Conſulem ob eam rem fieri, quod ſibi tunc propoſuerat, ualde utile uidebatur.

V. L. bellum producere.

At uerò ſi quis uoluerit.) *Ignorationis pharmacum proponit, ſuam cuiq; conſcientiam, & principia illa natura nota, quem eruditionis & philoſophiæ fructum eſſe affirmat Epictetus,* τὸ καταλλήλως τῇ φύσει ἀφαρμόζειν τὰς προλήψεις ταῖς ἐπὶ μέρους οὐσίαις.

Eruditionis fructus dextra principiorum accommodatio ad res ſingulas.

Animi ſui complicatam notionem euoluere.) *Notetur hic locus diligenter. Apud Comicum: Rectè mones, inquit miles. mihi enim iſtud in mentem non uenerat. Reſpondet paraſitus: Ridiculum. neque enim cogitaras. At quanto melius iſtud idem tute inueniſſes Thraſo? Qui locus admonere debet diligentis cogitationis, quæ doctũ ab indocto, prudentem à fatuo nõ minima ex parte diſtinguit, Hæc meditatio facit, ut ſæpe id ipſe inuenias, de quo aliũ rogaturus eras. Etenim cogitatio diligens è theſauro ingenij multa promit,*

Diligentis cogitationis magna uis.

quæ eo contineri minimè putaſſes. ualet enim hic etiam illud Euangelicum: Qui quærit, inuenit. pulſanti aperitur?

Niſi laceſsitus iniuria.) *Tùm uerò uerbum Nocendi minus propriè uidetur accipi. Neq; enim is qui propulſat iniuriam, nocet, ſed neceſſariò defendit ſe. Alter autẽ ſi læditur, à ſeipſo læditur. Cur enim manus apud ſe non continuit? Aliud quidem præcipit Euangelium (qua de re primo Libro egimus breuiter) ſed quid ijs dictis citandis proficiemus, cum Philoſophiæ minus ſeueræ exactrici perpauci obtemperent?*

Cum is ſponſionem feciſſet.) *Græci* παρακαταβάλλειν *&* παρακαταβολὴν *dicunt id iudicij genus, cum extra ordinem decima pars controuerſæ pecuniæ deponitur, quam recipiat uictor, uictus uerò Reipublicæ ſoluat.*

Singulę actiones propè infinitæ.

Cum ea res innumerabilibus officijs.) *Hæc officia intelligenda ſunt* αἱ καθ' ἕκαστον πράξεις. *Nam genera ſeu fontes officiorum quatuor tantũ eſſe, abundè cognouimus. Vnum eſt officium, quod à iuſticia proficiſcitur. Sed iuſtè facta innumera eſſe poſſunt. Officium enim iuſticiæ eſt, honeſtè uiuere, ius ſuum cuiq; tribuere, alterum non lædere, conſulere patriæ, conferre tributum, defendere innocentem, punire nocentes, conſolari afflictos, ſubuenire egentibus, & alia plurima, eaq; ſubinde uelut in orbẽ recurrentia. Notetur hic obiter Fimbriæ prudentia: cui non adeò diſsimile eſt præceptũ Pittaci & Chilonis, uetantium, ne iudex ſis inter duos amicos, quod neceſſe ſit alterutrum offendi. Præſtare ſententiã dicere in cõtrouerſijs inimicorũ, quorũ utiq; alter qui litem uicerit, ſit amicus futurus. Sed hic illud etiã ſpectandũ eſt, nõ modò ne quis offendatur: ſed illud etiã, ne grauiſsimis de rebus temerè pronũcietur.*

Arbitriũ ab quouis recipiendum. Non temerè pronunciandum.

Ni uir bonus eſſet.) *hoc eſt, ſe eſſe bonum uirum: aut, ſi non eſſet, mulctam non recuſare. Quanto autem Fimbria fuit noſtro ſeculo ruſticior? Nos non docti & boni uiri ſumus, ſed clariſsimi & excellentiſsimi, omnibus ornati uirtutibus, ingenio, doctrina, uirtute præſtantiſsimi ſumus. Me quidem profectò ſæpe huiuſmodi inſcriptionum pudet. Sed ne parum gratus, aut liberalis, aut etiam ruſticus & inuidus uidear: mutuò muli ſcabimus,* καὶ φρυακιζόμενοι ἀντιφρυακίζομεν. τί γὰρ ἂν καὶ πάθοι τις, εἰ φίλος τις ὢν βιάζοιτο; *Quàm multi ſunt ex animo mei, idq;* χρήσει καὶ κτήσει, *qui afflictam fortunã aut ualetudinẽ meam riderent potius, quàm ſubleuarẽt? Hæc eſt noſtri ſeculi ſcilicet ambitio & uanitas. Quanto illa ſimplicior* ἐπιγραφή: *P. Ramus, aut S. Caſtalio, Hieronymo Vuolfio ſalutẽ? Charinus uerò et Oporinus, me nimiũ onerant: ille Docti, hic etiã Optimi atq; doctiſsimi uiri ſarcinã adiungendo.*

Non modò Socrates nouerat.) ἐγίνωσκε: *pro, quem ſtatuebat eſſe uirum bonum. Significat, Fimbriam non popularem opinionem, qualis Hecatonis ſit, de uiro bono ſecutum: ſed potius philoſophicè ſenſiſſe, & aliquid ſupra uulgi captum poſtulauiſſe.*

Domus & animus patẽs omnibus, bonæ conſcientiæ ſignum.

Sed ne cogitare quidem quicquam.) *Ergo non ædes tantũ ſuas, ſed animum etiam ſuum patêre uult omnibus. Nemo autem hoc æquo animo ferat, niſi perfecta uirtute & ſapiẽtia ornatus, ut neq; prauis affectibus & cupidita-*

piditatibus, neq; erroribus & falſis opinionibus ſit inquinatus. Alioqui & infamiam, & deriſum, & pœnas, & pericula timebit. Quiſq; ſingulis diebus in ſe deſcendat, ac ſui ipſius periculum faciat, an talis ſit: ut ne cogitare quidem quicquam audeat, quod non audeat prædicare? detq; operam, ut ea, quorum, ſi proferantur, pudeat, ex animo eijciat, tanquã inhoneſta, nec ſatis uiro bono digna. Neq; tamen (ut & ſuprà dixi) hic prudentia ſimulandi & diſſimulandi quædam, ſine cuiuſquam incõmodo: ſed potius cum tua & aliorum utilitate, excludenda uidetur. Neq; enim uiro bono indignum eſt, cauere improborum inſidias, atq; offenſas potentiorum: quamuis facta illorum nõ probes, nec ulla ratione emendare poſsis. Huc enim pertinet Iſocraticum illud, αἰσχρὸν τὸ φανερὰν ἔχοντα τὴν δικαίαν παραπατεῖν.

Simulatio & diſſimulatio innoxia.

Hæc nonne eſt.) *Quia philoſophorum rationes uulgo partim ut obſcuræ, inuiſæ, partim ut cõmenticiæ, ſuſpectæ ſunt: affert populare prouerbium, quo non minus quàm præceptis philoſophorum, is uir bonus perhibetur, qui impunitate & ignoratione omnium propoſita, nihil iniuſtè ſit facturus.*

Philoſophia uulgo aut inuiſa, aut ſuſpecta.

Conuertere.) *id eſt, à legitimis hæredibus ad ſe transferre. Sed conuerrere magis placet, quaſi in unum aceruum congerere.*

Conuertere. Conuerrere.

Vt enim quod turpe eſt.) *Elegans ſimilitudo, in qua illud etiam obſeruandum: ſtatui, honeſta eſſe natura, non mutabili hominum opinione. Nõ minus igitur eſſe turpem, qui in tenebris, quàm qui palàm omnibus delinquat. Natura enim in tenebris nõ minus uiolatur, quàm ſi ſpectent omnes. Infamia quidem minor eſt occulti delicti: & tamen incertum, quàm diu ſit occultum futurum.* ἂν γὰρ κρύψῃς τὰ παραυτίκα, ὕστερον ὀφθήσῃ.

Occultationẽ ſceleris turpitudo non minuitur.

Aduerſante natura.) *à qua omnia uiuendi præcepta ducuntur in philoſophia: cum ea nihil aliud ſit, ut ſæpe iam dictum eſt, niſi lex diuina, inſita & inſculpta cùm alijs rebus conditis, tum uerò animis hominum.*

At enim cum præmia magna.) *Antitheſis, quæ oritur ex comparatione & amplificatione utilitatis, atq; extenuatione turpitudinis. Negat autem Cicero, ullam utilitatis ſpeciem tantam eſſe poſſe, ut uel minimum ab honeſtate propter eam recedatur. Hoc non niſi ijs perſuaderi poterit, qui in omni uita ſummum honeſtatis ſtudium habuerunt: qui pauciſſimi ſunt. Nos reliquum uulgus, & fragilitatem humanam, & uitæ neceſſitates cauſando, ipſi nobis ignoſcimus, & quidem ſæpius quàm decebat, in paruis (ut uidentur) delictis: etiam non magna, ac nulla potius, utilitate propoſita: ſed damno potius imminente. cuiuſmodi ſunt nugæ compotationum, aleæ, aliarumq; huiuſmodi rerum, quibus tempus optimum & longè aliter collocandum, præter cætera uitia, peſſimè amittitur. Dãda & hic opera eſt, ut huiuſmodi uitia minuantur, quemadmodum paulo antè de eijciendis prauis affectibus & opinionibus eſt admonitum.*

Pauciſſimos inueniri, qui paruo delicto magnum emolumentum nõ redimant.

Nimiũ ipſi nobis ignoſcimus.

At enim cum.) *Quæſtio ſeu dubitatio.*

C. Marius cum à ſpe.) *Exẽpla quæſtionis huius declarandæ cauſa proponuntur, in quibus paruum dedecus magno emolumẽto compenſatum atq; obſcuratum uidetur.*

 Sed

Sed à fide iuſticiaq́;.) ἐπιεικείας, μετ' ἀπολογίας.

Infamia ad poſteros.

Nec noſter quidem.) *Hac libertate accuſandi etiam potētiſsimos & ſibi coniunctiſsimos homines, Cicero id agit, ut & μισοπονηρίαν ſuam καὶ φιλαλήθειαν teſtetur: & omnes, uel infamiæ ad poſteros metu, à peccando atq; iniurijs deterreat.*

Vt res nummaria.) *Quicquid pertinet ad monetā, in genere intelligi poteſt. cuius precium & materia mutari, augeri, minuiq; ſolet. Sed ex Plinio apparet, adulterinos nummos pro ueris dari ſolitos, hic intelligendos eſſe. Ait enim: Facta eſt ars probare nummos.*

Conſtitueretur.) *id eſt declararetur, qui nummi probi, qui adulterini, & quanti quiq; eſſent.*

Quid haberet.) *ſcilicet cum non conſtaret, qui nummi probi eſſent, & quantum ualerent.*

Cum pœna atq; iudicio.) *ut qui adulterinam monetam pro proba numeraſſet, in iudicium adductus mulctaretur.*

Nemo unq;.) *Nota eſt uulgi incōſtantia. et uerè Heſiodus: κακὰ, inquit, κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι. Scribit enim idē Plinius, Sylla urbē ingreſſo omnes has Marij ſtatuas fuiſſe euerſas ab ipſo populo: ut malè parto bonore nō diu lætaretur.*

CICERO.

Sed omniū una regula eſt, quam cupio tibi eſſe notiſsimam. Aut illud quod utile uidetur, turpe ne ſit: aut, ſi turpe eſt, ne uideatur eſſe utile. Quid igitur? poſſumus'ne illum Marium uirum bonum iudicare, aut hunc? Explica atq; excute intelligentiā tuam, ut uideas quæ ſit in ea ſpecies, forma & notio uiri boni. Cadit ergo in uirum bonum, mentiri emolumenti ſui cauſa, criminari, præripere, fallere? Nihil profectò minus. Eſt ergo ulla res tanti, aut cōmodum ullum tam expetendum, ut uiri boni & ſplendorem & nomen amittas? Quid eſt quod afferre tantum utilitas iſta, quæ dicitur, poſsit? quantum auferre, ſi boni uiri nomen eripuerit, fidem iuſticiamq; detraxerit? Quid enim intereſt, utrum ſe ex homine conuertat quis in beluam, an in hominis figura immanitatem gerat beluæ? Quid? qui omnia recta & honeſta negligunt, dum modò potentiam conſequantur: no'nne idem faciunt, quod is qui etiam ſocerum habere uoluit eum, cuius ipſe audacia potens eſſet? Vtile ei uidebatur, plurimum poſſe alterius inuidia. Id quàm iniuſtum in patriam, quàm inutile,

quàm

quàm turpe eſſet, nõ uidebat. Ipſe aũt ſocer in ore ſemper Græcos uerſus Euripidis de Phœniſsis habebat, quos dicã, ut potero, incõditè fortaſſe, ſed tamẽ ut res poſsit intelligi: Nam ſi uiolandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: alijs rebus, pietatem colas.

Capitalis Eteocles, uel potius Euripides, qui id unum ſolùm, quod omniũ ſceleratiſſimũ fuerat, exceperit. Quid igitur minuta colligimus? hæreditates, mercaturas, uenditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani, dominusq́; omniũ gentiũ eſſe cõcupierit, idq́; perfecerit. Hanc cupiditatem ſi quis honeſtam eſſe dicit, amens eſt. Probat enim legũ & libertatis interitũ: earumq́; oppreſſionem tetrã & deteſtabilẽ, glorioſam putat. Qui aũt fatetur honeſtũ non eſſe, in ea ciuitate quæ libera fuit, quæq́; eſſe debeat, regnare: ſed ei, qui id facere poſſit, eſſe utile: qua hunc obiurgatione, aut quo potius conuicio à tanto errore coner auellere? Poteſt enim (dij immortales) cuiquam eſſe utile, fœdiſsimũ & teterrimũ parricidiũ patrię, quamuis is qui ſe eo obſtrinxerit, ab oppreſsis ciuib. parens nominetur? Honeſtate igitur dirigenda utilitas eſt, & quidẽ ſic, ut † hęc duo, uerbo inter ſe diſcrepare, re unũ ſonare uideant̃. † Nũc ab eo ad uulgi opinionẽ. Quæ maior utilitas, quàm regnandi, eſſe poſsit? Nihil contrà inutilius ei, qui id iniuſtè conſecutus ſit, inuenio, cùm ad ueritatem cœpi reuocare rationem. Poſſunt enim cuiquam eſſe utiles angores, ſolicitudines, diurni & nocturni metus? uita inſidiarum periculorumq́; pleniſsima?

Multi iniqui atq; infideles regno, pauci ſunt boni: inquit Actius. At cui regno? quod à Tantalo & Pelope proditũ iure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui cum exercitu populi Romani, populũ ipſum Romanum oppreſsiſſet: ciuitatemq́; non modò liberam, ſed etiam gentibus imperantem, ſeruire ſibi coegiſſet? hunc tu, quas conſcientiæ labes in animo cenſes habuiſſe? quæ uulnera? Cuius autem uita ipſi poteſt utilis eſſe, cùm eius

uitæ

uitæ ea conditio ſit, ut qui illã eripuerit, in maxima & gratia futurus ſit, & gloria? Quòd ſi hæc utilia non ſunt, quæ maximè uidentur, quia plena ſunt dedecoris ac turpitudinis: ſatis perſuaſum eſſe debet, nihil eſſe utile, quod nõ honeſtum ſit. Quanquã id quidem cùm ſæpè aliàs, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio Conſule iterũ, & à Senatu noſtro iudicatum eſt. Cum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum ultrò intuliſſet, cumq́ de imperio certamen eſſet cum rege generoſo ac potente: perfuga ab eo uenit in caſtra Fabricij, eiq́ eſt pollicitus, ſi præmium ei propoſuiſſet, ſe ut clàm ueniſſet, ſic clàm in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum ueneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curauit ad Pyrrhum: idq́ eius factum à Senatu laudatum eſt. Atqui ſi ſpeciem utilitatis, opinionemq́ quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, & grauem aduerſarium imperij ſuſtuliſſet: ſed magnum dedecus & flagitiũ, qui cum laudis certamen fuiſſet, eum nõ uirtute, ſed ſcelere ſuperatum. Vtrum igitur utilius: uel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Ariſtides Athenis fuit: uel Senatui noſtro, qui nunquam utilitatem à dignitate ſeiunxit, armis cum hoſte certare, an uenenis? Si gloriæ cauſa imperium expetendum eſt: ſcelus abſit, in quo nõ poteſt eſſe gloria. Sin ipſæ opes expetuntur: quoquo modo non potuerũt eſſe utiles cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Q. filij ſententia: Quas ciuitates L. Sylla, pecunia accepta ex Senatuſcõſulto liberauiſſet, ut hæ rurſus uectigales eſſent, neq́ his pecuniam, quam pro libertate dederant, rederemus. Ei Senatus eſt aſſenſus. Turpe imperio. piratarũ enim melior fides quàm Senatus. At aucta uectigalia? Vtile igitur. Quouſq́ audebunt dicere quicquam utile, quod nõ honeſtum? poteſt autem ulli imperio, quod gloria debet fultum eſſe, & beneuolentia ſociorum, utile eſſe odium & infamia? Ego etiam cum Catone meo ſæpè diſſenſi. nimis enim mihi uidebatur præfractè ærarium, uectigaliaq́ defendere: omnia publicanis negare, multa

ſocijs,

ſocijs,cum in hos benefici eſſe deberemus, cū illis ſic agere,ut cum colonis noſtris ſoleremus.Eoq́ magis,quod illa ordinum coniunctio ad ſalutē Reipublicæ pertinebat. Malè etiam Curio,cùm cauſam Tranſpadanorū æquam eſſe dicebat: ſemper aūt addebat, Vincat utilitas. potius diceret,nō eſſe æquam, quia non eſſet utilis Reipublicæ: quàm cùm utilem eſſe diceret,non eſſe æquam fateretur.

V. L. hæc duo uerba. Nunc adeo ad p.e.

Vna regula.) *Sæpiſſimè illa quidem repetita, & minimè obſcura, modò aſſenſus animorum conſtans, & facta regulæ tam illuſtri conſentanea accederent.* ἀδικία μετ' ἀβελτερίας.

Eſt ergo ulla res tanti.) *Declarata turpitudine horum facinorum,nūc in contentionem adducit & fructum & detrimentū eorundem. quaſi dicat, plus infamiæ iſtis factis uterq; Marius ſuſcepit,quàm dignitatis eſt conſecutus. Itaq; non ſolum improbi,ſed etiam parum prudentes fuerunt.*

Viri boni ſplendorem.) *Exiſtimatio ſoli, atræ nubi aut denſæ nebulæ comparari poteſt infamia.*

Et nomen.) *Vt dicaris improbus,iniuſtus,impoſtor,auarus, rapax,uiolentus.Imò ne homo quidem,ſed potius belua, ut leo aut uulpecula.*

Si boni uiri nomen.) *In corruptis ciuitatibus,& longa conſuetudine deprauatis,multa turpia non habentur,quæ reuera turpiſſima ſunt.In illis igitur ſæpè infamiā uitare licet,tametſi turpitudine non abſtineas. Alibi uigent uagæ libidines,alibi ludus & iocus ſunt adulteria.ut Ouidius de Roma:* Mala conſuetudo.

Ruſticus eſt nimium,quem lædit adultera coniunx, Et notos mores non ſatis urbis habet. alibi latrocinia,alibi crapula & ebrietas, alibi uanitas, Nullum deniq; uitium eſt, quod non alicubi aut laudetur, aut certè non magnoperè uituperetur.

Fidem iuſticiamq́ detraxerit.) *Hæc demum ineuitabilis iactura eſt, ut facinora nec infamia,nec aliæ pœnæ comitētur. Hinc præclarè Iuuenalis, ſeuerus uitiorum caſtigator,ac diligenter legendus:* Pœna conſcientiæ.

Exemplo quodcunq; malo committitur,ipſi
Diſplicet autori. Prima eſt hæc ultio,quòd ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur:improba quamuis
Gratia fallacis prætoris uicerit urnam.

Quid enim intereſt.) *Suprà dixit, multos eſſe homines nō re,ſed nomine:item,uim eſſe leonis,fraudem uulpeculæ,utranq; ab homine alieniſſimam. Hic idem ferè dicit: & hominis proprium eſſe ſignificat,omnium uirtutum ſtudium.* Virtutis ſtudium hominis propriū.

Quid qui omnia recta.) *Variæ ſunt iniuriarum & ſcelerum cauſæ,de quibus hactenus auariciam & ambitionem attigit. Nunc ambitioni cognatam,* Auaricia. Ambitio. Tyrannis.

tam, adijcit potentiæ cupiditatem. quo loco Cæſar & Pompeius notantur, de quibus & Catullus ſcripſit:

Socer generq́; perdidiſtis omnia.

Addita etiam eſt iuſta inſectatio tyrannidis, cuiuſmodi & apud Euripidẽ in Phœniſsis, et apud Iſocratem noſtrum in Proœmio orationis ad Nicoclem, & in Encomio Helenæ extat. qui loci utiliter cum hoc conferentur.

Triumuiratus.

Id quàm iniuſtum in patriam.) *Reipub. Romanæ libertas, triumuiratu Pompeij, Cæſaris, Craſsi, claudicare cœpit, nec tum aliud erat quàm ſiue oligarchia, ſiue paucorũ tyrannis. Cum enim hi inter ſe colluderẽt, facilè quiduis & à populo & à Senatu obtinebant.*

Capitalis Eteocles.) ἐπίκρισις, *qua reprehenditur Euripidea ſententia* μιμητικῶς καὶ κατ' ἠθοποιΐαν ῥηθεῖσα. *quanquam plura ibi differuntur in laudem iuſticiæ & æquitatis: nec tyrannis Eteoclis alio argumento comprobatur, quàm ipſius uehementi cupiditate. E poetis & alijs ſcriptoribus homines inepti & improbi, araneas imitati potius quàm apes, ea decerpunt, non quæ uera & æqua ſunt, ſed quæ prauis ipſorum cupiditatibus patrocinari uidentur. Perperam utiq́;. Lectionis enim finis eſſe debet, cognitio ueritatis, & adeptio uirtutis, cum emendatione uitiorum & errorum.*

Improbi uenenum fugiũt è bonis ſcriptoribus.

Lectionis finis.

Quod omnium ſceleratiſsimum.) *Tyrannis enim patriam opprimit, cui ſumma pietas debetur quæq́; (ut alibi dixit) una omnes omniũ charitates complectitur. Eteocles igitur, ſeu potius Cæſar, ſic argumentari debuiſſet: Si uni facere iniuriam nefas eſt: quanto maius ſcelus erit, totam Rempublicam lædere atq; euertere? Sed putauit ille ſcilicet præmij magnitudine, quod per ſcelus petebatur, ipſum ſcelus obſcurari & euaneſcere.*

Inſectio Cæſariani argumenti.

Tyrannica uecordia & arrogantia.

Hanc cupiditatem ſi quis.) *Tyrannica ingenia, ut Dionyſius, anilia deliramenta eſſe putant omnia, quæ de iuſticia & æquitate, atq; adeò de omni honeſtate differuntur: ſeq́; quaſi* DEOS *quoſdam in terris, adorandos eſſe putant: & honeſtum atq; inuiolabilem eſſe legem, quicquid ipſis uiſum fuerit: cæteros autem homines non pluris faciunt quàm pecudes. Horum amentiam & furorem* κατ' ἀπόδειξιν *refellit.*

Probat enim.) ἀπολογία ἐκ ἀποδείξεως, *à definitione: Tyrannus, inquit, eſt legum & libertatis interitus. Sed & hic tyranni Euripideum illud opponunt:*

τί δ' αἰσχρόν; ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ;

Cui ſiue Socrates, ſiue Diogenes, in theatro ex tempore reſpondit:

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρόν, κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ.

Tyrannis & inhoneſta & calamitoſa.

Qui autem fatetur.) *Primùm tyrannidem inhoneſtam eſſe affirmat, quia iniuſta ſit, atq; ob idipſum etiam (Stoica quidem ratione) inutilem. Deinde ne utilẽ quidẽ eſſe, tametſi non Stoica ſubtilitas, ſed tantũ cõmunis ſenſus conſulatur: quòd tyranni plurimorum odijs, inſidijs, ac infinitis periculis ſint expoſiti.*

Quæq́;

Quæq́ libera eſſe debeat.) *opinione ſcilicet Romanorum. Sed fatis aliter uiſum eſt, quæ regnorũ & rerumpub. uarias eſſe uices uoluerũt, & ſummis ima uertunt, ob peccata populorum ſcilicet, & ſiderum conuerſiones, ſceleribus huiuſmodi & mutationibus diuina prouidentia deſtinatas.*

Fatales commutationes imperiorum.

Quamuis parens nominetur.) *Eſt occupatio. Turpitudinem, inquit, non excuſat aſſentatio populi, non à uero iudicio, ſed à metu profecta. Patris patriæ honorificum elogium Ciceroni, poſt oppreſſam Catilinæ coniurationem, delatum fuit. de quo Iuuenalis:*

Aſſentatio nõ tollit iniuriã.

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Honeſtate igitur dirigenda.) *id eſt, ut antè ſæpe dixit, id tantum iudicandum utile, quod eſt honeſtum: ſeu, Honeſtas eſt regula & κριτήριον utilitatis.*

Hæc duo uerba.) *Legendum utiq; : Hæc duo, ſcilicet utile & honeſtũ, diſcrepare inter ſe uerbo, re unum ſonare. Sic Græci dicunt, τῷ μὲν λόγῳ, ἔργῳ ἢ: uel, τοῖς ἔργοις δὲ.*

Vnum ſonare.) *id eſt: Honeſtum & utile ſynonyma ſunt, ſicut enſis & gladius, unius eiuſdemq́; rei duo ſunt idem ſignificantia uocabula. Aliter quidem & Peripatetici & pleriq; mortales, ut huius libri initio dictum eſt, ſentiunt: ſed Chriſtiana religio, niſi planè fallor, in hac quidem re Stoicis ſuffragatur, cũ malefactis æternas pœnas minitetur, hoc eſt, turpitudini & flagitijs: cõtraq; benefactis, hoc eſt honeſtati & uirtutibus, æterna præmia pollicetur. Quis igitur utile iudicet flagitium, exitio ſempiterno luendum, etſi ad breue tempus iucundũ & utile uideatur? Quis uirtutẽ utilem eſſe neget, cum beatam immortalitatem paritura ſit, quamuis cum breuis temporis moleſtijs & incõmodis coniunctam? Sapientis eſt, finem ſpectare: qui qualis futurus eſt, talis ipſa etiam res iudicetur. Finis autẽ improbitatis peſſimus, uirtutis optimus à diuina prouidentia eſt conſtitutus: quam qui negat, non modò non Chriſtianus, ſed ne bonus quidem uir haberi debet.*

Honeſtũ & utile ſynonyma, ſi finis ſpectatur.

Finis.

Nunc abeo ad uulgi opinionem.) *Peſſimè ſcilicet de rebus iudicantis: nec in ipſam ueritatem, ſed in fallacem tantùm ſpeciem intuẽtis. Videt populus diuitias, honores, potentiam tyrannorum: ſolicitudines, labores, pericula non uidet, quæ Dionyſius tyrannus Damocli cuidam aſſentatori ſuo callido commento demonſtrauit. de quo Horatius:*

Tyrannica felicitas ſimilis coloſſis.

Diſtrictus enſis, cui ſuper impia
Ceruice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborarunt ſaporem,
Non auium citharæq́; cantus.

Sed hæc Cicero pereleganter quinta Tuſculana.

Hunc tu quas cõſcientiæ labes.) *q. d. Etſi legũ pœnas perruperat Cæſar, tamẽ pœnã à natura & ipſo Deo conſtitutã, conſcientiã ſcelerũ & animi cruciatũ effugere nõ potuit. Vera eſt hæc ſentẽtia, exceptis iis qui à D. Paulo ἀπηλγηκότες dicũtur, quibusq́; ἀδόκιμος νοῦς et ἀμετανόητος καρδία tribuitur.*

Inſanabilia ingenia ἀνίατα, ἀδιάκριτα, ἀπηλγηκότες, ἀμετανόητοι.

Ad has animi labes, multitudine ſcelerum impreſſas, acceſsit perpetuus exitij metus. adeò ut ipſe aliquando exclamaſſe ſcribatur: Præſtare ſemel oppetere mortem, quàm in perpetuo mortis metu, et ſolicitudine tanta uiuere.

Quòd ſi hæc utilia non ſunt.) *Si regnum (inquit) malè partum, quo nihil in humanis rebus beatius habetur (de quo Pindarus:* ἄλλοι ἐπ᾽ ἄλλοισι μεγάλοι, τὸ δ᾽ ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι. *& Iſocrates:* τυραννίδα καὶ τῶν θείων ἀγαθῶν, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων μέγιστον καὶ σεμνότατον καὶ περιμαχητότατον εἶναι.) *Regnum igitur ſi & inutile & pernicioſum eſt, quis quicquã aliud turpe & iniuſtum, utile eſſe ducat?*

Quanquam id quidem.) ἀπὸ τῶν γνωμικῶν μεταβαίνει ἐπὶ τὰ παραδείγματα, *& exemplis rationes illuſtrat.*

Qui nunqnam utilitatem à dignitate.) *Et uanitatis & obliuionis hoc loco arguitur Cicero: cum ipſe nonnulla proferat exempla, in quib. ſenatus Romanus utilitatis ſpeciem & honeſtati & dignitati præpoſuerit. Neque uerò hic de iudicio & ſententia ſenatus uerba fiunt, ſed de factis, in quibus à iudicio & ſententia illa receſſerit ſenatus: ut cum uectigalia contra S.C. Syllanum exegit: cum piratas immunes, ſocios uectigales habuit: cum Carthaginem metu rebellionis deleuit: cum (etſi hoc dubium) in cauſa tranſpadanorũ Curioni eſt aſſenſus. Sed hæc nihil ad rem. Quid ni enim* ῥήτορι φιλοπάτριδι λέγειν ὑπερβολὰς *concedatur, quo minus acerbitatis habeat peracerba reprehenſio? Quid enim acerbius dici poteſt, quàm piratas à Senatu perfidia uinci? Verba quidem leuiora ſunt, ſed ſenſus huc recidit.*

Peruerſa opinio de gloria bello quęrẽda

Si gloriæ cauſa.) *Dilemmate comprobat Fabricij factum: in quo duas præcipuas expetendi imperij cauſas, gloriam & opes, quas uoluptates etiã comitantur, exponit. Sed hypotheſis hæc philoſopho probari nõ poteſt: hoc eſt, homini rationem conſulenti, non turbulentos affectus ſequẽti. Nam ſi ſuum quemq; habere iuſtum eſt: quæ in eo per uim eripiẽdo gloria eſſe poteſt? Egregiam uerò gloriam, cum iniuria coniunctam. κενοδοξία iſta eſt, & error opinionis, non minor (ſi rem ipſam ſpectes) quàm eius qui liberã ciuitatẽ armis oppreſſerit. Deinde quid intereſt, ferro an ueneno Pyrrhus interficiatur, cum Fabricius omnino uitam Pyrrhi peteret? Dolus an uirtus, quis in hoſte requirat? Sed hoc non urgeo. Nam cum certamen de potẽtia eſſet, & uiribus, uter ſcilicet plus armis poſſet, populus'ne Romanus, an Pyrrhus? turpius uideri potuit, ad malas artes & uenenum confugere, quàm aperta ui agere: & tanto quidem turpius, quanto ſceleratius eſt, inſcium aliquem, nec opinantẽ tollere & interimere, quàm ſcientem & uidentẽ. Hic enim periclitatur uterq;, & uirtuti aliquis locus relinquitur: illic minimè. Sed eſto, minus turpe ſit ferro quàm ueneno pugnare: gloria uerò quæ eſt, multos homines innocentes utrinq; interfici, uaſtari agros, incendi uillas, urbes dirui; uaſtitatem effici? Si hæc glorioſa iudicat Cicero: popularem Romanorũ opinionem potius, quàm philoſophorũ iudiciũ ſequitur. Et quidẽ ita fieri cõſueuit, ut inueterata cõſuetudo tenebras oculis mẽtis offundat, nec uera cernere patiatur. Quæ etiã*

Ciceronem aliàs populariter, aliàs philoſophicè ſcribere.

Ciceroni.

Ciceroni cauſa eſſe uidetur incõſtantiæ iſtius, ut in eodẽ Opere, eademq́; de re, aliàs ut philoſophus, aliàs ut unus quiuis è uulgo Romanorum diſputet. Recta ratio & ſyncera philoſophia nullum bellum probat, niſi quo iuſticia, religio, libertas, honeſta diſciplina defenditur. Valeant igitur iſtæ gloriæ atq; opes, et tyrannis concedantur: boni uiri pacẽ & æquitatẽ colant, quoad licet & poſſunt, & ſuo & paruo contenti: Sic multo maiorem & ueriorem gloriam cõſequentur, quàm ſi iniuſtis armis totum terrarum orbem ſubegiſſent. Legitima bella. [illegible]

Poteſt autem ulli imperio.) *Et hic turpitudinem inutilem eſſe, ut ſuprà, uulgi quoq; iudicio, oſtendit. Quo loco notetur inſigne præceptum de ſtabiliendo principatu. Imperium (inquit) diuturnum eſt, cum populus de iјs qui imperant, bene exiſtimat, eosque diligit: contraque peſſimus diuturnitatis cuſtos eſt metus. Hæc ſententia, ſecunda Demoſthenis Olynthiaca pluribus tractatur.* Imperiј ſtabiliendi ratio.

Vincat utilitas.) *Græci Rhetores deliberatiui generis, cuius in curia & concione maximus uſus eſt, finem ſtatuunt τὸ συμφέρον, quod Philippus & Curio in cauſa Tranſpadanorũ ſecuti ſunt. Cicero in Partitionibus, dignitatem, id eſt ἀξίωμα illius loco ponit. Nam hæc ipſa utilitas præſentis tantum temporis erat, neque in longitudinem conſulebat, quemadmodum qui magnis uſuris mutuam pecuniam ſumunt: qua illuſtri ſimilitudine Demoſthenes in prima Olynthiaca utitur.* Dignitas utilitate potior.

Potius diceret.) *Duplex huius dicti reprehenſio, ut & iniuſti, & imprudentis. Cæterùm parum refert, quid dicatur æquum eſſe, aut iniquum. Illud potius uidendum, quid ſit eiuſmodi. Sed tamen impudentior eſt, qui æquitati agnitæ, & à ſe ipſo confeſſæ aduerſando, & iniuriæ & uiolentiæ ſeipſe condemnat.* Aequitatem agnitam oppugnare.

CICERO.

Plenus eſt ſextus liber Hecatonis de Officiјs taliũ, quæſtionum: Sit'ne boni uiri, in maxima caritate annonæ familiam non alere? in utranque partem diſputat: ſed tamen ad extremum, utilitate putat officium dirigi magis, quàm humanitate. Quærit, ſi in mari iactura facienda ſit, equi'ne precioſi potius iacturam faciat, an ſeruuli uilis? Hic aliò res familiaris, aliò ducit humanitas. Si tabulam de naufragio ſtultus arripuerit: extorquebit'ne eam ſapiens, ſi potuerit? Negat, quia ſit iniurium. Quid dominus nauis, eripiet'ne ſuum? Minimè: non plus, quàm ſi nauigantem in alto eiјcere de naui uelit, quia ſua ſit. Quoad enim peruentum ſit eò, quò ſumpta nauis eſt,

non domini eſt nauis, ſed nauigantium. Quid, ſi in una tabula ſint duo naufragi æquè ſapientes, ſibi'ne uterq; rapiat, an alter cedat alteri? Cedat uerò, ſed ei, cuius magis interſit uel ſua, uel Reip. cauſa uiuere. Quid, ſi hæc paria in utroq;? nullum erit certamen: ſed quaſi ſorte, † aut dimicando uictus, alteri cedat alter. Quid ſi pater fana expilet? cuniculos agat ad ærarium, indicet'ne id magiſtratibus filius? Nefas id quidem eſt: quin etiam defendat patrem, ſi arguatur. Igitur patria non præſtat omnibus officijs? Imò uerò, ſed ipſi patriæ conducit, pios habere filios in parentes. Quid, ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater, ſilebit'ne filius? Imò uerò obſecrabit patrem, ne id faciat: ſi nihil proficiet, accuſabit, minabitur etiam. Ad extremum, ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris. Quærit etiam, Si ſapiens adulterinos nummos acceperit imprudens, cùm id reſcierit, ſoluturus'ne ſit eos, ſi cui debeat, pro bonis? Diogenes ait: Antipater negat, cui potius aſſentiar? Qui uinum fugiens uendat ſciens, debeat'ne dicere? Non neceſſe putat Diogenes: Antipater uiri boni exiſtimat. Hæc ſunt quaſi controuerſa iura Stoicorum. In mancipio uendendo, dicenda'ne uitia? Non ea, quæ niſi dixeris, redhibeatur mancipium iure ciuili: ſed hæc, mendacem eſſe, aleatorem, furacem, ebrioſum, alteri dicenda uidentur, † alteri dicenda non uidentur. Si quis aurum uendens, orichalcum ſe putet uendere: indicet'ne ei uir bonus aurum illud eſſe, an emat denariò quod ſit mille denariûm? Perſpicuum eſt iam & quid mihi uideatur, & quæ ſit inter eos Philoſophos, quos nominaui, controuerſia. Pacta & promiſſa ſemper'ne ſeruanda ſint, quæ nec ui, nec dolo malo (ut prætores ſolẽt dicere) facta ſint? Si quis medicamentũ cuipiã dederit ad aquam intercutẽ, pepigeritq;, ſi eo medicamento ſanus factus eſſet, ne illo unquã poſtea uteretur: ſi eo medicamẽto ſanus factus ſit, & annis aliquot pòſt inciderit in eundẽ morbum,

morbum,nec ab eo qui cum pepigerat,impetret, ut item eo liceat uti: quid faciendum ſit? cum ſit is inhumanus, qui non concedat uti, nec ei quicquam fiat iniuriæ: uitæ & ſaluti conſulendum eſt. Quid,ſi quis ſapiens rogatus ſit ab eo qui eum hæredem faciat, cum ei teſtamento ſeſtertiûm millies relinquatur, ut antequam hæreditatem adeat,luce palàm in foro ſaltet,idq; ſe facturum promiſerit,quòd aliter eum hæredem ſcripturus ille non eſſet: faciat quod promiſerat ille,nec'ne? promiſiſſe nollem,& id arbitror fuiſſe grauitatis:ſed quoniam promiſit, ſi ſaltare in foro turpe ducet,honeſtius mentietur,ſi ex hæreditate nihil ceperit, quàm ſi ceperit: niſi fortè eam pecuniam in Reipub. magnum aliquod tempus contulerit, ut uel ſaltare eum,cum patriæ conſulturus ſit,turpe non ſit. Ac ne illa quidem promiſſa ſeruanda ſunt, quæ non ſint ijs ipſis utilia,quibus illa promiſeris. Sol Phaethonti filio (ut redeamus ad fabulas) facturũ ſe eſſe dixit, quicquid optaſſet. Optauit, ut in currum patris tolleretur. † ſublatus eſt: atque is antequam conſtitit, ictu fulminis deflagrauit. Quanto melius fuerat, in hoc promiſſum patris non eſſe ſeruatum? Quid, quòd Theſeus exegit promiſſum à Neptuno? cui cum tres optiones Neptunus dediſſet, optauit interitum Hippolyti filij ſui, cùm is patri ſuſpectus eſſet de nouerca: quo impetrato, Theſeus in maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon cùm deuouiſſet Dianæ,quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno: immolauit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius: promiſſum potius non faciendum, quàm tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergo & promiſſa non facienda nonnunquam, neque ſemper depoſita reddenda ſunt. Si gladium quis apud te ſana mente depoſuerit,repetat inſaniens: reddere peccatum ſit,non reddere officiũ. Quid,ſi is qui apud te pecuniã depoſuerit, bellũ inferat patriæ, reddes'ne depoſitũ? Nõ credo. Facies enim contrà Remp. quæ debet eſſe chariſsima.

riſsima. Sic multa, quæ natura honeſta uidentur eſſe, temporibus fiunt inhoneſta. Facere promiſſa, ſtare conuentis, reddere depoſita, commutata utilitate fiunt non honeſta.

V. L. aut in micando uictus. Alteri non uidentur. Sublatus eſt, atq; quà conſtitit.

Humani ingenij caligo & affectus praui, cauſæ diſſenſionū.

Philoſophiæ & Theologiæ præſidia.

Honeſtam iacturam falſæ utilitati anteferri.

Plenus eſt ſextus liber.) *Obtuſior humani ingenij acies, res uelut nube interiecta minus acutè perſpicit, & ſæpe falſis rerum ſimulacris decipitur. Hæc potiſſima cauſa eſt quæſtionum & controuerſiarum, ut ijſdem de rebus alij aliter ſentiant ac pronuncient. Id quod fit in his quoq; quæſtionibus. Accedunt deinde ad mentis tenebras etiam prauorum affectuum nebulæ: cuiuſmodi ſunt φιλονεικίαι, φιλοτιμίαι, φιλαργυρίαι, δειλίαι, αἰσχύναι, de quibus antè dictum eſt. Hæ cauſæ ſunt, cur diſsidijs omnia perſtrepant, & Theologiæ & Philoſophiæ cognitione & executione repellēdæ. Quod autem ad dijudicationem ipſarum quæſtionum attinet, ſatis apparet, Ciceronem aſſentiri Antipatro, defendenti honeſtam iacturam & uitæ & aliarum rerum, contra turpem ſalutem & iniquum lucrum Diogenis. Cum igitur Antipatri ſententia ſacris etiam literis ſit magis conſentanea: nos quoq; eam teneamus.*

In utranque partem diſputare.

Vterq; audiendus.

In utranq; partem diſputat.) *Id eſt, rationes affert cur & alenda & deſerenda uideatur. Ad alendum incitat humanitas & æquitas: ad deſerendum, difficultas, periculum ne ipſe egeat, & maior rei familiaris quàm ſeruorum & ancillarum iactura impellit. In altera ergò parte amplificabitur honeſtas, utilitas extenuabitur: in altera cōtrarium fiet. Habent hic ſtudioſi materiam declamationum elegantem, una eademque de re in utranq; partem diſſerendi: quod quidem exercitationis genus Cicero, ac potius ſenſus communis utiliſſimum eſſe teſtatur. Etſi enim bono uiro ac prudenti una quædā certa ſententia tenenda eſt: tamen diligenter etiam uidendum, quid ab aduerſarijs dici poſſit. Imò ne certa quidem ſentētia teneri poteſt, niſi, ut autor noſter ait, utrinque facta fuerit cauſarum contentio. δεῖ γὰρ ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, etiam cum ipſe tecum deliberas. Vulgus contrà facit: altera tantum parte audita, condemnat alteram. Quare multum refert, cuiuſmodi contingant adoleſcentibus & populo magiſtri & doctores.*

Vtilitate officium dirigi.) *Id eſt, ut potius pereant fame ſerui & ancillæ, quàm ipſe aut inſigni detrimento afficiatur, aut cum ſuis liberis fame periclitetur.*

Quàm humanitate.) *Vt familia conſeruetur propter naturalem ſocietatem rationis & orationis, quæ ſeruis etiam cum dominis intercedit.*

Ipſe homo potius quid ſit, quàm quāti ſit ſpectandum.

An ſeruuli uilis.) *qui non magno uendi poſſit, utputa uiginti coronatis, cum equus ducentos ualeat. Sed in hoc mercis genere, non precium, ſed ipſa merx (ut ita dicam) ſpectanda eſt: quæ eſt animus rationis capax, unus omnibus*

nibus equis præſtantior. Deinde ſocietas illa naturalis, quæ cum ſeruulo uiliſsimo longè maior, quàm cũ equo precioſiſsimo, intercedit. Sed uidetur Hecato morem ſui temporis ſecutus, quo miſerior erat ſeruorũ quàm beſtiarum conditio: adeò ut Pollio quidam Romanus ſeruum confracto uaſe cryſtallino murænis obÿci deuorandum iuſſerit. Pollione iſto, cuius inhumanitatem ſeuerè caſtigauit Auguſtus Cæſar, non multo humaniores ſunt, qui miſeros homines ui aut dolo ad egeſtatẽ redactos, inedia & frigore conficiunt, aut belli non neceſſarÿ procellis obruunt: aut ſuorum ualetudinem non ita curant, ſi poſſunt, ut oportebat.

Negat, quia eſt iniurium.) *Sed ſuprà aliud cenſuit, quod magis interſit Reipub. uiuere ſapientem, quàm ſtultum.*

Cedat uerò.) *Verendum eſt, ne tali tempore metus mortis, & φιλαυτίæ naturalis, omnem etiam ſapientibus ex animo ſapientiam (ut Plauti uerbis utar) expectoret. Abſit, ut in tanto periculo philoſophiæ præcepta periclitemur.*

Quinetiam defendat patrem.) *Tum demum ſcilicet, ſi antè obſecrauerit ne id faciat, accuſauerit, minitatus etiam fuerit. Noſtris temporibus & legibus non eſt tutum, & rectè id quidem, huiuſmodi facinoris conſcium tacere, & non deferre ſontem.*

Igitur patria.) *ἀντίθεσις, è concluſione quæſtionis orta. Nam ſuprà ſæpe diſputatum eſt, patriam omnibus & hominibus & rebus eſſe præponẽdam, cum hîc pater uideatur patriæ anteponi.*

Imò uerò.) *λύσις, ſubtili explicatione, ubi pietas in parentes & patriam uno quaſi fine includitur. Quaſi dicat: qui pius eſt in parentes, idem etiam in patriam eſt pius. Minus firma uidetur reſponſio, quòd patria non unum, ſed multos patres continet: quibus iſte peculatus incommodat, cum filÿ pietas unico patri proſit. Ita profectò plus Reipub. incommodatur, quàm priuatim benignè fit. Sed conſilium Ciceronis ſpectandum eſt, qui propoſito exemplo, penè admirabili & abſurdo, filios ad ſummam obſeruantiam parentum, & in ferendis difficilimis etiam eorum moribus tolerantiam excitare uoluit. Hoc conſilium igitur ſpectetur potius, quàm exemplum. Quòd ſi, ut Libro ſecundo diſſeruit, impius & nefarius aliquando defendendus eſt: quis defendatur potius, quàm à filio pater?*

In unum patrem pius, in plurimos impius.

Ad ſummam parẽtum obſeruantiam excitari liberos.

Patriæ ſalutem anteponet.) *Id eſt, indicabit conatus patris magiſtratibus. Cur uerò hîc aliud decernit, quàm in exemplo ſuperiore, cum perſonæ & publicæ & priuatæ ſint eædem utrobiq;? Quia materia diuerſa: & longè maius eſt excidium aut ſeruitus patriæ, quàm ærarÿ expilatio.*

Diogenes ait, Antipater negat.) *Antipater alienam improbitatem non imitandam eſſe cenſuit: ſed potius ſiue imperitiæ ſiue imprudentiæ pœnam eſſe dandam. Præſtaret, ſi fieri poſſet, numos ei reddere, à quo accepiſſet. Poſſum & hoc loco patris mei prædicare integritatem, qui capſulam plenam adulterinis nummis quos Pazios uocant, in quæſtura ſua acceptis, reliquit,*

Nun ſed in

ſed in medio perforatis, ne cuiquam in cauto uel ab hæredibus obtrudi poſſent. Idem, ſi quid pueri domum foris inuentum afferremus, cogebat nos, ſeruo adiuncto, in eundem unde ſuſtuleramus locum reponere: adijciens, binos repertores unius eſſe furis loco. Sed ſi quid ipſum comitantes inueniſſemus in uia, τὸ ἑρμαῖον nobis non negabat, ſi eſſet eiuſmodi ut reddi non poſſet. Hæc erat & continentia hominis, & temporum diſciplina.

Adulteratio annonæ & monetæ.

Antipater uiri boni exiſtimat.) *Impoſturæ nullæ pernicioſiores ſunt, quàm adulteratio annonæ, earumq́; rerum quibus in cibo & potu utimur. Pecuniolæ iactura minus grauis eſt homini cordato & diuiti: ſed læſio ualetudinis & periculum uitæ, quod à corruptis cibis & potionibus imminet, non iniuria timetur, ſi uerè potius quàm Stoicè loquendū eſt. Et tam enquantæ impoſturæ uerſantur in uino, in aromatibus, in pharmacis, in quibuſdam ciborum generibus? Quæ utinam ſeuera magiſtratuum animaduerſione tolli poſſent.*

Non ea, quæ niſi dixeris.) *Clauſula hæc aliquid amplius poſtulat à bono uiro, quàm leges exigant: ut ſuſpicer, in uendendis mancipijs corporis tantùm, non animi etiam uitia dici neceſſe fuiſſe.*

Perſpicuum eſt iam.) *Scilicet ex cenſuris & concluſionibus aliarum quæſtionum.*

Et quid mihi uideatur.) *Aſſentitur Cicero (ut dixi) Antipatro, qui honeſtatem etiam cum incōmodo, utilitati cū turpitudine cōiunctæ, anteponat.*

Et quæ ſit controuerſia.) *Diogenes non turpe putat, tacere & diſſimulare quædam ſui commodi cauſa. Antipater nihil uult emptorem ignorare, quod uenditor ſciat, etiamſi propter indicationem illam aut nunquā, aut multo peius uenditurus empturus'ue ſit.*

Quæ nec ui nec dolo malo.) *Nā quæ quis coactus, aut callidè circumuentus promiſerat, ea iure prætorio (ut primo Libro dixit) liberabātur, id eſt prætor accuſatoria actionem non dabat, ſeu, ut Græci dicunt, οὐκ εἰσαγώγιμον ἦν τὴν δίκην ἔχειν.*

Quid faciendum ſit.) *Hactenus quæſtio.*

Cum ſit is inhumanus.) *ἀπολογία cenſuræ.*

Vitæ & ſaluti conſulendum.) *Si quæſtio hæc rectè explicata eſt à Cicerone (ſicut exiſtimo, niſi iuſiurandum interceſſerit) ne ijs quidem ſeruanda promiſſa, qui ea conditione artes aliquas bonas ſalutares docent, ne ulli mortalium communicentur. Etſi enim ex altera parte ſumma neceſſitas eſt: ex hac ſi qua ſit, tanta fortaſſe non eſt (eſſe autem & poteſt & ſolet. de bonis enim artibus loquor, & ſalutaribus) magna tamen commoditas ineſt, & illi non debent ea eſſe inhumanitate. Conſulunt artifices iſto modo aliàs quæſtui, aliàs gloriolæ ſuæ. Quod ut uenia dignum ſit: inuidia certè probari non poteſt, qua artes ſuas ſecum ſepeliri uolunt. ἱερεῖων γὰρ κοινωφελῆ βασκανίας.*

Quid, ſi quis ſapiens rogatus.) *Aut fatuum eſſe teſtatorem illum neceſſe eſt, qui tali mercede hæreditatem ſuam locet, aut tentatorem & exploratorem.*

ratorem philoſophicæ uel conſtantiæ uel auariciæ. Et quidem talia multa exempla finguntur docendi cauſa, quæ in uita communi non temerè incidunt.

Promiſiſſe nollem.) *ἐπίκρισις tripertita. Primùm, quod turpe ducas, nõ eſſe promittendum. Deinde præſtare carere pecunia, quàm ineptè facere. Poſtremò, paruum dedecus, imò ſi cauſa & finis ſpectetur, ne dedecus quidem, ſubeundum propter publicam utilitatem & neceſſitatem. Primùm membrũ diligenter tenendum eſt, ut ab omnibus promiſſis abſit temeritas: quam aut uanitas, aut periuriũ comitari fore ſolet. Ea ſimus & prudentia & animorũ cõſtantia, ut quiduis potius admittamus, quàm ea promittamus, quæ præſtare aut non poſſimus, aut non debeamus. Præclarum enim illud Iſocraticũ: Ἐμμένειν τοῖς ὅρκοις ὥσπερ ἀνάγκαις. Idq́; longè præſtat, quàm ad prætoriam liberationem, aliaúe σοφὰ φάρμακα confugere.*

Cauenda potius promittendi temeritas, quàm ad alia remedia confugicadum.

Si ſaltare in foro.) *Saltationem illam artificioſam, (cuiuſmodi hodie ferè eſt, ut opinor, Italica) Socrates cum primis ualetudini utilẽ eſſe iudicauit, quòd ea totum corpus exerceatur. Hac igitur ratione honeſta eſſe poteſt. Iam circumſtantia loci in quo ſaltetur, non tam pendet à natura, quàm ab opinione & conſuetudine. Quæ cauſa eſt, cur ἀποδεικτικῶς Cicero de ea ſcribat.*

Saltatio laudata à Socrate.

Ac ne illa quidem promiſſa.) *Hæ quæſtiones etiam primo Libro ſunt tractatæ.*

Ergo & promiſſa non facienda nonnunquam.) *ſcilicet propter aliquam circumſtantiam. Nam Zeno facit*

καθῆκον διπλοῦν {
ἄνευ περιστάσεως: οἷον ἐπιμελεῖσθαι ὑγιείας καὶ αἰσθητηρίων.
κατὰ περίστασιν: οἷον πηροῦν ἑαυτόν, καὶ τὴν κτῆσιν διαῤῥίπτειν. Sed & hæc principio tractata ſunt.

Commutata utilitate.) *Quia honeſtatis & omnium uirtutum ea uis & natura eſt, ut proſint ſemper (maius enim commodum præferunt minori) noceant autem nunquam: quòd minus incommodum grauiori malo anteponunt. Videbitur hæc ſententia παράδοξον, niſi altero παραδόξῳ fulciatur, Idem eſſe utile et honeſtum: Quicquid honeſtum ſit, id eſſe utile: Quicquid utile non ſit, ne honeſtum quidem eſſe.*

Virtutẽ ſemper eſſe utilem.

CICERO.

Ac de ijs quidem, quæ uidentur eſſe utilitates cõtra iuſticiam ſimulatione prudentię, ſatis arbitror dictum. Sed quoniã à quatuor fontib. honeſtatis primo Libro officia duximus: in eiſdem uerſabimur, cum docebimus ea quæ uidentur eſſe utilia, neq; ſunt, quum ſint uirtuti inimica. Ac de prudentia quidem, quam uult imitari malicia, itemq; de iuſticia, quæ ſemper eſt utilis, diſputatum eſt.

Reliquæ ſunt duę partes honeſtatis,quarum altera in animi excellentis magnitudine & præſtantia cernitur,altera in confirmatione & moderatione continentiæ & temperantię. Vtile uidebatur Vlyſsi (ut quidam poetæ Tragici prodiderunt: nam apud Homerum,optimum autorem,talis de Vlyſſe nulla ſuſpicio eſt,) ſed inſimulãt eum tragœdiæ,ſimulatione inſaniæ militiam ſubterfugere uoluiſſe. Non honeſtum conſilium. At utile, ut aliquis fortaſſe dixerit, regnare, & Ithacæ uiuere ocioſe cum parentibus, cum uxore, cum filio. An ullum tu decus in quotidianis periculis & laboribus cum tranquillitate hac conferendum putas? Ego uerò iſtam contemnendam & abijciendam: quoniã quæ honeſta non ſit, ne utilem quidem eſſe arbitror. Quid enim auditurum putas fuiſſe Vlyſſem, ſi in illa ſimulatione perſeueraſſet? qui cum maximas res geſsiſſet in bello, tamen hæc audiuit ab Aiace:

Cuius ipſe princeps iuriſiurandi fuit,
Quod omnes ſcitis,ſolus neglexit fidem.
Furere aſsimulauit:ne quò iret,inſtitit.
Quod ni Palamedis perſpicax prudentia,
Iſtius percepſet malicioſam audaciam,
Fide ſacratum ius perpetuò falleret.

Illi uerò non modò non hoſtibus, uerùm etiam cum fluctibus,id quod fecit,dimicare melius fuit, quàm deſerere conſentientem Græciam ad bellum Barbaris inferendum. Sed omittamus & fabulas,& externa: ad rem factam, noſtramq; ueniamus. M. Attilius Regulus, cum Conſul iterum in Aphrica ex inſidijs captus eſſet, duce Xanthippo Lacedæmonio,imperatore autẽ patre Annibalis Amilcare,iuratus miſſus eſt ad Senatũ: ut niſi eſſent redditi Pœnis captiui nobiles quidam, rediret ipſe Carthaginem. Is cum Romam ueniſſet, utilitatis ſpeciẽ uidebat, ſed eam (ut res declarat) falſam iudicauit, quæ erat talis: Manere in patria,eſſe domi ſuę cum uxore,cum liberis: quam

ris:quam calamitatem accepiſſet in bello,communem fortunæ bellicę iudicantem, tenere conſularis dignitatis gradum. Quis hæc neget eſſe utilia? Quem cenſes? Magnitudo animi,& fortitudo negat. Num locupletiores quæris autores? Harum enim eſt uirtutum proprium,nihil extimeſcere,omnia humana deſpicere:nihil,quod homini accidere poſsit,intolerãdum putare. Itaq; quid fecit? In Senatum uenit,mandata expoſuit, ſententiam ne diceret recuſauit: quoniam, dum iureiurando hoſtium teneretur, non eſſe ſe ſenatorem. Atq; illud etiam (ô ſtultum hominem,dixerit quiſpiam,& repugnantem utilitati ſuæ) reddi captiuos,negauit eſſe utile. illos enim adoleſcentes, & bonos duces eſſe: ſe iam confectum ſenectute. Cuius cùm ualuiſſet autoritas,captiui retenti ſunt,ipſe Carthaginem rediit. Neq; eum charitas patrię retinuit,nec ſuorũ. Neq; uerò tum ignorabat,ſe ad crudeliſsimũ hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci. Sed iuſiurandum cõſeruandũ putabat. Itaq; tum,inquam,cum uigilãdo necabatur,erat in meliore cauſa, quàm ſi domi ſenex captiuus, & periurus conſularis remanſiſſet. At ſtultè, qui non modò non cenſuerit captiuos remittendos,uerùm etiam diſſuaſerit. Quomodo ſtultè? etiam'ne,ſi Reipub. conducebat? Poteſt autem,quod inutile Reipub. ſit, id cuiquam ciui utile eſſe? Peruertunt homines ea quæ ſunt fundamenta naturæ,cum utilitatem ab honeſtate ſeiungunt. Omnes enim expetimus utilitatem,ad eam'q; rapimur,nec facere aliter ullo modo poſſumus. Nam quis eſt,qui utilia fugiat: aut quis potius, qui ea non ſtudioſiſsimè perſequatur? Sed quia nuſquam poſſumus niſi in laude,decore, honeſtate, utilia reperire: propterea illa prima & ſumma habemus, utilitatis nomen non tam ſplendidum quàm neceſſarium ducimus. Quid eſt igitur, dixerit quis, in iureiurando? Num iratum timemus Iouem? At hoc quidem commune eſt omnium Philoſophorum, non eorum modò qui Deum nihil habere ipſum negocij dicunt, & nihil exhibe

re alteri: ſed eorum etiã, qui Deum ſemper agere aliquid, & moliri uolunt, nunquam nec iraſci Deum, nec nocere. Quid autem iratus Iupiter plus nocere potuiſſet, quàm nocuit ſibi ipſe Regulus? Nulla igitur uis fuit religionis, quæ tantam utilitatem peruerteret. An, ne turpiter faceret? Primùm minima de malis. Num igitur tantum mali turpitudo iſta habebat, quantum ille cruciatus? Deinde illud etiam apud Accium:

Fregiſti'ne fidem? neq; dedi, neq; do infideli cuiquam.

quanquam ab impio rege dicitur, luculentè tamẽ dicitur. Addũt etiã, quemadmodũ nos dicamus, uideri quędã utilia quæ nõ ſint: ſic ſe dicere, uideri quædã honeſta quę nõ ſint. ut hoc ipſum uidetur honeſtũ, conſeruandi iuriſiurandi cauſa, ad cruciatũ reuertiſſe. Sed ſit non honeſtum: quia quod per uim hoſtiũ eſſet actũ, ratũ eſſe non debuit. Addunt etiam: quicquid ualde utile ſit, id fieri honeſtum, etiamſi antea nõ uideretur. Hæc ferè contra Regulũ. Sed prima uideamus. Nõ fuit Iupiter metuẽdus, ne iratus noceret: qui nec iraſci ſolet, nec nocere. Hæc quidẽ ratio nõ magis cõtra Regulũ, quàm cõtra omne iuſiurandũ ualet. Sed in iureiurãdo, nõ qui metus, ſed quæ uis ſit, debet intelligi. Eſt enim iuſiurandum affirmatio religioſa: Quod aũt affirmatè & quaſi Deo teſte promiſeris, id tenẽdũ eſt. Iam enim non ad iram Deorum, quę nulla eſt: ſed ad iuſticiam, & ad fidem pertinet. Nam præclarè Ennius:

O' fides alma, apta pinnis, & iuſiurandum Iouis.

Qui igitur iuſiurandum uiolat, is fidem uiolat, quam in Capitolio, uicinam Iouis Optimi Maximi (ut in Catonis oratione eſt) maiores noſtri eſſe uoluerunt. At enim ne iratus quidẽ Iupiter plus Regulo nocuiſſet, quàm ſibi nocuit ipſe Regulus. Certè, ſi nihil malum eſſet, niſi dolere. Id autem non modò non ſummum malum, ſed ne malum quidẽ eſſe, maxima autoritate philoſophi affirmãt. Quorũ quidẽ teſtẽ nõ mediocrẽ, ſed haud ſcio an grauiſsimũ, Regulũ, nolite quęſo uituperare. Quẽ enim locupletiorẽ

quærimus,

quærimus,quàm principem pop. Rom. qui retinendi officij cauſa,cruciatum ſubierit uoluntarium? Nam,quod aiunt,minima de malis,id eſt,ut turpiter potius quàm calamitoſe: an eſt ullum maius malum turpitudine? Quę ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis: quanta illa deprauatio & fœditas turpificati animi debet uideri? Itaq;, neruoſius qui illa diſſerunt, ſolum audent malū dicere id quod turpe ſit. Qui aūt remiſsius,hi tamen non dubitant ſummum malum dicere.Nam illud quidem,

Neq; dedi,neq; do fidem infideli cuiq;: idcirco rectè à Poeta dicitur: quia cum tractaret Atreus, perſonæ ſeruiendū fuit.† Sed ſi hoc ſibi ſumant, nullam eſſe fidē, quæ infideli data ſit: uideant,ne quęratur latebra periurio.Eſt aūt etiam ius bellicum, fides'q; iuriſiurandi ſæpe hoſti ſeruanda. Quod enim ita iuratū eſt, ut mens cōciperet fieri oportere: id obſeruandum eſt.Quod aliter,id ſi non feceris,nullum periurium eſt. Vt,ſi prædonibus pactum pro capite precium non attuleris: nulla fraus eſt, ne ſi iuratus quidem id non feceris. Nam pirata non eſt ex perduelliū numero definitus, ſed cōmunis hoſtis omniū. Cum hoc nec fides eſſe debet,nec iuſiurandum cōmune. Non enim falſum iurare,peierare eſt: ſed, quod ex animi tui ſententia iuraueris,ſicut uerbis concipitur, more noſtro: id nō facere,periurium eſt. Scitè enim Euripides:

Iuraui lingua,mentem iniuratam gero.

Regulus uerò non debuit conditiones pactiones'que bellicas & hoſtiles perturbare periurio. Cum iuſto enim & legitimo hoſte res gerebatur:aduerſus quem & totum ius fœciale,& multa ſunt iura cōmunia. Quod ni ita eſſet nunquam claros uiros Senatus uinctos hoſtibus dediſſet. At uerò Titus Veturius, & Sp.Poſthumius, quum iterum conſules eſſent,quia quum malè pugnatum apud Caudium eſſet, legionibus noſtris ſub iugum miſsis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti ſunt his. Iniuſſu enim populi, Senatus'que fecerant: eodem'que tempore

Titus

Titus Numitius, Q. Aemilius, qui tum tribuni plebis erant, quòd eorum autoritate par erat facta, dediti ſunt, ut par Samnitium repudiaretur. Atq; huius deditionis ipſe Poſthumius, qui dedebatur, ſuaſor & autor fuit. Quod idem multis annis pòſt C. Mancinus, qui, ut Numãtinis, quibuſcum ſine Senatus autoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationẽ ſuaſit eam, quam Lucius Furius & Sextus Attilius ex ſenatuſconſulto ferebant: qua accepta, eſt hoſtibus deditus. Honeſtius hic, quàm Q. Pompeius: quo, cum in eadem cauſa eſſet, deprecante, accepta lex nõ eſt. Hic ea quæ uidebatur utilitas, plus ualuit, quàm honeſtas. Apud ſuperiores utilitatis ſpecies falſa, ab honeſtatis autoritate ſuperata eſt. At non debuit ratum eſſe, quod erat actum per uim. Quaſi uerò forti uiro uis poſſit adhiberi? Cur igitur ad Senatum proficiſcebatur, cum præſertim de captiuis diſſuaſurus eſſet? Quod maximũ in eo eſt, id reprehenditis. Non enim ſuo iudicio ſtetit: ſed ſuſcepit cauſam, ut eſſet iudicium Senatus. Quòd ſi ipſe autor fuiſſet, captiui profectò Pœnis redditi eſſent: ita incolumis in patria Regulus reſtitiſſet. Quod quia patrię non utile putauit: idcirco honeſtum ſibi & ſentire illa, & pati credidit. Nam, quòd aiũt, quod ualde utile ſit, id fieri honeſtum: imò uerò eſſe, non fieri. Eſt enim nihil utile, quod idem non honeſtum: nec quia utile, honeſtum eſt: ſed quia honeſtum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis, haud facilè quis dixerit, hoc exemplo aut laudabilius, aut præſtantius. Sed ex tota hac laude Reguli, únum illud eſt admiratione dignum, quòd captiuos retinendos cenſuerit. Nam quòd redijt, nobis nũc mirabile uidetur: illis quidẽ temporibus aliter facere non potuit. Itaq; iſta laus non eſt hominis, ſed temporum. Nullum enim uinculum ad aſtringendam fidem iureiurando maiores arctius eſſe uoluerunt. Id indicant leges in duodecim tabulis, indicant ſacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte deuincitur fides: indicant notationes, animaduerſionésq;

uerſionesq́ cenſorum, qui nulla de re diligentius quàm de iureiurando iudicabant. L. Manlio, Auli filio, quum Dictator fuiſſet, M. Pomponius tribunus plebis diem dixit, quòd is paucos ſibi dies ad dictaturam gerendam addidiſſet. Criminabatur etiam, quòd Titũ filium, qui Torquatus poſtea eſt appellatus, ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare iuſsiſſet. Quod cùm audiuiſſet adoleſcens filius, negocium exhiberi patri, accurriſſe Romam, & prima luce Pomponij domum ueniſſe dicitur. Cui quum eſſet nunciatum, quòd illum iratum allaturũ ad ſe aliquid contra patrem arbitraretur: ſurrexit è lectulo, remotisq́ arbitris, ad ſe adoleſcentem iuſsit uenire. At ille, ut ingreſſus eſt, confeſtim gladium diſtrinxit, iurauitq́ ſe illũ ſtatim interfecturum, niſi iuſiurandum ſibi dediſſet, ſe patrem miſſum eſſe facturum. Iurauit, hoc terrore coactus Pomponius: rem ad populum detulit: docuit, cur ſibi à cauſa deſiſtere neceſſe eſſet: Manlium miſſum fecit. Tantum temporibus illis iuſiurandum ualebat. Atque hic T. Manlius is eſt, qui ad Anienem Galli, quem ab eo prouocatus occiderat, torque detracto, cognomen inuenit: cuius tertio conſulatu, Latini ad Veſerim fuſi & fugati ſunt. Magnus uir in primis, & qui perindulgẽs in patrem, idẽ acerbus & ſeuerus in filium. Sed ut laudãdus Regulus in conſeruando iureiurando: ſic decem illi, quos poſt Cannenſem pugnam iuratos ad Senatum miſit Hannibal, ſe in caſtra redituros ea, quorum erant potiti Pœni, niſi de redimendis captiuis impetrauiſſent: ſi non redierunt, uituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus autor in primis, ſcribit, ex decem nobiliſsimis, qui tunc erant miſsi, nouem reuertiſſe, à ſenatu re nõ impetrata. Vnum ex decem, qui paulo pòſt quàm egreſſus erat è caſtris, redijſſet: quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe. Reditu enim in caſtra, liberatum ſe eſſe iureiurando interpretabatur. Nõ rectè. Fraus enim diſtringit, non diſſoluit periurium. Fuit igitur ſtulta calliditas,

peruerſè imitata prudentiã. Itaq; decreuit Senatus, ut ille ueterator & callidus, uinctus ad Hannibalẽ reduceretur. Sed illud maximum. Octo hominũ millia tenebat Hannibal, non quos in acie cæpiſſet, aut qui periculo mortis diffugiſſent: ſed qui relicti in caſtris fuiſſent, à Paulo & Varrone conſulibus. Eos Senatus non cenſuit redimendos, cum id parua pecunia fieri potuiſſet: ut eſſet inſitũ militibus noſtris aut uincere, aut emori. Qua quidẽ re audita, fractũ animũ Hannibalis ſcribit idem, quòd Senatus populusq; Rom. rebus afflictis tam excelſo animo fuiſſet. Sic honeſtatis cõparatione ea quæ uidẽtur utilia, uincuntur. Acilius autem, qui Græcè ſcripſit hiſtoriã, plures ait fuiſſe, qui in caſtra reuertiſſent, eadẽ fraude, ut iureiurando liberarentur: eosq; à Cenſoribus, omnib. ignominijs notatos. Sit iam huius loci finis. Perſpicuũ eſt enim, quæ timido animo, humili, demiſſo fractoq; fiant (quale fuiſſet Reguli factũ, ſi aut de captiuis, quod ipſi opus eſſe uideretur, nõ quod reipublicæ, cẽſuiſſet: aut domi remanere uoluiſſet) nõ eſſe utilia, quia ſunt flagitioſa, fœda & turpia.

V. L. Sed ſi hinc ſibi ſumant.

Ac de ijs quidẽ.) *Tranſitio à quæſtionib. prudẽtiæ ac iuſticiæ, ad cõtrouerſias fortitudinis et temperãtiæ, cũ illæ uirtutes utilitati repugnare uidẽtur.*

Lucra, quies, uoluptates, quatenus appetenda.

Simulatione prudentiæ.) *Cuius quidẽ ſimulationis ſeu ψευδοφρονήσεως (ſi nouũ uocabulũ fingere liceat) falſum iudiciũ, iniqua lucra iuſticiæ, quietẽ et ociũ fortitudini, tẽperantiæ uoluptates anteponit ἁπλῶς. Nam facit illud ipſum uera quoq; prudẽtia, ſed μετὰ προσδιορισμοῦ καὶ κατὰ καιρόν: ut lucrũ, ociũ, uoluptates, aut cũ honeſtate cõiungantur, aut certè turpitudine careãt.*

Malicia ſimulatrix prudentiæ. Iuſticia ſemper utilis.

Ac de prudentia.) *In hac tranſitione cũprimis notentur duæ breuiuſculæ, ſed plenæ grauitatis ſententiæ. Prior, maliciam ſimulatricem eſſe, & uelle imitari prudentiã: altera, iuſticiã ſemper eſſe utilem. Valent hæ ad cõtemnendam calliditatis arrogantiã, & ad iuſticiæ perpetuam cõmendationem.*

Exẽpla hiſtoriarum & poematum.

Vtile uidebatur Vlyſsi.) *Exẽpla profert primũ de fortitudine, cui ſpecies utilitatis uel propoſita, uel poſthabita fuerit. Lectio poetarum & hiſtoricorum, præter alias utilitates, hunc etiam fructum affert, quòd magnam exemplorũ copiam ſuppeditat: quibus præcepta de officijs in utramq; partem illuſtrantur.*

Apud Homerũ, optimũ autorẽ.) *ſcilicet fabularũ, & artificij poetici, non aũt hiſtoriarũ. Appellatur idem à Iuriſconſultis omnis uirtutis parẽs, propter & exẽpla & præcepta.*

Sed

Sed inſimulant eum Tragœdiæ.) *Poetæ & de Dijs & de hominibus impunè mentiuntur. Niſi fortè Pythagoram audiamus, qui Homeri animam apud inferos, de arbore ſuſpenſam, pœnas dare impietatis & uanitatis affirmauit. Noſtra ætate non tutum eſt in eos ſcribere, qui poſſunt proſcribere. Neq; olim etiam omnibus id profuit. Sed hoc nihil ad rem. Illud noſtri inſtituti eſt, ſcriptis poetarum nõ temerè habendam eſſe fidem, quæ ſæpè etiam ab hiſtoricis non præſtetur.* Poetarum & hiſtoricorũ uanitas.

An ullum tu decus.) *Si gloriæ cupiditatem & ambitionem ſuſtuleris, nullum profectò, ſi abſit laborandi & periclitãdi neceſſitas. Fortitudo enim afflictarum rerum & miſeriæ humanæ, remedium quoddam à Deo data eſt: ſicut Temperantia proſperarum, & ad uoluntatem noſtram fluentium. Iuſticia uerò, propter ſocietatem commoditatemq́; uitæ, cui etiam Prudentia ſeruit, expetitur. Itaq; ſi uerè conſideres, ſola ſapientia & contemplatio cœleſtium, diuinarum & naturalium rerum per ſe expetitur, atq; unica eſt, Ariſtotele autore, felicitatis humanæ perfectio. Nam reliquæ uirtutes uitæ neceſſitatibus ſeruiunt.* Aerumnoſæ uirtutes, præter cœleſtiũ rerum contemplationem.

Ego uerò iſtam.) *Non utiq; ἁπλῶς, ſed κατά τι. Quid enim optabilius tranquillitate?*

Quid enim auditurum putas.) *Transit ἀπὸ τοῦ φύσει καλοῦ ἐπὶ τὸ σὺμ νόμῳ ἔνδοξον: ac ſæpè inter ſe permiſcet naturale decus honeſtatis, et popularẽ opinionem, quæ in iudicando non ſemper regulam naturæ ſequitur.*

Quàm deſerere conſentientem.) *Hæc uera cauſa fuit, & neceſſaria, quotidianos labores & pericula tranquillitati illi præferendi: quæ tum inhoneſta fuiſſet, præſertim cum periurio cõiuncta. Nam alioqui diſputari poſſet, rectè ne feciſſent Græci, qui propter impudicam, quantumuis formoſam, mulierculam, tot clades & ſibiipſis & Barbaris intuliſſent. Qua de re libet Herodoti uerba aſſcribere, libri 1. initio: τὸ μὲν νῦν ἁρπάζειν γυναῖκας, ἀνδρῶν ἀδίκων ἔργον νομίζειν εἶναι. τὸ δὲ ἁρπασθεισέων σπουδὴν ποιήσασθαι τιμωρέειν, ἀνοήτων: τὸ δὲ μηδεμίαν ὤρην ἔχειν ἁρπασθεισέων, σωφρόνων. δῆλον γὰρ δή, ὅτι εἰ μὴ αὐταὶ ἐβουλέατο, οὐκ ἂν ἡρπάζοντο. σφέας μὲν δὴ τοὺς ἐκ τῆς Ἀσίας λέγουσι Πέρσαι, ἁρπαζομενέων τῶν γυναικῶν, λόγον οὐδένα ποιήσασθαι. Cenſent & Troiani ſenes Helenam quamuis formoſam reſtituendam potius, quàm ſalutem patriæ propter eam periclitandam. Sed tranſlatione hîc uti licet. non de muliercula fuiſſe bellum, ſed de iniuria ulciſcenda, καὶ τοῦ μὴ περιορᾶν τὴν Ἑλλάδα ὑβριζομένην ὑπὸ τῶν Βαρβάρων.*

M. Attilius Regulus.) *A fabuloſo & externo exemplo, tranſit ad domeſticas hiſtoricas. Reguli autem hoc factum olim etiam in quæſtionẽ fuiſſe uocatum, ex hac diſceptatione Ciceronis apparet: in qua explicanda, cum perſpicua ſit, non immorandum eſſe duxi. Illud tantum breuiter notandum, qui eum male feciſſe putant, dicere, factum illud fuiſſe profectum aut à falſæ cuiuſdam gloriæ choragio, aut ex animo decepto Stoicis opinionibus, aut ex aliqua ſuperſtitione, aut ex metu alicuius futuri priuati periculi uel ignominiæ.* Regulus cur reprehenſus.

Factum Reguli heroicum, ſi à uero conſilio profectum.

Sed humanitatis eſt, & æquitatis, ea facta, quorum conſilia incerta & obſcura ſunt, in meliorem partē interpretari. Si igitur hi priuati affectus excludantur: heroicè omninò fecit Regulus, publica utilitate priuatis commodis anteponenda. Nam uulgus hominum auidè amplexum eſſet occaſionem oblatam ultrò, & iuriſiurandi ſeruandi, & domi manendi. Quorum utrunq; ſumma ſenatus uoluntate, captiuis redditis, Regulo conſequi licuiſſet.

Magnitudo animi.) *Rempublicam ocio priuato præferentis.*

Nihil extimeſcere.) *Sunt hæc è paradoxis Stoicorum deprompta: & magnificentius, opinor, quàm uerius dicuntur.*

Negauit eſſe utile.) *Cur igitur paulo antè, ſententiam ne diceret, recuſauit? fortaſsis non pro autoritate ſenatoris, ſed ut homo priuatus, non in ſenatu, ſed in congreſſu cum familiaribus hoc dixit. Quanquam poſtea ſcribit Cicero, eius autoritatem ualuiſſe. Sed hoc parum ad rem.*

Erat in meliori cauſa.) *rectius fecit, meliorem cauſam habuit. Sed uidetur id potius dicere: Regulum in illis cruciatibus feliciorem fuiſſe, propter uirtutem. Sic alibi ſcribit Epicurum deridentem, ut opinor, Stoicos, affirmare, ſapientem etiam in taurum Phalaridis coniectum, dicturum eſſe, Quàm ſuaue eſt hoc? Prior interpretatio facilè concedi poteſt: poſterior uerò uix, ac ne uix quidem, niſi præmium uirtuti poſt obitum decernatur.*

Beatitudo in tauro Phalaridis.

At ſtultè.) *Crebræ ſunt hic ἀντιθέσεις καὶ λύσεις, cuiuſmodi ſuprà etiam uidimus in diſceptatione Diogenis et Antipatri. In his operæprecium eſt, obſeruare Dialecticum & Rhetoricum artificium: quod pluribus perſequi, nos inſtituta hoc tempore breuitas non ſinit.*

Id cuiquam ciui.) ἔμφασις *uocabuli cōſideretur. Vt enim ſuprà dictum eſt, ſæpe aliud homini, quatenus ſolus & per ſe conſideratur, conducit: aliud, quando cum alijs hominibus confertur, ac præſertim cum Republica. Sententia igitur eſt, publicam & priuatam utilitatem, homini, quatenus ciuis ſit, eandem eſſe. Qua de re apud Arrianum elegans extat diſputatio, qua per inductionem quandam probatur, uniuerſi ſeu totius commodum pluris eſſe quàm partium.*

Peruertunt homines ea.) *Redit ad utilitatis definitionem, ſæpè iam inculcatam illam quidem, ſed haud ſcio an ſatis perſuaſam plerìſque: Idem eſſe utile quod honeſtum, & contrà. Permulti enim in rebus iſtis, quæ à Philoſophis etiam Fortunæ ludibria dicantur, peccari grauiter non exiſtimant. Itaq; mentiuntur, fallunt, rapiunt, furantur, laſciuiunt ubi commodum eſt. Fecerunt ſcilicet idem multi æquè boni.*

Omnes enim expetimus.) *Vtilitatem hic appellat quod Ariſtoteles* ἀγαθὸν, *quod ſic definitur:* τ' ἀγαθὸν, ὃ πάντα ἐφίεται. *cuius definitionis præclara extat apud Simplicium declaratio, qua oſtendit etiam atrociſsima quæq; & pernicioſiſsima facta, referri, licet opinionis errore, ad bonum aliquod.*

Niſi.

Niſi in laude.) *Quomodo idem ſit honeſtas & utilitas, quomodo inter ſe differãt, ſuprà dictũ eſt: ſi ſcilicet omnes noſtræ actiones ὑπὲρ τὴν ἀγαθο κοινωνίαν τοῦ θεοῦ referantur.*

Nunquam nec iraſci.) *Hi enim hominum affectus ſunt, eorumq́; minus ſapientum. Cum autem ſapientiſſimæ & beatiſſimæ illi naturæ hi tribuuntur, ſiue in ſacris ſiue in profanis literis: intelligendum eſt, ſignificari prouidentiam & ordinationem diuinam, qua & pœnæ improbis, & præmia bonis decreta ſint, ſuo tempore percipiẽda. Quod ut rectius intelligatur, lex conſideranda eſt, quæ maleficos ſine ulla acerbitate odij capite mulctat. Sed & hæc multò antè dicta ſunt.* Ira Dei.

Hæc quidem ratio.) *Epicureæ diſputationes & ratiunculæ, ſpecioſæ magis quàm ueræ, & populo quàm philoſophis probatiores, omnem iuriſiurandi religionem, quæ ſocietatis humanæ uinculum eſt, tollunt. Pernicioſæ igitur ſunt & falſæ, ideoq́; repudiandæ. Quomodo noceat Deus, id quoq; antè dictum eſt: cum homines, ſuapte temeritate, in pœnas diuinitùs conſtitutas, incurrunt.*

Sed ad iuſticiam & fidem.) *Sententia peruulgata iam in hac doctrina: Rectè faciendum eſſe ob hoc ipſum, quòd deceat, naturæq́; conueniat: non autem uel commodi ſpe, uel ſupplicij metu. Nos autem & Sacræ literæ, et profanæ hiſtoriæ etiam docent, periurium grauiter uel in poſteris ſæpè eſſe uindicatum. Id quod Delphicum oraculum Crœſo reſpondit, de iniquitate fortunæ ſuæ conquerenti: & Glauco, uel cogitati periurij gratiam non fecit.*

Quæ nulla eſt.) *Ita ſcilicet nulla, ut æquæ legis: cuius tamen ſeueritatem experiuntur magno ſuo cum luctu malefici.*

Maiores noſtri eſſe uoluerunt.) *Horum autoritatem opponit cauillationibus impijs Epicureorum: qui cum religione nõ moueantur, pœnis ſunt cohercendi, & in Iouis locum carnifex ſubſtituendus, tribus periuris digitis amputatis. Quod ſi fieret: quàm multi eſſent manci, qui nunc ſunt integri?*

At enim ne iratus.) *Hactenus primum argumentum confutatum eſt diſtinctione quadam, ſeu inficiatione: Qui fidem ſeruet, eum non tam Deorum metu, quàm turpitudinis moueri. Nunc addit confutationem ſecundi, priori non diſſimilem. Turpitudinem quouis ſupplicio eſſe grauiorem.* Turpitudo quouis ſupplicio grauior.

Sed ne malum quidem eſſe.) *Quia ſcilicet nihil bonum ſit, niſi uirtus: nihil malum, niſi uitium: cætera omnia per ſe neutra & indifferentia eſſe, ac bona aut mala fieri pro animo utentis: ut ſi dolorem propter honeſtam cauſam infracto animo perferas, bonum eſſe: contraq́; malum, ſi effœminatè, & propter facinus. Hac de re conſulatur tabula Cebetis, quæ quidem nimis Stoicè & rigidè, contraq; naturæ iudicium decernere uidetur. Nam uita & ſanitas per ſe bonæ ſunt, contraq́; mors & ægrotatio malæ: quia illas natura aſciſcit, has auerſatur. Iam uitia hominum in ipſas res trãsferre, ſophiſticum & ſycophanticum eſt. Qua ratione tamen hæc ſententia defendi poſſet: ſuprà eſt ſatis, ut opinor, explicatum.* Indifferentia, quibus & bene male uti licet.

Stoicæ doctrinæ perpauca exempla.

Quorum quidem teſtem.) *Faceta petitio. quaſi dicat, Stoici perpauca doctrinæ ſuæ exempla proferre poſſunt. Quæ quidem tacita confeſsio eiuſmodi eſt, ut ſatis appareat, παράδοξα illorũ ipſius naturæ iudicio refutari. Quis enim credat, eius doctrinæ, quæ cum ratione naturaq; conſentiat, nullũ exemplum reperiri? Neq; Epictetus, qui omnibus modis hominem in Deũ quendã transformare ſtudet, cùm urgetur ab aduerſario, ullũ Stoicæ doctrinæ exemplũ proferre poteſt, Socrate & Diogene exceptis. In quorũ tamẽ & doctrina & morib. (ſi quis liberè uereq; iudicet) multa fortaſſe reprehendẽda inueniãtur. Nec tamen eas ego propterea magis reprehendo, quàm Ciceronianũ oratorem, ſic exornatum, ut eius ſimilis neq; fuerit hactenus quiſquã, nec in poſterum ſit futurus. Præcepta enim tanquam archetypa perfectiora & ſplendidiora eſſe oportet exemplis, inde expreſsis.*

Nam quod aiunt.) *Epicureorum cauillationes cum plures eſſe uideantur, in idem tamen recidunt, ab ipſorum dogmate ortæ ſcilicet: uoluptatem ſummum eſſe bonum, eóque ſemper eſſe conſectandam. Eodem modo confutationes etiam è Stoico dogmate petitæ, unius generis ſunt, honeſtatẽ uel cum ſummis cruciatibus expetendam: & uoluptates cum turpitudine coniunctas, ſeuerisſimè aſpernandas. Rectius utique ſentiunt Stoici, modò neceſsitas talis proponatur, ut non niſi per cruciatum, turpitudinem & dedecus poſſis effugere? Quæ ſi abfuerit, temeritatis fuerit, ultrò ſibi perniciem accerſere; ſtuporis & rigoris, neceſſarijs & à Deo naturaq; conceſsis uoluptatibus ultrò ſe priuare. Niſi fortè id uel exercitationis ad uirtutem gratia, uel alia grauiore de cauſa fiat: ut in luctu & pœnitentia peccatorum & periculis & corporis laſciuia.*

Stoica ſententia quatenus probanda.

Aſpectus animi è forma corporis æſtimandus.

Quæ ſi in deformitate.) *Sicut Libro primo, uirtutem, ſi oculis cernere tur, incredibiles ſui amores excitaturam, Platone autore, dixit: ita hîc etiam à corpore, quod in ſenſus incurrit, ad animum intuendum lectorem traducit. Et quidem utilis eſt hæc meditatio, & homine dignisſima, ut animus à ſenſibus auocetur, & uelut in ſe ipſo collectus, acie mentis ea intueatur quæ perſpici oculis non poſſunt. Proponite igitur uobis corpus aliquod enormi magnitudine, tetro colore, diſtortis & inæqualibus membris, mutilatum, uarijs ulceribus, uulneribus, cicatricibus deformatũ. Huic igitur aut ſimili cuipiam monſtro, comparabitis nefariũ Neronis & aliorum ſceleratorum animum.*

Monſtroſi animi ſimulacrum.

Itaq; neruoſius.) *Sententia eſt, non tantùm rationibus conuinci, ſed & Peripateticorum & Stoicorum autoritate opprimi Epicureos, &c.*

Frangenti fidẽ an ſeruanda fides?

Nam illud quidem.) *Erudita interpretatio dicti poetici, quo etiam Epicurei Regulum ſtulticiæ conuincere conabantur, quaſi fœdifragis pœnis nulla neceſsitate fidem ſeruarit, cum eorum leuitatem & perfidiam ſine fraude imitari licuiſſet. Reſpondet, primùm poetam non ex animo id dixiſſe, ſed perſonæ decorum obſeruaſſe. Deinde, à conſequentibus id dictum uituperat. Poſſit & illud addi, Pœnos ut alijs fidem fregerint, Regulo non fregiſſe.*

Ne quæratur latebra periurio.) *Quod quidem facilè & crebrò fit.*

Nullæ

Nullæ enim ſyngraphæ tam accuratè cõfici poſſunt, quin ſycophantæ rimam aliquam inueniant, qua elabantur: ea crimina in aduerſarios cõferendo, quæ in ipſis potius hærent, &c.

Eſt autem etiam ius bellicum.) *Hoc opponitur dicto Poetæ, ut longè grauius.*

Sæpè cum hoſte.) *Videtur τὸ Sæpè, redundare, niſi fortè exceptionem complectatur, ſi hoſtis prior fidem fregerit. Deinde, ſeruare fidem cum hoſte, inſolentius dictum uidetur, pro etiam hoſti fidem ſeruare: & habent nonnulli codices, Seruare fidem hoſti.*

Vt mens conciperet.) *Ego uerò quid mens tua conceperit, non uideo: quid lingua dixerit, audio: & id quod audio, mentem etiam concepiſſe tuam exiſtimo. Nam alioqui perinde erit iuraſſe, ac non iuraſſe. Sed uidetur de uiro bono & prudente, ac potius de iudicio incorruptæ mentis omnium hominum loqui Cicero. quaſi diceret: Seruandum eſt quicquid rectè iuratum eſſe, ipſa ratio conuincit.* Mentem id concepiſſe, quod lingua nuncupetur, probabile.

Vt ſi prædonibus.) *Non hîc omnes Ciceroni aſſentiuntur, ut & primo libro dictum eſt. Datur enim capto à prædonibus optio, malit'ne pecuniam pendere, an uitam perdere? Deinde iuriſiurandi religio antiquior pecunia eſſe debet. Quanquam quæ potuit apud eos eſſe iuriſiurandi religio, qui Iouem non iraſci, id eſt, nullas eſſe pœnas impietati & periurio diuina prouidentia conſtitutas opinababitur? Nobis autem, ſi quid in Chriſtianiſmo proferimus, eadem licentia non eſt uſurpanda. Felices quidem ſunt, quibus nihil eſt cum iſtis negocij. Sed ſi in eos incideris: exiſtere uidetur τὸ τῶν περιστικῶν κινδύνων. Adhæc, non turpitudo tantum, & impietas, ſed etiam periculum eſt conſiderandum in hoc negocio. Nam ſi prædones ſe deceptos ſenſerint: deinceps obuia præda contenti, ſæuient in captos. Ita qui pecuniam conſeruatam uolent, uitæ iacturam facient. Sed noſtrum non eſt aduerſari Ciceroni. Conſiderandum tamen & quid deceat, & quid expediat.* Latronibus an ſeruanda fides?

Communis hoſtis omnium.) *Cum ſcilicet nullam habeat cauſam inuadendi alios, præter cupiditatem ſuam, & animi libidinem: cum nemini indicat bellum, ſed obuijs quibuſque inferat, nullis iniurijs laceſſitus. Quod de prædonibus hîc Cicero dicit, hoc Iſocrates mercenarijs militibus tribuit, quos ait κοινοὺς ἐχθροὺς τῶν πάντων ἀνθρώπων. Quod ſi rem uerè conſideres: omnes homines iniuſti, auari, ſuperbi, ambitioſi, luxu perditi, communes hoſtes ſunt omnium, nec illis quicquam ad nocendum, præter occaſionem cælandi & impunitatis ſpem, deeſt.* Omnes homines ſceleratos, cõmunes eſſe hoſtes omniũ.

Non enim falſum iurare.) *Arguta periurij definitio, quæ quàm uera & recta ſit, ex ijs quæ paulò antè diximus, quiſque ſecum expendat uelim. Notetur & illud obiter, maximi eſſe ingenij, iudicij & doctrinæ, rectè definire. Nam genus aliquod, ac differentiam, è Dialecticorum formulis conſarcinare: haud ſanè operoſum eſt. ſed in eo negocij cardo uertitur, an uerum genus, & germana differentia ſit adhibita: id quod* Verè definire, difficillimum.

quod ſuprà quoq; dictum eſt. Itaq; Rhetores τοῖς ὁρισμοῖς τῶν ἀντιδίκων, ἀνθορισμοὺς opponunt. Iam prætoris & iudicis officium eſt, decernere utri uerius rem definierint. Nunquam aũt rectè decernet, niſi præter Dialecticam, iuris etiam ciuilis fuerit peritiſſimus, quod è Dialectica non diſcitur.

Iuſiurandum coactum. Iuraui lingua.) *Huic uerſiculo ſuffragatur noſtrum prouerbium,* **Gezwungner aid/iſt Gott laid**: *cuius dijudicatio petatur è ſuperiorib. atq; etiam ex ijs quæ Cicero ſubijcit, Virum fortẽ cogi non poſſe. in quo ſe magnificè iactat Epicteti oratio. Corpus, inquit, meum uincies, caput meum tolles: Epictetum, id eſt, τὴν προαίρεσιν, neq; uinces neq; tolles.* Neceſſitas abſoluta & arbitraria. *Eſt quidem aliqua neceſſitas: ſed non tamen ineuitabilis. Si enim iuſiurandum iniquum putes: quis te iurare potius quàm oppetere mortem, aut in carcere excarnificatum computreſcere coget? Imbecillitas animi ſcilicet, & mollicies, καὶ τὸ ζῆν ὀλίγου μὲν, φίλον δέ.*

Quod ni ita eſſet.) *Diſtinxit hactenus inter prædonẽ & hoſtem. Nunc exempla Romana profert, in quibus fides aut hoſtibus ſeruata ſit: aut pactionibus à ſenatu improbatis, ipſi imperatores & conſules hoſtibus dediti.*

Aliud pacis, aliud belli ius. At non debuit ratum eſſe.) *ἀνθυποφορά, profecta à re diſſimili, ut uidetur. Nam hæc ſententia in Repub. & pace ualet. In bello autem, quid fit niſi per uim? Refutatur autem Stoicè. Faciunt enim illi ſuum ſapientem & bonum uirum ἀκώλυτον, ἀνεκβίαστον, ἀπαραπόδιστον. Eſt hæc refutatio tertij Epicurei argumenti.*

Cur igitur ad Senatum.) *Quartum Epicureorum argumentum, quo* Ad finem ſuũ omnia referẽda. *Regulus ſiue inconſtantiæ ſiue ſtulticiæ arguitur. Sententia eſt διλημματικὴ: aut non proficiſci Romã, aut non diſſuadere id cuius impetrandi cauſa mittebatur, Regulũ debuiſſe. Obſeruetur hîc, ad finẽ nobis propoſitũ omnia cõſilia,* Finis ſtudioſi. *omnia & dicta & facta noſtra eſſe referenda: nec quicquã admittendũ, quod cum eo fine qui ante omnia uerus & rectus eſſe debet, pugnet. Finis ſtudioſo adoleſcenti propoſitus eſt, uirtus & eruditio, & utriuſq; comes ſapiens & & diſerta oratio. Ad quas conſequendas opus eſt inuocatione Dei, ſobrietate, attentione animi, aſſiduitate diligentiæ in audiendo, repetendo, meditando, legendo, ſcribendo, diſputando, declamando. Hæc ſunt λυσιτελῆ, hoc eſt perducunt ad finem nobis propoſitum. horum uerò cõtraria ſunt ἀλυσιτελῆ, hoc eſt, ab eo fine abducunt. Qui igitur in hoc genere peccat, aut ſtultus aut inconſtans eſſe uidetur. Sed ad Regulum redeamus, cui alius finis propoſitus fuit, quàm Carthaginenſibus: cui etſi detrectanti imperium mori licuiſſet, ſicut mortuus eſt poſtea: fortaſſe tamen ſuos uidendi prius deſiderio, morem geſſit hoſtibus.*

Nam quod aiunt.) *Quintum aduerſariorum argumentum, argutè & breuiter ex Stoica diſciplina refutatum.*

Imò uerò eſſe.) *Scilicet honeſtum, quod ualde utile ſit, dicendum eſt, non fieri, quòd utilitas & honeſtas perpetuò cohæreant, nominibus diſcrepantes, re ipſa uerò congruentes.*

Nullum

Nullum enim uinculum.) *Digreſſiuncula quædam in laudationē maiorum, qui iuſiurandum ſumma religione conſeruarint, non ſine reprehenſione ſuorum temporum.*

Qui nulla de re diligentius.) *Et meritò quidem. Nam iuriſiurandi neglectio, non tantùm ſocietatem ciuilem dirimit, ſed etiam in ipſum Deum impia & palàm blaſphema eſt.*

L. Manlio.) *Aliud exemplū, ubi magiſtratus iuriſiurandi potius rationē ſibi habendam eſſe duxit, quàm poteſtatis ſuæ, nec illa excuſatione uti uoluit: quod per uim actum eſſet, ratum eſſe non oportere.*

Sed ut laudandus Regulus.) *Exemplis contrarijs illuſtratur tractatio de iureiurando, eò pertinens, ut doceatur, iuſticiam & utilitatis & commodorum ſpei eſſe præferendam.*

De quibus non omnes.) *Controuerſia hiſtorica, cuiuſmodi permultæ in ſcriptoribus occurrunt. Hiſtoriarum enim magna pars ab ingenio ſcriptoris pendet. Nam euentum illi quidem ſcire ferè poſſunt: conſilia uerò & rerū geſtarum rationē à ſemetipſis plerunq; petūt, probabilibus ducti coniecturis.* Hiſtorica controuerſia.

Fraus enim diſtringit.) *Quaſi dicat, uim iſtud eſt potius afferre uerbis, quàm ſtare pactis & conuentis. Hoc modo etiam Alexander Magnus nodū illum Gordium diſſoluit.*

Non diſſoluit.) *Quamuis ſpeciem ſeruatæ fidei præ ſe ferat homo fraudulentus: nihilominus tamen periurus eſt.*

Octo hominum millia.) *Exemplum hoc non tam ad propoſitū, quàm ad laudem Romanæ conſtantiæ pertinens, quaſi per digreſſionem inſeritur.*

Eoſq́ à cenſoribus.) *Hoc propriè ad rem pertinet: ut intelligatur, perfidiam non modò per ſe turpem, ſed publicè etiam ignominioſam fuiſſe illis temporibus.*

Sit iam huius loci finis.) *Concluſio loci de Fortitudine.*

CICERO.

Reſtat quarta pars, quæ decore, moderatione, modeſtia, continentia, temperantia continetur. Poteſt igitur quicquam eſſe utile, quod ſit huic talium uirtutum choro contrarium? Atqui ab Ariſtippo Cyrenaici, atq; Annicerij philoſophi nominati, omne bonū in uoluptate poſuerunt, uirtutemq́ cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quòd efficiens eſſet uoluptatis. Quibus obſoletis floret Epicurus, eiuſdem ferè adiutor autorq́ ſententiæ. Cum his, uelis equiſq́ (ut dicitur) ſi honeſtatem tueri ac retinere ſententia eſt, decertandum eſt. Nam ſi non modò utilitas, ſed uita hominis beata, corporis firma conſtitutione,

eiuſq; conſtitutionis ſpe explorata (ut à Metrodoro ſcriptum eſt) continetur: certe hæc utilitas, & quidem ſumma (ſic enim cenſent)cum honeſtate pugnabit.Nam ubi primùm prudentiæ locus dabitur? an, ut conquirat undiq; ſuauitates? Quàm miſer uirtutis famulatus, ſeruientis uoluptati? Quod autem munus prudentiæ? an legere intelligẽter uoluptates? Fac nihil iſto eſſe iucundius: quid cogitari poteſt turpius? Iam qui dolorem, ſummum malum dicat: apud eum quem habet locum fortitudo, quæ eſt dolorum laborumq; contemptio? Quamuis enim multis in locis dicat Epicurus (ſicut hic dicit) ſatis fortiter de dolore: tamen non id ſpectandum eſt quid dicat, ſed quid conſentaneum ſit ei dicere qui bona uoluptate terminauerit, mala dolore: ut ſi illum audiam de cõtinentia & temperantia, dicit ille quidem multa multis in locis, ſed aqua hæret, ut aiunt. Nam qui poteſt temperantiã laudare is, qui ponat ſummũ bonum in uoluptate? Eſt autem temperãtia, libidinum inimica: libidines autem conſectatrices uoluptatis. Atq; in his tamẽ tribus generibus, quoquo modo poſſunt, nõ incallidè tergiuerſantur. Prudentiã introducũt, ſcientiam ſuppeditantẽ uoluptates, depellentẽ dolores. Fortitudinẽ quoq; aliquo modo expediunt, cùm tradũt rationẽ negligendæ mortis, perpetiendiq; doloris. Etiam temperantiã inducũt, non facilimè illi quidẽ, ſed tamen quoquo modo poſſunt. Dicũt enim uoluptatis magnitudinẽ † doloris detractione fieri. Iuſticia uacillat, uel iacet potius: omneſq; hæ uirtutes quæ in cõmunitate cernũtur, & in ſocietate generis humani. Neq; enim bonitas, nec liberalitas, nec communitas eſſe poteſt, non plusquàm amicitia, ſi hæc non per ſe expetantur, ſed ad uoluptatem, utilitatem'ue referantur. Conferamus igitur in pauca. Nam ut utilitatem nullam eſſe docuimus, quæ honeſtati eſſet contraria: ſic omnem uoluptatem dicimus honeſtati eſſe contrariã. Quo magis reprehendendos Calliphonem & Dinomachum iudico, qui ſe dirempturos

pturos

pturos controuerſiã putauerũt, ſi cum honeſtate uoluptatem, tanquam cũ homine pecudẽ copulauiſſent. Non recipit iſtam coniunctionem honeſtas, aſpernatur, repellit. Nec uerò finis bonorũ & malorũ, qui ſimplex eſſe debet, ex diſsimilibus rebus miſceri & temperari poteſt. Sed de hoc hactenus. Magna enim res eſt, alio loco pluribus uerbis diſputata: nũc ad propoſitũ. Quemadmodũ igitur, ſi quãdo ea quæ uideretur utilitas, honeſtati repugnat, dĳudicanda res ſit, ſatis eſt ſuprà diſputatũ. Sin aũt ſpeciẽ utilitatis etiã uoluptas habere dicatur, nulla poteſt eſſe ei cũ honeſtate cõiunctio. Nam ut tribuamus aliquid uoluptati: cõdimẽti fortaſſe nõnihil, utilitatis certè nihil habebit.

V. L. doloris detractione finiri.

Reſtat quarta pars.) *Hactenus docuit, Iuſticiam & fortudinem & falſæ prudentiæ & cõmenticiæ utilitati præferendas eſſe. Nunc idem de temperantia quoq; tradit, quæ non tam utilitates quàm uoluptates moderatur. Proponit autem eiuſdem rei diuerſa, aut certè cognata uocabula, ut amplificandi habeat occaſionem à numero ſeu multitudine.*

Eiuſq; conſtitutionis ſpe explorata.) *Cum corpus & morbis et caſibus innumeris ſit obnoxium, quomodo ſpem explorata illi habere potuerũt? Fuerunt illa nimirum ſomnia beatorum. Nam & medicus ille apud Plinium ſponſione facta cum Fortuna, ſi unquam ægrotaſſet, lapſu ſcalarum interĳt.*

Cum honeſtate pugnauit.) *Aetiologia contentionis inter Stoicos & Epicureos. In controuerſĳs enim ſummo ſtudio cauẽdum eſt, ne de lana, quod aiunt, caprina rixæ fiant: ſed omnia diſsimulentur, quæ ueritati & honeſtati nihil incommodant. Etſi hæc ὐδιτίκζα ſæpè cauſam præbet uel imperitis uel improbis, errores augendi & cumulandi.* Incerta ſpe, certus amplexus.

Cum honeſtate pugnabit.) *Honeſtas enim animum potiſsimum reſpicit: uoluptas corpus. Docet autem enumeratione uirtutum, & uoluptate cum his ſingulis collata, maximè inter ſe pugnare Stoicam et Epicuream opinionem: neq; eſſe controuerſiam uerborum, qualis ſit inter eoſdem Stoicos & Peripateticos, ſed ipſarum rerum.* Inutiles rixæ cauendæ.

Prudentiæ locus dabitur.) *σοφίαν ϗ φρόνησιν, ut & alia multa, in hoc opere confundit Cicero, ſcripto ſcilicet ad captum popularem, ut initiò diximus. Cum autem ſapientia in indagatione & cõtemplatione ueritatis uerſetur, cognitioq; ſit rerum diuinarum & humanarum: ex Epicureo dogmate utiq; ſuperuacanea erit: niſi uoluptas corporis, in animi uoluptatem transformetur. Quod ſi prudentia uirtus eſt, ea comparans quæ ad felicitatem faciũt: nihil autem æquè ad felicitatem facit, atq; cultura ingenĳ & animi (hæc enim hominem abſoluit & perficit, & à beſtĳs diſtinguit) ne prudentia quidem*

dem Epicureo magnoperè erit neceſſaria aut utilis, huius generis felicitatem non magnopere curanti.

An, ut conquirat.) *Epicurea reſponſio, & definitio prudentiæ: ut ſit ea uirtus conquirens & deligens uoluptates.*

Quàm miſer uirtutis famulatus.) *Reſponſio Stoica, ab abſurdo. Perinde enim eſt uirtutem famulari uoluptati, atque hominem beſtiæ, animum corpori, rationem appetitioni. Illud quidem uerum eſt, animum etiam corpori ſeruire, ut eius incolumitatem tueatur, ſed nõ ita ut corporis cauſa faciat omnia: imò propter ſemetipſum curat corpus, ſicut equum dominus, &c.*

Legere intelligenter.) *Vt ſalutares noxijs, honeſtæ turpibus (ſi tamen hoc tribuendum eſt Epicuro) magnæ paruis, diuturnæ breuibus anteponãtur. Virtutum autem & artium definitiones plerũq; à fine atq; officio ſumuntur. Ideo quærit, quod munus prudentiæ futurum ſit apud Epicureos.*

Fac nihil iſto.) *Conceſſio, negationem includens. Nam ſectatio uoluptatum ſæpè plus fellis quàm mellis habet.* ἔστι γὰρ ἡδονὰς διώκοντα περιπέτως, λύπαις περιπίπτειν.

Quid cogitari poteſt.) *Turpitudinem opponit ſuauitati: Epicurus ait, hoc expetendum, quia ſuaue: Stoicus contrà, idem iſtud fugiendum, quia turpe. Ac profectò nihil turpius cogitari poteſt homine, qui nihil ſit niſi gulæ & inguinis mancipium.*

Iam qui dolorem.) *Epicureo dogmate fortitudinem etiam euerti.*

Epicureorũ multa quidẽ egregia præcepta, ſed cũ dogmate nõ cõſententia.

Quamuis enim multis in locis.) *Occupatio, cuius hæc ſententia eſt: multa quidem in ſcriptis Epicuri utilia præcepta uirtutis contineri: ſed illa omnia cum Epicureo dogmate pugnare: id quod initio quoq; primi libri dictũ eſt. Scriptori autem (ſi præſertim noui dogmatis autorem ſe perhiberi uelit) non minus elaborandum eſt, ut conſentientia inter ſe, quàm ut uera atque utilia ſcribat. Alioqui enim mente ſibi parum conſtare uidebitur, ac ſæpe ſecum ipſe pugnabit, eadem aliàs affirmando & probando, aliàs negando & reijciendo. Quæ incõſtantia argumento eſt, doctrinam illam nullo certo fundamento niti, ſed à uagis atq; incertis pendêre opinionibus.*

Atq; in his tamen tribus.) *Conceſſio quædam: Epicureos ſpecioſis magis quàm ueris & ſolidis argumentis nixos, in regno uoluptatis etiam prudentiæ, fortitudini ac temperantiæ loci aliquid reliquiſſe, &c.*

Non incallidè.) *Sic rectius legi uidetur, ut* σοφὰ φάρμακα *intelligas. Sin, nõ callidè, legas, ſtuporis argũtur Epicurei, qui ea dicãt quæ probari nõ poſſint.*

Doloris detractione.) *Quam Græci* ἀνωδυνίαν, καὶ τὴν τοῦ λυποῦντος ὑπεξαίρεσιν *dicũt. Adiũgũt etiã alia: cuiuſmodi eſt, Voluptates cõmendat rarior uſus, & reliqua. de quibus elegãs* παράδοξον *apud Clementẽ Alexandrinum, Plethonẽ & Cydonium extat: eos qui uoluptatẽ maximè aſpernẽtur, & maxima & diuturna maximè perfrui uoluptate. Atq; utinã nos, qui et Chriſtiani & Euãgelici (ſi dijs placet) ſumus, in delectu & modo uoluptatum Epicuro non & ſtultiores eſſemus, & nequiores.*

Pleroſq; Epicureos & in delectu & in modo uoluptatum cum Epicuro non congruere.

Iuſticia

Iuſticia uacillat.) *Epicureis paſsim laus & æquitatis & conſtantis amicitiæ tribuitur, adeò ut ab ipſo Cicerone homines minimè quidẽ illi mali, ſed non ſatis acuti dicantur. Petrarcha in epiſtola ad Ciceronis Manes ſcripta, miratur cur Epicuri doctrinam inſectetur, cuius uitam & mores plerunq; probet? Reſponſio facilis eſt, hoc modo: Si uir bonus fuit Epicurus, natura bonus fuit, & ſuo dogmati non paruit. Deinde nihil uetat, eundem & non rectè ſentire, & rectè facere. Etſi autẽ probata uita doctrinæ ſubtilitati longè præſtat, tamen errores dogmatum reprehendendi ſunt: quos cum improbum ingenium arripuerit, uitam opinionibus conſimilem aget: & ad ſeſe omnia referens, ex Epicureo dogmate, impunitate & ignorantia propoſita, à nullo etiam teterrimo facinore abhorrebit.*

Nõ ſatis eſt rectè uiuere, ſed & rectè ſentire oportet.

Sed ad uoluptatem.) *Conſiderarunt Epicurei hominem ἁπλῶς, καθ' ἑαυτὸν καὶ ὡς ἀπόλυτον. qualis ſi eſſet, φιλαυτία eius reprehenſione careret. Sed pereruditè Pletho, & ex ipſius naturæ conſilio docet, hominem cõciliatum partim Deo, partim familiæ, partim toti reipub. Idq; ita ſe habere, & ratio & oratio, & innumeræ uitæ neceſsitates docent. Qua ratione iam à φιλαυτίᾳ πρὸς τὴν κοινωνίαν καὶ φιλανθρωπίαν καὶ εὐσέβειαν diſceditur, ijſdemq; rationibus fit ad φιλαυτίαν reuerſio. Quo enim quiſq; ſanctius Deum coluerit, quo plus reipub. ac generi humano profuerit: eo rectius (ſi finis & ſumma rerum ſpectetur) ſuis quoq; commodis conſuluerit.*

Hominem nõ ſibi ſoli eſſe natum.

Quo quiſque uir melior, eo felicior.

Conferamus igitur in pauca.) *Epilogus huius diſputationis, contra Epicureos inſtitutæ: quorum pernicioſiſsima hæc dogmata non modò Chriſtianam religionem, ſed propemodum ciuilem etiam honeſtatem, hoc exulceratiſsimo ſeculo, in animis magnæ partis mortalium deleuerunt: Deum nõ curare res humanas: fortuitò & bona & mala euenire: uocabula honeſtatis & turpitudinis cõmenticia, non eſſe fundata in natura aut mente diuina, ſed pendêre ab opinionibus: animos unà cum corporib. interire: hoc eſt, inter hominem & pecudem nihil intereſſe: &, quod cõſequitur, nec præmia pijs, nec ſupplicia impijs poſt obitum conſtituta eſſe. Hinc ſequitur, cuiq; ad ſe ipſum omnia eſſe referẽda: licere quod libeat: illud modò curandum, ut facinora infamiæ & pœnæ metu cælentur. Hi furores nõ modò à ſacris literis, quas Epicurei nõ pluris quàm fabulas Aeſopi faciunt, cõdemnantur: ſed à ſanioribus etiam philoſophis, firmis rationib. refutantur. Quæ pluris nobis faciẽdæ ſunt, quàm ſeculi noſtri deprauata conſuetudo, cui reſiſtere ſine ope diuina poterit nemo. Ea igitur implorãda eſt, & cũ ſacrarũ profanarũq; literarũ aſsidua lectione coniungenda, ne cõmuni errore in exitium pertrahamur. Hoc enim ſeculum illud eſt, de quo Chriſtus: An putatis, inquit, filiũ hominis reuerſum, in terris inuenturũ eſſe fidem? Itẽ: Niſi contracti fuiſſent dies illi, etiã electos fuiſſe ſeducendos. Extincta fides eſt, et refrixit charitas: ratio facta eſt inſtrumentum libidinũ, ſcelerũ, fraudum omniũ. Deus noſtri miſereatur, mentẽq; nobis det meliorẽ, ut mala noſtra intelligamus, et corrigamus. Cæterùm ut uoluptati hominũ Epicurus nimiũ tribuit, ſic Stoici omnia detraxerũt, nihilo*

Pernicioſa dogmata Epicureorum.

Sine diuino auxilio neminẽ poſſe uirtutẽ colere.

rectius quàm Epicurus. Sunt enim quædam uoluptates & neceſſariæ, & naturales, & utiles, & honeſtæ, de quib. alio loco cõmodius diſſeretur.

Quo magis reprehendendos.) *Si uoluptatẽ corporis, eamq́; turpem uirtuti cõiunxerunt, & ſine ea uirtutẽ expetendã eſſe negauerũt: iure poſſunt reprehẽdi. Sin animi ſibi bene cõſcij alacritatẽ, ut exiſtimo, intellexerunt: nõ uidentur improbãdi. Virtutẽ enim & pulcherrimã & optimã, et (per ſe quidem) iucundiſsimã eſſe quis neget? Niſi fortè ea quoq; animi uoluptate ſublata, ut in Reguli ſupplicio, uirtutẽ quoq; relinquendam putauerint. In quo ipſo ignoſcendum ijs uidetur, qui breuitate huius æui, quo ut miſeri uermes, & iã iam conculcandi, humi repimus, & bona & mala omnia terminauerunt.*

Finis bonorũ cur ſimplex.

Nec uerò finis bonorum.) *Cur uerò ſimplex is eſſe debet? Quia ſi duabus partibus conſtabit, aut pluribus: eæ partes uel ſimiles inter ſeſe erunt, uel diſsimiles. Si ſimiles, nihil inter eas intererit: ſin diſsimiles, finis ea ſtatuetur, quæ erit optima & præſtantiſsima: deterior uerò, nomen & uim finis amittet.*

Cur duplex poſsit uideri.

Alioqui cum homo ſit animal compoſitũ, finem etiã eius compoſitũ eſſe oportere, diſputari queat, ut finis ſit corporis, incolumitas & affectio ſuauis: animi uerò, uirtutis perfectio, & ſapientiæ. Ad hæc uerò & parãda & retinenda, quàm multa & uaria præſidia undecunq; corroganda & uelut emendicanda ſunt? Ea eſt & animorũ & corporũ imbecillitas, ad utriuſq; ualetudinẽ fulciendam, ut nõ τετραφάρμακον, ſed μυελοφάρμακον requiri uideatur. & ſæpe dum animo ſubuenitur, nocetur corpori, et ecõtrario. Ac optabilius quidem eſt, utriuſq; partis, & animi inquã & corporis incolumitatẽ coniungi, quàm diuelli: ut ſit uera & perfecta εὐεστὼ, id eſt ſtatus bonus totius hominis, nõ quaſi manca & mutilata.

Nulla ſolida felicitas.

Sed quia ut uirtus & ſapientia humana, ſic etiã felicitas imperfecta eſt: non quidem incolumitas corporis repudiatur aut contemnitur, ſed (ut antè dictum eſt) integritati animi cedit, ſi unà teneri nõ poteſt. Vnde factũ, ut in uirtute ſummum bonum poneretur.

CICERO.

Habes à patre munus, Marce fili, mea quidẽ ſententia magnũ: ſed perinde erit, ut acceperis. Quanquam & hi tres libri inter Cratippi cõmentarios, tanquam hoſpites erunt recipiendi. Sed ut, ſi ipſe ueniſſem Athenas (quod quidẽ eſſet factũ, niſi me è medio curſu clara uoce patria reuocaſſet) aliquando me quoque audires: ſic, quoniã his uoluminibus ad te profecta uox mea eſt, tribues his temporib. quantũ poteris: poteris aũt, quantũ uoles. Cum uerò intellexero, te hoc ſcientiæ genere gaudere, tum & præſens tecũ propediem (ut ſpero) &, dum aberis, abſens loquar. Vale igitur, mi Cicero: tibique perſuade, te mihi quidẽ eſſe chariſsimum: ſed multo fore chariorẽ, ſi talibus monimentis præceptiſque lætabere.

Habes

Habes à patre munus.) *Epilogus Prooemio non diſſimilis, modeſtā horum librorū cōmendationē, cū adhortatione ad colendā Philoſophiā cōtinēs.*

Magnum.) *Quid enim maius ijs præceptis, quibus ſi obtemperes, uirtute & ſapientia cæteris antecellas? Sed hîc illud tenendum eſt, quotidiana exercitatione, in omnibus uitæ partibus, hanc doctrinam excolendam eſſe, & uerba ad rem conferenda: ut & uites ea quæ uetantur, & quæ præcipiuntur exequaris. Omnis enim laus uirtutis (ut huius Operis initiò dixit) in actione conſiſtit. Doctrina enim de moribus, de re familiari tuenda, de gerenda repub. finem habet practicum, nō theoreticum: id eſt, non ſatis eſt hæc ſcire, ac de illis diſputare poſſe, ſed perficienda reipſa ſunt, & ipſo opere exhibenda. Vera, non ſimulata Philoſophia colenda eſt, & è Muſæi latebris in lucem atq; in aciem educēda, ut in omnib. cōſilijs, dictis & factis animus hac doctrina, & ab animo corporis omnes motus & geſtus gubernentur. Vt enim uiatores & loculos & gladios ſecū ferunt, quò his uim propulſent, illis neceſſaria parēt: ſic hominis animus choro uirtutū omniū inſtructus et munitus eſſe debet. Cum deliberandū eſt, præſtò ſit prudentia: cum pugnandū, cū res aduerſæ aut ſecundæ ferendæ, fortitudo: quando cum alijs contrahendū, quando miſeris ſuccurrendum, iuſticia & liberalitas: quando curandū corpus, temperātia & continentia. Sed hæc omnia uana, irrita, inania, ridicula, ac poti' miſerabilia ſunt, niſi præluceat his omnibus, intimis animi infixa uiſceribus, lux ueræ* PIETATIS, *quæ eſt ad omnia utilis, quæ unà & huius & futuræ uitæ præmijs ornabitur. Hæc illa, eſt de qua multo uerius q̄ de Philoſophia exclamare poſſis: O uitæ* PIETAS *dux: ô uirtutis indagatrix, expultrixq́; uitiorū: quid nō modò nos, ſed omnino uita hominum ſine te eſſe poſſet?* PIETAS *medetur animis, inanes ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Ad te,* DEVS, *confugimus: à te opem petimus: tibi nos, ſi non antea, nunc ſaltem penitus totosq́; tradimus. Eſt enim unus dies bene & ex præceptis tuis actus, penè toti immortalitati anteponendus. Imò nulla erit nobis immortalitas ſine hac obedientia. Hæc enim eſt* VITA AETERNA, *ut te cognoſcamus* VERVM DEVM, *& quem miſiſti* IESVM CHRISTVM, *ut in integrum omnia reſtitueret. Nec tamen interea illud nihili faciendum eſt, ſi hinc etiam regulæ dijudicandi & dicta & facta aliorum, in primis uerò noſtras ipſorum actiones, & hiſtoricorum ac poetarum exempla petantur. Nam præcepta de Officijs, & uiuendi & iudicandi regulæ ſunt, atq; adeò laudandi etiam & uituperandi, itemq́; ſuadendi & diſſuadendi rationes firmiſſimas continent.*

Munus doctrinæ magnum, ſi pareas.

Sed perinde erit ut acceperis.) *Ita'ne uerò doctrinæ ueritas ab affectu iudicantium pendet? Ita'ne Iaſpis nullius erit precij, quòd gallus gallinaceus hordei granū illi anteponit? Ridenda & conculcanda pedibus hæc erūt, propter Epicureorum deliramenta? Abſit: res qualis eſt, talis manet, utcunq; homines imperiti atq; iniqui eam æſtiment. Doctrina hæc è naturæ fontibus limpidiſſimis emanauit, & Sacris literis maxima ex parte conſentanea eſt.*

Quae

Quas qui magnifaciũt (omnes aũt maximi facere illas debent) hæc præcepta contemnere nullo modo poſſunt. Sententia igitur hæc, modeſtiã Ciceronis declarat, ne φιλαυτίᾳ falli, & ſuum fœtum, inſtar ſimiæ, nimium admirari uideatur. Tacitè etiam monet, magnifaciendũ eſſe hoc munus, quod ipſe, uir tanta autoritate, tanta ſapientia, tam prouecta ætate, & præter cætera pater filij amantiſſimus, tanti faciat.

Vt acceperis.) *Sententia eſt, doctrinam hanc per ſe eſſe ſalutarẽ, ſed homini luxu perdito, & honeſtatis contemptori, nõ plus profuturã, quàm aut bilioſo mel, aut uinum febricitanti, aut medicinam ægroto non obtemperanti. Res enim etiam optimæ & præſtantiſſimæ, ijs tantum proſunt, qui ijs & utuntur, & rectè prudenterq́; utuntur.*

Tanquam hoſpites.) *Modeſta extenuatio ſui operis, cum librorũ Cratippi prædicatione. quaſi diceret: Cratippi opera herilem autoritatem habent apud te, iubendi ac præcipiendi: mei uerò libri comiter, ſi non honorificè, tanquam peregrini ſi excipiantur, ſatis factum mihi erit.*

Poteris autem, quantum uoles.) *Emphatica πρόσθεσις, qua id innuit quod ſuprà dixit apertius: Curandum ei eſſe, cum à patre omnia ſuppeditata ſint, ne ipſe ſibi defuiſſe uideatur. Sic admonendi ſunt & excitandi, à ſe ipſis potiſſimùm, ij quibus datur diſcendi ocium atq; occaſio.*

Te hoc ſcientiæ genere gaudere.) *Innuit, hæc precepta exercitatione dicendi, qua apud Gorgiam quendam, hominem improbum utebatur Cicero filius, longè præſtantiora eſſe. Notetur & hoc, bonæ indolis certiſſimũ eſſe argumentum, hoc ſcientiæ genere gaudere. Habet enim hic, climax Iſocratis locum, Nicocli præcipientis, ut conſueſcat de præclaris rebus cogitare, ut cogitationibus oratio, & orationi uitæ ratio conformis fiat.*

Vt ſpero.) *Rectè addita parentheſis. Nam paulò poſt ſcriptos hos libros, propter Philippicas orationes in Antonium habitas, proſcriptus & interfectus, cadauere etiam cõtumelijs affecto, neq; præſens neq; abſens (ut opinor) cum filio locutus eſt. Nihil igitur temerè & ſine exceptione, uel ſperãdum eſt nobis ipſis, uel alijs promittendum:*

Multa (enim) cadunt inter calicem ſupremaq́; labra:
πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

Si talibus monimentis præceptisq́; lætabere.) *Illud idem omnes ſtudioſi adoleſcentes ſibi de parentibus, de præceptoribus, de amicis, de magiſtratibus, de omnibus deniq; bonis & doctis uiris perſuadere debent. fore ſe illis chariſſimos, ſi diligentiſſimi & modeſtiſſimi fuerint: quorũ utrumq;, præter cætera, in hoc præſtantiſſimo Opere, & ad uerbum frequenti repetitione ediſcendo, crebrò præcipitur.*

FINIS ANNOTATIONVM HIERONYMI
Vuolfij in tres Libros Ciceronis de Officijs: καὶ δόξα καὶ χάρις
τῷ πολυελέῳ θεῷ.

PRAECLARA ET EXCELLENTI VIRTVTE, *eruditione ac eloquentia ornatiſſimo uiro* M. CHRISTOPHORO CORNERO *ex Fagis, profeſſori lectionis Ciceronianæ in inclita Academia Francfordiana ad Viadrum publico, præceptoriq́; ſuo obſeruandiſſimo,* S. P.

EXhibuit mihi uir clariſsimus, horūq́; in Officia Ciceronis Cōmentariorū auror, D. Hieronymus Vuolfius, ante paucos dies in conſeſſu aliquot doctorum uirorum, orationes duas, de urilitate ac methodo iſtorū de Officijs librorū, à re, chariſs. Præceptor, ex illuſtri Oporini officina in publicum nuper editas: quas nō modò magna cum uoluptate legi, ſed etiā ſæpiſsimè eaſdem oſculatus ſum. Fiebat enim neſcio quî, ut tu, cuius dulciſsima conſuetudine ac familiaritate, triennio iam (τῶν ἀντιδίκων ἕνεκα) haud exiguo animi noſtri cruciatu, carendum fuit, quaſi coràm eſſe, ac uulnera noſtra, ab hominibus nequā iniuſtè & à tergo infixa, orarionū ruarum ſapienriſsimo pharmaco lenire uidebare. Ideoq́; ut debui gratitudinis ergò, ita non potui præ nimio amore non facere, quin amplam tuæ ſapienriæ, atq; haud uulgaris erudirionis, ſimulq́; uirruris, beneuolentiæ, ac merirorū tuorum erga me, renouarē memoriam. Accidirq́;, ut dum in legēdis euoluendisq́; orariūculis ingenij acumen arq; eloquentiam tuam sdmiramur: ego forrefortuna eriam Annotationum quarundam in ſupellectile librorū meorum inſtar theſauri reconditarum, mentionem facerem. Earū ſibi cōtinuò Vuolfius noſter inſpiciundi copiam dari à me poſtulat. Cui cum de meliori nota μέθοδος rua probaretur, peteretq́ue, ur ſi abſq; offenſiōe aliqua grauiore fieri poſſet, primi Officiorum libri ἐπιτομὴ tua, quā olim inrra priuatos parietes nobis diſcipulis, ſine dubio nō in hunc uſum, obirer dictaſti, in lucem etiā ueniret, ſuisq́; Cōmentarijs adiungeretur. Feci ſanè audacius, fateor: ac ſine ulla cunctatione, non inuitus illi hanc quoq; poreſtatē tuo nomine conceſsi: uel quòd æſtimarem, uiro præclaro ac Scholarchæ noſtro parendum eſſe: uel quòd mihi certò perſuaderem, in re perhoneſta, nec parum utili, te mihi ſuccenſere minimè poſſe: facilemq́; apud te, humaniſsime Præcepror, ueniā inuenrurū, etiamſi amore tui grauius quiddam cōmiſiſſem: ſiue etiā quòd ribi conſter (abſir inuidia dicto) in his me quoq; nomen profireri meum, qui ſtudent bonis placere quamplurimis. In quorū ego te numero ur ſemper reuerenter habui, ita dum ſpiritus hos reget artus, ſanctiſsimè colam. Tu igirur feliciter uale, ac diſcipulum præceptoris amantiſsimū non odio, ſed amore pari proſequere. Velim etiam, ut Ioachimum Belitium, Chriſtophorū Poley, & Caſparum Hofmannum, uiros in Theologia, in Iuriſperitia ac Medicinæ facultate præclarè uerſatos, necnon amicos meos inregerrimos, meo nomine officioſiſsimè ſalutes. Datum Auguſtæ Vindelicorum, Anno poſt uirginis partū 1 5 6 3. menſis Iul. 10.

M. Ioannes Feſſerus Arnſteinenſis, Francus, ac συνεργὸς Scholæ Auguſtanæ ad D. Annam.

EPITOME PRIMI LIBRI OFFICIORVM, M. Chriſtophori Corneri ex Fagis.

OFFICIVM *eſt duplex: perfectum, quod ſimpliciter rectum eſt: & medium, de quo in hoc libro agit Cicero. eſtq́; id, cuius probabilis ratio reddi poteſt, ſi factum eſt. Nam hic traduntur altera officia, ea quæ in hominẽ ciuem cadunt, & eundem uirum bonum reddunt. Quare non exquiſita & perfecta ratio officij hic ſpectatur: ſed ea ſaltem, quæ in mediocres homines incidit, & qui à naturæ bonitate non penitus abhorreant. Eſt tamen hoc officium, actio honeſta & utilis, quamlibet perſonam pro circumſtantijs docens. Porrò omnis actio noſtra uel honeſtatis uel utilitatis nomine fit: idcirco rectè in officijs hi duo fines ſpectantur: ſcilicet, honeſtum & utile, τὸ καλὸν καὶ τὸ συμφέρον. Honeſtas autem, de qua in I. libro agitur, ſemper utilitati præfertur in omni actione & deliberatione. cuius quatuor capita uel fontes ſunt apud Ciceronem: Prudentia, Iuſticia, Fortitudo, & Temperantia. Harum autem uirtutum prima principia & ſemina nobiſcum naſcuntur, ne putemus nos agere ea à quibus natura noſtra abhorreat. Quis enim non uidet nobis à natura ingenitum eſſe, inquirere uerum, cognoſcere res occultas & admirabiles, & ad rectè uiuendum neceſſarias: deinde conciliare amicitiã, neminem lædere, obedire rationi, & comparare ea quæ ad uictum et cultum ſpectant? Indidit etiã natura nobis animum, quo res magnas & excelſas expetimus, principatum appetimus: nemini paremus, niſi aut docenti, aut utilitatis cauſa, iuſtè & legitimè imperanti. In dictis quoq; & factis modum ſeruare, & facere quod decet: quæ certè ſeminaria quatuor harum uirtutum ſunt. Sed prima earum eſt Prudentia, quæ eſt Virtus, qua ad cognitionem & ſcientiæ cupiditatem ducimur. eaq́; in ſe ipſa uertitur, & habet duo præcepta. prius eſt, ne incognita pro cognitis amplectamur: poſterius, ne inutilibus rebus, & ualde etiam obſcuris nimium ſimus intenti. Hæc autẽ uirtus ſtudia ſua ad aliquem externum uſum dirigit, eſtq́; uirtutum princeps & origo. & tamen uerius eſt θεωρητική, quàm πρακτική. Eſt etiam uirtus, qua conſilium capimus de rebus honeſtis, & pertinentibus ad bene beateq́; uiuendum: aut quæ in ſtudijs ſcientiæ, & cognitionis conſiſtit. Hanc ſequitur iuſticia, omnis ſocietatis humanæ cõſeruatrix. ad eam enim ſola ſpectat, ut quæ nec corpus, nec res alterius iniuſtè occupet: ſed unicuiq; quod ſuum eſt tribuat, nemini nocendo, bonis iuuandis, & defendendis. Eius autem præcepta ſunt: primùm nullius rebus damnũ dare. 2. Rebus communibus pro communibus, priuatis pro priuatis utendum. 3. Nimium rerum appetitum cohercendũ eſſe. 4. Communes utilitates in medium proferendas eſſe: quæ certè ſocietatem communem conſeruant, ad quam ex æquo omnes nati ſumus. Hinc ueræ iuſticiæ fundamentum eſt, ut fiant ea quæ dicta ſunt: unde fides naſcitur, dictorum & conuentorum cõſtantia & ueritas. Sed periculum eſt, dum iuſticiam ſequi uolumus, ne in contraria uitia incurramus. Sæpè enim fieri ſolet, ut metus rerum priuatarum nos à conſeruanda*

uanda iuſticia nocet: auaricia uerò & ambitio, ad uim inferendam impellant, quæ ſunt tres cauſæ iniuſticiæ. Quæ eſt duplex. prior, ſi inferamus alijs damnum: poſterior, ſi eos deſertos patiamur, quos à nobis iuuari conueniebat. Prætermittuntur autem officia iuſticiæ per cauſas impedientes, fugam inimicitiarum, laborum & ſumptuum, per negligentiam, pigritiam, inertiam, & priuata quædam ſtudia. Perſæpe etiam quod iuſtum uidetur, iniuſtum erit, ſi præſtetur: tum enim neglecta eſt regula communis, Neminem eſſe lædendum. ut ſi furioſo reddas depoſitum gladium. Fugienda eſt etiam in omni actione calumnia, & fraudulenta legis interpretatio. Porrò quia non modò in ciuitate, ubi exercentur iudicia, conſeruanda eſt iuſticia, ſed etiam in bello: bellum autem omne ſuſcipitur, aut pacis conciliandæ, aut imperij dilatandi gratia: omnino curandum, ut circa prius moderatio conſeruetur, res per fæcialem agatur, religio ſacramenti cuſtodiatur, non niſi miles cum hoſte pugnet. Circa poſterius, ut pro qualitate hoſtium aliàs moderatio, aliàs ſæuitia adhibeatur. Inter cætera uerò fides tum hoſtibus, tum ſeruis integra ſeruetur. Cùm autem proximè accedat ad iuſticiam liberalitas uel beneficentia, ea non ineptè à Cicerone altera pars iuſticiæ dicitur. Eius aũt hoc munus eſt, ut cuiq; ſuum tribuat. Ergo in elargiendo cautio eſt, ne beneficijs noſtris alij lædantur, neq; etiam hi quibus benefacimus: ut pro modo facultatum noſtrarum largiamur, ut pro dignitate demus cuiq;: ubi diligenter morum delectus eſt habendus. Et hæc quidem liberalis facit, qui gratuitò aliquid elargitur, cum uidet id fieri neceſſe eſſe. Porrò habenda eſt ratio morum, non admodum ſuperſtitioſe, ſed ciuiliter: non perfectio obſeruanda eſt, ſed mediocris bonitas in homine, in quo ſunt uirtutum ueſtigia. Porrò cum proprium ſit liberalitatis, in alios beneficia conferre: debet is potiſſimùm iuuari, qui eſt nobis coniunctiſſimus, quemq; cæteris magis diligimus. Ille etiam, qui beneficium accepit, debet eſſe accepti memor, & pro eo gratias dignas referre. Nam in accipiendis & reddendis beneficijs, ciuitates conſeruantur. Eſt quoq; habendus delectus beneficiorum, ut quanto plus acceperimus, tanto plus reddamus. Poſtremò, beneficia ſunt conferenda in deos immortales, inde in patriam, tertiò in parentes, & deinceps in ſocios, amicos, cognatos, affines. Nec ſunt amicorum gradus negligendi: & uidendum ſemper, quod cuique beneficium debeatur, ut pro perſonarum uarietate, ſit beneficiorum diuerſitas. Poſtremò, hic ordo graduum non ſemper neceſſariò ſeruatur, ſed pro circumſtantijs mutatur. Nam in percipiẽdis frugibus, potius uicinum quàm propinquum inueris. Sed cum lis eſt in iudicio, potius propinquis quàm uicinis adſumus. Hæc autem de iuſticia ſufficiant, & ratione, ex qua officia eius proficiſcuntur. Nũc ad tertiam ſpeciem, quæ fortitudo eſt, ueniemus: cum qua animi magnitudo, uel magnanimitas coniuncta eſt. Eſt autem Fortitudo nihil aliud, quàm aduerſorum tolerantia. Naſcitur aũt ex contemptu rerũ humanarũ, & quadã animi amplitudine, & declaratur potiſſimũ in periculis adeũdis, et arduis reb. ſuſcipiendis: uel potiſſimũ honeſtatis cauſa, et cõmunis utilitatis, cui

Qqq 2 ad

ad dextram ſunt, audacia, pertinacia, immanitas, arrogantia, crudelitas, ſæuitia, confidentia, moroſitas, ira, ambitio: ad læuam, torpor, ignauia, ſtupor. Idcirco cauendum eſt, ne dum fortes eſſe uolumus in alterutra uitia prolabamur. quorum priora in exceſſu, poſteriora in defectu ſunt poſita. Porro quia Fortitudo exercetur in negocijs urbanis, rebus bellicis, & in uita etiam priuata: idcirco duplex fortitudo conſtituitur, Domeſtica & Politica. Domeſtica priuatim armat animum aduerſus quamlibet fortunam: hæc facit, ut nihil niſi quod honeſtum eſt, & decorum in priuata uita admiremur, agamus, et expetamus: nulli homini, nulli odioſæ perturbationi, nulli fortunæ ſuccumbamus. Politica autem, quæ & res urbanas & bellicas continet, breuiter ad imperium uel magiſtratum reſpicit, res arduas, plenas laborum & periculorum, ſocietatis publicæ conſeruandæ gratia ſubit, & animũ inuictum aduerſus gloriam habet: contemnit auariciam, cupiditatem honorum, & id genus alia, de quibus antea diximus: idq; tam in bello quàm in pace. Porrò quidam propter libertatem uel ad literarum ſtudia, uel ad res priuatas ſe referunt, negligentes publicas conditiones: hi non ſemper ſunt probandi, quanquam uitæ ſuæ honeſtas rationes habent. Si enim ſunt ingenioſi, ut Plato fuit, uel aduerſa ualetudine impediuntur, liceat eis Rempublicam deſerere. Qui uerò habent à natura adiumẽta ad res agendas, hi debent ſine cunctatione ad gerendã Remp. accedere. Hi ſi ſunt in imperio, ſtatim magnũ animũ accipiant: uideant quoq; num poſſint Rempublicam gerere, nec ſint ignaui admodum, quæ ad deſperationem eos adigit: nec admodum cupidi, ſed præparent ſe ad res quaſlibet gerendas ac agendas. Porrò quæſtio additur, Num res urbanæ ſint præſtātiores bellicis: quæ diſputatio in hunc ſyllogiſmum includi poteſt. Quæcunq; conſilio adminiſtrantur, maiora ſunt ijs quæ armis geruntur: Res urbanæ conſilio adminiſtrãtur: Ergo res urbanæ ſunt maiores rebus bellicis quæ armis fiunt. Deinde conſilia ad res bellicas ſunt adferenda: Ergo conſilia urbana ſunt meliora. Deinde in bellica fortitudine hoc principiũ eſſe debet, ut imperator non niſi cognita cauſa cum uictis agat, publicamq; ſalutem priuatæ præponat. In urbana uerò, hoc eſt in Republica adminiſtranda, maximum eſt, ut priuata commoda negligat: deinde quod eſt ad ſtabiliendam pacem utiliſſimũ, ut uniuerſæ Reip. non parti conſulat, qui Reip. præeſt: tertiò, is fugere debet in primis ambitionem, quæ plerunq; impellit nos ut deſeramus officium magnani mi uiri. Et in genere, cum Virtus ſit medium inter uitia poſitum, mediocritas ubiq; retinenda eſt, præſertim in animaduerſionibus, pro ratione quidem culpæ, æquabiliter animaduertendum eſt: præcipuè autem ira eſt coercenda. Habes de Fortitudine. nunc ad Temperantiam, quæ modeſtiam continet, quoque progrediamur. Ea eſt, ſeruare modum & decorum in omni quod ab homine fieri ſolet. Eius autem hoc proprium munus eſt, & officium, ut cupiditas rationi pareat, ſicut puer pædagogo. ex qua ſpecie naſcitur decorum, quod ſe ad honeſtatem habet, quemadmodum bonus color ad habitum bonum. Eſt autem duplex decorum, poeticũ et philoſophicũ. Poeticum, quo poetæ utuntur,

qui.

qui pro qualitate & conditione perſonarum pariter honeſtis & inhoneſtis ſuum quoddam decorum tribuunt. Philoſophicū, quo philoſophi utuntur: qui indecorum appellant, quicquid à natura diſſentit. Porrò hoc eſt duplex. Generale: hoc eſt, nihil contra naturam facere, quod eſt in omni uirtute & officio poſitum. Speciale: quod eſt, non modò nihil contra naturam facere, qua à beſtijs ſeparati ſumus, ſed ea etiam quæ natura permittit, cum modeſtia quadā & ordine facere: quod licet in alijs ſpeciebus honeſti non parum poſſit, tamen in hoc plurimum ualet, ut non modò corpore, ſed magis etiam animo huic decoro adhæreamus. Et quoniam uis animi duplex eſt: alia enim eſt ὁρμὴ, alia eſt λόγος: omnino laborandum eſt, ut ἡ ὁρμὴ obediat τῷ λόγῳ, tanquam pædagogo & rectori ſuo, ut inde eluceſcat omnis moderatio & conſtantia: ſemperq; in recenti memoria habeamus, nos ad grauiora ſtudia, non leuiora, nempe ludos, iocos, & id genus alia natos eſſe: quibus tamen, ſi uolueris, in loco & tempore uti poſſis, ſed ſicut ſomno & quiete. Porrò cum hominis natura ab huiuſmodi iocis nō planè abhorreat, ſciendum eſt, duplex eſſe iocandi genus: honeſtumq; iocum probari. Corporis enim uoluptas, quia magis pecuina eſt, aut omnino reijcienda, aut quàm parciſſimè adhibenda eſt. Nam cum natura omnes homines induerit duabus perſonis, quarum alteram communem habemus cum omnibus hominibus, qua ſcil. participes ſumus rationis, & reliquis animantibus antecellimus: alteram uerò priuatam, quæ ſingulis eſt attributa: magnoperè laborandum eſt, ne à ſtatu ingenij noſtri, ſeu natura, modo uicioſa non ſit, diſcedamus. Porrò præterea duæ aliæ accedunt. altera, quam uitæ genus, in quod caſu incidimus: altera uerò, quam ſtudium ad quod nos uoluntate cōtulimus, imponit nobis. De poſteriori præcipuè obſeruandum eſt in omni genere uitæ deligendo, eſſe conſilium reuocādum ad ſuam cuiuſq; naturam, in qua re maximam uim habet natura, proximam fortuna: præferenda tamē ſemper natura eſt. Et quoniam nō ſine his officia diſparibus ætatibus tribuuntur, igitur decorum pro qualitate & conditione cuiuſq; ætatis uariè accipiendum. ut adoleſcentis eſt, ſenes uereri, & ex his eligere quos ſibi imitandos proponat, animum & corpus exercere, neq; ſe unquam libidinibus dedere. Senis eſt, amicos & iuuentutem, Remp. præſertim conſilio & prudentia adiuuare, luxuriam ueluti pernicioſiſſimam peſtem fugere. Magiſtratus quid etiā deceat, intelligere: hoc eſt, alijs præire moribus & exemplis. non enim priuatā perſonam, ſed publicam gerūt. Priuati, pari in re cum ciuibus uiuere, et fortem & conſtantem eſſe. Peregrini, minimè curioſum eſſe, ſed ſuum negocium agere. Hæc de decoro, quòd in factis cernitur. Nunc ad id quod in dictis perſpicia tur. Conſiſtit autem decorum in tribus, formoſitate, ornatu ad actionē apto, & ordine. Quoniam autem formoſitatem uerecundia (quæ eſt mediocritas quædam inter pudorem & impudentiam) tanquam indiuiduus comes conſectatur: fugienda ſunt ea omnia, à quorum uiſione ſiue auditione natura abhorret: ut geſtus mollis, ruſticitas. Diuiditur autem formoſitas, in uenuſtatē & dignitatem. Venuſtas mulierum eſt, dignitas uirorum. A' forma uirili

remouendus omnis indignus ornatus, ſimiliter motus & geſtus. Tueatur formæ dignitatem bonitas coloris. Color autem exercitationibus corporis comparandus. Sit mundicies, modus inter elegantiam uitioſam & agreſtem negligentiam. Inceſſus ſit non nimis lentus, neq; feſtinans. Ante omnia uerò cauendum, ne animi motus à natura recedant: hoc eſt, ut appetitus rationi obtemperet. Habes de formoſitate. Ornatũ obſerua, qui in ſermone eluceſcit: ſermo autem in uoce. Ergo citra uocem duo ſequamur: hoc eſt, claritatem & ſuauitatem. Claritatem exercitatio, ſuauitatem imitatio præſtat, & leuiter loquentium auget. Omnino igitur cauẽdum, ne ſermo ſit acerbus: ne pertinax, ne inſulſus, ne immodicus, ſed rebus accõmodus: nec obtrectans, ne uagus, ne inæqualis. In ſumma, in omni ornatu actioni apto, tria hæc commoda ſunt obſeruanda: ut conſilio, non cupiditate ſuſcipiatur actio: ut quantum oportet, cura adhibeatur, ut mediocritas ſeruetur. circa tertium membrum omnino præſtandum eſt, ut in omnibus actionibus ſeruetur εὐταξία: hoc eſt, habeatur ratio temporum atq; locorum, ut ſine temporibus & locis queq; fiant. Nam hoc ordo rerum, & temporis opportunitas monet. Poſtremò obſeruandum, qui debeant eſſe ſumptus honorati uiri in ædificando: & quod ſit diſcrimen inter honeſta artificia et inhoneſta, ut eſt in ultimo capite. His iam abſolutis, de quatuor ſpeciebus honeſti, & earum officijs uidendum eſt, quæ nam ſpecies ſint potiores: ponendaq; inter eas eſt collatio. Siquidem duobus honeſtis propoſitis, deliberandum eſt utrum ſit honeſtius. præſertim autẽ iuſticia prudentiæ & fortitudini: quia prudentia tibi tantum utilis eſt, neq; alijs commoda. Fortitudo uerò ſine iuſticia, furor eſt. Ergo, inquies, nihil literati in commune conferunt? Vtiq; conferunt. Nam hic finis ſtudiorum eſſe debet, ut conſulatur patriæ, parentibus, amicis, & Reſpublica adminiſtretur. Cum temperantia ita coniuncta eſt iuſticia, ut eatenus ſeruetur ſocietas, quatenus non uiolatur uerecundia & modeſtia. Quare ſæpè pluris ſit uerecundia, quàm iuſticia. Et de primo libro tantum.

FINIS PRIMI LIBRI
Anno 1544. 17 Decemb.

RERVM ET VERBORVM IN HIS Officiorum Vuolfij Commentarijs memorabilium, INDEX.

A

ABel & Cainus poſſeſsionnum diſtinctionem induxerunt. 120.25
ἀβουλία 251.18
abſtinentia Africani, & L. Mummij. 521.10
abſtinentia Xenocratis 443.33
abſtinentiæ & cōtinentiæ diſcrimen. 522.14
academia uetus & noua 397.26
academię non unum genus 395.24
academiæ ueteris autores 401.24
academiæ pietatis & honeſtatis ſeminaria eſſe debent 13.12
academiarum diſciplina 330.4
laus. ibid.11
academica ἐναργῆ uiſa delirium 395.12
Academicarum quæſtionum iactura. 400.30
Academici & Sceptici 41.18. & 389.26
Academicorum de bonis ſententia. 532.18
Academicorū & Pyrrhoniorū diſcrimen 397.1
Academicorum λογομαχία 395.31
Academicorum, Peripateticorum, & Stoicorum diſcrimen. 397.4
Academicum dogma unde natū eſſe uideatur 396.8
accōmodatum ut accipi poſsit 163.4
accuſandum rarius 467.24
accuſationes publicæ 155.35
accuſatoris nomen ſordidum. 467.31
Acolaſtus euangelicus 166.32
acquirere, anquirere, inquirere. 392.3
actio contemplationi anteponenda. 377.36
actio, doctrinæ de moribus finis 5.1
actio in qua re cernatur 365.4
actionem antecedit deliberatio 61.32
actionem cognitio antecedit, & eius moderatrix eſt 34.17
actiones cuiuſmodi eſſe debeant. 361.10
adhortatio ad iuſticiam 119.10
adhortationes excitant uoluntatem. 375.40
adhortationib. magis opus eſſe quàm interpretationibus 1.1
ἀδιάφορα 62.40 & 247.38 & 267.37
ἀδιάφορα officia 9.39
ἀδιαφορίαν & fatum Stoicum ignauum ocium ſequi 49.4
adiumenta rerum gerendarum 210.1
admirabilia 442.7.18
admirari non eſt ſapientum 442.7
admiratio 405.25
admiratio diuitiarum, corrumpit mores 512.9
admonitio ſtudioſis adoleſcētibus ſalutaris 13.20
adoleſcens nec luſor, nec potor, nec mulieroſus eſto 259.12
adoleſcentia 459.32
adoleſcentia incautior 496.24
adoleſcentia procliuis ad libidinē 281.24
adoleſcentia quomodo regēda 294.11
adoleſcentiæ felicitas 278.41
eiuſdem miſeria 279.5
inſcitia 293.16
adoleſcentiam gratioſam eſſe naturâ. 462.6
adoleſcentiam neglectæ philoſophiæ ſerò pœnitet 382.23
adoleſcentis officium 292.14
prima gloria 462.11
adoleſcentem idoneum auditorem Moralis ſapientiæ negat Ariſtoteles 301.2
adoleſcentem quæ uirtutes ornent. 463.33
adoleſcentes à libidinibus arcendi. 293.31

adole-

adoleſcẽtes laborẽt ne ſint deſpicien-
di 444.9
adoleſcentes ornat ſilentium 327.31
adoleſcẽtes ſe bonos & gratos uideri
ſtudeant 510 29
adoleſcentes ſint ταχυδάκρυες 316.4
adoleſcentes ſtudijs uacare debent.
84.15 (251.23
adoleſcentes temerarij & negligentes
adoleſcentibus magnis in rebus non
temerè fidem haberi 438.26
adoleſcentũ medicamenta 529.30
adoleſcentũ natura 170.1.& 244.41
ἄδωρα δῶρα 164.10
ἀδωροδόκητον καὶ ἀδύνατον laudabile.
494 4
Adrianus pontifex 481.41
aduerſarius quis 41.3
adulatio iudiciũ homini adimit. 233.9
adulatiõis mater amor ſui. ibid.7
adulatio quid. ibid.6
adulatio uitanda. ibid.3
adulatores, uiuos deuorant. ibid.5
adulatoribus aures non ſunt patefa-
ciendæ 232.38
adulatorum aucupium 333.13
aduocati, litium ſeminaria 495.4
ædes pro ſuo cuiuſq; animo 5.10
ædibus in proprijs, &c. prouerbium.
ibid.9
ædilitatũ ſplendidarũ exempla.481.4
ἀδεκαστεῖν καὶ περιφρονεῖν τὸν ὄχλον 101.31
Aegyptij ſingulis menſibus ſemel tan
tùm uxorum cõſuetudine ſunt uſi.
73.6
Aegyptiorum regum metus 125.28
Aelius Dionyſius reprehendit Iſocra
tem 27.12
æmulatio unde 48.23
æquabile genus dicendi quódnam ſit
26.35
æquales eſſe non poſſumus 518.26
æqualitas ubi locũ habeat 453.10
æquatio bonorũ capitalis 517.34.
& 518.10
æquitas fundamentum reipub. 522.32
æquitas quid ſit 145.3
æquitatis lux 137.1
æquitate & æqualitate conſtituta nõ
uiuemus, prouerb. 523.5
æs alienũ amici ſuſcipere 478.2
æs alienum ne ſit in ciuitate, ut cauen
dum 526.16
Aeſchinis dictum de repub. 205.10
ætas coniugij 294.33
ætas matura quomodo expectanda.
492.12
ætates ut terminent aſtrologi 459.32
ætatis humanæ progreſsio 77.35
ætatis ineuntis felicitas in diſcendo.
34.26
ętatis ingraueſcẽtis incõmoda.382.25
affabilitatis laus 465.35
affectatio in omnibus rebus moleſta.
315.6
affectus domandi 129.23
affectus erumpentes declarant homi
nis animum 327.18
affectus gignunt temeritatem 400.13
affectus leniores poſſe in ſermonem
transferri 323.2
affectus libertatem eripiunt 203.22
affectus modum ſeruare nequeunt.
147.22
affectus non eſſe omnes malos 332.15
affectus non excuſare 129.27
affectus non tolli, ſed coerceri debẽt.
415.30
affectus uirtutibus ſeruiunt 231.9
affectuum inconſtantia 250.17
affectuum moderatione iniurias ui-
tari 125.3
affluentia, inopia, mediocritas 406.31
Africani continentia 443.35
laus 521.10
Agatho comicus de ignauia hominũ.
444.39
Agathonis uerſiculus de pigris 130.28
ἀγαθὸς ἀνήρ 119.3
ἀγκυλομῆται 157.27
ἀγχίνοια cur dicta Græcis 439.16
aggrediar dicere, modeſtiæ uerbum.
375.6
Agis Lacedæmoniorum rex neca-
tus 523.27
ἄγναφον 16.10
ἀγορὰ & δικαστήριον 37.32
agricolæ 357.15
agriculturæ laus. ibid.9
philoſophia 274.22

Agrigen-

Agrigentini tyrannũ occidunt 425.39
Aiax impatiens 270.37
αἰσχύνεσθαι & αἰδεῖσθαι quid differsnt. 91.3
αἰδοῖοι dictas eſſe quaſi αἰδοῖαι 84.39
ἀντιλογιῶν περὶ φιλοσοφῶν 77.25
ἀκαταληψία 47.19
Academicorum & Scepticorum. 389.26
ἀκατάληπτα & ἀκαταληψία 396.5.8
ἀκολασία καὶ ἀσέλγεια 304.22
ἀκριβοδίκαιον 144.36
ἀκυρολογία καὶ ἀσυνταξία 509.38
Albertus Baptiſta Leo 338.3
Alciatus 462.1
Alcibiades 446.16
formoſus 348.33
alea periculoſa 256.3
Alexander Magnus 21.35. & 446.16
interfectus 426.8
eiuſdem temperantia 242.23
Alexander Pheræus Theben uxorem timens, ab ea eſt interfectus 424.42. & 425.26
Alexandri Aphrodiſienſis diſputatio de felicitate 21.10
ἀμαθής 16.9
ἁμαρτάνειν καὶ πταίειν 56.7
ambitio & auaricia mutuusq; metus cauſa calliditatũ & bellorũ 86.32
ambitio ignaua 461.29
ambitio Romanorum 382.3
ambitio, φιλοτιμία, φιλοδοξία, φιλαρχία, καὶ τὸ φιλόπρωτον 127.15
ambitione præſtãtes etiã uiros tranſuerſos agi 32.11
ambitioſi miſeri 225.20
ambitus 421.19
Ambroſius de Iuliano apoſtata 348.17 eiuſdem leuitatem ex inceſſu deprehendit 316.5
ἀμέλετοι homines 35.34
ἀμιξία καὶ ἀκηδία rerum omnium pernicies 446.4
amicitia 43.32 iucundiſsima quæ 186.34 triplex 420.11 uulgaris 185.11
amicitiæ cauſa efficiens 183.28
amicitiæ cõſeruandæ gratia homines incommoda patiuntur 80.3
amicitiæ quare contrahantur 288.3
ſenſim diſſuendæ, nõ repentè præcidendæ 287.5
amicitiam ut Pythagoras definierit. 184.40
amicus procul habitans, non eſt amicus 187.40
amicus qui ſit 185.2
amicorum omnia cõmunia 180.1
amor & odium plus ualet, quàm fortuna 418.10
amor ex aſpectu 75.25. & 297.6
amor ſui quid ualeat 26.32
amoris gradatio Diſticho græco expreſſa 297.12
amoris intempeſtiui remedia 305.33
amoris uariæ cauſæ 420.20
ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκριβοῦσθαι 17.42
ampliſsima quæ fuerint apud Romanos 483.41
amputare quid ſignificet 398.8
anabaptiſtæ bonorum æquationem reuocare conantur 518.13
ἀναχωρητὸς καὶ μονώτης 450.26
ἀναδασμὸς τῆς γῆς 121.29
ἀναρχία & ἀταξία 53.18
Anaxarchus corpus ſuum utrem appellat 233.24
ἀνδρεία unde dicta 93.26
angelorũ defectio & pugna inter ſeſe 48.26
angoribus ut reſiſtatur, qui doceant. 378.28. & 381.16
animalia quid habeant 74.33
animata quæ 407.39
animi diuiſio 357.41 ſecundum Stoicos 317.13
animi dotes, corporis operibus prȩferuntur 463.17
animi & corporis operum collatio. ibid. 12
animi hominis indices 327.1 & deinceps
animi humani excellẽtia magna. 262.27 motus duplices 317.13 ornamenta uera eſſe 339.14 partes principes ſtatui tres. 209.13
animi perturbatio omnis quædam ebrietas 327.20
animi pulchritudo 249.39 tres partes 447.2 uis duplex 250.7 triplex

triplex 250.13
animus honeſtus 532.29
animus probus ad omnem obſcœnitatem erubeſcit 256.22
animorum ſordes 353.23
annonæ copia magiſtratibus curanda 519.15
annonę & rerum omnium caritas indies creſcit 305.26
Anonymus Ptolemæi interpres 73.5
anſæ rerum duæ 384.17
Antipater Tyrius Stoicus 527.40
Antiſthenes Diogenē à diſciplina ſua repulit 464.19
eiuſdem dictum 204.13
antitheſis 10.35
ἄνθρωπος unde dictus 85.2. & 92.2
ἀπάθεια Stoicorum 4.26. & 201.2 & 252.20 ab ipſiſmet refellitur 317.41 eiuſdem ſpecies ſeu partes 204.9
ἀπαίδευτος 16.10
Apellis exemplum 350.17
ἀποφαντολογία 331.40
ἀπφίτατον officium 9.40
ἀπηλγηκότες 65.22
Aphricani & Metelli diſſenſio non acerba 226.9
Aphthonius progymnaſmatum ſcriptor Græcus 14.34
ἀπολαυστικὸ 42.30
Apollinis ligneus murus 242.14
oraculum de Sparta peritura. 521.34
ἀποφθέγγεσθαι quid ſignificet 258.18
appellari 230.18
appetere plus licet, ſed ſine cuiuſquā iniuria 127.4
appetitionis & rationis pugna 65.17
leuitas 93.6
appetitionum obedientia pulcherrima 252.27 teterrima rebellio. ibid. 31
appetitus an ſedem habeat in iecore. 250.32 author peſſimus 320.2
appetitus equi, ratio auriga, homo currus 253.8
appetitus errat 341.34
appetitus & ratio quid differāt 65.5
appetitus moderandus 358.4
appetitus pareat rationi, ſumma Moralis ſapientiæ 319.38
appetitus puer eſt, & ratio pædagogus 255.41
appetitus rationi ut obediens efficiatur 251.38
Appia uia 484.20
ἀπαραγμενών 131.39
ἀπραξία reprehenditur 204.23
ἀπροηγμένα Stoicorum 21.14 & 532.41
aptè dicere 23.26
aquam cribro haurire, prouerbium. 476.40
Aratus Sicyonius laudatur 523.38 & 524
arbitrari, & ſimilia uerba, quam uim habeant 374.1
arcana Dei non inquirenda 180.30
Archimedes 131.15 plus profuit patriæ, quàm aliquot millia militum 365.36
architectura, ars honeſta 355.31
architecturæ ſcriptores 338.3
Archytæ irati dictum ad ſeruū 335.6
Areopagus & Areopagitæ 213.4
Areopagitæ iuſſerūt oratores ſine prooemijs & perpeſsionibus dicere. 26.25
ἀρεταὶ quinam dicantur 333.37
ἀρετὴ 7.40
argenteis lanceis pugnare 420.34
argumentationes falſæ ſeipſas refellunt 318.5
argumentum euertens finem doctrinæ de moribus, eiuſdemq́ ſolutio. 6.10
argumenta aduerſariorum prius refellenda, quàm noſtram ſententiam confirmandam 72.2
Ariſtides declamationum ſcriptor. 14.38 Themiſtoclis conſiliū criminatur 403.24
Ariſtidis iuſticia 446.16
Ariſtocles appellatus Plato fuit à parentibus 30.18
Ariſton quis fuerit, & cuiuſmodi dogma ſit ſecutus 46.41
Ariſtophanis comœdiæ perſtringuntur

tur 257.38 eiuſdem uerſus, de hominibus 233.25
Ariſtoteles à Cicerone qualis ſit habitus 31.21 cum iudicio legendus 401.12 cur uirtutes non natura, ſed habitu & electione definierit 105.41 de ſcopo 305.42 elogijs ornatus à Platone 401.10 exemplum eruditionis 236.11 Iſocratē contempſiſſe dicitur 31.38 Siculus rhetor 32.17 eiuſdem ſcriptum contra Iſocratē. ibid. Tyrtamum nominauit Theophraſtum 29.35 ueritatis & iuſticię normam uerborū & affectuū lenocinijs emolliri non uult 26.27
Ariſtotelica philoſophia hominis naturæ conſentanea 74.26
Ariſtotelis aſſertio, adoleſcentes non eſſe idoneos Moralis philoſophiæ auditores, perſtringitur 34.5
dictum de ſcientia 23.17
de uiro bono 36.11
de functione magnorum munerū. 59.15 de minore malo 68.32
de homine 79.19
de indigentia 102.6
de capeſſenda repub. 208.34
de magnanimitate 217.23
de mediocritate 312.39
Ethica ad Nicomachum 22.39
Iſocratis æmulatio 31.23
libellus de uirtutibus 240.9
liber περὶ ἐγκωμίων 23.4
Moralia tripartita 485.14
Phyſiognomonica citantur 316.1
ſcripta diu delituêre 401.22
ſententia, animos ſequi corpora. 201.36 Sophiſtici elenchi 146.4
ſtudium philoſophia, ut Iſocratis eloquentia 31.32
Ariſtoteli maior gratia debetur, quàm alijs philoſophis 401.5
Arithmeticæ & Geometriæ præconium 112.33
arma ſine conſilio nulla 214.2
Arrianus hiſtoricus 21.36
arrogantes & temerarij qui ſint 211.37
arrogantia 266.3
diuitum 195.26
mater calamitatis 417.20
maximorum malorū cauſa. 199.38
periculoſa 285.29
procerum 195.26 quid 22.40
eiuſdem fomenta 248.1
ars certior dux quàm natura 53.11
quæ uitia habeat adiuncta 342.39
eiuſdem definitio 111.3. & 342.41
præconium 408.40
artes hæreditariæ 282.42
inanes 343.9
malæ. ibid. 4
mechanicæ. ibid. 2
artes omnes in ueri inueſtigatiōe uerſari 113.14
artes operoſæ quæ dicantur 414.19
artes ſuperuacaneas exercere pręſtat, quàm ociari 355.22
artificia ſubtiliora ſuum in repub. habere locum 254.19
artium cognatio 345.19
connexio 98.29
artium incremēta ijs accepta referenda, qui auſi ſint aliquid nouare. 50.7
artium genus tripartitum 414.20
artium omnium principia è philoſophia eſſe propagata 389.18
ad Artium perfectionem tria requiri. 6.30
artium principia 110.42
artiū ſcientia digna principibus, exercitatio mercenaria pauperibus. 355.34
artium uarietas hominum induſtriæ accepta referenda 410.25
ἄσκησις 6.33
ἀσωτία, ſeu ἀνελευθερία 304.3
aſſentatores 164.5
aſſentatoribus aures præcludendæ. 232.38
aſſuefactionis & attentionis magna uis 317.1
aſtorgiæ exempla 73.18
aſtrologia 264.37
multorum conuicijs proſcinditur. 112.13. ubi de ea præclarè legere licebit.
aſtrologiam miſerè tractari 438.41. & 439

Athenarum præconium 12.6
Athenienſium municipia 498.9
profuſio in ſpectacula 478.32
Atreus cur ſic fuerit appellatus 245.21.
Attica iudicij formula 147.28
auariciæ cauſæ 125.10
etymon 482.21 importunitas 449.40
auari præmia 198.30
auari ſunt iniuſti 408.11
auaris nihil de iure concedendum. 495.17
audacia cauenda 460.26
eius cauſa efficiens quæ 219.24
audaciores reprimendi 271.24
audiendi uiros doctos, nullam negligendam occaſionem 11.34
auditorum finis 7.24
auditorum habenda ratio. 1.30. & 44.42. & 441.18
auditorũ inquiſitioni & maturiori ætati quædam eſſe relinquẽda 2.24
tria genera 468.9
auditus & uiſus 84.30
Auguſtanæ reipub. erga Vuolfium liberalitas 283.11
Auguſtinus doctor Eccleſiæ 7.33. & 9.4 eiuſdem dictum, Deum ſua in nobis coronare 533.34
teſtimoniũ de libris Ciceronis de Repub. 485.20
Auguſtus Cæſar authoritatem Senatus defendit contra M. Antonium. 379.15 felix & clemens Rom. reipub. princeps ibid.28
eiuſdem teſtimoniũ de Cicerone. 378.14
aula 462.21
aulicorum moroſitas 268.1
aulicum prouerbiũ, Quærere humorem 228.11
aures hominum delicatæ 426.28
auribus peccari 255.25
aurificis ſtatera 383.33
aurum in mare abiecit Crates 201.20
Auſonij præceptum 38.10
autoritas αὐτόνιτος 293.6
diuina 49.40
authoritas doctorum quantum poſſit 12.32
autoritas tanta ſit, quãta ratio 349.41
autharitas ueterum philoſophorum. 387.33
autoritati humanæ ſeruiendum non eſſe, ſed ueritati 49.34
autorum libertas in diuidendo 415.1
auxilio digni 487.4
αὐλεῖν ἑαυτὸν 448.11
Aymarus Riuallius 154.23
αὐτάρκεια & αὐτονομία 106.7
αὐτόματον 458.32
αὐτίκα γὰρ καὶ λόγῳ δείξειν ἃ ἀποδείξω 4?.22
αὐτουργοὶ καὶ θῆτες apud Athenienſes. 354.18

B

Bacchis meretrix 428.42
barbariem paulatim redire 382.12
Bargulus latro 451.14
Baſilius de Iuliano apoſtata 348.17
eiuſdem aurea ſententia, de uulgi opinionibus cauendis 95.25
beata uita in terris nulla, ſed in cœlo quærenda 5.40
beatitudo Chriſtiana 41.38
beatitudo finis certus, ſed uia ad eam perducens controuerſa 41.28
hominis alia, & alia porci 85.20
in quibus bonis poſita 392.12
quærenda in Deo 318.22
terrena. ibid.32
beatitudinis philoſophicæ & popularis diſcrimen 55.1
beatitudine nihil melius 318.16
beatus nemo 509.25
quis dici ſoleat 5.37
beatum eſſe aliud eſt, quàm eſſe diuitem 126.14
Belliſarius 418.21
bellum & pax 214.25
bellum iuſtum quod ſit 152.33
Pompeianum 463.4
ſeruile, ſeu ruſticum 447.9
ut ſuſcipiendum 217.9
bella inteſtina Romam perdiderunt. 430.37
bella omnium malorum caput 7.10
unde potiſsimùm oriantur. ibidem
bella propter Meum & Tuum oriuntur. 48.18

bella

bella quid pariant 212.35 ſunt impietatis noſtræ pœna 411.39
bellorum cauſæ 154.32.& 208.40 ciuilium ſcriptores 379.26 exitus 426.38 finis 149.13.31
belluæ quæ damna hominibus dederint 412.42.& 413
benefacta laude carere non debent. 328.18 malè collocata, malefacta 486.26
benefaciendi cauſæ 506.23
benefaciendum ita eſſe, ne qui lædantur 504.41.& 505
beneficentia, benignitas, liberalitas, idem 118.36 ſublimior quædam iuſticia 119.16 & utiliſsima & homine digniſsima 163.9 ἰδιωτικὴ καὶ πολιτικὴ 515.29 in calamitoſos res regia 490.18 in calamitoſos ſit propenſa 486.20 inſidioſa 173.28 reos Athenis ſubleuabat 477.36 ut indigentibus ſuccurratur 471.30 ut ſit erga indigentes exercenda. 475.32
beneficentiæ Dei agendę gratię 408.6 diuiſio 473.1 & liberalitatis diſcrimen 119.20 extrema 477.20 facultatē præbet parſimonia 496.14 gradus 187.11 præcepta 189.1 prætermittēdæ nemini locum relictum 504.14 quatuor conditiones 167.39
beneficium dare, quàm accipere, beatius 509.27
beneficium ſummum ueram religionem docere 173.7
beneficia melius apud bonos quàm fortunatos collocantur 511.3 quæ opera dantur 498.21
beneficiarij 490.42
beneficiorum æſtimatio 173.1
bene meritos nobis excidere non debere 170.34
beneuolentia erga ſuos ornat adoleſcentes 463.34 fidelis cuſtos uel ad perpetuitatem 422.6 pars gloriæ 431.36 quid 420.17 eius cauſæ effectrices 436.30 leuiores 437.32 & metus collatio 421.24
beneuolentiam hominum quæ concilient 418.37.& 419.25
beſtiæ & hominis diſcrimen 358.12
beſtiæ memoriæ & prouidentiæ ſimulachra habent 75.32 non iudicant 92.1
Betuleius 67.14
Bibliorum lectio 276.20
βιβλιοτάφοι 369.23
bibliotheca 338.18 ingenij 115.20 ſtudioſi qualis 496.30
bibliothecæ publicæ in quem uſum ſint inſtitutæ 408.28
Bibuli conſulatua 433.27
Bionis elegans dictum de perſuaſiōe inani 20.30
bis ac ter quod pulchrū eſt, prouerb. 1.22
βωμολοχία 257.3
Bononia libera ciuitas oppreſſa 422.39
bona animi quibus de cauſis labaſcāt 201.30 è malis excerpenda 384.17 ingenia praua doctrina corrumpi 43.30 tempora 480.32 tripartita, animi, corporis, & fortunæ ſtatuere, uox homine digna 74.26
bonæ indolis ſignum 336.3
bonus ciuis quis 307.21 quis dici ſoleat 5.36
boni magiſtratus ſolatia 207.26
boni uiri & boni ciuis diſcrimen 308.23 officium latè patere 36.8 præmia 198.31
bonum magiſtratum offenſas moroſorum & improborum uitare non poſſe. 207.11
bonum uirum eſſe difficile 456.6
boni & docti haberi uolumus 456.24
boni uiri ex iuſticia nominātur 448.26 ſimplices & aperti 266.15.24 ſunt creduli, & falluntur 327.12
bonis facilius caremus, quàm ſuſtinemus mala 209.27
bonorum æquatio 517.34 improbatur 518.23 & improborum diſcrimen in opibus augendis 375.27 genera duo Platoni 89.30.& 191.21

bonos mores docendos, omnes philoſophi conſentiunt 39.6
βουλεύεσθαι βραδέως, ἐπιτελεῖν ταχέως 252.9
breuis ſententia copioſè tractata á Cicerone 32 27
breuitas ſcriptorum ut ſit iudicanda 419.11
breuitati ſtudentes nō accuſandi, ſed uituperandi ignaui, qui omiſſa non inquirunt 138.25
Brutus & Caſsius Iulij Cæſaris interfectores 424.14

C

Cabala Hebræorum 109.17
cacoethes ſcribendi 383.10
Cainus & Abel 120.25
C.Pontius Samnis 519.31
calamitate digni qui ſint 487.3
calamitoſis ſuccurrere, regiū eſt 490.18
Calcagninus 60.32 & 67.14 & 68.17
calida conſilia & facta quæ dicantur 219.21
Callicratides 266.22 Lacedæmoniorum dux 221.10
χειρουργία 518.6
callidi cur ſapientes uideātur 404.28 qui dicantur 405.22
calliditatis deteſtatio 159.37
Callimachi de Iouis pubertate uerſiculi 281.22
calumnia quid 144.28
Campus Martius 259 2
cantare in foro 347.21
capitale quid dicatur 160.28
caput diſciplinæ ſuæ tenere 45.31
carbones pro theſauris exoſculari, prouerbiale 17.38
Cardanus 462.2
Carthago 150.21
caſtigatio clemens 335.13
caſus & fortuna quid differāt 458.30
catalogus authorū de ſermone 323.7
Cato Cenſorius 98.40 author ut Carthago euerteretur 150.22 Maior, laſciuus 304.25 Vticēſis 293.13 ſibi mortē conſciuit 185.40 eius dictum de C.Cæſare 128.19 epiſtola ad filium in militia 153.27 filius tiro 153.7 ſenis reſponſa de re ſa miliari 530.25
Catonem ſenem Græcas literas didiciſſe, ut ſit intelligendum 15.41
Catuli in ſermone quales 324.38
cauendū ne ſimulationis artificio decipiamur 349.34
cauſa ignorata nihil ſcimus 23.18
cauſæ agendi 478.34 amoris, leues 170.10
cauſæ & effectus 76.29 per accidēs 76.33 quatuor 77.23 quæ ignauiæ & luxuriæ prætexantur 25.36 ſcientiam gignunt 400.13
cauſarum facienda contentio 399.37 genera inter ſeſe miſceri 290.11 ut diſtinguantur 290.2
cauſas inferiores quærendas, & eaſdē diuinitus inſtitutas 8.25 ſecundas, non eſſe negligendas 392.41
cęci ſumus in noſtris uitijs, in aliorum oculati 349.1
Cæſaris oratio qualis 325.4 uerba apud Salluſtium 28.14
Cebetis tabulæ laus 282.23
cedere de ſuo iure 494.21
cenſores alienarum lucubrationum temerarij 27.26 aliorum candorē adhibere debent 51.42
Centaurorum gloriatio de turpitudine 261.10 literæ 261.15
Cepas edere, prouerbiale 332.29
cerimoniæ 367.40
χαράκτηρ μόνος καὶ αὐστηρὸς 5.22
charitas retinenda, & metus profligandus 424.24
charitatem inculcat Euangelium 339.36
χαρίζεσθαι 164.8
Chilonis de ocio dictum 303.39 præceptum 232.9
chiromantia 112.27
χειρῶν ἀπεικασμὰ 121.28 & 518.4
Chriſtianæ religionis præſtantia 5.2
Chriſtianæ uirtuti diuinum præmiū eſſe propoſitum 9.9
Chriſtiani hominis cogitatio, quomodo beatè moriatur 116.27
Chriſtiani ſoli honeſtatis & utilitatis connexionē uerè proſpiciunt 403.15 & 404.24 ſunt nomine pleriq;

re

re philoſophi, & quidem Epicurei 275.20
Chriſtianos quales eſſe deceat 266.24
Chriſtianiſmus quis hodie uulgo habeatur 322.16
Chriſtus ἀμήτωρ & ἀπάτωρ 55.30 inſtaurator & aſſertor humani generis 255.1
Chriſtum ferè prohibere, uim ui repellere 119.29
χρηστολόγοι 140.36 & 164.14 & 333.37
Chryſippi uerſus 95.15
χορηγία 64.12
Chymia ex diuitibus pauperes facere ſolet 109.17
Cicero ab amore ſui reuocat ad charitatem 339.34 aliàs populariter, aliàs philoſophicè loquitur 440.25.40 à Stoicis & Epicureis multa eſt mutuatus 15.34 à Stoicis pleraq; mutuatus 4.22 [illegible] 51.37 beneficia doctrinæ agnoſcit 367.34 contra Calcagninũ defenditur 67.14 & 68.27 de uerbis laborans 345.1 duabus ſellis ſedens 93.10 & 390.29 eloquens & amans patriæ 378.14 Empedoclem & Philonicum è numero philoſophorum excludit 39.10 etiam improbas cogitationes caueri iubet 93.30 fatetur ſibi immortalitatis ſpem excidere 41.37 fidelis & ſolers doctor 242.36 F. ingenioſus 22.4 laudatur à patre 462.33 gaudet ſynonymijs 36.31 & 373.20 gloriatur de ſuo conſulatu 215.14 glorioſus 215.37 & 337.6 græcè declamauit 14.40 & 15.4 honeſti ſtatuam ſine capite poſuit 96.14 in iudicijs & foro regnauit 502.16 non dubitauit animos cum corporibus interire 96.23 non ſe demittit in definitionum anguſtias 191.5 nunc Academicus, nunc Stoicus 21.1.27 Octauium ſummis honoribus ornauit 430.25 pacis ſequeſter 151.23 philoſophiã collocat in medio ἀμελείας καὶ περιεργίας 106.19 principes ab ocio reuocat 113.37 proditus & deſertus ab Octauio 430.24 qualis efficiẽs huius operis cauſa 4.12 quas ſuæ ſcriptionis cauſas afferre potuiſſet 13.24 quid potiſsimũ philoſophiæ præſtiterit 51.11 Romulus Arpinas 466.3 ſi Græcis reſtituere cogeretur, quæ ab eis mutuatus eſt, parum illi reſtaret 15.30 ſuæ uirtutis prædicator 448.9 teſtatur Ariſtotelem Iſocrati aduerſatum 32.7 uerba conduplicata non accuratè diſtinguit 12.24 uidetur principium petere 56.32 uiros de ſe bene meritos celebrat 483.19 eiuſdem authoritas ad Græcas literas diſcendas ualere debet 14.20 candor laudandus 156.32 definitiones uirtutum Ariſtotelis ſubtilitatem nõ aſſequi 98.18 de ſuis libris diuinatio 434.20 epiſtolæ & oratoria 25.7 exemplũ principib. in repub. uiris imitandũ 4.16 filius Bicongius & Cypellomachus 11.23 genus dicendi aridius 24.34 qualis fuerit poſt obitũ patris 11.12 fortuna uaria 232.29 frigida religio 407.24 iactantia & mollicies 288.37 interitus 7.22 lectione ſapientiam & eloquentiam augeri 17.27 libri de Repub. 485.18 librorum de Officijs generalis methodus 316.19 nomen, autoritas, atq; gratia 4.1 præſtantia 7. & 458.20 ordo & diſpoſitio 515.32 & 345.34 philoſophica 24.36 propoſitum 33.26 prudentia in deligendo præceptore & loco ad filium erudiendum 13.1 ſcripta cur ſint legenda 24.23 eſſe aureum eloquentiæ flumen 22.30 in manibus habenda 4.1 mutila eſſe 33.34 eiuſdem Topica iuſto breuiora eſſe. ibid. ſolatia 378.37
Ciceroniana diſpoſitio 425.37 Reſp. 485.26
Ciceronianorum librorũ iactura 384.7
Cimon hoſpitalis 497.23

circumſtantiæ 344.34. & 475.18 maximam dicendi copiam ſuppeditant 32.37
circulus diſciplinarum non eſt dirum pendus 25 33 quidam rerum humanarum 1.12
circuli qui dicantur 321 32
ciuea plerunq; meliores, qui rem habent 496.3
ciuilis diſciplina, felicitatis & autor & conſeruatrix 7.15
ciuilitas morum 10.5
ciuis bonus quis 307.21
ciuis officium 308.11 pupillus 223.22
ciui & peregrino quid debeatur 352.16
ciuitatis proprium 522.33
ciuitates liberæ in Italia oppreſſæ 422.39
Claudianus 285.22
Claudi ſutoria inſtar, prouerbiale 391.19
Cleanthes in paupertate philoſophus 275.35 patiens laborum ac ærumnarum 285.6
Clemens Alexandrinus 405.41
clementia 227.37
Cleombrotus Lacedæmoniorũ dux 221.28. & 222.13
Cn. Octauij domus 338.35
Codrus Vrceus 84.19
Cœlius Secundus Curio 206.12
cœnobia unde ſint exorta 350,37
cogitandi libertas uix hodie relinquitur 205.37
cogitationes quietæ 219.25 rerum peſsimarum 319.1
cogitationum uariarũ deſcriptio 319.1
cognatio naturæ rerum, uirtutũ & artium 345.18
cognitio actionis moderatrix eſt, eáq; antecedit 34.17 cauſarum 389.34 Dei naturalis, ex Paulo probatur 388.25 ueritatis maximè neceſſaria 83.42
cognitionis cupiditas eſt naturalis 83.31 finis eſt actio 365.7
collatio locorum quid conducat 377.42. & 378
colloquia erudita, publicæ auſcultationes, priuatæ lectiones coniungendæ 330.1
colloquiorum & dialogorum ſcriptores 326.1
Columellæ locus 144.32
Comici Attici noui 257.41
comitatis laus 465.35
commodorum ſuorum rara obliuio 222.33
commoditas ad cuiuſq; conditionem referenda 64.1
Comœdia antiqua & noua 257.37
comœdiæ triplices 272.4
comœdiarum uſus 295.42
communia omnia 120.13
comparationes & ſermo communia & rerum natura patitur 67.35 rerum neceſſariarum ſuperuacuæ 213.18
comparatiui 374.41
competitoris & inimici exiguum diſcrimen 156.3
compungi, & compuncti 425.17
concio leporis ad leones 447.20
concionatores pernicioſi qui habendi 323.28 ut docere debeant 441.5
concordia fundamentum Reipublicę 522.30
conditio & pactio an differant 120.34
confeſsio priuata cur inſtituta 137.12 eiuſdem abuſus. ibid.
coniugata non uoce, ſed ui uerbi 118.41
coniugium 138.23
coniugij ætas 294.33
coniugia intempeſtiua & temeraria 492.2
cõiunctionis ordo neceſsitate immutatur 187.16
conniuendum ad multa 227.21
conſcientia bona uulgi iudicia cõtemnit 247.30 carnificina maxima 261.27 mille teſtes. ibid.
conſcientia uirtuti amplißimum theatrum 443.9
conſcientiæ potiſsimùm ratio habenda 515.19
conſequentia 77.28
conſiliũ ex tempore capiendũ 273.20

conſi-

conſilium ſine armis nullum 214.3
cõſilia audienda 233.3 cuiuſmodi ſint capienda 218.24 prudentũ 280.30
conſociatio ciuilis hominũ induſtriæ accepta referenda 410.25 eiuſdẽ uis & effectus 34 deorum & hominum 364.27
conſociationis humanæ cauſæ 368.22
conſpiratio in bonam & malam partẽ capitur 412.16
conſtantia 121.4 & 246.16 coniuncta cum prudentia probatur 309.21 duplex 268.33 & perſeuerantia 195.1 in ſtudijs literarũ utiliſsima 309.32 magnanimitatis uel propria, uel cognata 231.28 ſcopum ſemper eundem ſpectat, nõ ſemper idem dicit & facit 268.39 uti ſeruetur 269.18
conſtantiæ & leuitatis cauſæ 209.11 ſummum decus 359.33
Conſtantini Cæſaris γυμνικὰ 329.10
contemplatio ſe ipſa contenta non eſt 365.13 ſine actione manca 365.2
cõtẽplationi actio anteponẽda 377.36 philoſophicæ non omnes idonei 391.27
cõtẽptores uirtutis & ſapientiæ 92.17
contemptum nemo fert æquo animo 444.7
contendere quid ſignificet 461.28
cõtentiones indignæ uiris doctis 336.16
contentus quis ſit ſua ſorte 488.25
continentia Affricani 443.35
continentiæ & abſtinentiæ diſcrimen 522.14 exemplum ſingulare Zenobia regina 72.37
controuerſia Peripateticorum & Stoicorum 21.8
controuerſiæ de numero bonorum 532.14
contumaciæ ſtulticia 75.27
conſuetudo eſt altera natura 357.6 & 381.4 eſt lex 351.5 præſtantium uirorum 464.14 tyrannis 480.27 & 482.28
conſulere omnibus 224.29
conſul & ſutor 352.35
conſultandum tardè, expediendũ celeriter 252.9
conuiuium quid deceat 347.11
conuiuium Xenophontis 328.29
copia & copiæ quid ſignificent 374.27 & 375.30
copiam dicendi attributiones augent 344.34
cordati qui ſint dicendi 327.11
Corinthus cur euerſa fuerit à Romanis 150.34
corporis cultura omnium 398.17 humani fabrica conſideranda 311.7 opificiũ Dei. ibid. non magna excellentia 262.20 incommoda, induſtria & temperãtia corriguntur 216.24 neceſsitates, uirtutes & uitia gignunt 48.10 pulchritudo 249.39 rationem natura habuit 310.35
corporum ſordes 353.18
corruptio naturæ à Protoplaſtis propagata, quãta mala pepererit 46.12
Coſmus Medices 422.40
Cratinus comicus 257.37
Crambe bis poſita mors 2.29 & 33.13
Craſsi auaricia 126.29 dictum de pecunia 126.20 oratio qualis 325.2
Cratetis auri abiectio 201.20
Cratippus quis fuerit 11.39
Cratippi nomen per th uideri ſcribendum 12.2
creatura uanitati ſubiecta ſecundum Apoſtolum 390.1
credulitas magis error quàm culpa 157.35
Cretiſſandũ contra Cretenſem 86.39
Crœſus apud Herodotum 487.9
Crocodili ingenium 197.30
cultus qualis eſſe debeat in ueſtitu & reliquis 360 uitæ 374.19
cupiditas Lerna 293.42
cupiditatis infinitæ ſpecies 127.17 ſitis inexplebilis 356.42
cupiditati imperandi prætexitur ſociorum defenſio 427.32
cupiditates ſuperuacaneæ 406.38
curare aliena qui debeant 309.10
cura rerum alienarũ difficilior 136.27
curioſitas 481.28 cauenda 180.28 & 309.3 & uanitas profeſſorũ 111.4 initio ſtudiorum loquendi ſcribendiq;, Vuolfio probatur 375.1

Cynica ſecta 351.31
Cynici in montes ad feras relegandi 410.38 non audiendi 311.36
Cynicorum argumentum contra uerecundiá 312.8 ratio eijcienda 351.28
Cyrenaici pſeudophiloſophi 532.14
Cyrenaici & Epicurei 41.16

D

Daui interturbantes omnia 208.12
deambulationes in templis 321.35
decalogus ob breuitatem obſcurior 394.15
decipimur & ab alijs, & à nobiſmetipſis 350.3
decorum 240.31 & 241.9 & 244.2 & 437.13 externum 314.36 generale 93.16 & 357.37 hominis unde petatur 311.1 in omni uirtute cernitur 243.11 philoſophicũ 245.25 poeticum 244.24 & 358.19 quibus in rebus ſit poſitum 309.41 ſpeciale 358.17
decori diuiſio 242.1 & 243.34 & 273.1 & 357.36 & honeſti diſcrimen 241.18 & iuſticiæ diſcrimen 358.22 philoſophici & poetici diſcrimen 246.13
Decuma Herculana 482.39
defectio ad diabolum 364.34
defenſio gloriam parit 471.6
definitio nominis definitioné rei antecedit 51.23 quid ſit 52.27
definitionis ueræ res maxima 387.30
definitiones ex affectibus ortæ 388.13
deformes corpore, formoſi animo 314.23
deformitatis pœna 348.31
deformiũ & formoſorũ exépla 348.29
Deus à Platone definitus 242.16 Ciceroni animal rationis particeps 407.11 homines à ſe auerſos in exitium ruere ſinit 409.14 per homines hominibus bene facit 412.13
Dei cognitio naturalis ex Paulo citatur 388.25 definitio ex Platone 388.38 non Momi iudicium eſſe ſpectandum 95.39 ratio potiſsimũ habenda 515.18
Deo parens imperat 469.28
Deum nemo poteſt quicquam cælare 261.21 uerè & religioſè timens quò tendat 279.27
deorum tria genera 409.27 & 445.15
deos etiam non prodeſſe, Epicureorũ dogma 409.19 non nocere 409.8 ſtrenuè inuocandos, Doricum prouerbium 281.14
deliberandi quinq; uiæ 104.9
deliberare & capere conſiliũ quid differant 62.1
delicati præmia 198.30
Delphicum oraculum Philippo Macedoni redditum de lanceis argéteis 420.32
Demetrius à Macedonibus relictus 425.40
Demetrius Phalereus 484.31 & 28.39
Demoſthenes ab Harpalo corruptus 320.24 auditor Platonis 30.25 ob ueſtitum elegantiorem malè audiuit 315.2 oppugnat Philippum 448.8 per ambitionem à philoſophia deſciuit 30.36 Phocionem timuit 320.20 ſibimet ipſi contrarius 101.38 eiuſdem dictum ad Laidem 281.30 de Republica 205.12 de rerum ſucceſſu 427.42 ſi uolet Deus 140.26 incredibiles exercitationes 465.13 locus à Salluſtio translatus 28.22
deplorati qui ſint 65.20
de rebus dubijs conſulendi doctiores & prudentiores 137.6
deſcriptiones copioſæ loco definitionum 162.27
Deſiderius Iacotius 21.41
deſpicientia quatenus probãda 447.32 eius diuiſio 201.1
detrahere alteri quid ſit 328.26
[illegible] 216.21
dialectica illiteratorũ peruerſa 74.9
dialecticæ commendatio 415.9 & Sophiſticæ diſcrimen 83.20 laus 108.27 neglectio doctores ἀμαθίαν parit 35.33
dialecticus ueritatis uenator 83.20
Dialogorum & colloquiorũ ſcriptores 326.1
[illegible] 209.14
[illegible] 216.28

Dicæarchus peripateticus 412.21
dicendi copiam ſuppeditare circumſtantias 32.37 genus æquabile quódnam ſit 26.35 oratorũ eſſe ſublime, philoſophorum medium ſeu moderatum, epiſtolarum tenue ſiue ſubtile 27.2 temperatum quódnam ſit 26.39 genera inter ſeſe permiſceri 27.7
dicere aptè 23.26 diſtinctè. ibid.31 ornatè. ibid.34
dies ciuilis quis ſit 145.41
difficultas diligentiam excitare debet 110.36
difficultates uirum oſtendunt 439.4
dignitas iuſticiæ fundamentũ 163.30 uirilis 314.7
dilemma Simonidis 327.34
dilemma ſiue diſiunctio hypothetica. 392.34
diligentiæ aſsiduitas eſt eruditionis mater 23.41
diligi quàm timeri præſtat 424.22
Diogenes accenſa in meridie lucerna quærit hominem 249.29 fortunæ guttam dolio ſapientię pleno prætulit 285.35 Laertius 21.39 reges μεγάλα πλέονας uocat 354.25
Diogenis dictum de fortuna 285.35 Laertij locus de Demetrij Phalerei ſtylo 29 26 mendicitas 203.9 reſponſum de philoſophorum cibo 132.27
Dion Syracuſius Platonis diſcipulus. 366.11
Dionyſius Halicarnaſſeus 31.42 & 321.4 metuens tonſorios cultros 424.40 Platonem contempſit 501.4
Dionyſij dictũ de orationibus forenſibus 25.18
diſcere eſt ineuntis, gerere adultæ ætatis 301.21 nõ eſt turpe 137.25
diſciplina honeſta armis potior 214.20 Perſarum 299.37
diſciplinæ proprium 206.19
diſciplinæ omnes ordine percurrendæ 329.36
diſcipulus parturienti & uiatori ſimilis 3.16
diſcipuli & clientes ingrati 461.42
diſsimilitudo morum, cauſa diſsidiorum 79 27 inepta ad conciliandam amicitiam 184.25
diſsimulatio 266.1 quid 23.1
diſſoluti qui dicantur 248.5
diſpoſitio oratoria 23.31
diſputare quid ſit 36.3 eiuſdemq́; finis 398.5
diſputatio Georgij Gemiſthi de non cõiungenda acerbitate cum diſſenſione 226.24 quid ſit 28.9
diſputationes philoſophicæ ac theologicæ quales eſſe debeant 321.9
diſputationũ finis 226.19 & 321.40 utilitas 20.35
diſputationes ſpinoſas relinquendas, & animũ ad amorem Dei & hominum conuertendum 22.22
diſputatoris proprium 29.3
diſtinctio ſæpe plus curioſitatis habet, quàm utilitatis 82.30
diues ingratus 509.10
diuidenti quid ſpectandum 37.13
diuinatio è cauſis de effectu 429.38 politica 438.34
diuinationis coniecturas fortuna eludit 430.2 genera apud ueteres 438.33
diuiſio definitioni præpoſita 67.27 eorum quę pertinent ad uitã. 407.1 uitæ 37.14
diuiſiones rem uniuerſam non complectentes 321.1
diuites beneficia accipientes, dediſſe ſe putant 509.11.33 ignaui ac ſordidi uitę ſocietati nihil conferunt 135.28 nõ paucioribus egere, quàm pauperes. 510.32 ocioſi ut poſsint cum laude uiuere. 234.2 plerunq; ingrati 510.4 ſibi nihil negandũ cenſent 507.4
diuitum arrogantia 195.26
diuitũ & pauperũ æſtimatio 68.29 conſenſio utiliſsima 307.40 facultas 436.36 prærogatiua in concilianda hominum beneuolentia 419.2 ſuperbia taxatur 353.1

diuitiæ non tam iuuant, quàm nocent 513.29 & 34.514 non uindicant à contemptu 444.21 plus ſplendoris habét quàm felicitatis 512.39.513
diuitiarum abuſus impedit κατεξέυματα 59.18 admiratio corrumpit mores 512.9 unde 491.15 fructus 478.36 legitim' uſus 234.11.28 uis 446.25
diuitias cõgerere maxima ſapiẽtia putatur 388.10 cur admiremur 512.20
docere & imperare quid differant 88.25 humanius eſt quàm obiurgare 386.25 quid. 88.11
docendi formulá non eſſe temerè mutandam 21.17 ratio duplex 389.22 quæ uno loco docet omnia, qualis 2.39.inde.
docti aut ualetudinarij, aut breuis ęui 297.40 mercenarij & ſerui atrienſes 356.13 nonnulli, cur deteriores indoctis? 393.14 opificibus ſordidiores 274.5 quid agere debeant 380.36
docti & doctrina quorum potiſsimũ, culpa in odio & cõtemptu ſint 3.30 Rerumpub. peſtes appellati à Licinio 321.21 tempore Ciceronis ij tantum dicebantur, qui Græcæ linguę erant periti 16.22
doctorum beneficia uulgus non agnoſcit 367.10 conſuetudo felicitas habenda 329.33 noſtræ ætatis uitia literas reddere inuiſas 85.30
doctos nõ è ſolis ſcholis prodire 367.21 non contentio, ſed moderatio decet 336.16
doctor uiæ ductori ſimilis 3.8.10
doctores bonarum literarum theoreticos eſſe & practicos 113.33 obſtetricibus comparantur 3.8 & 362 33 ſemidocti 24.11
doctoris leuitas & incõſtantia magnũ crimen 396.15 prudentia auditorum utilitati ſeruit 477.25
doctrina cautiores facit 105.39 eſt naturæ obſeruatio 70.33 freno comparatur 232.15 morum quid 183.33 principum 366.28
doctrinæ de moribus præſtantia 5.3 ſumma 317.25 finis & ſcopus 6.35 præſtantia 178.33 quiſq; ſuum genus ita excolat, ut etiam cæteras diſciplinas attingat 25.27 uſus 6.13
doctrinarum corruptio 6 22 metas non attingi per omnem ætatem 115.7
dogma noxiũ quid ſit habendũ 326.9
δεινόν 36.13
Dolium pertuſum implere, prouerbiale 476.41
dolor malum 44.9
dolorum uis 446.23
dolus malus quid ſit 143 42
domeſtica, τὰ κατ' οἶκον 37.36
dominatus in liberis ciuitatibus conſtituti 422.35
domini iuſti & alieni 165.28
domus qualis eſſe debeat 338.35 & 339 & 361.5
domorum uſus 409.10
δοξοσοφία, id eſt inanis eruditionis perſuaſio, fugienda 20.28
Δῶρα ἄδωρα 164.10
Δεῖναι καὶ ἀποδέξασθαι λόγον, quid Platoni 108.37
duabus ancoris niti 140.33
dubitatio fugienda 136.32
ducere uel duci officia 373.6
Δύσκολα τὰ καλά 196.28

E

Ebrietas declarat hominis animum 327.17
ebrietatem non excuſare 129.27
Eccleſiaſtæ κακία ἐναργὴς 58.31 κατάφλεγμα, eiuſdemq; καθῆκον μόνον 58.20 rixæ 22.16
Eccleſiaſtici doctores 409.39
educatio honeſta 10.7
educatio ſeuera & indulgens quid poſſit 330.3
effectus & cauſæ 76.29
egentiſsimis potiſsimũ ſuccurrẽdum 174.28
ἐγκυκλοπαιδεία 98.29 & 193.28
ἐναγέστερον 143.33
ἐξερευνᾶσθαι 266.1
ἐκθέσεις ἁπλῶς 40.24
ἐκτεθηριωμένοι καὶ ἐκλελυμένοι 248.7
elationis uocabulum Ciceroni honeſtum 191.18

electio natura & fortuna melior. 284.12
eleemoſynæ 475.40
Elegantiæ Vallæ 374.42
elegantiores in ſermone à barbaris irridentur 325.36
ellipſes quę ornent, & quæ obſcurent orationem 373.40
eloquentes ſcriptores non eſſe puerilibus formulis artium aſtrictos. 60.28
eloquentia ad gloriam multum ualet 465.33 & 466.14 ad hominum ſalutem data 469.5 ueritatis & æquitatis propugnatrix 15 apud Romanos ad gloriam ſpectabat 290.16 doctrinę quoddam condimentum 35.40 forenſis quid poſtulet 289.36 noſtri temporis. 324.4 præſtat mutæ ſapientiæ 368.2 promptum ingenium requirit 100.20 res media eſt 501.38 ſapiens, & ſapientia eloquens, titulus eſt omnibus Romanorũ triumphis præferendus 12.15
eloquentiæ laus 501.10.24. & 502.2 officium 320.32 uis & præconium. ibid 14
eloquutio libera 37.22
Empedocles 39.6
encyclopædiã dirumpere, turpe eſſe. 25.23
Ennius 127.24 eiuſdem dictum de metu 421.36 uerſus 180.12 de Q. Fabio Maximo 221.37
Epaminondas. ibid 29
Lyſidis diſcipulus 366.10
eiuſdem fortitudo 443.34
Ephectici 41.19
Epicharmus de hominis natura 233.21
Epicharmi dictum de mente 76.41
Epictetus 57.6 angoribus ut reſiſtatur docet 378.29 Cynicorũ fautor uerecundiam inculcat 351.36 duas anſas rebus tribuit 384.17 in paupertate philoſophus 275 35 nõ diſsimilis alicubi Epicuro 489.41. & 490 præfertur multis philoſophis 206.35 uerecundiam commendat 311.35
Epicteti dictum de hominis mente. 76.1
Epicteto quę res magnæ & paruæ fuerint 342.49
Epicurei arguti 45.41
Epicurei & Cyrenaici 41.10 hominem mente ſpoliant 74.18 pſeudophiloſophi 532.14
Epicureos quid faciat 255.3
Epicurus philoſophicè uiuebat, & populariter diſputabat 43.11 uirtutem ancillam uoluptatis ſtatuit 42.40 uirtutem ut uoluptatis effectricem, & moleſtiarum expultricem, coluit 42.36 uirtutes miniſtras uoluptatis, & fortunę ancillas habuit 31.11
Epicuri ſententia de uoluptate. 392.9 uitam doctrinæ ſuę contrariã fuiſſe 43.8
ἐπιδείξεις 22.39
ἐπιείκεια καὶ ἀδιανις 145.2
ἐπιμονὴ καὶ ἐπεξεργασία 202.22
epiſtola Philippi ad Alexandrum contra largitiones 473.37
epiſtolæ Philippi, Antipatri & Antigoni ad filios 465.35
epitomæ diſciplinarum claudicant. 390.20
epitomarum uſus 117.34
ἐπιθυμητικὸν 65 5
ἐποχὴ 47.19 Academicorum & Scepticorum 389.26
ἐπιθυμία 209.14
ἐργάζεσθαι καὶ ἐργάζεσθαι ἀργῶς 475.38
ἔρανοι Græcorum 475.36
Eraſmus de Conſcribendis epiſtolis. 467.41 de Mercenario milite 462.19 eiuſdem Apophthegmata, Parabolæ, Chiliades commendantur 258.4 Chiliades 89.8 præconium 258.4 Querela pacis 149.29 & 218.19 urſus & leo 325 12
ἔργα καὶ πάρεργα 54.36 & 382.19

errata minima cauenda 147.37
error initiò paruus, fit tandem maximus 403.31
error per occaſionem corrigendus. 286.22
errorem hominibus eripere, palmarium facinus 406.4
errores paulatim corrigendi 480.29
eruditio blādiſsima domina 446.40
eruditiōis domus tres ianuas eſſe. 16.36 præmia, non ipſa eruditio petitur 17.5 uerus fructus. 377.5 utilitas 62.14
eruditus impius omniū odio dignus. 274.11
Ethicæ doctrinæ finis & ſcopus 6.35
præſtantia 5.4
ἔθος 6.33
Euangelica regula 342.32
Euangelij interpres & executor Spiritus diuinus 5.41
εὔζωνοι qui dicantur 38.4
Eudoxus Cnidius 365.39
euentus boni conſulendus 432.19
non præſtandus uiro bono & ſapienti 60.20
εὐεργεσία καὶ εὐποιΐα 119.21
εὐγῶ 202.28 & 205.2
εὐήθεια in bonā partē accipitur 194.13
εὐκαιρία 344.28
Eupolis Comicus 257.37
εὐπροσηγορία 466.8
Euripides de garrulis 331.41
de uiro bono 81.34
de uxore 305.21
Euripidis dictum 66.40
de falſis argumentationibus 318.5
de malè agentibus 335.29
neminem eſſe liberum 203.33
locus de hominis præſtantia. 75.14
uerſus de aliorum moribus cognoſcendis 327.2 de iis qui ad magna aſpirant 460.12
de labore 317.10
de malis mulieribus 334.24
de mendacio & ſimulatione 86.25
de uerè eruditis 336.30
εὐτάξια καὶ ἀταξία 268.34
εὐσχημοσύνη καὶ σεμνότης 81.16 & 314.36 & 210.24
εὐταξία 344.16
εὔθυναι Atheninenſium τῶν ἀρχόντων 516.35
exaggerationes 243.7
quæ utiles 124.34
examina Latinè rectius probationes dici 20.37
examinum utilitas 20.36
ἐξανδραποδίζεσθαι 219.2
excellere in pluribus difficile 390.15
exceptiones 138.4
exemplum imitatione dignum. 381.38
malum non excuſat 304.33
exempla in docendo cur plurimū ualeant 418.34 uita & anima præceptorum dicuntur 53.30
exemplorum obſeruatio 280.32
exercitatio 6.15
auget uocem 324.1.25
corporis, quantum proſit 315.14
facultatem artis gignit 33.5
ſtyli 297.24 uirtutis adhibenda 188.8 uirtutis homine dignisſima. ibid.31
exercitationes animi & corporis coniungendæ 297.35
ἐξετάσεις, examina 20.36
exiſtere quid ſignificet 332.26 & 462.30
exigendi acerbitas 494.10
experiētia periculoſa magiſtra. 367.9
expetere habet emphaſim 386.28
expolitioni quæ figuræ ſint cognatæ. 202.22
expoſtulatio inter pares 333.30

F

Fabius Maximus Romanorū ſcutum uocatus 219.27
Fabij dictum de Cicerone 22.27
de timiditate 222.1
ſententia de perfectione 9.27
facies ut ſit præcipua corporis pars. 96.28
facilitas εὐκολία commendat principes. 228.4
factorum rationes unde petantur. 60.36
facultas orationis 15.9
ad Facultatum omnium perfectionē tria requiri 6.30
facultates unde dictæ 64.11

falſa

falſa noſtri ſeculi ſapientia 10.15
faſtidium cauendum 331.20
felicitas in cœlis quærenda 5.40
in his terris quid ſit 5.32
in ſapientia ſita eſt 38;.29
nulla in terris perfecta 5.30
qualis in hoc Opere intelligenda. ibid.29
felicitatis principium, ſocietatis ſtudium 352.27
ferri & gladij uſus quis 408.16
feuda quæ ſint 490.41
feudatarij ſeu uaſalli qui. ibid.
fides donum Dei 275.22
etiam hoſti ſeruanda 156.30
iuſticiæ fundamentum 122.40
quid ſit. ibid. & 290.35
melius tuetur quàm ferrũ 422.25
per charitatem efficax 114.6 & 176.37 uera quid 534.3
unde dicta 123.15
ut compararetur 438.2
fidei theologicæ uis quæ ſit 111.22
fide nihil uehementius rempub. continet 526.1
filij ante comparatum habitum à literis non abducendi 383.4
finis docet officium 305.41
promiſſorum ſpectandus 140.8
quid ab officio differat 7.33
ſui ignoratio, grauiſs. pœna 254.41
Florentia libera ciuitas oppreſſa. 422.39
fœmina uidendo urit 297.9
fœnerari eſt hominem occidere. 531.31
forenſia τὰ ἔξω 32.36
formoſitas actionum 310.7
fortis officium 217.16
fortes habẽdi qui ſint. 196.38. & 199.6
fortuna αὐτόματον 273.20
cauenda 129.24 comes gloriæ 431.37 diuinationis coniecturas eludit 430.2
caſus quid differant 458.30
fugitiua & perfida 263.8
iuuat & nocet per homines 418.7
multum ualet, ſed plus amor & odium. ibid.10 negatur à Iuuenale 417.16 quibúſnam in rebus ludum ſuum ludat 273.5
quid 416.31 quid ſit ſecundum Pontanum. ibid. 31.38
ſæpius malis quàm bonis inſeruit. 318.22 ſtultos, inſolentes, iniuſtos facit 428.3 ſua cuiq; cõſideranda 276.11
fortunæ blanditiæ, fomenta uæcordiæ 262.33 caſuum enumeratio 417.27 & naturæ collatio 284.31 ingenium 66.31 uis 416.26
fortunã magni fecit Diogenes 285.33
fortitudo calamitoſa uirtus 191.1
eiuſdem deſcriptio 5
ciuilis præferenda bellicæ 212.27
cõtemnendi errores ſui ſeculi. 350.35 cur ſplendidiſsima uirtus. 190.38 Epaminondæ. 443.34
facilè degenerat in ferociã 454.12
in quibus rebus cernatur 198.35
iuſticiæ comes 416.2
Leonidæ 242.20
Meo & tuo excitatur 102.13
militaris & mercatoria 102.15
plus à natura ſumit, quàm ab arte. 235.11 quid 98.9
ut paret & deſpiciat opes 102.23
fortitudinis contraria 202.20
diuiſio 212.24 & 234.19
exceſſus & defectus 192.36
explicatio in ſummã colligitur 235.16 officia 236.38 pugnantia 238.10 ſubiectum 241.2
ſpecies & cognata 192.39
fortitudinem cur Ariſtoteles in prima acie collocarit 184.13
ut Stoici definierint 192.32 & 193.7
forum quid ſignificet 37.31
Franciſcus Aſulanus 257.32
Friderichus Saxo 203.39
frugalitas magnificentiæ anteponenda 455.34
frugalitatis exemplum 382.32
Fuggerana magnificentia 513.15

G

Galeni ſententia, animos ſequi corpora 201.36
garrulorum ἀπεραντολογία 331.40
γαστριμαργία κακοχυμίας μήτηρ 262.7

Gellius

Gellius de cauſis pœnarum 148.10
genera cauſarũ 467.10.37.& 468.9
genius loci 409.33
genus demonſtratiuum ut erga deliberatiuum & iudiciale ſe habeat. 461.10 ſpecie obſcurius 418.33
γεννᾶια φάρμακα 220.7
Geometriæ & Arithmeticæ præconium 112.33
Georgius Gemiſthus 226.24
Georgij Vallæ Opus de rebus expetendis & fugiendis 117.31
gerendarum rerum adiumenta 210.1
Germania ſentina omnium nationũ. 313.34
Germani Ciceronẽ non habent 384.32 in quibus rectè ab exteris nationibus reprehendantur 383.23
Germanis uiro opus eſſet, qui uernaculo ſermone philoſophiam illuſtraret 384.33
Gigantomachia 48.28
γενόμενα 39.21 & ὄντα quid differant 480.12
gladij uſus, ex Phocylide 146.8
Glareanus 280.1
γλαῦκας εἰς Ἀθήνας 400.41
γλισχρότης 482.20
gloria conſeruanda 454.40
efficiendi uoluntas & facultas. 433.33 doctoris, diſcipuli & ſerui quæ ſit. ibid. 38 generoſo ſummum præmium 229.26
quibus conſtet 434.31
res expetenda 435.22
ſtudioſi 464.27
uera & ficta 456.31
uirtutis umbra 197.30
gloriæ cauſæ quatuor 436.27
comes fortuna 431.37
cupiditas cauenda 203.17
deſcriptiones 434.35.& 435
parandæ ratio 435.27
uis 431.35
gloriandum diuina liberalitate, non propria induſtria 285.20
gloriari ſine inuidia & reprehenſione 357.10
gloriatio Centaurorum 261.10
inuidioſa & ridicula 337.3
gloriatio Scipionis apud Ennium. 350.40
γνῶθι σεαυτόν 115.33
Gracchos agrariæ contentiones perdiderunt 523.35
gradatio ex Ennio 421.38
gradus ad interitum 421.37
gradus coniunctionia humanæq; ſocietatis 175.33.& 181.40
gradus in beneficentia obſeruandi. ibid. rerum humanarum. 342.15
Græca bona, Latina bona facere, difficilimum 55.41
Græcæ & Latinæ linguæ cõiunctionem permultum prodeſſe 35.20
Græcæ literæ quibus diſcendę ſint, & quibus non 14.20
Græcarum literarum ſtudium exemplum Ciceronis accendere debet. 14.20
Græcorũ uerborũ inculcatio. 269.23
Grammatici uirtus, quædam ignorare 139.9
Grammaticorum curioſitas ridetur à Vuolfio 481.20
Grapaldus de domo & eius partibus 329.6
gratiæ referendæ 491.10
gratias habere maius eſſe, quàm referre 508.14 imò habere, eſſe referre 31.39
grati pauperes 510.7
gratificationes pernicioſæ 164.10
gratitudo egregius theſaurus 489.13 ut Latinè dicatur 170.21
grauia quæ dicantur 35.21
Gregorij Nazianzeni epigrãma. 76.11
guſtus & tactus 84.32
gymnaſia 216.22 ueterum 299.24

H

Habere gratiam, eſſe referre gratiam. 508.59
hæreditas 462.25 optima 291.22
Hannibal 446.17 crudelis 155.16
Harpalus Demoſthenem muneribus corrupit 320.24
Hegendorfinus 14.5

Hercules

Hercules apud Prodicum 64.42
eiuſdem iuſticia erga Laomedontẽ & Priamum 242.17
Hermogenes rhetor 268.16
Herodotus de Numine 431.10
heroum filij noxæ 11.12 & 276.34
Heryllus quis, quodque eius dogma fuerit 47.31
Heryllij 41.19
Heſiodi dictũ de coniugij ætate. 294.35 eiuſdem dicti expoſitio. ibid. uerſiculus de contrahendo matrimonio 492.33 de labore & ocio 352.40 de libidine 295.13
hiſtoria litigantium de hæreditate. 494.31
hiſtoriæ pleræq; cruentæ 418.15
priuatim legendæ 192.20
hiſtoriarum admiratores 39.20
fides penes autorem eſto 267.6
noticia quid conducat 438.36
hiſtorias omnes ſcire non eſt neceſſe. 481.14
Hippocrates de uenereis 295.26
Hippocratis dictum 72.29
locus 77.39 ſententia de fortuna 416.33
Homerus Græcorum & Troianorum exercitus muſcis comparat 90.10
Homeri dictum de uentre 84.7
uerſus de iraſcente Agamemnone 253.17
Homericus uerſus prouerbialis 5.7
homo ad ludum & iocum factus non eſt 253.40 animal ciuile & ſociabile 79.20 naturà politicũ 339.35 beſtia ſegnior monſtrum 74.30 currui comparatur 253.8 Dei cauſa conditus 122.31 doctus, non pendère debet ex errore multitudinis 198.12 duabus perſonis eſt indutus 263.14 durus, uix homo 468.30 eſt planta, beſtia, & genius 261.4 fortunatus equo feroci comparatur. 232.15 gratioſum quid, ſi homo manſerit 468.30 gratus & probus 489.12 homini deteſtabilis peſtis 412.6
homini uel deus, uel lupus 407.29
ingratus & improbus 489.10
multis malis obnoxius, plura ſibi acquirit 148.27 non eſt ſibi ſolùm natus 122.1
non uult eſſe κωφὸν πρόσωπον 80.32
omnis, ſana mente prẹditus, philoſophus eſt 274.33 opinionibus & affectib. impellitur 398.9
perfectus quis ſit, & quaſi Deus 17.30 quantum pecudibus antecedat, ſemper meminerit 259.19
quid habeat 74.34
quis ſit laudatiſsimus 456.14
res ſuauis 92.16 ſenſuum quoq; uſu à brutis differre debet. 85.1 ſolitarius 450.23
ſtudioſus quæ conſectari & fugere debeat 114.39 totus fortunæ obnoxius 201.27
hominis definitio 76.4
hominis & beſtiæ diſcrimen 358.12
excellentiá in rationis orationisq; facultate conſiſtere 244.11 & 245.38 finis unde ſit cognoſcendus 254.3 induſtriæ quæ ſint accepta referenda. 410.24 laus 249.23
natura quæ 233.22
nomine dignum non eſſe, qui non ſit philoſophus 85.7
præſtantia 75.9
priuati officium 307.18
ſtudioſi officium 101.2
ſummum bonum unde ſit petendum 69.42 ſummum ornamentum ſapientia 386.9
uerè ſtudioſi proprium munus. 343.19
homini cum brutis communia 71.21
docto, uiuere eſt cogitare 380.35
politico pluribus opus eſt, quàm priuato 432.6
hominẽ inter & beſtiam quid interſit 259.32
hominem ſtudioſum & philoſophari, & rem gerere poſſe 114.23
ueritas maximè decet, & mendacium dedecet 86.20

homine docto uoluptates indignæ. 380.37
homine nulla fera truculentior 71.40
homines ἀμάθεις 35.34
beneﬁci in nos, Dei inſtrumenta ſunt 170.38 Dei miniſtri ſunt. 412.10 etiam inﬁmæ conditionis, prodeſſe & obeſſe poſſunt. 163.14 idonei quibus beneﬁat 488.4 quibus largiamur 475.27 non re, ſed nomine 260.31 perditi 430.5
ſuis erroribus delectantur 406.19
hominum approbatio cõſequitur decorum 310.30 conſociatio iuſticiam, beneﬁcentiam & ﬁdem, tanquam ſpecies continet 118.21
corpora utres dicuntur 233.22
diſcrimina 87.39
genera duo ocij cupidorum 205.18
miſeriæ unde potiſsimùm oriantur 7.6 philoſtorgia uberior eſt, quàm brutorum 73.10
hominibus claris cauendum magis, quàm alijs, ne quid peccent 459.9
honeſtas & utilitas cohærent 402.21
honeſtas naturalis ab opinione populari diſcernenda 352.32
honeſtas, utilitas & uoluptas conſentiunt 535.20
honeſtatis & utilitatis connexionem ſoli Chriſtiani uerè perſpiciũt. 403.15 & 404.24 diſtractio pernicioſa 403.38 lucta 64.40
fontes quatuor 363.14
ſtatua 94.20
honeſta diſciplina nec in magnis opibus, nec in extrema inopia conſtare poteſt 406.24
honeſtum è natura, ex honeſto uirtutes, ex uirtutibus oﬃcia colliguntur 97.24
honeſtum & turpe duplex 63.1
naturâ ne ſint, an lege 62.23
naturâ conſtare, nõ opinione 94.8
populare 402.39 primum genus bonorum 532.20
ſolum expetendum, ſoli Chriſtiani ſtatuere poſſunt 533.12
honeſtorũ inter ſeſe cõparatio. 362.22
nominum abuſus 387.11
honos alit artes 323.24
quid ſigniﬁcet 434.1
honores 441.31
mutant mores 82.9
nõ ſunt inhoneſtè ambiẽdi 461.15
honorandi qui ſint 351.40
Horatius de admiratione 442.12
de Roma 431.2
de ſcribendi cacoethe 383.10
ſororem occidens, cur abſolutus. 470.32 Stoicorum deriſor 57.37
Horatij locus 6.21. & 27.20
de progreſſu 83.16
de uſu. ibid.1
uerſiculi de adoleſcentib. 244.41
de agricolis 357.21
de ijs qui dicere uolunt 466.37
Hortẽſius Ciceronis dialogus 394.39
ob ueſtitum elegantiorem malè audiuit 315.2
hoſpitalitas commendatur 352.17
laudata à Theophraſto 497.15
hoſpites & inquilini quid differant. 308.31
hoſpiti quæ cauenda 309.1
hoſtis quis dicatur 153.40
hoſtes ueritatis, hominum monſtra ſunt 85.33
Hotomanus 142.22
humana etiam plurima hominib. eſſe ignota 390.8
humanę coniunctionis gradus. 175.33 & 181.40
humanæ ſocietatis uiolatores 121.30
humanæ res, earumque contemptus. 89.18.40 fortunæ ludibria. ibid.24
humanarum rerũ extenuatio 341.41
humani corporis nõ magna excellentia, ſed animi 262.27
hypocritæ in eccleſia 468.22
inuiſi 386.39
hypotheſis trãsfertur ad theſin 127.29

I.

Iacotius 21.41
ἰδιοπραγμοσύνη 204.35
ignauia parit contemptum 445.11
fugienda 20

ignauiæ

ignauię crimen non cadit in eruditos 445.37
ignauiam hominũ Agatho Comicus perſtringit 444.39
ignaui & decoctores urbibus ſunt pellendi 452.34
ignaui quibus nominibus notentur à poetis 445.34
ignauis nihil impertiendum 408.13
ignominia 229.26
ignorare ſeipſum 311.10
ignorari quædam cum uenia 325.23
ignorantes docendi potius, quàm obiurgandi 386.26
ignoratio ſui finis, grauiſsima pœna peccati 254.41
ignorationis cauſa ex Seneca 393 24
imitatio 6.34
inepta & infelix uitanda 267.30
immortalitas animorum unde certa iudicetur 489.31
imperandi ratio 88.6
imperare & docere quid differãt. ibidem 25 iuſtè. ibid.20
imperatores naſcuntur 290.22
imperiũ excellentiam requirit 88.36
legitimum nihil eſt aliud, quàm patrocinium 427.18 ſine ſeueritate nullum conſtat 229.6
imperij amplificatio noxia 411.27 finis 88.19 poteſtas arrogantes facit 66.29
imperio & obedientia conſtat ciuilis ſocietas 87.11
imperia uiolenta 88.40
imperitia ſcholaſtica & riſui & prædę eſt 188.16
impiorum ſupplicia 9.11
improbi periculo, nõ turpitudine mouentur 423 38 timentur potius quàm deſpiciuntur 445 5
improbos ſæpe uideri bonis feliciores 405.33
impudentia dux omnis turpitudinis. 172.39 & 311.29
impudentes inſaniunt 311 29
inanimata quæ 408.2
in ærarijs relinquere 157.3
in bello bis non peccatur 216 13
inceſſus diſcrimina ex Ariſtotele 316.1
inceſſus moderatio 315.38
incrementum fieri à paruis 347.40
indigentia rerũ neceſſariarum impedit κατερλύματα 59.14
indigentẽ res præclaras uix poſſe gerere 102.6
indigentibus ſuccurrendi duplex ratio 471.30
indignatio uirtus 231.11
indiuiduum notius ſpecie 446 10
indocti hodie in ſcholis, in eccleſijs, inq; rebuſpub. ſumma loca occuparunt 503.37
induſtria animi 473.5 corporis incõmoda corriguntur 216.24 quid ſignificet 446.1
inertia, pigritia & negligẽtia quid differant 130.33
inertes & ignaui 122.17
inflati opinionibus 233.13
ingenium excellens nec φύσιν, nec φύσιν δημιουργίαν, nec ἰδίαν μοῖραν dici. 6.30
philoſophicum 26.6
ingenij præparatio 280.33
præſtantiam facere philoſophum, non ſupercilium 35.16
uis eum ætate creſcit & decreſcit. 302.26
ingenio ſapientia paratur 290.25
ingenia bona praua doctrina corrumpi 43.30 generoſa, duci uolunt, non trahi 22.13 ignaua ac ſordida, uix magnanima fiũt & ſplendida 235.12 magna magnis uitijs ſunt obnoxia 35.11 & 128.38 & 446.19 malè habitantia 314.21 puerilia, nõ ſatis intelligere, & eſſe obliuioſa 2 27 ſociabilia & candida 369.22 ſumma ab oſtentatione abhorrent 443.8 tarda, rebus gerendis inepta 439.19
ingeniorum delectus 409.41
delectum agi multum referre 20.15
diſcrimina conſideranda 6.15
diſsimilitudo 334.34
uarietas 268.13 & 423.3
ingenijs moderatis eſſe ignoſcendũ. 22.15 (244.16
ingenuorum & ſeruorum diſcrimen.

ingratus communis hoſtis 490.29 & 491 15
ingratus & ſordidus & iniquus eſt. 172.24
ingrati animi crimen 172.33
ingrati exemplum Popilius tribunus 502.20
ingrati diuites 509.10
ingratitudo omnibus odioſa 490.25
inimicitiæ non temerè ſuſcipiendæ. 505.24
inimici & cõpetitoris diſcrimen paruum 156.3
inimicis non eſſe grauiter iraſcendũ. 227.8
in Iſocrate philoſophiam naturà ineſſe 31.34
iniuriæ ac iniuſticiæ fœditas 119.5
iniuriam duobus modis fieri 123.36
iniuriam ueterem ferens, inuitat nouam 495.18
iniuriæ à concupiſcibili animi parte proficiſcuntur 144.19
à metu profectæ 125.22
iniuriarum cauſæ 125.5 & 129.38
collatio 129.16
iniurias uitari moderatione affectuũ. 125.3
iniuſticiæ utilitas quomodo ſit intelligenda 118.29
in Inutilibus nõ laborandum 325.24
in Magiſtratu quæ requirãtur 226.12
in Nugis agere tragœdias, prouerbiale 29.12
inopia, mediocritas, affluẽtia 406.31
inſcitia uulgi 376.40
inſcitia & improbitate pſeudodoctorum, ipſa etiam doctrina exoſa. 3.30
inſontes non accuſandos 469.1
inſtituendæ puericiç magnam curam ſuſcipiendam 183.3
inſtitutio honeſta 10.7
inſtitutio recta quid ſit, ſententia Iſocratis 6.28
inſtitutionis rectæ uis, ſeu finis & ſcopus. ibid.35
inſtitutionẽ dici λόγον & παιδείαν. ibid.
inſtitutũ & inſtitutio quid differant. 12.29
inſtrumenta animata & inanimata: 408.7 gerendæ reip. 134.17
integritas philoſophorum 376.40
intemperantia corpus & animũ corrumpit 262.21
interpretationis Vuolfianæ ratio. 1.10
ordo 2.1
interpretis officium 50.17
uirtus, quædam ignorare 139.9
inuidia præſtantes etiam uiros tranſuerſos agi 32.11
Ioachimus Camerarius 7.31 & 95.17
Ioachimi Camerarij laus 14.35
Præcepta uitæ puerilis 282.6
Verſus de inuocatione 280.6
iocandi ars traditu difficilis 257.14
genus duplex 256.27
ioci extẽporè allati præ alijs probantur 258.16
ioco ut liceat uti 358.8
Iohannes Fernelius 529.36 (323.8
Iouiani Pontani libri de Sermone.
Iphicratis dictum de capiendis conſilijs 218.24 item de Lacedæmonijs 147.33
ira cuiuſmodi ſit affectus 124.10
ſedem habet in corde 250.31
iræ uituperatio 334.41
iram fortitudinis cotem eſſe 231.2
iraſci ut liceat 415.31
irati heri dictum ad ſeruum 335.6
Iſocrates Ariſtotelẽ perſtringere ubi uideatur 32.2 cur rempub. adminiſtrare noluerit 208.10 & 211.29 de inflatis 233.13 de linguæ petulantia 328.24 de ſcopo 306.1 hominem comparat currui 253.12 hominem ſaccum pelliceum uocat 263.1 mercedem à diſcipulis accepit cum lachrymis 356.5 reprehenditur ab Aelio Dionyſio. 27.12 eiuſdem ἀτυχία καὶ φωνῆς μικρότης 289.20 de rebus ludicris & ſerijs dictum 258.22 de Athenis 12.37 de conſcientia 261.25 de dijs. 170.41 epiſtolium de Dionyſio tyranno. 262.38 de exercenda beneficentia 475.32 de feris 6.14 de fortuna 318.22 de grato.

de grato homine 489.15 de homine ſtudioſo 115.3 de maledicis 247.32 de nocentibus non defendendis 471.1 de politia 430.16 de uaria eiuſdem argumenti tractatione 13.40 de uincentibus & ſuccumbentibus 199.29 de uiro prudenti 218.2 quid parentes liberis debeant relinquere 291.30 de uerbis & factis 43.25 & Ariſtotelis æmulatio 31.23 loci inſignes 23.34 & 70.39 querela de natura hominis multis malis obnoxij 148.27 ſententia de temporibus loquendi 328.2 ſententiæ, Vuolfio ſunt ceu oracula 44.24 ſtudium eloquentia, ut Ariſtotelis philoſophia 31.32
ἰσηγορία 120.11
Italorum barbara & corrupta lingua 33.28
ἰθεῖα καὶ πάλιν 124.13
iucundum, tertium genus bonorum 532.24 populare 402.42
iudicare de adoleſcentibus difficile 487.28 de ſeſe, difficilimū 271.28
iudicis & patroni diſcrimen 470.10 officium 469.37
iudicium aliorum 361.33 Dei & ſapientis eſſe ſpectandum 95.39 naturæ non deferēdum eſt propter falſas populi opiniones 350.28
iudicio certo omnia ponderanda quę fiunt 480.11 opus eſſe in philoſophis cognoſcendis 35.19
iudiciorum prauitatis cauſa 95.1 uarietas 91.39
iudicia hominum informari diſputationibus in utranq; partem 17.39 uulgi temeraria 387.1
Iugurthæ dictū de uenali Roma 520.6
Iulianus imperator 99.4
Iuliani apoſtatæ leuitas 316.6 & 348.17 iuriſconſulti dictum de ſapientiæ ſtudio 19.22
Iulius Cæſar ambitionis exemplum 236.10 perſtringitur 499.24 & 500.31 tyrannus 422.2.13 eiuſdem interfectores 424.14
reprehenſio 219.5
Iulius Firmicus 417.12 de oſtraciſmo Athanienſiū 423.25 importunus Aſtrologus 112.23
Iupiter Cretenſis auribus carens 324.16
iura uigilantibus ſcripta 143.1
Iuriſconſultus quis. 137.15 quæ negligere non debeat 278.27
Iuriſconſulti domus oraculum ciuitatis 499.11
Iuriſconſulti & Philoſophi diſcrimen. 118.41
Iuriſconſulti litium ſeminaria 495.4 oratores 501.15
iuris diuiſio 70.13 parens natura. ibidem
Iuriſiurandi religio 142.37
iuriſprudentia 274.42 olim principum propria 499.20 quid 190.27 Reip. firmamentum & nutricula pacis 113.5 ſeminarium litium eſſe cœpit 113.6 ſtudioſo quæ conſideranda 500.2
iuriſprudentiæ maximus in uita ciuili uſus 499.10
ius ciuitatis magnū apud ueteres habitum 308.36 fœciale 152.30 prætorium 143.12 pugnorum, ius præclarum 149.1
Iuſtinianus 70.24
Iuſtinus philoſophus & martyr ἰσηγορίαν excuſat 295.18
iuſticia 290.33 duplex 98.7 etiam aduerſus infimos ſeruanda 158.24 fundamentum omnium uirtutum 515.10 fundamentum perpetuæ cōmendationis 514.42 improbis inuiſa 184.10 [illegible] 98.2 ne propter patriam quidem uiolanda 146.14 Platoni quid 118.23 politicum & alienum bonū eſt 82.26 Pomponij Attici & Ariſtidis 446.16 præſtat fortitudini 368.33 præſtat ſapientiæ 363.19.28 uirtutis ſplendor 118.34 ut noceat. ibid.28
iuſticiæ capita duo 139.28 comes fortitudo 416.2 definitio 97.42 effectus 452.19 & liberalitatis

ſalitatis diſcrimen 172.20
& prudentiæ collatio 440.2
& uerecundiæ diſcrimen 248.12.18
fundamentũ fides & dignitas 163.33
norma inflecti non debet 26.27
officia præponenda officijs ſcientię 365.29 ſubiectum 241.3
primum munus quod ſit 119.23
alterum. ibid.41
iuſticiam eſſe unam uirtutem omnes continentem 98.24
iuſtum eſſe quid interdum ſignificet 132.31
iuſtus quis eſſe non poſsit 448.28
Iuuenalis negat fortunam 417.16
eiuſdem uerſus de peccatis nobiliũ 459.7
iuuentus 459.33
iuuentuti fauetur 459.21

K

Καθῆκον 4.33 item 7.37 & 36.24
κατὰ περίστασιν 138.1 & 292.6 & 359.30 μέσον quid ſit 9.20 & 60.9.32 & 65.23 & 104.1
καινοτομία & προσδοκία 399.10
κακοζηλία 267.31 & 288.40 & 340.19.31 quid 460.26 uitanda 351.12
καλοκαγαθία 7.40
καλὸν καὶ πρέπον quid differant 241.18
καὶ σεμνὸν diſtinguenda 352.32
quid differant 241.22
τὸ ἔνδοξον καὶ τὸ ἐπαινετὸν 31.7
καταληπτὰ & ἀκατάληπτα 396.5
κατάληψις & ἀκαταληψία 396.8
κατὰ περίστασιν officium 9.42
κατασκάπτειν 219.2
κατορθοῦν & κατόρθωμα 56.6 & 28.35
κατόρθωμα 9.19 & 56.41
quid 103.42
κατορθώματα & καθήκοντα quid differant 104.5 uariorum uitæ generum 59.3
κατορθωμάτων & καθηκόντων μέσων exempla 58.27 impedimenta 59.13
uel nulla uel rara exempla extare 57.10
κατορθοῦντων 36.13
καινὰ ἵστησι καὶ πράξεις 398.26
κακοτεχνία 7.1
κοσμοπολῖται ſint alij, nos ſimus ἀγροικιῶται 280.24
κοσμοπολίτης 122.25
κωνισμὸς 351.31

L

Labor corporis 473.5
diſcendi caliginem diſcutit 63.19
gratuitus, uulgo moleſtus 197.26
intēpeſtiuus nocet corpori 216.25
labore dij bona uendunt 461.24
labore & precatione rem pauperibus faciendam, prouerbium Doricum 496.21
labores animi maiores eſſe laboribus corporis 10.13
laborandum eſſe 282.11 ei, qui uelit proſperè agere: Euripidis uerſus 317.10
Lacedæmonij à ſocijs deſerti 425.41
uictoriæ cupidiſsimi 195.13
uxores inter ſeſe communicarunt 120.20
Lactantius de corpore hominis 311.8
eiuſdem opuſculũ de ira Dei 229.5
Laertij locus emendatur 21.15
lapidum, plantarum, animantiũ & hominis diſcrimen 74.31
largi προετικοὶ χρημάτων 477.28
largiri diligenter 475.30
largitio diuitũ propria uirtus 487.12
eſt corruptela 474.3.12
non habet fundũ 166.28 & 476.20
eius incommoda 476.1.6
largitiones improbantur 473.37
largitionum turpitudo 419.34
largitiones eſſe uitioſas 485.40
Latina cum Græcis, & hæc cum uernaculis coniungenda 373.31
Latini ſermonis inopia 310.19
latrociniũ olim nõ erat infame 451.31
latrones nobiles 451.14
latronum iuſticia 451.4
laudandũ eſſe cautè & uerecundè 19.1
laudatiſsimus quis ſit 436.14
Laurentius Friſius 529.37
laus Athenarum 12.6 magiſtratus & ſtudioſi 382.10 uiuæ uocis 11.31
laudem propriam ſordere 317.14
lectio non ſatis intellecta in utilis 382.41 & 383

lectoris acuti cogitationi quædam relinquenda 14.2
lectorum finis 7.24
legi & regioni ſeruiendum 214.37. & 351.6
leges acutius inſpectæ pariunt calumniatores 145.1 non temerè mutandæ 306.25
legum æquitas 453.18 Laus earũdẽ. ibidem. cauſa 453.2 neglectio 429.19 nulla προσωποληψία 307.22
leges Solonis & Lycurgi mortuas & mortuorum dici ab Epicteto 57.5
Leonhartus Fuchſius 529.36
Leonidæ fortitudo 242.20
leonina & uulpina pellis 160.18
Leonis Baptiſtæ Alberti triuia 468.12
lepos ſermonis 326.14
lepus leonibus concionatur 447.20
λέγχαι circuli latinis & coronæ dicũtur 321.34
Leuctrica calamitas 426.1
leui brachio attingere, prouerbiale 24.8 & 382.12
leuitas 246.17 magnanimitati repugnat 231.28
leuitatis & conſtantiæ cauſæ 209.11
lex agraria 518.9
de ambitu 421.21
lex Dei quid requirat 58.1
Libanius ſcriptor declamationum 14.38
liber nemo eſt 203.33
Euripidis ſententia quis 354.27
liberales qui 477.6
liberalitas 290.38 & publicè & priuatim utilis 491.21 ex rapinis turpis eſt 429.1 facilè declinat ad auariciam 455.31 gratioſa 184.7 iuſticiæ comes 162.21 non ſit negociatio 489.14 quid 162.31
liberalitatis duæ partes 404.2
Græcæ appellationes 162.36
impellens cauſa φιλανθρωπία & alienum bonum eſſe debet 167.10
uerus finis 489.17
liberi erudiendi potius quàm ditandi 166.17
libertas ciuilis quid 206.12
cogitationis uix relinquitur 205.37
in quo ſit poſita 523.8 raró contingit 206.25
libertatis proprium 203.26
libido quæ dicatur 93.39
libidinis remedia 296.14
nomine quid intelligatur 293.37
libidines debilitant corpus & ingeniũ 295.9 quæ mala conſequantur 295.34 uitari poſſe 294.20
libidinibus pœnæ diuinitùs conſtitutæ 295.3
libri cuiuſmodi hodie multi edantur 338.29 magno emuntur, & peſſimè uenduntur 408.31
librorum, idem argumentum tractantium, ſectiones ad quid inuentę 5.13
licentia deteriores ſumus 106.8
Licinius imperator doctos Reipub. peſtes appellauit 321.21
lingua calumniatrix 163.18 Græca, fons eruditionis 55.25 homini cur ſit data 157.21 Latina, quod etiam ianua eſt eruditionis, id ab Hebræis & Græcis corrogauit 16.38
lingua quó uadis? 330.34
linguæ Grǽcæ uerſionem cur nonnulli minus probent 33.33 patriæ, rudem eſſe turpius eſt, quàm peregrinæ 11.2 petulantia quid pariat 328.22 uernaculæ, in artibus uſus periculoſus 33.31
linguæ cur diſcendæ 178.35 peregrinæ non ſunt ipſa eruditio, ſed eruditionis fores 16.29 ut contineantur 328.22
linguas eſſe præparationem ad exquirendam ueritatem 101.4
linguis peregrinis quemadmodum ſit utendum 269.27
literæ Centaurorum 261.15
literarũ multiplex cõmoditas 381.25
lites iniuſtæ cauendæ 498.37
litium ſeminaria iuriſconſulti & aduocati 495.4
Liuius de Roma 431.4
locus actionis 344.24
ſuſpectus & obſcurus 138.10
loci uis 347.1

locorum collatio quid conducat 377. 42. & 378
locupletatio tenuiorum 493.1
Lodouici Viuis dictum 16.30
de ſtudio ſapientiæ 19.21
λογιστικὸν ἢ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς μέρος 66.10
λογομαχία, id eſt cõtrouerſia uerborum 21.5
λογομαχίαι inanes 310.22
λόγος 6.35 τὸ ἡγεμονικὸν 250.15
loquendi campus latiſsimus aperitur 328.36 occaſiones quæ uulgò capientur 330.38 tempora duo 328.1
loquendum ut orationis materia requirat 326.31
loqui & tacere qui debeant 327.21
uelle ſolus, & cæteros tacere, nemo debet 326.24
Lucanus de Roma 431.6
eiuſdem dictum de Cæſare & Pompeio 87.35 locus 77.41 uerſus de militibus 153.18
Lucernam in meridie accendere, prouerbiale 409.40
Luciani Hermotimus 389.29
locus 74.24 è ſomnio citatus de literis. Timon 166.31
L. Memmij laus 521.20
Lucius Craſſus 464.41
C. Carbonem accuſauit adoleſcens 465.10
Lucretij deliri uerſus de Deo 409.20
Lucullus, Xerxes togatus dictus 380.28
ludendi modus 258.28
ludo ut liceat uti 358.8
ludis iociſq; quemadmodum uti liceat 255.13
Lulli ars 109.16
lupus non eſt lupinam, nec canis caninam 451.27
luſum quæ turpitudines conſequãtur 258.40
luxuria 304.1 ſenectuti fœdiſsima 303.41
luxus bonum habitum corporis corrumpit 216.25 prohibetur 340.8 quid 304.1
Lycurgus inæqualitatem opum tollere conatus eſt 491.42
Lyſander 266.21 Ephorus Lacedæmoniorum expulſus 523.27
eiuſdem dictum de leonina & uulpina 160.18
Lyſias orator 366.32
Lyſis Pythagoræus 366.10
Lyſimachi turpis deditio 282.2

M

Macchabæi 427.12
Magiſtelli & doctorculi 20.10
magiſtratus annonæ copiam curare debent 519.15 & neceſſarius eſt, & oſtendit uirum 209.37
legum ſeruus 306.21 ne ſit προσκυνῆται 223.4 non iniurius erga ſubditos 164.39 quid ſit, & unde ortus 87.16 ſcholarum curam habere debet 408.3
tutor 223.21
magiſtratus boni officium 89.1
ſolatia 207.26 eccleſiaſtici, ſcholaſtici, atq; ciuilis proprium 88.12
eſt, ulciſci improbos 416.8 finis 225.23 laus 382.8 officium 306.7 politici ἐπιτήδευμα 58.39
præmia quæ ſint 198.29
magiſtratui uigilandum 306.33
magiſtratum ab auaricia & munerum corruptela alienũ eſſe debere 519.28 & 521.36 bonum, offenſas moroſorum & improborum uitare nõ poſſe 207.11 decet φιλανθρωπία 225.1
magiſtratus qui habeant ciues obedientes 89.1 precibus ſunt adiuuandi 307.12 ut rectè expetantur 482.31 placabilitas & clementia decet 227.31 item facilitas 228.4
magna non quiuis aſſequitur 460.1
quæ appellet Cicero 459.40
qui ſpectent 460.23 ut quis aſſequi poſsit 460.10
magnanimitatis origo & moderatio 87.12
magnificentia 210.21
magnitudo animi in quibus potiſsimùm cernatur 447.39
multum ualet apud populum 356.27
maior pars uincit plerunq; meliorem 349.29 & 404.9

maledicen-

maledicentia fugienda 328.5
maledici & nugatores curādi nō ſunt 247.35 inſectandi 469.20
malefacta uituperatione carere non debent 328 18
maleficentia diabolica 163.10
malicia quid propriè ſignificet 405. 29
malle perire quàm cedere 224.11
Mamercus conſulatus repulſum paſſus 482.3
Manlius Torquatus 145.5
manus & artis præconium 408.40
manus ſapientiæ inſtrumentū 74.36
manus unius pugna infirma 350.20
manus uni homini cur datæ 254.20
Marcellus Palingenius 389.7
Marcellus Romanorū gladius dictus 219.27
Margites Homeri 291.3
Margitæ inutilia pondera terræ 291.3
M. Antonius Natta 366.30
M. Catonis factum, quo ſibi mortem conſciuit, defenditur 270.1
Mariti officium 305.12
Martianus iureconſultus 143.17
Martialis reſponſum de uxore ducenda 277.40
materia quid propriè ſignificet 100.41
materiæ inſtabilitas 431.14
matrimonium 138.23 & 81.23
à libidine debet eſſe alienum 72.33
matrimonij ætas 294.33
pericula 72.41
matrimonium contrahentes pecuniā ne curent, ſed uirtutem 511.25
quando ſit contrahendum 492.3
medicamenta uitanda 529.28
medicina 274.42
ars honeſta 355.31
medicum Aſtrologiæ & Phyſiologiæ rudem non aſſe debere 25.30
mediocritas, inopia, affluentia 406 31
mediocritatis difficile iudicium 341.9
meditationum noſtrarū ordo 115.40
Medius ſycophanta 257.11
μεγαλοπρέπεια & φιλοδοξία quid differant 126 38
μεγαλοψυχία 126.23
μαντεία καὶ ἰλαστήρια 80.6
Melanthonis epitomæ in Ariſtotelem legendæ 401.13
μελέτας Latinis declamationes dici 14. 33
memoria, eruditionis theſaurus 295. 12
Menander à Philemone uictus 417.8
eiuſdē uerſiculus de homine 92.16
de ſummo iure 144.40
mendacium hominem maximè dedecet 86.20 repugnat naturæ 79.40
mendici qui ferendi ſint, & qui exterminandi 516.28 robuſti uitæ ſocietati nihil conferunt 135.28
mens ad ueritatem fertur 86.4 oculus animi 76.40 pura, ſeparata à corpore, ſapientia eſt 48.25
mentis aciem in uirtutis pulchritudinem eſſe intendendam 97.1
cultura paucorum 398.16
& ſenſus diſcrimen 78.17
excellentia 101.27 officium 317.36
menti quid ſit propoſitum 398.14
mentē hominis Epictetus, & Epicharmus & Plinius, pulcherrimis dictis celebrarunt 76.1.41 nunquam quieſcere 115.17.25
Mercatoria fides 450.40
mercatores, & urbes mercatoriæ 354. 30.40
mercatorum uitia 121.30
mercatura 462.23 quando ſordida ſit, aut non 356.19 eius commoda atq; incommoda 356.31
mercenariæ operæ generoſis animis acerbæ 356.3
mercenarius miles lanio ſimilis 462. 19
mercenarij nō ſunt cōtemnendi 353.1
mercenarios Græci θῆτας uocant 159. 14
Mercurius Triſmegiſtus 42.1
metalla 462.24
methodus accurata 37.21
dialectica μετὰ συνέσεως 419.21
ἐξηγητικὴ καὶ ἀποδεικτικὴ 36.1
generalis librorum Ciceronis de Officijs 316.19
Metopoſcopia 112.26

metus malus diuturnitatis cuſtos 422.5
metus & beneuolētiæ collatio 421.24
μετριοπάθεια 4.27 & 252.22
Peripateticorum 201.4
Metrodori de uita humana epigramma 384.24
militaris ſcientia 290.16
Militia mercenaria homine Chriſtiano indigna 462.16
Milo à Cicerone laudatur 483.10
obæratus 483.22
Mimus Publianus de fortuna 428.2
mirari quid ſignificet 377.18
μισανθρωπία 130.3 & 227.20
μισανθρωπίας καὶ μισολογίας cauſæ 135.13
miſeriæ humanæ unde potiſsimùm oriantur 7.7
μισοπονηρία 231.6
μισόκαλοι 445.40
moderatio animi rebus geſtis potior 232.4 digna uiris doctis 336.26
modeſta reprehēſio efficacior inſectatione 376.17
modeſtè de ſemetipſo loquendum & ſentiendum 270.26
modeſtia 290.39 ad perſuadendum plus ualet, quàm contentio 22.10 communitati anteponenda 369.5 cũ grauitate 466.40 & 467 digna adoleſcēte 397.13 mod. & iuſticia præferuntur prudentię & fortitudini 169.1 ornat adoleſcentes 463.33 philoſophorũ 376.40 pueritiæ & adoleſcentiæ maximè decora 240.24 quæ cõtineāt in ſe 464.5 quomodo ſit Latinis intelligēda 345.5 uirtutum comes 99.15 ut à Stoicis definiatur 344.20
modeſtiæ uerba 374.1 & 375.6
modus quando excedatur 109.21
Momi iudicium ſpernendum 95.39
monaſteria unde ſint exorta 350.37
monaſteriorum uſus quis 408.18
monitores inuiſi 294.17
monſtrorum amatores 203.9
moralia præcepta uitā cõfirmāt 53.10
moralis ſapientia tribus uerbis continetur 319.38
Morellij tabula 21.39
mores inſtitutione formari 278.20 aliorum non facilè cognoſci 327.1 hominũ ferre maior animi magnitudo, quàm fugere 206.4
morum doctrinam ſuperuacaneā non eſſe 39.14 & uitæ correctionem in hoc Opere potiſſ. ſpectandam eſſe 3.17 præcepta cur tradenda 70.31 & 71.7 ſimilitudo conciliat amicitiam 183.40 uarietas 278.17
moroſitas in exigendis promiſsis cauenda 142.24 inutilis & odioſa 228.1.29
mors ſeruituti ac turpitudini anteponenda 218.21
mortis uis 446.25
mortem ſibi conſciſcere 270.10
Moſellanus 14.5
mulier unde dicta 93.20
mulieres ornat ſilentium 327.31
mulierum ἀπεραντολογία 331.40
multitudo imperita 198.2 inops ut prematur 452.29 nobilium populo grauis 497.10 mult. peccantiũ peccanti non patrocinatur 304.35
multum, non multa, legendũ 338.26
mundi cauſæ 389.34 (507.21
munera uulgaria imitantur hamos
munerum corruptelam perſtringit C. Pontius Samnis 519.31
muſæum ſtudioſi hominis 338.8
muſea diſtincta claſsibus 408.10
mutatio repentina periculoſa 487.38 ſubita inimica naturæ 303.37
mutationes periculoſæ Rerumpub. 306.28

N

Νῆφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν 157.33 & 439.32
naribus peccari 255.26
natura dux ſequenda 5.26 & 249.1 & Fortuna ſua cuique conſideranda 276.11 magnam habuit corporis rationem 310.35 paulatim ſeſe dilatat & explicat 81.25 potentior arte 290.20 quid poſtulet 246.25 ſcientię cupidũ eſſe oportet 391.25 ſurda 324.16 uerecundiæ author 311.15.27
naturæ & fortunæ collatio 284.31 & 359.25 laſciuia 355.23 nimium tribuunt philoſophi 249.9 quid apoſtolus

ſtolus Paulus tribuat 249.11
naturam doctrina & educatione, moderandam 129.2
naturæ indifferentes 286.9 uitioſæ (286.13
nauigantium uita 225.29
Nazanzeni dictū de tempore 108.14
Nebucadnezar 411.41
nebulonum alexipharmacum, Si feciſti nega 86.7
neceſſaria habenda quæ ſint 110.37
neceſsitas cum honeſtate 506 mutat & inuertit ordinem coniunctionis 187.16 negligit decorum 316 9
neceſsitates corporis uirtutes & uitia gignunt 48.10
nec ignota, nec dubia, nec certa eſſe omnia, ſed quædam 395.16
necromātia & ſimiles artes uanę 112.31
negligentia diſcipulorum 318.37 & intermiſsio ſtudij pernicioſa 24.5 pueritiæ & adoleſcentiæ uitium 130.25 quid ſignificet 251.21
negligentibus conſuli nequit 187.19
nemo poteſt omnib. ſatis facere 505.
nemo ſine crimine 156.36 (20
Nicocles modeſtiā & iuſticiam prudentiæ ac fortitudini prętulit 275. 41 eiuſdem dictum de ſeueritate imperij 229.11
Nicolaus Grouchius de comitijs Romanorum 382.7 & 484.8
Nic. Hemmingij de lege naturæ & methodis libellus 398.28
nihil petendum à dijs 141.11
nobiles caſu & fortuna 458.36
nobiles & obſcuri 458.12 niſi eſſent opifices, ſuperbire non poſſent 353. 31 ut ſe gerere debeant erga opifices 353.1 ut ſint affecti erga opificia 352.37
nobilium multitudo populo grauis 497.10 peccata grauiora 459.7 ſuperbia taxatur 353 1
nobilitari quid ſignificet 94.35
nobilitas non uindicat à contemptu 444.21
nocentes interdū defendendos 469. 35 non defendendos 470.22
Noctuas Athenas mittere, prouerbiale 10 34
nomen incognitæ rei inuiſum 376.21
nominis immortalitas nihil iuuat mortuos 299.4
nominum honeſtorum abuſus 387.11
Non putaram 217.32
nouare periculoſum 50.5
Nouellus Torquatus Tricongius cognominatus 11 20
noui ſcriptores 66.26
nouitatem in opere multorum lucubrationib. illuſtrato, non eſſe ubiq; expectandam 1.24
noxia ſententia quæ ſit 326.9
Numātia à Scipione Aemiliano euerſa 150.28
numen inuidum 431.10
nummus ſponſor 475 14
numerus multum ualet apud populū 356.27
numeri pluralis & ſingularis liberior uſus 67.21

O

Obedientia rationis imperio debetur 316.37
obedientiæ cauſæ 421.3 finis 88.17 fructus beatitudo 54.41
obedientia & imperio conſtat ciuilis ſocietas 87.11
obedire πειθαρχεῖν ſignificare 80.31
obiectionem & oppoſitionem Vuolfius dicere non uult 10.35
obiurgandum non eſſe, ſed docendū 386.25
obiurgatio quid 333.28 eius finis conſiderandus 336.2
obiurgationes raræ & neceſſariæ ſunto 334.10
obligationem ueteres dialectici quid uocarint 396.22
obliuio commodorū ſuorū rara 222.33
obſcœni inſaniunt 311.29
obſcuriora notiorib. declarāda 244.31
obſcuriſsima plerunq; inutilia 111.8
obſcuritas diligentiam excitare debet 110.36
obſeruantia 352.5
obſidiones horrendæ 479.23
obtrectatio fugienda 328.5
occaſio 344.28
occulta quæ dicantur 85.14

occupatio inanis 343.41
occupationum utilitas 82.8
ocium bene diſponere difficilimum 303.39 bonum corporis habitum corrumpit 216.25 eruditorum negotioſum eſſe 113.30 ignauũ 10.9 & 82.7 iuſtum diſcendi, eſſe raræ felicitatis 19.7
Octauius Cæſar proditor Ciceronis 430.24
Octauij tribunus 196.16
oculati ſumus in aliorum uitijs, in noſtris cæci 349.1
oculi portæ ſcelerum 75.24
oculorum aciem in animum eſſe intendendam 96.32
oculis, auribus, & narib. etiã peccari, non tantũ palato & ingenio 255.22
Odenatus rex 72.38
odium nõ fugiendum, quod'nam ſit? 326.11
odijs multorum nullæ opes obſiſtere poſſunt 421.41
œconomia 138.24
œconomicum præceptum 455.5
offendere quid 248.29
offenſæ cauendæ 505.5 Atq; eædem compenſandæ 506.11
officium 36.24 à decoro duci 248.41 boni uiri latè patêre 36.8 ciuis 308.11 cur ærumnę comitentur 8.41 & per ſe ſpectantur, & ratione temporis 292.3 hoſpitis 308.27 κατὰ περίστασιν 9.42 magiſtratus 306.7 præuertere quid 42.15 priuati. 307.18 quæ comitentur 8.39 quemadmodum Zeno diuiſerit 9.31 quid 373.18 quid καθ' ἑαυτόν 38.15 ſeruit tempori 135.42 unde dictum 7.29 quid 30 inde
officij cauſæ explicãtur 8.22 cognata 10.5 cultura & neglectus quid pariat 38.19 definitio 8.17 deſcriptio 251.14 diuiſio duplex 9.18 exemplum in Ciceroniana deliberatione 60.40 gradus 186.20 κατὰ περίστασιν exemplum 377.40 methodica tractatio 7.29 inde. perſequendi rationes quinq; 401.42.402 pugnantia 10.9 rationes perſequi, & capere cõſilium deliberationis, quid differant 402.13 ſignificationes 51.24 uaria ſignificatio, & uſus multiplex 8.1
officio fungendum 432.18
officia ἀδιάφορα 9.39 perfecta 54.1 quomodo reperiantur 309.15
officiorum deſcriptio facilis, executio non item 305.11 doctrinam Græcos περὶ τοῦ καθήκοντος appellare 4.33 fontes quatuor 90.28 gradus in communitate 370.40 liber quando à Cicerone ſcriptus 4.14 liber primus diligentiſsimè cognoſcẽdus 371.14 libri cauſæ 4.11 inde. libri inſcriptio & materia. ibid.32 forma & finis 5.12.25 libri quando ſcripti 128.14 quo fine legendi 7.24 ſecundi ſumma uel argumentum 418.30
ad Officiorum libros conſcribendos quæ potiſſ. cauſę Ciceronem impulerint 7.14
in Officiorum libris quid potiſſ. ſpectandum 3.17
officiorum regula latius patet, quàm iuris 118.9
οἴεσθαι. 36.13
οἶνος ἄκρατος & κεκραμένος 26.39
oleum camino addere 8.34
olfactus 84.34
ὀλιγωρία 446.4
omnia cõmunia 120.13 tentanda 220. (4.10
ὁμολογία 295.18
opera omnes iuuare poſſunt 487.17
opera prodeſſe quiuis poteſt 474.40
operæ diuiſio 473.5
operæ & pecuniæ collatio. ibid.9
operis hui' ſcopus præcipuè quis 3.17
opes & dignitates non præcipuus ſtudiorum finis 392.15 quid ſignificent 374.24 unde dictæ 64.13 ut minuantur 340.10 ut tueri poſsis 421.24
opifices doctis præferendi 274.9 non ſunt contemnendi 353.1
opificiorum philoſophia 274.28

opificibus.

opificibus Cicero iniquior, quàm par ſit 355.1
opinio teneris animis inſtillata ueritate potentior eſt 26.33 (24
opinionis error multa ſibi fingit 128.
ὀψιμαθεῖν 381.8
optabile ut Græcis dicatur 168.8
optandum, ne dediſcenda initiò diſcamus 21.24
optima quæq; primùm diſcenda 4.8
optio res bonas amittendi calamitoſa 363.7
orandum in ſolitudine 115.38
oratio animi certior index, quàm ſigna phyſiognomica 327.6 oratio conſtans 345.42 diſſoluta 346.3 duplex 157.7 & 319.32 rationis riuulus 178.23 index animi 256.13 inſtrumentum ſocietatis 182.29 interpres animi, & uinculum ſocietatis 79.33 optima quæ ſit. 27.11. pendet à ueritate 320.21 auditorum item attentione & beneuolentia. ibid. quæ incommoda in ſocietatem hominum importet 176.23 quę pronunciatur, eſt eius interpres quę in animo retinetur 157.8 oratio ſpecioſa, perfidus orator, prouerb. 506.39 uinculum ſocietatis 176.8 uitæ miniſtra atq; interpres 80.1
orationis diſpoſitio 2.17
inconſtantis cauſæ 46.3
moderator, eſt quoque auditor 331.27 perſpicuitati eſſe ſtudendum 157.16 ratio duplex 465.30 uariæ diuiſiones apud rhetores 321.1 uſus nemini eripiendus, cauendus autem abuſus 399.3
orationes foréſes περὶ τὸ πολιτικὸν ἔχουσαι 25.18
oratoris non una uirtus 502.26
proprium 23.21
oratorem & philoſophum eſſe, difficile 28.5
oratores affectibus perturbant. 26.41
oratores & duces plectuntur 207.20
oratores naſcuntur 290.22
oratorum & philoſophorũ diſcrimen 26.41.
oratoria dictio methodum dialecticá auerſatur 37.7
ordo Ciceronis 345.34
in quibus cernatur 91.5
ordo meditationum noſtrarũ 115.40
obſeruandus & imitandus. 468.34
quid ſit 344.24
ſeu εὐταξία 310.11
ordinem inuertere non eſt piaculum. 175.14
ὁρμὴ ἄλογον μέρος τῆς ψυχῆς 93.12
duplex 250.14
ὁρμαὶ quæ ſint 415.20
ornatus ὁ κόσμος 310.12
ὀρθολογεῖν τὸ ῥῆμα ἐπὶ 441.11
oſtraciſmus Athenienſium 423.25
Ouidius ceu Moſis diſcipulus 254.6
eiuſdem uerſiculi de homine. ibid.
Ouidius poeticæ ſtudium contra patris ſui uoluntatem ſecutus 286.29
Ouidij diſtichon de Cupidinis arcu. 296.36 locus de carmine. 84.11
de homine 83.7
querela de ſuo ſeculo 85.12
uerſiculus de beneficentia in calamitoſos 490.18

P

Pacta quæ ſint 120.30
pædagogi ueterum 294.11
παιδεία 6.35
παιδιμαθεῖς καὶ ὀψιμαθεῖς 381.7
παλιγκάπηλοι 354.33
Panathenæa Athenienſium 478.33
Panætius defenditur contra Antipatrum 528.1 grauiſsimus Stoicorum 469.42 eius reprehenſio 66.17
panis in ſudore uultus ueſcendus.. 254.38.
πανοῦργοι 405.20
Papyrius Prætextatus 458.4
Parænetici libelli 237.2
parentes debent præceptorum autoritatem apud filios augere 18.34
parentum teſtimonia oraculi põdus habent apud filios 18.38
uæcordia 107.27
πάρεργα, ἐπιμέλεια τῶν ἔργων 343.29
quæ ſint 343.21
parium diſpar euentus 417

parſimonia 234.35
facultaté prębet liberalitati 496.14
participia pro gerundijs, græciſmus. 496.7
participij uſus apud Græcos 399.19
partitiones librorum cur inuentę ſint à ſcriptoribus 5.12
πάθη περὶ ὕλη 124.13
πάθη quæ ſint 415.20
παθήματα μαθήματα 263.11 & 487.10
patria lacerata 186.14
patria naui comparatur à Sophocle. 185.30
patriæ charitas. ibid.22
patriciorum ſocordia alit nouorũ hominum audaciam 223.31
patrisfamiliâs officium 305.12
patris iuriſconſulti ſycophanta filius. 468.39
Paulus apoſtolus quid naturę tribuat 249.11 eiuſdem locus 10.11
Pauli & Barnabæ apoſtolorum æmulatio 32.13
Paulus iuriſconſultus 143.41
pauper uir bonus diuiti præferendus 507.38
pauperi cur non ducenda ſit uxor diues 277.36 (461
pauperi ſtudioſo quid magnum 460.
pauperes laborando & precando rem facere iubentur prouerbio 496.21
paup. plerunq; grati 510.7
quibus occaſionib. emergant. 277.26 referre gratiã poſſe. 508.20
uirtute parum proficiunt 419.8
unicum in uirtute præſidium habent 419.6
pauperum & diuitũ æſtimatio 68.29
conſenſio utiliſsima 307.40
pauperum multitudo unde 492.2
pauperum reditus 455.25
pauperum ſtipe creſcũt opes regales. 410.3 uoluntas 436.36
pauperibus nihil impertiri, naturę repugnat 121.20
paupertas & obſcuritas philoſophis non inuidenda 210.37
ſapientiam ſortita eſt 277.22
ſpreta iacet 512.26
paupertatis laus 296.38
uis 446.25
pax & bellum 214.25
pax inſidioſa 151.8
pacis finis 149.31
pacis nomen in terris eſſe inane. 151.11
peccare quid Stoicis 68.12
peccata exigua 348.21
minima cauenda 347.37
quomodo paria 124.29
ut æſtimarit Plato, Iſocrates & Cato 106.4
peccatis indulgere & ignoſcere nõ facilè debemus 106.1
pecunia egens uiro 512.3
pecunia malè comparatur, quod comparandum erat uirtute 419.40
pecunia non ſpernenda, ſed iuſtitiæ non præferenda 449.4
pecuniæ cupiditas fugienda 202.31
uſus eiuſdem 35
ut contemnenda 203.5
pecuniæ diuiſio 473.6
pecuniam & belli & omnium rerum neruum eſſe 102.8
perduellis 153.39
peregrini officium 308.27
peregrino & ciui quid debeatur 352.16
perfectio Euangelica 18.1
perfectio in reb. humanis nulla 9.23
perfidia nihil uehementius diſsipat ciuitatem 526.38
περιαυτολογία 361.1
Pericles Græciæ princeps 484.32 & 485.6 prætor 346.20
periculorum diuiſio 220.29
periodorum inæqualitas leuat faſtidium 375.15
Peripateticæ ſectæ autores 401.24
Peripatetici reprehenduntur 230.38
Peripateticorum, Academicorum & Stoicorum diſcrimen 397.4
Peripateticorum cõmoda præcepta. 199.15 doctrina antiquiſsima 400.41
Peripateticorum & Stoicorum controuerſiam eſſe λογομαχίαν 21.5
Peripateticorum ſententia de bonis. 532.19
περιφέρειν τὸ ὅλον 101.32

Perſarum diſciplina 299.37
perſona quarta 359.10
tertia. ibid. tertia & quarta 272.33
perſona uitia turpiora efficit 459.7
perſonæ duæ hominibus impoſitæ à natura 358.30
perſonæ ædium 329.14
perſonæ quatuor in unum hominem cadunt 264.2.40
perſonæ uocabulum 263.29.36
perſonarum conſideratio utilis ad lectionem poetarum & hiſtoricorũ. 264.13
perſonarum diuiſio 458.11
uarietas 246.21
perſpicere & proſpicere debemus. 405.7
perſpicientiæ & ſolertiæ diſcrimen. 97.36
perſuaſio eruditionis 20.28
perſuaſionis inanis remedia 20.34
perſuaſionem eruditionis Bion eleganti dicto carpit ibid.30
idem facit Quintilianus. ibid.
pertinacia maximorum malorũ cauſa 199.38 quid 326.8
pertinacia ſemel arreptæ opinionis defendendæ 400.4
unde dicta 194.42
pertinacibus conſuli nequit 187.19
perturbationes quæ dicantur 332.3
petitio ne ſit impudens 504.30
Petrus Balduinus 80.37
Petrus Creſcentinâs 329.9
Petrus Marſus 81.9
Phalaris lapidibus obrutus 425.34 & 426.5
φιλεῖσθαι 36.13
φιλαδελφία 122.26
φιλαλήθεια 50.28 & 194 21
φιλαυτίαν ut uocent Latini 157.20
φιλαπεχθήμονες 505.24
φιλεργία 195 3
φιλαυτία 43.4 & 271.18
adulationis mater 233.7
φιλαυτία & μισαλήθεια pro amore ueritatis & diuina ſapiẽtia obrepit 177.14
fit φιλοστοργία 81.19
luxuriæ, auariciȩ & ambitionis mater 79.28 parit maledicentiam 328.5 quid ualeat 26.32
tenebras offundit iudicio 136.5
τῶν κατορθωμάτων aduerſaria 59.13
φιλαυτίας filia πραγματολογία 337.3
φίλαυτοι 42.31
Philemon Menandri uictor 417.10
φιλαπεχθημόνων ἄγαν, odioſum & periculoſum 207.6
φιλήκοοι 42.30
Philippus Macedo 405.21
cum filio confertur 231.40
Philippi Melanchthonis præconium. 110.3
φιλοδοξία, καὶ φιλοτιμία 203.21
Philolaus de continentia 522.15
φιλόλογοι καὶ φιλοσώματοι 26.31
φιλομάθεια 285.5 & 481.28
φιλομαθὴς πολυμαθὴς 115.3
Philonicus Dialecticus 39.8
φιλοξενία 352,17
φιλοπαίγμων, φιλοπότης, φιλογύνης peſtilẽtiſsima coniunctio 259.14
φιλοπλουτία καὶ φιλοχρηματία 202.40
φιλοπονία cõmendatur 122.38
φιλοπραγμοσύνη 182.30 & 466.7
philoſophandi partes, philoſophia & eloquentia 33.3
philoſophandum eſſe perpetuò 116.8
philoſophari beatius eſt, quàm libros ſcribere 299.17
philoſophaſtri recentiores ueterẽ philoſophiam corruperunt 401.26
philoſophus quis 38.40
philoſophi & iureconſulti diſcrimen. 117.41
philoſophi & philoſophiæ etymologia 386.15
philoſophi finis, cognitio ueritatis. 50.29
philoſophi nomen honeſtiſſ. 40.37
philoſophũ ſine morum doctrina neminem eſſe. ibid.30
philoſophi à quibus derideantur 6.1
dubitãter de felicitate diſſeruerũt. 41.36
philoſophi excellentes à reip. adminiſtratione excipiuntur 205.4
mentem prauis affectibus repurgant 26.42

philoſophicè diſputabant,& popu lariter uiuebant 43.11
qui pauperes,& qui diuites 275.35
ſunt uenatores 83.13
ſunt ueri homines 261.7
ueteres ut philoſophati fuerint. 403.18
philoſophorum apud pſeudeuangelicos contemptus 6.1
conatus nõ omnino aſpernendus. ibid.3 defenſio,quòd non ſint ignaui 366.17
philoſophorũ & oratorũ diſcrimẽ 26.41 iuſta reprehenſio 413.32
integritas 376.40
labores an irriti fuerint 6.5
modeſtia 376.40 ocioſorum & reipub. moderatorum collatio 206.40 & 207.1
ſectæ præcipuæ quatuor 41.11
philoſophos diuinæ legis reliquias & ſemina ſecutos 6.3
docendo uirtutem, inſtruere adoleſcentes ad agendum 413.32
philoſophia caſus humanos moderatè ferre docet 391.37
corpus & animum curat 385.25
de cœlo deuocata 39.3
honeſta,utilis,iucunda 391.5
media eſt inter ἀφέλειαν καὶ περιεργίαν 106.19 naturam hominis rectiſsimè obſeruans 74.23
non beatam,ſed ciuilem uitam tradit 42.9 non eſt inania occupatio 85.25 non omnibus iucunda 391.17
paucorum 461.2 Peripateticorum nobiliſsima 401.19
Platonis 131.29 propter pſeudophiloſophos malè audire non debebat 377.11
quàm latè ſeſe extendat 274.17
quid doceat 393.33
quomodo inter cupiditatis ſpecies recenſeatur 127.18
uera quid 275.30
uera una eſt 472.29
ut cum Theologia pugnet 275.6
philoſophiæ contemptæ præmium. 393.31 criminatores 275.24
definitio & explicatio 387.12
tyrannidis diſsidium 501.2
finis 392.11 fructus 206.17
honos quomodo in contemptũ & odium conuerſus 2.30 inde.
ignota quæ ſint 389.2
iucunditas 391.36 laus 385.8
laudes Sadoletus ſingulari libello eſt perſecutus 394.36.eõdem facit Ciceronis Hortenſius.
nomen inuiſum cur ſit 85.9 & 376.28 nomine quid ueteres intellexerint. 394.4
non deſunt reprehenſores 376.7
obliuiſci non debemus 129.8
ſtudium diuitib. aptiſsimũ 275.33
pars terrenæ beatitatis 318.33
utilitas 35.27
philoſophiam hiſtoriæ præferendam, cum eaque coniungendam eſſe.39.23 homini tributam eſſe à natura 85.6
Socrates ut appellarit 389.25
parum promouere, non eſſe mirũ. 250.19
philoſophicæ orationis character.26.34
philoſophica nõ ſunt omnia, quæ philoſophiæ titulo uenditantur 35.3
ſcripta cum iudicio legenda 35.8
animis moderantur 27.2
philoſophicorum uerborum inſolentia 56.1
φιλοστοργία καὶ ἀντιπελάργησις 80.17 & 464.6 ut Latinè dicatur 82.25
Phocion uir melior quàm eloquentior,Demoſtheni formidabilis fuit 320.20
Phocylidis locus de hominis præſtantia 75.12
Phormio Peripateticus ab Hannibale irriſus 367.30
φρόνησις Ariſtoteli quæ uocetur 116.10
Phyſiognomonici 327.4
phyſiognomonia 112.26
pietas Ciceroni quid ſit 408.27
erga parentes,ornat adoleſcentem 463.34 pietas & ſanctitas quid differant 408.22

pietas

pietas ſola ex hac uita nos comitatur in meliorem 298.39
uirtutum omnium perfectio 299.2
ut aliàs nominetur 464.7
pietatis neglectus 249.16
pietatis nomine quæ intelligantur. 299.1
pietatis præconium 42.2
pigritia græcè ἀργία ſeu μαστωνία. 130.27
Pindari dictum de ſapientia 290.24
uerſus de ijs qui ad magna aſpiraut 460.14
Piſa ciuitas libera, oppreſſa 422.39
πῖστις unde dicta 123.18
πιστοφιλία 432.41
Pittaci dictum de uictorijs 217.13
de prudentia 34
placabilitas 227.36
plantæ quid habeant 74.33
Plato, Ariſtoclis nomē cum haberet, cur ſit dictus 30.18
Plato de pſeudophiloſophis quid diſputarit 386.37 Dionyſium contempſit 501.5
Platonis auditor Demoſthenes 30.25
Platonis de Xenocrate dictum lepidum 257.8 dialogi 258.1
dictum de bello & pace 151.11
de Lacedæmonijs 195.13
de magnis ingenijs 446.19
de ſapientia & fortitudine 193.30
Neminem ſua ſponte malum eſſe. 86.9 elegans dictum 35.11
Platonis eloquentia laudata à Græcis & Cicerone 30.21
Platonis & Socratis diſcrimen 21.33
Platonis homo ridetur ab Ariſtophane & Diogene 233.35
Platonis libellus, uirtutem non propagari in liberos, nec diſciplina tradi 392.35 præcepta de præſidibus reipub. 222.22
reſponſum de ſapiētiæ ſtudio 19.25
Reſpublica 120.12
Platonem quanti fecerit Demoſthenes 30.28
Platonica reſpub. 485.26
Plautus Ciceroni urbanus habetur, Vuolfio ſcurra 257.24
Plautus de ſummis ingenijs 443.7
Plauti dictum de ſapientia & ingenio 290.25
plectere 230.17
πλεονέκτης & πλεονεξία 121.25
Plethonis libellus de uirtutib. 240.9
Plinius titulum Operis ſcriptori ſæpe inſpiciendum monuit 396.17
Plinij dictū de uitiorum odio 227.15
locus de animo 77.10
Plutarchi dictum de uirtutis profectu 36.11 Gryllus 72.14 & 320.12 libellus de propria laude 337.13 de educatione liberorum 182.34
pœna & præmium nerui ſunt rerumpub. 88.29
pœna peccati, ignoratio ſui finis. 254.41
pœnarum cauſæ 148.1.10
pœnas infligēdas ingenij & anteactæ uitæ habita ratione 230.9
Pœni fœdifragi 155.15
pœnitentia cauenda 281.31
poeta frigidior præſtat hominem uanum & impudentem 29.14
poetæ ex Hebræorū libris multa deprauarunt 48.27
poetarum exemplis doctrina de moribus illuſtratur 141.4
poetarum mos 350.17
Politiani Panepiſtemon 117.30
politia in oligarchiā, & oligarchia in tyrannidē paulatim mutatur 127.38 ψυχὴ πόλεως 430.16
politica præcepta ad iudicium & eloquentiam proſunt 158.30
πολυπραγμοσύνη 383.24
multa incommoda affert 204.39
πολυπράγμων 200.13
πολύφημοι 405.20
Pompeius reſpondet ſuo nomini. 485.1
Pompeij gratia 432.16
Pompilius imperator 153.6
Pomponij Attici iuſtitia 446.16
πόνος ὁ πατήρ 86.12
Pontanus de fortuna 416.38
Pontani libri de Sermone 323.8
Popilius tribunus militū, Ciceronis interfector 502.20

 popu-

populares qui 522.25
populus tyrannus 205 8
Poſidippi de uita humana epigramma 384.24
Poſidonij turpia dictu 370.1.25
poſſeſsionũ diſtinctio à Caino & Abele orta 120.25 cur neceſſaria. ibid.9
poſteritati conſulendum, ſi noſtræ ætati non liceat 507.12
poteſtas conſortis impatiens 127.39
potentia quid 64.17
præcepta de officijs non in ore, ſed in pectore geſtanda, & in aciem educenda 3.36
præcepta iudicium formant 375.39
præceptori fideli non oſtentationem ingenij & doctrinæ, ſed auditorum utilitaté propoſitam eſſe oportere. 1 30
præceptores non iniurij erga diſcipulos 164.33 non eſſe temerè mutandos 21.20
præceptorũ opera quàm diu ſit utendum 19.20
præceptorum ſcopus ac finis potiſsimùm conſiderandus 4.30
præceptorib. ſæpe mala refertur gratia 423 11
præcipere quid 88.6
præcipere, id eſt anticipare 217.38
præconium Athenarum 12. 6
uiuæ uocis 11. 31
præiudicium multitudinis uiolentũ. 404.10
præmia laboribus inuidenda nõ eſſe. 24.3
præparatio contra caſus aduerſos. 202.2
πρέπον καὶ καλὸν quid differant 241.18
prætextus & uera cauſa differunt. 208.37
prætextus religionis auræ popularis captatio 482.40 & 483
prætoris reſpõſum anceps de execrationibus 334.5
prætores unde dicti 143.11
princeps quis uerè ſit 197 34
principes miſeri, ſi nõ ſint docti 366.25 philoſophiæ & reipub. operam dantes 114.30 uectigalibus augendis non tondent, ſed deglubunt oues ſuas 121. 33
principum quàm optimatium conditio melior 306.42
principibus in repub. uiris exemplũ Ciceronis imitandum 4.16
principium quid dicatur 77.22
priuata duplicia 121.12
priuati hominis officium 307.18
prius & poſterius 76.36
προαίρεσις quid 8.22
probabilia & uera & falſa 398.30
Prodicus de Hercule 281.2
prodigi qui ſint 477.3
προδὸς τῆς τύχης 26.15
προῖκαι χρημάτων 477.28
profeſſorũ curioſitas & uanitas 111.4
profuſio leuitatis eſt 493.28
progymnaſmata oratoria 14.32
προηγμένα 21.14
Stoicorum 532.40
προκατάληψις 22.38
προλαμβάνειν 217.38
proletarius ludimagiſter 285.11
prolixitas ſcriptorum ut ſit iudicanda 419.11
προμηθεῖν μετὰ τὰ πράγματα 439.21
promiſſa dubitãter expectãda 140.31
promiſſa eius eſſe deſinunt, à quo promittuntur 163.36
promittendum quomodo ſit 140.24
προπαρασκευὴ πρὸς ἀρετὴν 6.28
προπέτεια 251.19
propolæ taxantur 354 30
procemij ſecundi libri Officiorũ partes 400.22
proportio arithmetica & geometrica 453.11.16
prouerbium uernaculum de improbarum cogitationum moderatione 93.36
prouidentiam humanam ſæpe fruſtrari 78.33
prudentia 363.41
prudentia aurigæ & architecto comparatur 293 26
prudentia dux & gubernatrix uirtutum 45.25 hominis decus 105.4 quid 371.30

pruden-

prudentia rectè agendi dux 345.26
uirtus magiſtratus 454.9
uirtutum dux 99.15
prudentiæ certus limes ſtatui nequit. 459.34
prudentiæ cum fortitudine copulatio neceſſaria 218.12 definitio. 97.34 & 116.37 & 345.9
prudentiæ & iuſticiæ collatio 440.2
laus 105.8 practicæ & theoreticæ deſcriptio 415.5
proprium 273.14 ſubiectum 241.2
prudentiam illiteratorum hominum doctis deberi 367.13
prudentes uiri 218.1
prudentes cuiuſmodi ſint 327.14
prudentiores eſſe cõſulendos 349.14
pſeudeuangelicos exagitandæ philoſophiæ cauſam non habere 6.1
ψευδώνυμοι διδάσκαλοι 500.19
pſeudophiloſophi 3.31 & 75.3 & 332.31 & 342.31
pſeudophiloſophi Epicurei & Cyrenaici 532.14 iurè ſunt in odio 377.1
pſeudophiloſophorũ epitheta ex Platone 386.38
ψυχαγωγία 391.17
Ptolemæi τὸ περὶ ἀριθμοῦ σύνταξις 112.21
pubertas Iouis 281.22
pubertatis eſt, deligere uitæ genus. 359.22
pubertatis tempus 281.17
publica & priuata quæ 37.26
inter ſeſe cohærent 145.25
Publius Rutilius, & P. Mutius 463. & 464
P. Sulpitius C. Norbanum accuſauit. 467.17
pueritia 459.32
pueritiæ nõ nimis indulgendũ 256.8
pueri à diſcẽdo cur abhorreant 106.33
præceptorum moribus uel alliciuntur, uel alienantur 107.21
pugna rationis & appetitionis uerſib. ab Euripide deſcripta 65.24
pulchritudo 243.29 & 360.1
animi 92.6 corporis 246.39
in quibus cernatur 91.23
pulchritudinis duo genera 314.5
puniendum ſine ira 230.22
putare & amputare quid ſignificent. 398.8
Pyrgopolynices Plautinus 337.24
Pyrrho quis fuerit, & quod dogma tuitus ſit 47.18
Pyrrho ſophiſta potius, quàm philoſophus 397.42
eius ſtupor 49.17
uæcordia 397.38
Pyrrhone bruta animalia prudentiora eſſe 72.8
Pyrrhonia ſecta refutatur 398.1
Pyrrhoniorum & Academicorũ diſcrimen 397.1
Pyrrhoniorum ſectæ deſcriptio 396.38 & 397.29
Pyrrhus Macedo 425.41
eius largitiones 426.8
præclara de captiuis reddendis ſententia 155.20
Pythagoras de Venereis 265.26
reprehendit Anaximenem 33.24
eius dictum de uita & philoſopho. 85.5 epiſtola 133.34
Pythagorica philoſophia antiquior. 400.42

Q

Quædam ignorari cum uenia 325.23
quędam ignota, dubia & certa eſſe, nõ omnia 395.16
quæ hominum genera à reip. adminiſtratiõe excipiãtur 205.4 & 207.30
quæ natura concedit, ea ciuilis conſociatio interdum uetat 312.10
quæ omnibus ſint tenenda 276.16
quæ uelle debeamus 206.20
quærere humorem, aulicum prouerbium 228.11
quæſtus inuiſi 354.4
probati & improbati 362.1
quàm diu ſit ſtudendum 115.8
querelas Ciceronis ad poſteros admonendos pertinere 503.8
quidam philoſophiæ nihil præter ambiguas opiniões relinquũt 389.27
qui degenerent in beluas 79.15
qui Deo paret, imperat 469.28
quid quiſq; aſſequi poſsit, non ſubitò conſtitui poteſt 268.13

quid inter primũ & ſecundum librũ Officiorum interſit 402.23
qui fuerint corpore deformes, animo formoſi 314.23
qui lædendi non ſint 505.12
qui malè fecit, malè audire ne recuſet. 335.25
qui reprehendi non uult, non peccet. 336.5
qui ſe amari uult, ſit uir bonus. 170.14
qui uitia hominum reprehendit, artiũ dignitati & bonorum uirorum autoritati nihil detrahit 495.6
Quintilianus declamationũ ſcriptor. 14.38
Quintiliani dictum de interprete atq; grammatico 139.9
Inſtitutiones 324.34
Q. Fabius Labeo 145.12
quod ab oculorum & aurium approbatione abhorret, fugiendũ 312.26
quod plerunq; fiat, ſpectari in diuitib. & pauperibus 510.10
quomodo omnia cõmunia ſint 182.40
Quot capita, tot ſententiæ 50.41

R

Rabulæ famelici ſeminaria litium. 499.40
forenſes 137.19
forenſes & eccleſiaſtici pernicioſi. pro iureconſultis 112.40
radix eruditiõis amara quomodo condienda 107.5
rapaces 164.6
ratio ad appetitum deficiens, ſcelerũ ſentina 79.31
ratio auriga, appetitus equi, homo currus 253.8
ratio brutorum tenuis 179.7
cum genitiuis 64.20
docendi duplex 389.22
ratio fons eſt, & oratio riuus inde promanans 178.23
freno comparatur 232.15
habet conſtantiam, appetitio leuitatem 93.6
oculus animi 94.28
omnium reddi nequit 293.4
pædagogus eſt, & appetitus puer 255.41
ratio præeſſe, & appetitus obtemperare debet 250.23
quæ præcipere debeat. ibid.41
ratio recta, imperatrix 35.24
moderatur cupiditatem 147.23
ſedem habet in capite 250.30
ſtudiorum cõmutabilis 382.23
uerè iudicat 341.32
ut cum theologia pugnet 275.6
rationis autoritas 36.39
definitio 76.26
rationis & appetitus diſcrimen 65.5.
pugna. ibid.
rationis imperium aſpernantes, læſæ maieſtatis reos eſſe 35.25
rationis uim ſpectari 79.11
rationis uſus corpori minus neceſſarius 254.30
uſus in theologia 275.4
rationi ignota quæ ſint 389.2
rationi in rebus ciuilibus parendum. 319.41
rationi non obediẽtes, reos eſſe ſeditionis 253.2
rationem appetitui pleriq; obedientẽ præbemus 320.7
ratione utentium duo genera. 407.10
rationes cauendi æris alieni in ciuitate 526.16
rationes modeſtè ac uerecũdè rogandas 293.14
rectè docentibus paucisſimi parent. 325.35 (29
rectè facta ſunt corpus uirtutis 197.
reddere depoſitum quando deceat, & quando non 138.10
reditus certisſimi 455.19
pauperum. ibid.25
reges à D. Paulo cur dicti ἀργυραι. 490.19
cur conſtituti uideantur 452.8
in rebuſpublicis 421.17
quomodo dicti à Diogene 354.25
regioni ſeruiendum 351.6
Regulus Carthaginenſium captiuus. 156.11
Reguli factũ quoſdam fuiſſe calumniatos 156.40
religio in bello mouendo 153.14
religionis Chriſtianæ doctrinæ præſtantia 5.3

repetenda ſemel atq; iterum, quæ pulchra ſunt 1.22
repetitio ἴσιν ἀνεμισαίνιτον gignit 2.13
frequentior moleſta 2.28
repetitionis uſus 1.13
repetitionem utilis doctrinæ non incōmodam eſſe uel mediocriter doctis 1.19
reprehendere alios, facile 66.39
reprehendendi alios ſtudiū eſſe odioſum & periculoſum 207.6
temeritas cauenda 397.21
reprehenſiones ſint modeſtæ 132.6
repugnantia 77.30
res ampla & honeſta quæ 448.1
familiaris 239.26 ut quærenda, conſeruanda, augenda 530.2
rei familiaris adminiſtrandæ patres familiâs peritiores eſſe, quàm philoſophos 531.30 ut ratio ſit habenda 495.22
Reſpublica promptum ingenium requirit 100.20
tyrannus 205.8
Reip. moderatorū & ocioſorum philoſophorum comparatio 206.40 & 207.1 ſpecies 205.23
Rempub. eſſe capeſſendam 208.31
de Repub. qui optimæ mereantur 7.2
Rerumpublicarum nerui 88.29
rei ruſticæ ſcriptores 329.9
rem addubitare 220.24
explicare. ibid.23
re, non teſte moueri debent ueritatis amatores 18.5
res aduerſæ cauendæ quidem, ſed non cum turpitudine fugiendæ 449.1
diuinæ 388.23 externæ nec contemnendæ, nec admirādæ nimium 89.40 humanæ 389.13
ut contemnendæ 413.38
magnæ 342.15 & 411.24
magnæ & paruæ quæ fuerint Epicteto 342.29 meliores quærere 486.39 & 488.30
occultæ quæ dicantur 85.14
rerum conſideratio duplex 342.6
& uerborum declaratio 2.20
humanarum circulus quidam 1.12
nomine quæ contineantur 388.19
res & animatas & inanimes prodeſſe hominum opera 408.40.409
urbanas eſſe bellicis præferendas 212.19
rhetorica ad Herenninm 324.34
elementa Camerarij laudantur 14.35
rhetor dilutior præſtat hominem uanum & impudentem 29.15
rhetores qui ſint 38.4
rhetoribus cum uerecundia & ueritate nomen bonum conuenit 29.5
Rhodope meretrix 92.10
rhythmi germanici, & redditi latinè, in morte res maximè expetendas euaneſcere 298.13
ῥῆτιν καὶ δικαίαν 138.8
rixæ de religione inter pocula 322.9
Roma portus quondam & refugium regum & nationum 427.4.12
ſibi ipſi nocuit 431.1
Romam qui prodiderint 430.36
Romanæ Reipub. ordines 222.36
Romanorum religio in mouendo bello 153.14
Romanos probabiles magis, quàm neceſſarias cauſas habuiſſe, orbis ſubigendi 155.4
Roſcius Amerinus à Cicerone defenſus 471.11
rudis quid ſignificet 16.5 quibus cum caſibus conſtruatur 16.14
ruſticorum tumultus 223.42

S

Sacerdos nō ſit iniurius erga plebem 164.35
ſacerdotium 462.21 in tribu Leuitica non permanēs 276.35
ſacrificuli 454.42.455 ignaui 367.39
Sadoleti dictum 148.34 de diſciplina & uirtute 206.19 libellus de philoſophiæ laudib. 394.36
ſanctitas Ciceroni quid ſit 408.29
à pietate quid differat 408.23
Salinæ Ciceronianæ 257.17
Salluſtij dictum de conſultando & faciendo 252.11
Samaritanus κατηφυτὴς καὶ πλημυτὴς νίμα 58.12

ſanitas Græcorum ſententijs celebratur 528.19
ſanitate in uita nihil præſtantius 529.8
ſapiens eſt ἀδιάφθορον 157.18
quis dici ſoleat 5.36
quiſq; in ſua arte 466.32
Stoicus 57 30
Zenonis 201.38
ſapientes pauca mirantur 442.7
ſapientia humana quæ dicatur 5.35
nulla in terris perfecta 5.30
nullo uolumine comprehenditur 117.26 petenda à Deo 385.22
politica quæ falſò exiſtimetur 86.36 princeps uirtutum 363.40
quid ſit 364.2 quid 371.31
rerum omnium præſtãtiſsima 385.37 ſanitas mentis. ibid.18
ſummum hominis ornamentũ 386.9 uirtutem & eloquentiam coniunctas habet. ibid. 10 uulgi 388.8
ſapientiæ & improbitatis diſcrimen 160.5 & prudentiæ diſcrimen 364.13 pauci ſtudioſi, plures uoluptatum 386.33 ſtudio non eſſe terminum præfigendum 19.21
uocabulum ambiguum 466.31
ſapientiam Ciceronis lectione augeri 17.27 ſi non aſſequimur, ſequimur tamen 390 36 uirtutis partem maximam eſſe 345.24
ſapiunt alij maturius, alij tardius 459.34
Sardanapali epitaphium 95.8 & 255.8
ſatisfacere omnibus difficile 66.38
ſcandalum ſummo ſtudio uitandum 304.36
Scauri domus 338.41
Scenicorum uerecundia 313.
Sceptici ἀκαταληψίαν introduxerunt. 107.33
Sceptici & Academici 41.18
ſcientia certa cognitio 390.25 dux & gubernatrix uirtutũ 82.37 quid 23.16 uirtutis genus 345.23
Scipio Naſica Carthaginẽ ſeruandam cenſuit 150.23
Scipionis dictum 38.6
Scipiones Affricani 289.30
ſchola parua quædam Reſpub. 301.14
Salernitana 529.37
ſcholæ ocium requirunt 84.9
ſcholarum ueterum aliam rationem fuiſſe, quàm noſtræ ætatis 29.21
ſcholis feliciter inſtituendis quæ utilia uideantur 409.32
ſcholaſtica imperitia 188.16
ſcholaſtici in gymnaſijs alendi 408.13
ludi 301.34
ſcopus actionum 208.12
cognitus quid proſit, ſapientum dicta 305.41
ſcopo authoris conſiderato inutiles cõtrouerſias eſſe negligendas 145.32
ſcurrarum imitatio fugienda 256 15
ſcurras honeſtè uiuere non eſt credibile 256.19
Sebaſtianus Foxius 395.20
eiuſdem epitomæ in Ariſtotelem 401.13
Sebaſtianus Serlius 338.3
ſectæ philoſophorum præcipuæ quatuor 41.11
ſectarum origo ambitio & ſtudiũ nouitatis 399.7
ſectiones librorum idem argumentũ tractantium ad quid inuentæ 5.13
ſeculi noſtri corruptio 174.40
ſecuritas pſeudeuangelica 48 38
ſeditiones unde oriantur 223.37
σεισάχθεια 121.28 & 518.4
ſeipſum ignorare 311.10
ſemidocti & malè inſtituti 393.22
σεμνὸν & καλὸν quid differant 241.22 & 352.32
σεμνότης 81.15 & 314 36
σεμνότης περὶ ἀποχρωμένων 210.24
Senæ libera ciuitas oppreſſa 422.39
Seneca declamationum ſcriptor 14. ibid. eiuſdem dictum de Fide 422.25
de noſtra ignoratione 393.24
de officijs & iure 118.9
quàm diu ſit ſtudendum 115.8
de tempore 108.21
tragœdia 245.20
incommoda 382.25

ſenes

ſenes inepti ad diſcendum 34.27
qui ſint intelligendi 293.ibid.
ſenum tum lectio tum auſcultatio prudentiam auget 292.36
ſenibus'ne animi exercitationes ſint augendæ 302.22
uitanda 303.28
ſenſus & mentis diſcrimen 78.17
ſenſus ianitores ſunt & nuncij mentis 84.37 portæ ſcelerum 75.23
qui ſint liberales atq; ſeruiles 84.28
ſenſuum & rationis uerba crebrò permutari 91.1
finis μάταιος 84.40
ſermo & contentio oppoſita quodam modo 323.34 perturbationibus uacare debet 332.4
qualis eſſe debeat 325.31
Socraticorum qualis fuerit 325.40
ſermonis Latini & uernaculi inopia 310.19.26 materia unde conquirenda 323.7
Seruilia bella æquitate & moderatione præcauenda 447.12
ſeruire ambitioni ea auaritiæ,&c turpius eſſe,quàm principibus 31.4
ſeruitus aucta 205.35
duplex 218.26
ſeruitutis origo 158.36
ſeruus quis uerè ſit 197.39
ſeruorum pœnæ 159.17
ſeueritas in quibus poſita ſit 229,20
Sextus Pompeius geometra 112.1
Sexti Academici ſeu Empirici fragmenta 47.29
Si feciſti nega, nebulonum alexipharmacum 86.7
ſilentium quos ornet 327.31
ſimilis ſimili gaudeat 265.28
Simonidis dilemma 327.34
ſimplicitas aliud eſt, aliud ſtulticia 194.11
Simplicius ut angoribus reſiſtatur docet 378.30 eiuſdem elegans dictum 60.23
ſimulatio & diſsimulatio maxima peſtis 10.15
fugienda 456.457
repugnat naturæ 79.40
ſimulationis artificiũ cauẽdũ 349.34
ſimulatum nihil diuturnum 456.35
ſinguli & uniuerſi qui dicantur 516.9
Si uolet Deus, Demoſthenis dictum 140.26
σκιάφιον Perſica 416.6
σκιάσματα καὶ διαγράμματα 81.13
ſocietatis ſtudiũ felicitatis principiũ 352.27
ſocius ſtudij 369.29
Socrates deformis 348.33 ἄγαν 265.13
magiſtros obſtetrici,diſcipulos parturientibus comparare ſolicitus 3.7
philoſophiam de cœlo deuocauit 39.3 ut diſputarit 20.40
eiuſdem apophthegma de gloria 455.40 & 456.39 caluitium & naſus ſimus 328.30 dictum de Iſocrate 31.34
de prouidentia Dei 90.8
& Platonis diſcrimen 21.33
idem uultus,eademq; frons 231.21
præcipuum ſtudium 5.5
ſolatia bonorum in rebus aduerſis 378.37 & 379
ſolertia in malam partem à Cicerone uſurpata 145.23 noſtri ſeculi Ciceronianam ſimplicitatem deridet 146.18
ſolertiæ & perſpiciẽtiæ diſcrimen 97.36
ſolitudo adoleſcentibus fugienda 302.9
Solon Anacharſin repulit 464.18
cur parricidio nullam pœnam conſtituerit 252.2
eiuſdem callidum factum 265.22
obiurgatio 506.40
ſomnia uirtutis profectum arguunt 36.11
σοφία quam Ariſtoteles appellet 116.10
ſophiſta uenator mercedis 83.21
ſophiſta in Scholis 468.22
inuiſi 386.40
ſophiſtarum eſt mendacijs niti cõtra ueritatem 320.35
Sophiſticæ & Dialecticæ diſcrimen 83.20
Sophiſtici elenchi ad quid ſint utiles 146.4

Sopho.

Sophocles de ſilentio mulierũ 327.31
poeta prætor 346.20
eiuſdem dictum de malè agentibus 335.28 de pietate 289.39
ſimilitudo de patria ſeu Rep. 185.30
uerſus de diuitum & pauperum cõiunctione 307.40
ſordes animorum 353.23
corporum. ibid 18
prohibentur 340.8
Sorites, ſocietatem pręſtare cognitioni 364.38
ſpacium iuſtum diſcendi eſſe raræ felicitatis 19.7
ſpecies indiuiduo obſcurior 418.34
notior genere 446.10
ſpes pertenuis uiro bono in hac uita propoſita 406.14
ſpiritus afflatu ſeſe quoſdá nimis inſulſè gloriari 6.1
σπιλάδων ἐνώπια σπιλάδα 115.32
ſtatus naturæ 202.6
Stigelius poeta 84.23
ſtipula flammæ proxima ſubitò concipit ignem 297.11
Stoica doctrina excuſatur 59.23
ſtoicæ ſeueritatis defenſio 9.28
ſtoica doctrina & ſocordiam excuti, & arrogantiam retundi 59.23
ſtoicarum argutiarũ exempla difficulter fingi poſſe 57.20
ſtoici hominem corpore ſpoliant 74.18 in Rep. uerſari negant eſſe uiri ſapientis 132.2 penè Cynici 311.36 ſtudioſè uerborũ etymologias exquirunt 123.14 uirtutes confundunt 364.9 ut corporis & fortunæ bona appellarint 21.14
ſtoicorum ἀπάθεια 4.27
Stoicorũ & Peripateticorum controuerſiam eſſe λογομαχίαν 21.5
de uirtute controuerſia 21.8
exaggerationes & uerba inſolentia 532.36 inania præcepta ac uota 199.13 eorundẽ Peripateticorũ, & Academicorum diſcrimen 297.4
porticum iuſto Dei iudicio fulciri 533.1 religio 364.20
ſcopus in ſua illa ἀπαθείᾳ inducenda 318.6 ſeueritatis defenſio 4.22
ὑπὸ φιλίας καὶ μεγαλοψυχίας 59.31
ſtoicos iniquum petijſſe, ut æquum ferrent 4.22
ſtudium, generale uocabulum 130.40
quid ſit 131.3
ſtudij definitio 387.17
uis 324.22
ſtudia bonarũ artium paradiſus 260.8
literarum cur noſtro ſeculo iaceant 173.39 quæ requirant 277.33
totum hominem poſtulant 378.17
metienda ſunt noſtræ naturæ regula 267.24 quæ hodie frigeant 323.26 rebus magis neceſſarijs poſthabenda 131.13
recta quæ ſint 461.5
ubi frigeant 12.32
ſtudiorum defenſio 106.30
finis 321.24 fructus 34.23
humanitatis qui ſint ueri falſiq́; fines 274. ibid.
ſtudioſi adoleſcentis felicitas 260.3
rationes innoteſcendi 471.18
ſubſidia 26.6 laus 382.10
ſtudioſi ut ſe in Academijs gerere debeant 496.27
ſtudioſorum ærumnæ 300.5
ſtultorum prouerbium, Non putaram 217.42
ſtratagemata 193.18
Sturmij libellus de ludis literarũ aperiendis 109.31
ſtylus in qua re exercendus 497.24
ſucceſſus moderatè ferendos eſſe 231.15
ſuccumbere in bona cauſa eſſe ſatius, quàm in mala uincere 199.29
ſuffragia occulta 424.9
Sulpitius Gallus aſtrologus 111.42
ſummum ius quid 144.36
ſumma iniuria. ibid.13
ſumptus 130.19
ſuperior & poſterior liber elegáter dici, non item præcedens & ſequens 174.8
ſuperlatiui. ibid.41
ſuperuacanea habenda quę ſint 110.39
ſuppedito & ſuppeto 81.9
ſuppliciorum carnificina 416.5
Sutor & conſul 352.35

Sutor ultra crepidam ne progrediatur 350.25
Sycophantę & tyranni degenerant in beſtias 160.14 qui. ibid.11 in Repub. 468.21
Syllæ uictoria quæ mala pepererit. 427.23
Syllogiſmus integer 404.4
Vuolfio uocatur climax. ibid.16

T

Tacere & loqui qui debeant 327.21
Tacitus de linguæ continentia 328.22
tactus & guſtus 84.32
ταχυγραφία 383.25
ταυτολογία Ciceronis 251.26
ταυτολογίαι 62.7
temeritas cũ uirtute conſiſtere nequit 490.9 quid 399.25
quid ſignificet 25..18
temperamenta 529.11
temperantia 290.40
Alexandri 242 23 quid 98.16
temperantiæ ſubiectum 241.3
temperantia corporis incõmoda corriguntur 216.24
temperantia τὸ ἐπιθυμητικὸν moderatur 415.23
temperatum dicẽdi genus quod'nam ſit 26.39
tempus eligendi rationem uitæ datũ à natura 281.3
optimus conſiliarius 108.15
eius uis 347.1 & 361.33
tempori ſeruiendum 481.40
tempori ſeruire 273 14
tempore parcè utendum 108.21
tempora loquendi duo 328.2
temporum noſtrorum difficultates. 307.3
tenacitas 482.20
Terentianus Chremes 136.11
Terentius & Virgilius Ariſtophani & Plauto collati παρὰ... 258.25
Teren. Plauto præferendus 257.24
eius dictum de puniendo 230.6
locus 8.33 & 78.34
terra exoſa hominũ ſcelera, ſupplicaſſe Ioui fingitur à poetis 390.3
terram metiri poſſe Mathematicos. 365.40
teſtimonia ponderanda potius, quàm numeranda 523.22 & 525.20
Thaletis philoſophia antiquior 401.1
Thebe Alexandrum maritum interficit 425.28
Θὰκ μεῖρα 6.32
Themiſtocles & Solon comparantur 213.1 eius conſilium Athenienſes repudiarunt 158.18
conſilium utile, ſed non honeſtum 403.24 dictum de collocanda filia in matrimonium 511.25
prudentia & fortitudo 99.20
ſagacitas 242.14
Theocriti locus 79 23
Theodorus Gaza 72.13
Theognidis uerſus de ſocijs 369.32
Theologaſtri de fide diſputant theologica, & fidem ciuilẽ è uita tollunt 43.16
Theologia 274.41
inter ſtudia literarum locum teneat 115.14 philoſophiæ iudex 42.10
philoſophica 389.6
rationis uſum non auerſatur 275.1
Theologiæ & philoſophiæ in præceptis collatio 394.11
quæ ſit ratio in locis obſcuris 111.21
Theologiam propediem uideri deridendam 399.15
quum habeamus, ſit'ne locus philophiæ? 294.5
Theologum Iuriſprudentiæ & Moralis philoſophiæ rudem eſſe non debere 25.29
Theologorũ filij theologicum ſtudiũ non ſequuntur 276.37
Theologos omnia referre ad primam cauſam 8.23
Theon progymnaſmatũ ſcriptor Gręcus 14.34
Theophraſtus, quum Tyrtami nomẽ haberet, cur ab Ariſtotele ſit uocatus 29.35 eiuſdem liber de diuitijs 478.10 reprehenſio. ibidem
Θεοσέβεια, θεογονία, θεοῖδεα 279.29
Therſites Homericus 507.30
Θεὸν καὶ ἄνθρωπον 463.7
Θεῖον διαφυλάττειν Ariſtoteli quid 396.21

Θρασυδειλία 261.1

Θῆτες Athenienſium qui fuerint 354.19

Thomas Morus 141.13

Thraſo Terentianus θρασύδειλος 220.4 & 337.24

Thraſybulus Athenis triginta tyrannos pepulit 424.13

Thucydides 37.35 & 221.21
 de latrocinio 451.31
 eiuſdem dictum, Niſi quid inopinatum interueniat 140.27

Thyeſtes deuorat filios 245.17

θυμὸς animi pars quæ 209.15

θυμοειδὴς 65.6

Tiberius Gracchus & eius filij 457.14

timidiores animandi 271.20

Timon μισάνθρωπος 369.22

titulus operis ſæpe inſpiciendus 396.16

titulorum ſalebræ 333.13

τὸ ὅτι, καὶ τὸ διότι 53.3

Topica Ciceronis iuſto breuiora eſſe 33.39

tranſitio figura docilitatis 375.21

tributa cauenda 518.35 cauendi rationes duæ 519.6

Trierarchiæ Athenienſium 484.19 & 518.6

triumuiri tres tyranni pro uno 379.24

Tum tum elegantius eſſe, quàm Non tantum, ſed etiam 374.33

Turcica tyrannis 427.1

turpe & honeſtum 62.23 & 63.1
 ſolum fugiendũ ſoli Chriſtiani ſtatuere poſſunt 533.12

turpitudo ſummum malum, eiusque deſcriptio 44.12

turpitudini deberi infamiam 328.15

tyranni & ſycophantæ degenerant in beſtias 160.14 in imperijs 468.22 loco principum 196.5 qui ſint 160.10 unde exiſtant 429.17

tyrannorum exitus miſerabiles 424.39 & 425.426

tyrannis infeſtus Cicero 428.21

tyrannica uita miſerrima 424.39

tyrannidis & philoſophiæ diſsidium 501.2

Tyrij ſerui 447.7

V

Valentis imperatoris dictũ de ira 227.12

ualetudo 243.27

ualetudinis & uirium ratio habenda 261.41

Vallæ elegantiæ 374.42

uanum quid dicatur 167.20

uaria lectio qualiter obſeruanda 2.1

uariam eiuſdem argumenti tractationem eſſe iucundam 13.29

uarietas grata 2.28

uaſta loca quæ 412.38

ubi amici, ibi opes: prouerbium 64.13 & 434.12

uelis & remis, manibus pedibusque 445.20

uenationis laus 259.5

uenter caret auribus 84.5 & 406.30

uentre nihil impudentius, Homeri dictum 84.7

uenuſtas muliebris 314.6

uerba re magnificentiora 483.12

uerborum ſuorum quiſque interpres eſt 157.14 uim ignorantes facilè decipiuntur 373.36

uerecundia inter amicos 333.8
 ſcenicorum 313.5
 ut ſeruetur 359.7

uerecundiæ cauſæ 312.13
 præceptum 38.9

uerecundiam Epictetus inculcat 351.36

ueris omnia conſentire 46.6

ueritas & publica utilitas ſpectanda 28.28

ueritas homine maximè digna 86.20

ueritas inter diſsimulationem & arrogantiam media 266.4
 inuenta, exoſculanda & adoranda 321.12

ueritas nimis altercando amittitur. 227.4

ueritas orationis præcipuum fundamentum 320.21
 quid ſit 23.2 & 82.39
 ſemel relicta errores parit infinitos 42.20

ueritatis amatores re,non teſte moueri debent 18.5
ueritatis amor caliginẽ diſcutit. 63.19
ueritatis amor & Dei cultus homini proprius 105.23
ueritatis cognitio philoſophi finis. 50.29
ueritatis cognitionem nõ tollit diuerſitas opinionum 63.9
ueritatis & ſapientiæ ſtudium hominem diuinum reddunt 105.13
ueritatis hoſtes ſunt monſtra hominum 85.33
ueritatis & iuſticiæ norma inflecti nõ debet 26.27
ueritatis ſimplicis uox ubi dominetur. ibid.29
ueritatis ſtudioſus non debet ſibi legem imponere, quẽquam uſquam improbandi 401.35
ueritati, non humanæ autoritati ſeruiendum 49.34
uernaculi ſermonis inopia 310.26
uerſari uerbũ habet emphaſin 381.10
uerſuti qui dicantur 405.17
ueſtiendi ratio 315 23
ueſtitus nimia elegantia in quibus reprehenſa 315.2
ueſtium monſtra 314.37
uiæ duæ : uoluptatis una, uirtutis altera 281.8
uicini,ut amiciſsimi ſint, curandum. 187.39
uictoriæ incruentæ quærendæ 217.13
uictis eſſe parcendum 149 35
uictus & amictus 280.25
uideri quomodo uſurpetur à Latinis. 36.13
Vim ui repellere num liceat 119.26
uires expendendæ, priuſquã ad rempub.accedatur 211.26
Vincentius Obſopœus 141 23
uinci quàm rixari præſtat 322 6
uindicta magiſtratus eſt, nõ priuatorum 416.8
uinum corrumpit mentem 253.12
uiolare quid 248.26
uir bonus alijs natus eſt 81.39
uir pecunia egens 511.41
uir politicus 237.5
uir unde dictus 93.21
uiri præſtantes cur pauci 209.18
uiri prudentes 218.1
Virgilius & Terentius Ariſtophani & Plauto comparati παρέργω 258.25
eiuſdem uerſus de agricolis 357.26
uirgula diuina 369.4
Viriatus latro 451.18
uirtus amoris illecebra 437.22
an doceri poſsit, & an diuini muneris eſſe uideatur 392.34
conſtans quæ requirat 392.25
duplex 45.23 eſt effectrix utilitatum,non malicia 413.29
fundamento ſimilis 457.34
humana quæ dicatur 5.34
nulla in terris perfecta 5.30
Palamedi & Socrati exitium attulit 489.23
uirtus quid 373.17 ſine prudentia non conſtat 345.28
ſuſpecta 418.18 uera & perfecta quæ ſit 392.27 uitiorum mediũ 477.14 uoluntaria 454.25
uoluptatis ancilla ſtatuitur ab Epicuro 42.40 ut ab Horatio ſit definita 103.4 utilior & ſuauior improbitate 405.40
uirtutis actio idem quod officiũ 7.41
aſpectus horridus 405.4
diuinum præmium 489.31
uirtutis & ſapiẽtiæ contẽptores 92.17
excellentia in mediocritate poſita, ut centrum in circulo 443.25
finis 454.27 laus in actione 114 2 & 5 1 (6.30
ad Virtutis perfectionem tria requiri
uirtutis præparatio 6.29
profectum arguere ſomnia 36 11
proprium 206.20
trimembris diuiſio 414.33
uerus finis 489.25
uirtuti Chriſtianæ diuinum prẽmium eſſe propoſitum 9 9
non deſunt patroni 461.35
uirtutẽ neq; propagari in liberos, neque diſciplina tradi, Platonis libellus 392.35 paternam conſectandã 291.38 qui præmijs ſpolient 9 4
ſeipſam ſuſtentare ſuo decore 9.6

uirtutes duplices 102.34
uirtutes Epicuri ſententia miniſtræ ſunt uoluptatis, & fortunæ ancillæ 31.11
uirtutes leniores & acriores 437.4
metallis comparantur 94.19
nemini negatæ 290.30
ſine prudentia non eſſe uirtutes. 45.27 ſingulares 443.30
uirtutum æſtimatio 443.39
diſcrimina 98.38
cognatio 82.28 & 345.19
earundem connexio 98.29 & 193.26
uiſibile nõ placuit Ciceroni, ſed aſpectabile 91.20
uis quid ſit 143.41
uiſus & auditus 84.30
uita fabula 271.31
uita felicißima 117.21
uitæ cultus 374.19
diuiſio 37.14
uitæ & mortis uis 446.25
uitæ genus 278.14
uitæ genus deligere, difficilimũ 278.4 & 279.13 maturè eligendum 278.23 ut deligendum 279.20
uitæ neceßitates à ſtudijs abſtrahunt 369.15
uitæ politicæ finis ſecundum Ariſtotelem 220.41
uitæ ratio optima deligenda 381.6
uitæ ſingula genera quid deceat, unde petendum 305.3
uitam cum oratione pugnare turpius eſſe, quàm uerba nõ conſentire inter ſeſe 43.22
uitã inter ſtultos & improbos agere neceſſe 205.27
uitam noſtram eſſe nauigationem. 225.30
uitia qui oderint, odiſſe homines 227.15 & 470.19
uitia unde dicta 194.39
Vitruuius 338.3
Viuis liber de Officio mariti atq; uxoris 182.33 libri de Diſciplinis 109.29
uiuæ uocis præconium 11.31
ulciſcendi modus 147.22
Vlpianus 72.2 & 143.38
Vlpiani dictum 22.12
Vlyſſes patiens 270.31 uerſutus 405.21
Vniuerſus & Omnis ut Cicero uſurpet 466.24
uniuerſi & ſinguli qui dicantur 516.9
unus uir non uidet omnia 350.20
uocatiui collocatio 373.11
uoluntas fertur ad bonum 86.4
uoluntati quid ſit propoſitum 398.14
uoluptas animi nõ improbanda 204.12 à uerecundis dißimulatur 260.33 blandißima domina 262.19 conceſſa teneat modum 261.34 corporis, non ſatis digna homine. 260.35 cum honeſtate conſentit 533.20 pendet ab honeſto 403.12 quæ mala pariat 529.23 turpis 261.30
uoluptatis cur ratio non ſit habenda 8.31 uirginea facies 405.3
uoluptatem eſſe bonum, ſed nõ ſummum 44.21
uoluptatum uis 446.22
uoſsitatio, ſeu uobiſſatio 333.14
uotorum ſtultitia 141.9
uox index orationis 323.41
fingi poteſt 325.11
uocem auget exercitatio 324.1
urbs quæ alieno dominatu premitur, urbis cadauer eſt 151.36
urbium euerſio & direptio qualis eſſe debeat 218.34
uſus 6.35 rerum, uocalis magiſter, cum ſcholaſtica doctrina & priuatis ſtudijs coniunctus, abſoluit omnia 20.11 ſui iuris eſt 82.40
uſum & exercitationẽ dici ἕξιν & ἄσκησιν 6.33
utile, alterum genus bonorum 532.22
populare 402.38
utilium rerum diuiſio 407.1
utilitas aliorum ſpectanda 469.23
cum honeſtate conſentit 533.20
pendet ab honeſto 403.12
utilitatis uerbo conſuetudo abutitur 402.30
utilitatum comparatio 530.14

uulgus

uulgus multa magis optat, quàm ſapientiam 385.20
uulgi iniquitas 307.34
inſcitia 376.40
iudicia temeraria 387.1
petulantia linguæ 308.17
uulgi reprehenſiones non eſſe curandas 395.36
uulpina & leonina pellis 160.18
Vuolfius adoleſcétes à uenere dehortatur 281.24 & 294.3
cur græca admiſcuerit 269.32
dehortatur adoleſcétes à matrimonio intempeſtiuo 305.17
deplorat immaturas mortes doctorum 298.3
diſcipulis ſuis aliquibus miſerabilis uiſus 17.10
excuſat ſe quòd græca inſerat. 87.2
excuſat theologica à ſe inſeri 322.24
fatetur ſe quoque implumem prouolaſſe 383.27
hortatur adoleſcentes ad labores. 444.9
in Cyclopes inuehitur 92.39
in elegantiſsimos uerſus erumpit, quib. deplorat noſtri ſeculi corruptelam. 17.17
in temerarios ſuarum Lucubrationum cenſores inuchitur 27.26
inuehitur in diſsidia noſtri ſeculi 176.23.
miratur Ciceronis iudicium 257.24.40
multa uolumina in publicum edidit 181.7
nobiles & principes hortatur ad æquitatem & moderationem 447.9
optat Ciceronem ſæpius fuiſſe imitatum Ariſtotelem 240.14
ſeculi noſtri ſapientiam præclarè deſcribit 146.18
Vuolfij concio de fide & operibus. 533.33 & 534.42
de philoſophis & theologis noſtræ ætatis dictum 321.18
geneſis. 303.7
grauis admonitio, ut diſſentientes patienter feramus 226.24
interpretandi ratio cuiuſmodi. 1.10
in Epictetum & Simplicium elucubrationes premi 378.30
inuectiua in noſtri ſeculi impudentiam 313.20
iuſta querela de factionibus 224.8
Vuolfij pater 283.5
noluit ſuis opes relinquere 514.15
Vuolfij querela de literarum ſtudijs iacentibus noſtro ſeculo 273.30
querela de præparatione ad ſacerdotium 212.8
ſententia de fœneratione 531.15
Vuolfio curioſitas loquẽdi initio ſtudiorum probatur 375.1
Vuolfio mirum uidetur, ſi fuerit æmulatio inter Ariſtotelem & Iſocratem 32.8
Vuolfio Muſis nihil charius 260.19
uxor diues cur non ducenda pauperi. 277.36
uxor frugi, rara auis 305.21
uxor qualis eſſe debeat, ex Euripide citatur 305.18
uxorum & liberorum communitas. 120.19

X

Xanthus ab Aeſopo deriſus cur fuerit 96.37
Xenocrates à Lacone quodam deriſus 132.11 & 392.5
Xenocrates hilarior ut exceptus ſit à Platone 257.8
philoſophorũ ſeueriſsimus 262.1
triſtis 257.7
Xenocratis abſtinentia 443.33
Xenophon. 221.22.32
paſsim uenationes laudat 259.5.
Xenophontis conuiuium 328.29
de ingratitudine dictum 172.33
item de rerumpublicarum mutatione 306.28
de bonis principibus 88.35
de impudentia 311.31
de uictis & uictoribus. 147.25. & 150.1
Xenophontis & Platonis inimicitiæ. 32.12
Xenophontis locus 66.41
Xenophontis Oeconomicus à Cicerone conuerſus 384.11 & 530.5
Xenophontis Pædia Cyri ut ſcripta. 485.35
ſermo qualis fuerit 325.40

Xerxes Lucullum non laudauit. 304.25
Xerxes togatus, dictus Lucullus. 380.28

Y

Ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, prouerbium 147.22
ὑποθέσεις & λύσεις 463.7
ὑπόκρισις actio quoq; & pronunciatio dicitur 323.20
ὑπουργία 51.27

Z

Zenobia regina 72.37
Zeno Cittieus 7.36
Zeno Stoicæ ſectæ autor 8.18
ut officiũ ſit accuratè partitus 9.31
Zenonis ſapiens 201.38
ζῆλος 405.26
Zonaras 416.6

FINIS.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANnis Oporini, Anno Salutis humanæ M. D. LXIII. Menſe Auguſto.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google